HISTORICA ET CRITICA

# INTRODUCTIO

IN

# U. T. LIBROS SACROS

---

## PRAELECTIONES

QUAS

IN GERMANIA, IN COLLEGIO B. M. V. AD LACUM

ET

ROMAE, IN UNIVERSITATE PONTIFICIA GREGORIANA

HABEBAT

RUDOLPHUS CORNELY S. I.

---

VOLUMEN II 2.

## INTRODUCTIO SPECIALIS

IN

DIDACTICOS ET PROPHETICOS VET. TEST. LIBROS

*Editio altera emendata*

**Cum approbatione Superiorum.**




PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

1897

LEONI · XIII · PONTIFICI · MAXIMO

COMMENTARIOS · ISAGOGICOS · ET · EXEGETICOS
IN · OMNES · VETERIS · NOVIQVE · TESTAMENTI · SCRIPTVRAS
AD · SANCTORVM · PATRVM
ET · VETVSTIORVM · SCHOLAE · DOCTORVM
IVNIORVMQVE · INTERPRETVM
NORMAM · EXACTOS
ADHIBITIS · VBI · OPVS · FVERIT
RECENTIORVM · SCIENTIARVM · SVBSIDIIS
AVCTORES · OBSEQVENTISSIMI
SVMMO · ATQVE · INERRANTI · DIVINAE · VERITATIS · INTERPRETI
QVI · SINGULARI · DIGNATIONE · BENIGNITATIS
ID · QVIDQVID · EST · OPERIS
NOMINI · SVO · INSCRIBI · PERMISIT
PIETATIS · ET · IMMOBILIS · FIDEI · PIGNVS · EXHIBENT
SEQVE · AC · SVA · STVDIA · OMNIA
ADDICVNT · DEVOVENT
SEDIS · APOSTOLICAE · DOCTRINAE · ADSERENDAE
SACRARVM · LITERARVM · AVCTORITATI
PRO · VIRIBVS · PROPVGNANDAE

Quum opus, cui titulus est : *Introductionis in S. Scripturam Vol. II. seu Introductio specialis in Libros sacros Veteris Testamenti* (*Tom. II. Introductio in libros didacticos et propheticos V. T.*) auctore P. Rudolpho Cornely S. I., in Pontificia Universitate Gregoriana S. Scripturae Professore, aliqui eiusdem Societatis theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint et edi posse iudicaverint, facultatem concedimus, ut vulgetur, si ita iis ad quos pertinet videbitur.

In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Fesulis die 19. Martii 1887.

L. S. ANT. MAR. ANDERLEDY,
Praepositus Generalis S. I.

IMPRIMATUR

FR. AUGUSTINUS BAUSA O. PR.
S. P. A. Magister.

---

Quum opus, cui titulus est : *Introductio specialis hist. crit. in libros sacros Veteris Test., vol. II., editio altera emendata,* a P. Rudolpho Cornely nostrae Societatis sacerdote compositum aliqui eiusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis ad quos pertinet videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et officii nostri sigillo munitas dedimus.

Exaten, die 17 Augusti 1897.

L. S. HENRICUS HAAN S. I.
Praep. Prov.

IMPRIMATUR

Parisiis, die 28 Augusti 1897.

L. S. † FRANCISCUS CARD. RICHARD,
Arch. Parisiensis.

# INTRODUCTIO SPECIALIS

IN

# LIBROS SACROS VETERIS TESTAMENTI

II

# DISSERTATIO II.

## DE VETERIS TESTAMENTI LIBRIS DIDACTICIS.

---

## CAPUT I.

### DE SACRA POESI HEBRAEORUM.

### § 1. — *De rhythmica carminum hebraicorum structura.*

**161.** — Libros historicos in canone nostro septem alii excipiunt, qui non tantum argumento, quod tractant, et fine proximo, quem prosequuntur, intimius cohaerent, sed etiam forma sua externa ab historicis et propheticis operibus distinguuntur. Quoniam in divina illa sapientia, cuius initium est timor Domini, tradenda, moribus emendandis efformandisque, via salutis docenda maxime versantur, ab antiquis interpretibus *sapientiales* seu *morales*, vel *doctrinales* seu *didactici* recte sunt appellati. Verum quidem est, quod monet *S. Chrysostomus*, in historicis libris interdum afferri vaticinia et in propheticis res gestas nonnullas narrari et in utrisque multa tradi consilia et monita, quae ad morum emendationem conducant, atque omnes libros sacros nobis esse datos, ut rerum gestarum narratione et futurorum praedictione et explicatione praeceptorum ad iustitiam erudiamur; nihilominus si ad praecipuum argumentum atque proximum apertumque finem librorum istorum animos adverterimus, cum eodem S. Doctore eos et ab historicis et a propheticis operibus sine ulla haesitatione distinguemus [1]. Atque idem obtinet, si eorum formam externam contemplamur. Procul enim dubio historicis quoque libris nonnulla carmina sunt inserta, atque prophetarum vaticinia haud pauca poeticis operibus sunt adnumeranda, quia tota eorum dictio ad poeticam proxime accedit : at septem libri, de quibus in hac dissertatione nobis est agendum, vix non totidem sunt poemata vel poematum collectiones, quare etiam velut *poeticos* ab historicis et propheticis eos distinguunt moderni interpretes [2]. Quoniam vero character hic poeticus cognitus et

perspectus illis melius intelligendis non parum inservit, pauca de poesi hebraica introductioni in singulos libros praemittenda duximus.

Integra antiquorum Hebraeorum poesis, quae nobis innotuit, sacra est et religiosa. Non dubitandum quidem est, quin profanam quoque excoluerint, quippe cuius reliquiae paucae in sacris libris nobis sint conservatae[3]; at magnum locum non videtur apud eos occupasse. Id enim ex tota eorum historia satis constat, intimum semper apud eos fuisse literarum et religionis nexum, ita ut florente theocratia florerent literae atque iidem viri, qui religione ac pietate essent insignes, etiam literis reliquos superarent. Ita factum est, ut Deus divinaque beneficia praecipuum sit poematum hebraicorum argumentum, atque omnia, quum religiosas exprimant ideas piisque repleta sint affectibus, lectores ad Deum adducant. In omni autem poesi, sive sacra sive profana, tria maxime sunt consideranda, quibus ab oratione prosa distinguitur : *argumenti tractandi ratio*, *elocutio*, *rhythmus*; de quibus singulis ita agemus, ut a rhythmo initium capiamus[4].

1. *S. Chrysost.* Synops. S. Script. (M. 56,316). S. Doctor tria librorum sacrorum genera distinguit τὸ ἱστορικόν, τὸ προφητικόν, τὸ συμβουλευτικόν, atque tertio suo generi, quod monita admonitionesque tradit, adnumerat quinque libros : *Sapientiam Salomonis* [a], *Proverbia*, *Sapientiam Sirach*, *Ecclesiasten*, *Canticum canticorum*. Cum multis autem antiquis Patribus et interpretibus librum *Iob* historicis, *Psalterium* propheticis accenset; quos moderni aptius adnumerant libris didacticis.

2. Massorethae accentibus suis poeticis adscriptis tres tantum libros poeticos agnoscunt : *Psalterium*, *l. Iob*, *Proverbia*; at parum recte, siquidem ex hebraicis libris *Canticum cantic.* quoque et *Ieremiae Threni* omnino poeticam formam exhibent et in *Ecclesiaste* satis magna pars est poetica. Primigenium textum hebr. *Ecclesiastici* secundum poeticas regulas fuisse compositum ex versionibus adhuc perspicitur, atque *Sapientiae* quoque auctor, quamquam graece scripsit, in priore saltem libri parte Hebraeorum parallelismum poeticum observavit. Si solam formam poeticam spectaremus, in hac parte de *Threnis* quoque nobis esset agendum; aptius tamen eos Ieremiae vaticiniis adiungemus *infra* (268 sq.).

3. Ex *Is.* 24,9 et *Am.* 8,10 satis elucet Hebraeis cantica profana non defuisse, quae ad sacrorum hymnorum modos efformata esse insinuat *Am.* 6,6. Satyrae profanae specimen exhibet *Is.* 23,16; propius quoque ad genus profanum accedunt carmen Lamech (Gen. 4,23. 24), epinicia Israelitarum (*Num.* 21,27-30), Samsonis (*Iudic.* 15,16), mulierum israeliticarum (1 *Reg.* 18,7), aenigma Samsonis (*Iudic.* 14,14. 18) et si quae sunt similia.

4. Cfr praesertim *Lowth* de sacra poesi Hebraeorum (Oxonii 1753.) cum notis et epimetris I. D. Michaelis (Gottingae 1761.) edidit E. F. C. Rosenmüller. Lipsiae 1815.; *I. G. Herder* Vom Geiste der ebräischen Poesie. Dessau 1782. 1783.; et recentiores Introductiones.

**162.** — Omni poesi ea constituta est lex, ut sit numeris adstricta

(a) Non nominatur quidem *Sapientia* M. 56,316, sed errore librarii videtur excidisse, siquidem S. Doctor eius argumentum postea inter libros sapientiales primo loco tradit (M. 56, 368).

atque certo quodam constet rhythmi genere, quo audientium aures delectet atque demulceat. Procul dubio oratores quoque certum quendam numerum sectari solent, at severiori illi legi, quae propria est poeseos, non subiacent, quare eorum sermo *solutus* dici solet. Poetico igitur illo numero vel RHYTHMO etiam sacra Hebraeorum poesis nec carere potuit nec caruit. At apud varios populos pro linguarum varietate variae sunt rhythmi poetici species. Alius enim est rhythmus Graecorum et Latinorum, qui ad *syllabarum* singularum *quantitatem* attendunt, alius Germanorum et Slavorum, qui syllabarum *accentum* respiciunt, alius Gallorum, qui syllabas *numerant*. A quibus rhythmis, qui inter se sunt similes, prorsus diversus est ille, qui ex integrarum *sententiarum idearumque* harmonia exoritur. Num priori similis quidam in hebraicis carminibus inveniatur, controvertitur; inter omnes autem constat alterum rhythmi genus in eis reperiri eorumque velut proprium characterem constituere[1]. De hoc igitur primum nobis est agendum; secundo autem loco paucis inquiremus, quid de syllabarum rhythmo in hebraica poesi sentiendum esse videatur.

Rhythmica sententiarum compositio maximam partem constat in earum aequalitate quadam ac similitudine sive in PARALLELISMO membrorum uniuscuiusque periodi, ita ut duobus plerumque, interdum tribus vel quatuor membris eiusdem fere longitudinis, in quibus res rebus atque etiam verbis verba quasi respondeant, integra sententia explicetur. Carmen enim hebraicum legentes facile deprehendimus, illud sua sponte in periodos plerumque aequales (strophas) dispertiri, periodos ipsas autem certo quodam aequalium stichorum numero constare, qui eandem ideam vel *explicant* vel *elucidant* vel *continuant complentque*. Unde exoritur rhythmus non vocabulorum aut syllabarum, sed sententiarum et idearum, qui etiam aures quidem, sed multo magis animos suaviter delectat. Quin sententiarum rhythmus, quum in rebus ipsis maxime versetur atque ad idearum explicationem et explanationem quam plurimum conferat, mero syllabarum rhythmo, qui saepe saepius nihil est nisi tinnitus inanis, longe sit perfectior, dubium non est. At ea quoque est eius natura propria, ut facillime in omni versione retineatur. Namque carmen hebraicum, si in aliam linguam ita transfertur, ut oratione soluta ad verbum exprimatur, rhythmicam suam structuram, remanente quippe sententiarum forma, integram fere conservat; quam difficile vero sit carmina graeca aut latina aut quaecunque alia, quorum rhythmus syllabarum mensura vel accentu vel numero efficitur, aliis linguis ita reddere, ut ideis non mutatis rhythmus idem conservetur, nemo ignorat[2]. Quam ob causam omnia carmina illa patriae suae limites vix transgrediuntur, at carmina hebraica omnibus omnium aetatum populis et nationibus velut

propria sunt. Neque enim sine speciali Dei providentia factum esse arbitramur, ut poemata illa, quae Spiritus S. sacris auctoribus inspiravit, ut non uni populo sed integro generi humano inservirent, eo rhythmi genere conscriberentur, quod omnibus in linguis facillime retentum ea redderet vere universalia; nam ne in languidissimis quidem versionibus omnis eius venustas evanescit, dum aliorum populorum carmina, utpote mere humana et nationalia, si soluta oratione exprimuntur, vix quidquam pristinae pulchritudinis sibi conservant, quin etiam haud raro risum provocant.

Sententiarum autem inter se relatio varia quidem est et multiplex, interdum accuratior et apertior, interdum solutior et obscurior, tres tamen a plerisque parallelismi species distinguuntur, quas exemplis nonnullis illustrabimus.

1. Sententiarum hic rhythmus vel *parallelismus* Hebraeis non ita est peculiaris, ut ab aliis populis non sit adhibitus: immo cantica quaedam aegyptiaca innotuerunt hebraicis antiquiora, in quibus reperitur (Cfr *H. Brugsch* Grammaire hieroglyphique. Leipzig 1872. p. 97 sqq.), neque Assyriis erat ignotus (*A. H. Sayce* An Assyrian Grammar for comparative purposes. London 1872. p. 172 sq.). At nullus est populus praeter hebraicum, qui eum ita adhibuerit, ut proprium totius poeseos characterem constitueret; sed haud multis tantum exemplis atque plerumque solutiore et obscuriore forma apud Aegyptios, Assyrios, Chaldaeos reperitur. — De parallelismo hebraico cfr praesertim *Lowth* (l. c. Praelectio 19. p. 205 sqq.), qui primus eum detexit atque ita exposuit, ut recentiores vix quidquam novi explicationibus eius addiderint; eum igitur praecipuum ducem in hac quaestione sequemur.

2. Optime iam *S. Hieronymus* (Praef. in Euseb. Chron. M. 27,223) : « Quod si cui non videtur linguae gratiam interpretatione mutari, Homerum ad verbum exprimat in latinum; plus aliquid dicam, eundem in sua lingua prosae verbis interpretetur, videbit ordinem ridiculum et poetam eloquentissimum vix loquentem ».

I. — *Parallelismus synonymus* frequentissimus est in tota poesi lyrica; exoritur autem, si eadem idea bis terve vocabulis idem fere significantibus ita exprimitur, ut alterum membrum priori aut integrum aut ex parte consonet eiusque sit echo quaedam. Neque tamen consonantia illa pro tautologia est habenda, quum repetitione ista haud raro sententia ipsa crescat et augeatur, saepissime etiam vocabulis synonymis clarior reddatur. Longe frequentior est inter duo membra, at etiam habentur tristicha et tetrasticha synonyma. Praeclarissimum exemplum distichi synonymi exhibet totus *Ps.* 114 hebr. (113,1-8.[3])

In exitu Israel de Aegypto,
  Domus Iacob de populo barbaro,
Factum est Iuda sanctuarium eius,
  Israel imperium eius.
Mare vidit et fugit,
  Iordanes conversus est retrorsum;

Montes exsultaverunt ut arietes,
  Et colles sicut agni ovium etc.

Alias singula membra ad verbum fere consonant, aut sensu *fere* sunt tautologica, interdum vero phraseos forma prorsus differunt, ut obscurior sit synonymia :

Nocte vastata est Ar Moab : conticuit;
  Nocte vastata est Kir Moab : conticuit. — *Is.* 15,1.

Quid est homo, ut memor sis eius,
  Aut filius hominis, ut visites eum. — *Ps.* 8,5.

Sitivit anima mea ad Deum, Deum vivum;
  Quando veniam et apparebo ante faciem Dei! — *Ps.* 41,3.

Alias alteri membro additur vocabulum, quo sensus compleatur seu augeatur :

Deus ultor Domine!
  Deus ultor, appare!
Exaltare, o iudex terrae,
  Redde retributionem superbis!
Usquequo peccatores, Domine!
  Usquequo peccatores gloriabuntur? — *Ps.* 93,1-3.

Alias duo disticha synonyma ita coniunguntur, ut utriusque versus stichi bini sibi correspondeant et in structuram tetrastícham transeant. Quo in casu aut primus stichus respondet tertio et secundus quarto (ut in prioribus, quae adscribimus, exemplis), aut primus quarto et secundus tertio correspondentes chiasticam formam exhibent, aut duo priores arctius cohaerentes duobus alteris complentur :

Dominus lux mea et salus mea,
  Quem timebo?
Dominus protector vitae meae,
  A quo trepidabo?...
Si consistant adversum me castra,
  Non timebit cor meum;
Si exsurgat adversum me proelium,
  In hoc ego sperabo. — *Ps.* 26, 1. 3.

Fili mi! si sapiens fuerit animus tuus,
  Gaudebit tecum cor meum;
  Et exultabunt renes mei,
Si locuta fuerint rectum labia tua. — *Prov.* 23,15. 16.

Honora Dominum de tua substantia,
Et de primitiis frugum tuarum da ei :

Et implebuntur horrea tua saturitate,
Et vino torcularia tua redundabunt.
Disciplinam Domini, fili mi, ne abiicias,
Neve aegre feras, si ab eo corriperis :
Quem enim diligit Dominus, corripit,
Et sicut pater in filio complacet sibi. — *Prov.* 3,9-12.

Sed habentur etiam tetrasticha, quorum singula membra sunt synonyma :

Non timebis a timore nocturno,
A sagitta volante per diem,
A peste in tenebris ambulante
A lue vastante in meridie. — *Ps.* 90,5. 6[4].

Frequentiora tamen sunt tristicha, quae ipsa quoque variis modis sunt constructa. In aliis enim tria membra omnino sunt synonyma, in aliis primum membrum synonymum est duobus sequentibus, quae simul sumta completam primi membri ideam exhibent, aut duo priora membra simul sumta continentur tertio membro. Primae speciei exemplum iam invenis in primo Psalterii versu et satis multa in omnibus libris poeticis; duae aliae vero species, utpote difficiliores, rarius adhibentur.

Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum,
Et in via peccatorum non stetit,
Et in cathedra derisorum non sedit. — *Ps.* 1,1.

Instauras testes tuos contra me,
Multiplicas iram tuam adversum me,
Et poenae militant contra me. — *Iob* 10,17.

Quomodo sedet solitaria — civitas plena populo;
Facta est quasi vidua — domina inter populos;
Princeps provinciarum — facta est tributaria. — *Thren.* 1,1[5].

Ἀγαπήσατε τὴν δικαιοσύνην, οἱ κρίνοντες τὴν γῆν.
Φρονήσατε περί τοῦ Κυρίου ἐν ἀγαθότητι,
Καὶ ἐν ἁπλότητι καρδίας ζητήσατε αὐτόν. — *Sap.* 1,1[6].

Hanc (sapientiam) amavi et exquisivi a iuventute mea;
Et quaesivi eam sponsam mihi ducere,
Et amator factus sum pulchritudinis illius. — *Sap.* 8,2[7].

Pennis suis obumbrabit tibi,
Et sub alis eius tutus eris :
Scutum et clypeus veritas eius. — *Ps.* 90,4.

3. In exemplis describendis Vulgatam nostram ita sequimur, ut in paucis tantum, in quibus hebraicus textus synonymiam accuratius exprimit, eam relinquamus.

4. Animadverte, quaeso, quanta cum arte in hoc tetrasticho membra synonyma sint disposita. *Primus* enim et *tertius* stichus, qui loquuntur de periculo nocturno, opponuntur *secundo* et *quarto*, qui de diurno agunt; sed *primus* et *secundus*, quum pericula ab hominibus imminentia commemorent, opponuntur *tertio* et *quarto*, qui de calamitatibus a Deo immissis agunt.

5. In hac stropha, quae uti reliquae eiusdem carminis tribus versibus constat, non tantum singuli versus sunt synonymi, sed etiam versuum stichi inter se consonant; maioris autem varietatis causa poeta duorum ultimorum versuum subiecta et praedicata per χιασμὸν disposuit.

6. Graece adscripsi exemplum hoc, ut appareret, magna cum arte scriptorem sacrum etiam vocabulorum concentui seu assonationi studuisse. Trium enim membrorum verba terminationibus suis concinunt, et duo ultima membra, quae inter se arctius connectenda erant, etiam duorum aliorum vocabulorum simili sonitu coniunguntur.

7. Attendas velim, quomodo iterum sacer scriptor per chiasmi figuram in secundo membro explicet secundum verbum (*exquisivi*) et in tertio primum (*amavi*). Etiam in immediate praecedentis exempli duobus ultimis stichis eadem figura est adhibita.

II. — Quoniam vero opposita oppositis dilucidantur, poetae hebraei etiam sententias oppositas parallelis membris coniungunt. Qui *antitheticus parallelismus* aptissimus est praeceptis moralibus tradendis, quatenus laudibus praemiisque virtutis vitiorum vituperia et poenas opponens efficacius commendat priorem et ab aliis absterret. Quamobrem frequentissimus est eius usus in Proverbiis et in Ecclesiastico, at in Psalmis quoque aliisque carminibus non est rarus. Ipsa sua natura ad distichon restringitur, cuius exempla abundant.

Ipsi lapsi sunt et ceciderunt,
  Nos autem surreximus et erecti stetimus. — *Ps.* 19,9.

Ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia :
  Ubi autem humilitas, ibi et sapientia. —
Simplicitas iustorum dirigit eos,
  Et perversitas impiorum devastat illos. —
Non proderunt divitiae in die ultionis;
  Iustitia autem liberabit a morte. —
Iustitia simplicis dirigit viam eius,
  Et in impietate sua corruit impius. —
Iustitia rectorum liberabit eos,
  Et in insidiis suis capientur iniqui. — *Prov.* 11,2 sqq.

Longa haec series distichorum antitheticorum, in quibus singulis verba fere verbis respondent, aliquid languidi habet, quod parum placet; animadvertendum autem est, in allato exemplo singulas sententias, utpote disticha completa, ab aliis prorsus esse separandas nec

ullo nexu interno inter se cohaerere. Quamprimum autem poetae hebraei parallelismum antitheticum in longioribus carminibus adhibuerunt, eius formam variis modis variarunt. Ita B. Virgo in suo cantico duo disticha antithetica ita coniunxit, ut primus stichus responderet quarto et secundus tertio :

Deposuit potentes de sede,
  Et exaltavit humiles;
  Esurientes implevit bonis,
Et divites dimisit inanes. — *Luc.* 1,51.

Quemadmodum in hoc exemplo iam aliquatenus parallelismus synonymus cum antithetico est coniunctus, ita satis frequenter in tristichis et tetrastichis eos coniunctos videmus. Interdum enim sententia aliqua duobus stichis synonymis proponitur atque sticho antithetico illustratur aut duobus stichis duo opponuntur; in singulorum autem ordine maxima est varietas, id quod pauca haec exempla docent.

Alieni insurrexerunt adversum me,
Et fortes quaesiverunt animam meam :
  Et non proposuerunt Deum ante conspectum suum. — *Ps.* 53,5.

Sacrificium et oblationem noluisti,
  Aures autem perforasti mihi
Holocaustum et pro peccato non postulasti. — *Ps.* 39,7.

Vidi impium superexaltatum
Et elevatum sicut cedros Libani :
  Et transivi, et ecce non erat,
  Et quaesivi eum, et non est inventus. — *Ps.* 36,35.

Ἔκτισε εἰς τὸ εἶναι τὰ πάντα,
Καὶ σωτήριοι αἱ γενέσεις τοῦ κόσμου,
  Καὶ οὐκ ἔστιν ἐν αὐταῖς φάρμακον ὀλέθρου,
  Οὔτε ᾅδου βασίλειον ἐπί τῆς γῆς. — *Sap.* 1,14.

Tu manu tua gentes delesti,
  Et plantasti istos :
Tu afflixisti nationes,
  Et expandisti istos. — *Ps.* 43,3.

Plorans ploravit in nocte, — et lacrymae eius in maxillis eius :
  Non est, qui consoletur eam — ex omnibus caris eius;
  Omnes amici eius spreverunt eam — et facti sunt ei inimici.
*Thren.* 1,2.

III. — Tertio loco venit illa parallelismi species, quae *synthetica* vo-

cari solet, quia adhibet membra, quae nec synonyma nec antithetica sunt, sed sola constructionis forma aut longitudinis proportione inter se sunt similia. Alias scilicet idem argumentum variis phrasibus aut eadem prorsus aut simili saltem ratione constructis explicatur; alias eadem quidem sententia continuatur, sed ita ut inter singula membra proportio quaedam apta retineatur, sive inter ea adsit protaseos et epitaseos relatio, sive alterum prioris afferat causam, sive alia quaecunque logica inter ea inveniatur ratio. A soluta oratione interdum haec parallelismi species vix aut ne vix quidem distinguitur; quare sola etiam non facile adhibetur, sed aliis parallelismis synonymis vel antitheticis variatur et distinguitur. Neque tamen illis ipsis in locis, in quibus per multos versus continuatur, sua venustate et iucunditate caret synthesis, si aut perfecta membrorum similitudine eiusdemque constructionis repetitione, aut alphabetismo, de quo statim dicemus, sententiarum concinnitas indicatur et exornatur. Exempla parallelismi synthetici sunt frequentia :

Voce mea ad Dominum clamavi,
  Et exaudivit me de monte sancto suo. — *Ps.* 3,5.

Exundaverunt aquis nubila;
  Fragorem dederunt nubes;
    Sagittae tuae discurrebant;
Vox tonitrui tui in turbine;
  Apparuerunt fulgura tua orbi;
    Concussa et commota est terra. — *Ps.* 76,18. 19.

Constructionis concinnitate pulchrior est Legis laus, quam persequitur Psaltes :

Lex Domini immaculata || recreans animam;
Testimonium Domini fidele || sapientiam praestans parvulis;
Iustitiae Domini rectae || laetificantes corda;
Praeceptum Domini lucidum || illuminans oculos;
Timor Domini sanctus || permanens in aeternum;
Iudicia Domini veritas || iustificata omnia. — *Ps.* 18,8-10.

Longe frequentiora tamen sunt exempla, in quibus synthetici stichi cum synonymis vel antitheticis variis modis alternant.

Sepulcrum patens est guttur eorum;
Linguis suis dolose agunt;
  Iudica eos, Deus!
Decidant a cogitationibus suis;
Ob multas eorum iniquitates expelle eos,

Quoniam rebellaverunt in te, Domine! — *Ps.* 5,11.

Taedet animam meam vitae meae;
Dimittam de me querelam meam,
Loquar in amaritudine animae meae. — *Iob.* 10,1.

Quum transieris per aquas — tecum ero,
Et flumina non operient te:
Quum ambulaveris in igne — non combureris,
Et flamma non ardebit te. — *Is.* 43,2.

Oculum, qui subsannat patrem,
Et spernit obedientiam matris,
Effodient corvi de torrente,
Et comedent pulli aquilarum. — *Prov.* 30,17.

Excaeca cor populi huius,
Et aures eius aggrava,
Et oculos eius claude:
Ne videat oculis suis,
Neve auribus suis audiat,
Neve corde suo intelligat,
Et convertatur et sanetur. — *Is.* 6,10.

Filii adulterorum inconsummati erunt,
Et ab iniquo thoro semen exterminabitur,
Nam etiamsi longaevi fuerint,
In nihilum computabuntur,
Et sine honore erit senectus eorum.
Si vero celerius defuncti fuerint,
Non habebunt spem,
Nec in die agnitionis solatium,
Generis enim iniusti durus est finis. — *Sap.* 3,16.

Quantam varietatem et iucunditatem tres parallelismi species, sive solae adhibentur, sive inter se permiscentur, in carminibus procreent, non est quod moneamus, quoniam ex paucis exemplis allatis satis iam elucet, tanta cum arte poetas hebraicos illas adhibuisse, ut metrico syllabarum rhythmo facile careamus, si perfectiore illo sententiarum idearumque rhythmo suppletur.

Neque illud est omittendum, egregium quoque *subsidium hermeneuticum* nobis adesse in parallelismo synonymo et antithetico ad textus nonnullos explicandos. Namque ea est parallelismi indoles, ut eadem idea in singulis membris aut aliis terminis repetatur aut opposita sententia illustretur; unde evidens est, nos uno membro intellecto ad alterius sensum facilius pervenire. Quocirca pro regula hermeneutica

statui potest, illud quod in uno membro clarum et perspicuum est, normam esse, ad quam membra parallela sint explicanda. Quoniam vero synonymia non est tautologia, in membris parallelis completam consonantiam quaerere non licet, siquidem sub diversa ratione speciali res proponuntur. Erraret ergo, qui in *Ps.* 19 (18), 8 sqq., ubi Lex variis nominibus designatur, alterum alteri absque sensus mutatione substitui posse arbitraretur. Plenam membri synonymi intelligentiam parallelismus nobis non exhibet, sed viam nobis monstrat ad eam inveniendam. Idem mutatis mutandis de parallelismo antithetico valet, quia ideae non iuxta totam suam extensionem et intensionem inter se opponuntur.

Versus, qui duobus stichis fere aequalibus constant, graecis latinisque hexametris illis apte comparantur, quos censura semiquinaria (τομὴ πενθημιμερής) in duas partes fere aequales distribuit. Nonnullis autem in carminibus carminumve partibus secundus stichus brevior est, ut versus exoriantur haud dissimiles hexametris, qui caesuram semiseptenariam (τομὴν ἑφθημιμερῆν) habent[8]. Quam formam *C. Budde*, qui primus in eam diligentius inquisivit eiusque leges eruere studuit, *elegiacam* (*Qinah-Vers*) appellavit, quia eam in Threnis frequentissime adhiberi detexit[9]. Minus tamen aptum est nomen, non tantum quia satis multae elegiae sacrae hac forma carent, sed quia etiam in carminibus haud raro adhibetur, quibus nihil inest elegiaci[10].

Demum addamus, in poesi hebraea haud difficulter construi sententias, quae suis syllabis finalibus consonant; nihilominus in sacris carminibus stichi aut versus ὁμοιοτέλευτοι, licet admodum rari non sint[11], nunquam per longiorem partem, nedum per totum carmen, continuantur, neque versibus aut stichis distinguendis inserviunt. Procul dubio aliqui ex eis ad sententiam efferendam vel memoriae facilius imprimendam studiose quaesiti videntur (*Gen.* 4,23; *Iudic.* 14,18; 1 *Reg.* 18,7; *Prov.* 22,10 etc.); at plerosque non tam studio quam casui deberi arbitramur, ita ut eos hoc in tractatu praetermittere liceat.

8. *K. I. Zenner* S. I. Die Chorgesänge in B. der Psalmen. I. p. 13; cfr *P. Vetter* Die Metrik im B. Iob. p. 3; *Hommel* Altisrael. Ueberlieferung. 1897. p. 311.

9. *C. Budde* Das hebr. Klaglied (Ztschr. f. Alttestam. Wissensch. 1882. 1892); cfr *Zenner* l. c. p. 12; *Driver Rothst.* Einl. 1896. p. 491 sqq.

10. Praeter *Lament.* 1.-4. velut elegiae hac forma conscriptae allegantur *Is.* 14,4-21, *Ezech.* 19,2-14 ac paucae partes minores. Deest autem haec forma in Davidis elegia de morte Saulis aliisque bene multis carminibus, quae elegiis recte accensentur (*Iob.* 29,1-31,40 etc.); perfectissimum autem eius exemplum praebent *Ps.* 19 (18), 8-12 ac totus *Ps.* 48 (47), si prima eius verba recte coniunguntur (cfr *Zenner* l. c. I. p. 33).

11. *P. Vetter* (l. c. p. 14) auctorem l. Iob istorum ὁμοιοτελεύτων studiosissimum fuisse dicit, at dumtaxat octoginta circiter versus enumerare potuit, in quibus stichi aut stichorum partes extremis syllabis consonant; cfr etiam *P. Schmalzl* Der Reim im hebr. Text des Ezechiel (Tüb. Quartalschr. 1897. p. 127 sqq.).

163. — Poetam, qui argumentum suum ita tractat, ut singulis eius partibus aequalem versuum numerum attribuat, strophas distinxisse iure dicimus. Id autem in sacris quoque poetis haud infrequenter obtinet. Licet enim liberius incedentes severis Latinorum Graecorumque legibus non obedierint, duplici tamen ex capite colligitur, eos interdum veras strophas complurium versuum (distichorum vel tristichorum) construere voluisse[1]. Ac primum quidem ad illa appellamus carmina, in quibus post certum versuum numerum idem recurrit versus intercalaris. Neque enim profecto casui sed arti adscribatur oportet, quod *Ps*. 41. 42. (Vulg.), qui unum carmen constituunt, quinis interiectis versibus ter repetatur tristichon:

Quare tristis es, anima mea, et conturbaris in me?
Confide in Deo, quoniam adhuc confitebor illi :
Salutare vultus mei et Deus meus! — *Ps*. 41,6. 12; 42,5.

Eadem ratione *Ps*. 45. in tres, Ps. 56. in duas, Isaiae carmen minax contra Israel in quatuor strophas distichis intercalaribus distinguuntur[2]. Alterum argumentum praebent carmina frequentiora, quae *alphabetica* vocantur, quia aut stichorum aut versuum literae initiales secundum alphabeti ordinem dispositae totam literarum seriem exhibent. Illis quidem in poematis, in quibus singuli stichi (*Ps*. 111. 112) aut singula disticha (*Ps*. 9. 25. 34 etc.; *Thren*. 4; *Prov*. 31,10-31) nova alphabeti litera inchoantur, alphabetismus maioribus strophis distinguendis non inservit; verum eas iure distinguimus in *Ps*. 119., in quo eadem litera initialis octonis versibus sese excipientibus ita repetitur, ut totum carmen viginti duabus strophis constet, quae singulae octona disticha complectuntur. Simili ratione tres priores Ieremiae elegiae in viginti duas strophas tristichicas distribuuntur, atque in duabus quidem prioribus primus cuiusque strophae versus solus litera illa initiali ornatur, in tertia autem terni versus sese excipientes repetita eadem litera initiali arctius connectuntur[3].

Quoniam igitur a poetis sacris versus distichos vel tristichos in maiores strophas coniunctos esse allatis argumentis constat, easdem etiam in illis poematis distinguere licet, in quibus nec versibus intercalaribus nec alphabetismo indicantur. Id quidem satis difficile esse fatemur neque fieri posse negamus, ut alii alio modo eadem carmina in strophas dividant; at ubicumque, uti supra monuimus, poeta argumentum suum ita explicat, ut singulae eius partes aequali versuum distichorum vel tristichorum numero absolvat, strophicam carminis rationem recte statuere nobis videmur. Hac autem lege apparet, in nonnullis carminibus versus binos (*Ps*. 3. 4. etc.) aut ternos (*Ps*. 91. 112. etc.) aut quaternos (*Ps*. 120. 121. etc.) aut quinos (*Ps*. 131 etc.)

aut senos (*Ps.* 96) etc. in maiores strophas constanter coniungi. Qua in distributione ad stichorum numerum (id quod ex *Ps.* 41. 42 elucet, quippe cuius stropharum stichi numero aequales non sunt : 9,10,9) attendendum non est; quare etiam in Ps. 2. quatuor strophae ternorum versuum recte distinguuntur, licet stichorum numerus variet (7,6,8, 8); idem autem multis in carminibus obtinet.

Porro in coniungendis quoque strophis poetae sacri libertate quadam utuntur, quum eodem in carmine strophae interdum inaequali versuum numero constent. At in illis quoque regulam quandam observatam videmus; interdum enim poeta a longioribus strophis incipit et ad breviores delabitur, aut a brevioribus exorditur, ut ad longiores ascendat, aut brevibus includit longiorem, interdum versum quasi praeludium praemittit, cui strophas aequales adnectit, aut ab epiphonemate incipit eoque terminat carmen aequalibus strophis constans, aut inter duas strophas inserit versum, qui totius carminis quasi est summa[4]. Tanta ergo est stropharum coniungendarum varietas, ut quicumque eas consideraverit, artem sacrorum poetarum admirari cogatur.

Novam praeterea normam, ad quam interdum sint dispositae, nuper *K. I. Zenner* in carminibus quibusdam detexit, quae *chorica* appellavit, quia templi cantores in duos vel plures choros distributos ea ad musicorum instrumentorum concentum alternatim modulatos esse haud improbabiliter coniecit. Duas eorum classes, simplicium et compositorum, distinguens eam priorum esse rationem statuit, ut primam stropham eiusque antistropham, quae alternantibus choris cantandae fuerint, stropha amoebaea (Wechselstrophe) sequatur, cuius in singulis versibus canendis chori alternaverint, ac dein carmen altera stropha eique respondente antistropha terminetur; compositorum autem formam in eo differre, quod alteram antistropham secunda excipiat stropha amoebaea una cum tertia stropha eiusque antistropha; tres vero strophas amoebaeas ac proin quatuor strophas cum suis antistrophis non nisi bis reperiri (*Ps.* 87. [88.] et Cant. Moys. *Deut.* 32). Ad versuum porro numerum quod attinet, eum semper quidem aequalem esse in stropha eiusque antistropha, haud raro autem inaequalem in prima ac secunda stropha, atque stropham amoebaeam aut cum alterutra consonare aut ab utraque differre; magnam ergo esse carminum choricorum varietatem (ultra viginti schemata varia P. Zenner enumerat). Ceterum in stropha amoebaea quasi cardinem carminis versari censet; in ea quippe poetam affectum suum maxime exprimere, quippe quem praecedentibus strophis quasi praeparet et sequentibus moderetur ac leniat[5].

1. Qui in stropharum rationem inquirit, hebraicum quidem textum, quippe ex quo clarius cognoscatur, prae oculis habeat oportet; nam in versionibus Alex., Vulg.,

atque multo magis in modernis, aut duplici eiusdem membri translatione aut inutilibus paraphrasibus aut parum apta versuum divisione haud raro uti versus ipsi ita etiam strophae sunt confusae. Exempla tamen illa elegimus, quae in Vulgata quoque primitivam distinctionem satis retinuerunt.

2. *Is.* 9,7-10,4; cfr 9,11. 16. 20.; 10,4. — *Ps.* 45,8. 12; vix potest esse dubium, quin intercalarem versum librariorum negligentia post v. 4. omiserit. — *Ps.* 56,6. 12. — Cfr etiam Ps. 79,4. 8. 20. — Animadvertas quoque velim, quomodo propheta *Amos* (1,3-2,8) suas minas contra varios populos eodem semper versu inceperit (1,2. 6. 9. 11. 13; 2,1. 4. 6) illasque secundum stropharum schema quoddam disposuerit. Omisso enim versu introductorio, qui rationem minarum exprimit, duo priora vaticinia constant disticho et tristicho, duo insequentia solo disticho, quintum et sextum tristicho et disticho. Atque haec quidem sunt contra exteras gentes, ad filios Israel autem conversus disticho solo minas contra regnum Iuda pronuntiat, sed duobus tetrastichis contra regnum Israel vaticinatur. Ultimum enim hoc erat praecipuum, quod alia praeparaverunt. Brevissima illa vaticinia, quae solo disticho reliqua quodammodo ab invicem separant, identica sunt (1,10. 12; 2,5).

3. (Psalmi alphabetici secundum numerationem hebraicam sunt laudati). Quindecim carmina alphabetica V. T. enumerat *Bickell* (Innsbr. Theolog. Zeitschrift. 1882. p. 320). Prius enim cognitis duo addidit, prooemium *Nah.* (1,2-10), in quo alphabetismum exquisito artificio adhibitum esse coniecit (cfr eius Carm. V. T. metr. p. 212), et primitivum textum carminis, quo Siracides librum terminat (*Eccli.* 51,18-38; cfr Innsbr. Ztschr. 1882. p. 326 sqq.). — Alphabetismus in omnis generis carminibus (lyric., didact., prophetic.) reperitur; utrum vero sit merum artificium an iuvandae memoriae destinatus, non constat.

4. Si in *Ps.* 21. primum distichon pro introductione sumis, reliquum carmen in sex strophas quinorum versuum aptissime divides. — *Ps.* 6,2. et 11. totum argumentum quatuor stropharum interiacentium ita continent, ut v. 2. tribus sequentibus strophis explicetur, quarta vero ultimum versum praeparet. — In *Ps.* 13. ultimus versus ex tribus praecedentibus strophis quasi fructum colligit (animadverte in v. 3. Vulg. ex aliis Psalmis et vaticiniis nonnullos stichos esse insertos). — *Ps.* 109,4 includitur duabus strophis trium versuum; sacerdotium aeternum enim, quod Messias utpote filius Dei in coelo gloriose regnans exercet (1-3), sibi qua filius hominis meruit hostes omnes passione sua vincens (5-7).

5. *K. I. Zenner* S. I. Die Chorgesänge im B. der Psalmen. Freiburg 1896. I. Proleg. p. 1-16; eodem in opere multos Psalmos habes iuxta hanc formam distributos (germ. tom. I., hebr. cum notis criticis tom. II.), inter quos etiam nonnullos, qui num hac ratione disponendi sint, Zenner ipse dubitat (I. p. 11). Cfr *eiusdem* et aliorum (*I. Lasse* S. I., *I. Hontheim* S. I. etc.) dissertationes de hoc argumento in Innsbr. Ztschr. f. kath. Theol. 1896. 1897.

Nonnullos Psalmos ad hanc formam apte disponi neque quidquam obstare, quominus eadem in propheticis ac didacticis libris aliquoties adhibita dicatur, libenter concedimus. Qui autem carminibus eam adaptare vult, is sedulo caveat, ne quas sacri textus partes (stichos, versus, inscriptiones Psalmorum), quas una cum Massorethis omnes versiones antiquae tuentur, ob id unum spurias declaret reiiciatque aut totum carmen transpositis sententiis misceat ac turbet, ut novam formam ei adaptet. Quamvis enim metrica forma, quam in carmine aliquo adhibitam esse certis argumentis demonstratum est, eidem emendando inservire possit, ob reverentiam tamen, quae sacro textui ab Apostolis Ecclesiae tradito debetur, Psalmos aliaque cantica sacra mutare ac turbare non licet, ut formae adaptentur, quam olim in eis adfuisse aliquis dumtaxat supponit aut coniicit.

164. — In hisce, quae de rhythmo sententiarum atque de stropharum structura diximus, omnes fere interpretes plane consentiunt; controvertitur autem, utrum poetae sacri etiam veris *metris* usi sint necne; « omne enim metrum, inquit *S. Augustinus*, rhythmus, non omnis rhythmus etiam metrum est » [1]. « Quibus numeris consistant versus davidici, se nescire » fatebatur S. Doctor, « certis tamen eos constare numeris, se credere illis, qui hebraicam linguam probe calleant » [2]. Revera persuasum fuit Patribus et antiquis scriptoribus, Hebraeos longarum breviumque syllabarum distinctione et variatione eadem fere, quae Graeci et Latini, metra atque metrorum variatione artificiosas strophas ad Graecorum Latinorumque modum efformasse. In libro Iob « hexametri versus sunt, inquit *S. Hieronymus*, dactylo spondeoque currentes et propter linguae idioma crebro recipientes etiam alios pedes non earumdem syllabarum, sed eorumdem temporum. Interdum etiam rhythmus ipse dulcis et tinnulus fertur, numeris pedum solutis; quod metrici magis, quam simplex lector intelligunt. Quod si cui videtur incredulum, metra scilicet esse apud Hebraeos et in morem nostri Flacci Graecique Pindari et Alcaei et Sapphus vel Psalterium vel Lamentationes Ieremiae vel omnia fere Scripturarum cantica comprehendi, legat Philonem, Iosephum, Origenem, Caesariensem Eusebium et eorum testimonio me verum dicere comprobabit ». Atque S. Paulae scribens Psalmorum alphabeticorum metra accuratius indicavit : « Verum debes scire in prioribus Psalmis (110. et 111.), singulis literis singulos versiculos, qui *trimetro iambico* constant, esse subnexos; inferiores vero (118. et 144.) *tetrametro iambico* constare, sicuti et Deuteronomii Canticum scriptum est. In Ps. 118. singulas literas octoni versus sequuntur, in Ps. 144. singulis literis singuli versus gemini deputantur. Sunt qui et alios hoc ordine putent incipere, sed falsa eorum opinio est. Habes et in Lamentationibus Ieremiae quatuor alphabeta, e quibus duo prima *sapphico metro* scripta sunt, quia tres versiculos, qui sibi connexi sunt et ab una tantum litera incipiunt, heroici comma concludit. Tertium vero alphabetum *trimetro* scriptum est... quartum simile est primo et secundo. Proverbia quoque Salomonis extremum claudit alphabetum, quod *tetrametro iambico* supputatur » [3]. Simili modo de hexametris, pentametris, trimetris mosaicis et davidicis loquuntur *Eusebius*, *Fl. Iosephus* [4], ut mirum non sit, quod recentiores non pauci in poematis sacris metra illa, quae adesse asseverarunt antiqui, detegere voluerint.

Atque alii quidem Hebraeorum versus *quantitate et mensura syllabarum* regi supponentes eandem pedum varietatem, quam distinxerunt poetae graeci et latini, in carminibus sacris quaesiverunt et prosodiae hebraicae fundamenta iacere conati sunt [5]. Quorum conatus

irritos fuisse vix quisquam hodie negabit. Alii alteram viam ingressi ab *accentibus* pendere metrorum hebraicorum leges contenderunt, at illi quoque nihil effecerunt, quoniam multitudinem variorum pedum hac ratione distinguendam censerent[6]. Nuper *G. Bickell* ex Syrorum, populi cognati et vicini, poesi coniecit Hebraeorum leges metricas esse desumendas[7]. Quam viam secutus haec fere statuit : In versibus numerandas esse syllabas nulla quantitatis ratione habita, sed *accentu ita observato, ut syllaba tono instructa cum syllaba, quae tono careat, perpetuo alternet;* nullos ergo esse pedes metricos praeter *iambos* et *trochaeos tonicos*. Accentum rhythmicum omnino sequi grammaticum accentum, qui ipse non e legibus massorethicis sed ex analogia linguae syriacae sit definiendus; sedem igitur regularem ei esse in syllaba paenultima, ideoque illos versus, qui parem syllabarum numerum (4,6,8 etc.) habeant, rhythmo trochaico fluere, alios (5,7,9 etc.) iambico[8]. Longe frequentissimum esse versum iambicum heptasyllabum, quippe quo Proverbia, Iob, multa Psalterii et aliorum librorum cantica sint conscripta; rarioris usus esse versus quatuor, quinque, sex syllabarum atque etiam octo-, deca-, hendeca-, dodecasyllabos. Versus (stichos) cum incisis sententiarum semper coincidere atque rarissime tantum vocem, quae secundum sensum ad priorem stichum pertineat, metri causa alteri attribui. Porro omnia carmina hebraea strophis constare, quum simplicia quoque disticha pro strophis haberi possint; strophas vero esse aut homostichas, quae ex solis versibus vel quinque vel sex vel septem vel octo vel duodecim syllabarum coalescant, aut mixtas, in quibus complures versuum istorum species, additis etiam tetrasyllabo et decasyllabo, coniungantur[9].

Novum hoc systema eatenus non parum sese commendat, quatenus ab eius auctoribus non uno dumtaxat vel paucis exemplis sit illustratum, sed ad omnia carmina omnesque libros poeticos V. T. adhibitum. Atque profecto, si solam versuum distinctionem consideramus, fateri cogimur, satis multa carmina, immo integros fere Proverbiorum et Iobi libros, in trochaicos illos vel iambicos versus apte distingui, dummodo leges admittantur, secundum quas syllabae non paucae aut eiiciendae aut inserendae aut tono instruendae aut tono privandae statuuntur atque unum idemque vocabulum pro loco, quem in versu occupat, diverso accentu et tono instrui dicitur. Nihilominus non paucae remanent difficultates, quibus novam hanc metricam approbare prohibemur. Illud quidem urgere nolumus, quod olim contra haud dissimile Harii systema disputavit Lowth, omnes scilicet regulas petitioni principii inniti, siquidem systema verum supponatur, ut ex illo regulae deriventur, quibus verum esse demonstretur[10]; at de legibus ipsis ac praeprimis de earum fundamento dubitamus.

Secundum *accentum* pedes versuum distingui dicuntur accentusque rhythmicus omnino sequi accentum grammaticum *asseritur*; sed re et veritate accentus metricus pro libitu poni videtur [11]; unde fit, ut iidem versus atque eadem carmina ab uno pro iambicis, ab altero pro trochaicis habeantur [12]. — De legibus ipsis quoque, secundum quas syllabae aliae removentur, aliae novae creantur, inter novi systematis fautores nequaquam convenit[13]; neque id admodum mirum. Licet enim in genere massorethicam pronuntiationem admittant, in satis multis tamen ab ea pro metri necessitate discedunt. Iam vero demonstratum nondum est, Massorethas genuinam antiquorum Hebraeorum pronuntiationem conservasse; suis enim punctis vocalibus illam solam pronuntiationem exprimere voluerunt et potuerunt, quae eorum tempore, i. e. plus mille annis postquam lingua hebraica erat mortua, in scholis et synagogis adhibebatur; num haec vero eadem sit, quae antiquae linguae vivae, iure dubitamus [14]. Qua de re optime *Lowth* : « Massorethis integrum non erat, obsoletae linguae sonos iam diu elapsos revocare et veras pronuntiandi leges instaurare; nec cuiquam mortalium fas iam est sperare, se vel minimum in re tam tenui et a nostris sensibus omnino remota tamque funditus deperdita coniecturis consecuturum. Etenim linguarum omnium hac in parte subtilissima quaedam est ratio; postquam obsoleverunt, literis consignatae vocem quidem aliquam retinent, sed velut ore alieno prolatam, absonam eam omnino et barbaram; abest illa vitalis gratia, defloruit nativa suavitas, evanuit primitivae venustatis color. Graeca procul dubio et latina multum iam pristinae ac patriae dulcedinis amiserunt,... sed in his manet utcunque rhythmus, sui utrisque numeri, sui pedes constant : hebraei vero sermonis longe deterior est conditio, qui suis vocalibus destitutus per annos supra bis mille mutus omnino et, ut ita dicam, elinguis iacet. Itaque *ne numerus quidem syllabarum,* quibus singulae eius voces constant, plerumque certo definiri potest, ac multo minus earum tempora sive quantitates [addamus : *earumque accentus*] unquam investigari. Quoniam vero in omni lingua metrorum ratio ab his necessario pendet, *syllabarum dico et numero et quantitate* [*et tono vel accentu*], quorum in hebraea cognitionem intercidisse nec revocari posse ipsa rei natura clare indicat, profecto qui metricam hebraicam veram illam et genuinam restaurare conatur, is aedificium exstruit, cui fundamentum, in quo nitatur, plane deest » [15].

Quidquid autem de primitiva Hebraeorum pronuntiatione ac proinde de huius systematis metrici fundamento statuitur, certum est, neque versus neque strophas iuxta eius leges ita posse distingui, ut cum sententia finiantur[16]. Hinc aut parallelismus negligi aut textus traditus sexcenties mutari debet[17]; neutrum vero licet. Neglecto enim parallelismo

id destruitur, quod genuinum poeseos hebraicae characterem constituit, mutationibus autem continuis textus sacer maximo periculo exponitur; nam si in libris poeticis tot, quot systema postulat, corruptiones, quae sensum interdum graviter mutant, adesse conceditur, quomodo aliorum librorum integritas substantialis vindicari potest?

Nuperrime *P. Vetter* aliud systema, quod neque a syllabarum numero neque a vocabulorum tono dependeat, ex libro Iob eruere conatus est. Hebraicorum enim versuum rhythmum caesuris et accentu produci statuit: singulos quippe versus una vel duabus caesuris primariis in duos vel tres stichos (versus distichi vel tristichi), stichos vero una caesura secundaria in duas partes ita distribui, ut caesuris quum primariis tum secundariis simul logicae partes sententiae definiantur et in versuum recitatione pausae maiores vel minores indicentur; ultimam porro singularum partium syllabam, quae iuxta leges grammaticas tono iam munita sit, quodammodo eminere atque ideo expressius cum emphasi quadam esse enuntiandam. Novum hoc systema, quum sententiarum idearumque harmoniae potissimum innitatur, profecto habet quo commendetur; num vero teneri possit, inquisitio in alios libros poeticos docebit. Id tamen addam, auctorem meo quidem iudicio minus felicem fuisse in strophis l. Iob definiendis; aliqualis enim saltem inter eas requiritur aequalitas, sed ad hanc non respexit[18].

1. *S. August.* De musica III. 1 (M. 32,1116).

2. *S. August.* ad Memor. ep. 101,2 (M. 33.368).

3. *S. Hieron.* Praef. in l. Iob; ad Paulam ep. 30,3 (M. 22,442); cfr eiusdem Praef. in Euseb. Chron. (M. 27,223): « Quid Psalterio canorius, quod in morem nostri Flacci et Graeci Pindari nunc *iambo* currit, nunc *alcaico* personat, nunc *sapphico* tumet, nunc *semipede* ingreditur? Quid Deuteronomii et Isaiae cantico pulchrius? Quid Salomone gravius? Quid perfectius Iob? Quae omnia *hexametris* et *pentametris* versibus, ut Iosephus et Origenes scribunt, apud suos composita decurrunt ».

4. *Euseb. Caes.* Praep. evang. XI. 5 (M. 21,852): « Habent illi quoque opera sua versuum numeris comprehensa, cuiusmodi est magnum illud Moysis carmen psalmusque Davidis 118., quod utrumque eo versuum, quod *heroicum* Graeci vocant, genere continetur. Quippe *hexametris syllabarum sedecim* ambo constare dicunt. Reliqua vero carminum apud eos genera ex trimetris ac tetrametris versibus pro proprietate suae linguae composita esse perhibentur ». — *Fl. Ioseph.* Antiqu. II. 16,4; IV. 8,44; VII. 12,3 cantica Moysis (*Exod.* 15; *Deut.* 31) hexametris, Psalmos trimetris et pentametris constare asserit.

5. Huc praesertim spectant *C. G. Anton* Coniectura de metro Hebraeorum antiquo. Lips. 1770 et *G. Iones* Poeseos asiaticae commentarii. Oxonii 1774, de quibus cfr *Rosenmüller* in Lowth De sacra poesi Hebr. Lipsiae 1815 p. 434 sq. Nuperrime ad idem systema reversus est *A. F. Manoury* (Lettre sur la versification hébraïque. Bar le Duc 1880).

6. Huc spectant *E. I. Greve* (Ultima capita l. Iobi. Accedit tractatus de metris Hebr. poeticis. Davent. 1788) et *I. A. Bellermann* (Versuch über die Metrik der Hebräer.

Berlin 1813), de quibus cfr *Rosenmüller* l. c. — Inter recentiores *B. Neteler* Anfang der hebr. Metrik der Psalmen. Münster 1871; *I. Ley* Grundzüge des Rhythmus, des Vers = und Strophenbaues in der hebr. Poesie. Halle 1875.

7. *G. Bickell* systema suum annuntiavit in Innsbrucker Theol. Zeitschr. 1878 p. 791 sqq., fusius explicavit in opusculo « Metrices biblicae regulae » (Oeniponte 1879), ad omnia V. T. carmina adhibuit in suo « Carmina V. T. metrice » (Oeniponte 1882), quibus adiecit « Exegetisch kritische Nachlese zu den alttestamentlichen Dichtungen » (Innsbr. Theol. Zeitschrift 1885. p. 718 sqq.; 1886. p. 205 sqq. 355 sqq., 546 sqq.). — Eandem viam, licet in haud paucis ab auctore systematis dissentiat et textui tradito arctius inhaereat, sequitur *G. Gietmann* S. I. De re metrica Hebraeorum. Friburgi 1880. — Ex modernis interpretibus catholicis systema adoptarunt *A. Rohling* (Das Salomonische Spruchbuch. Mainz. 1879. p. 24 et 385 sqq.), *H. Lesêtre* (Le livre des Psaumes. Paris 1883. p. XXIII sqq.), *I. Knabenbauer* S. I. (Comm. in l. Iob. Parisiis 1885. p. 18.), *F. Vigouroux* (Manuel bibl. II. p. 203 sq.) etc. — *Novum* iure vocatur systema a Bickellio propositum, quia nova via ad illud pervenit et nova ratione illud excoluit. At tot iam proposita sunt metrices hebraicae systemata, ut mirum non sit, quod inter illa etiam aliquod inveniatur a novo isto non admodum alienum. Revera si ad *principia* sola attendimus, parum discrepat systema illud, quod saeculo praecedente statuit *Fr. Hare* (« Psalmorum liber in versiculos metrice divisus. Cum dissertatione de antiqua Hebraeorum poesi. London 1736 »; iterum editus in *Ugolini* Thesaur. antiquit. sacr. XXXI. p. 1021 sqq.) et refutavit *R. Lowth*. Hariani canones praecipui sunt hi : I. In poesi hebraica pedes sunt omnes dissyllabi (*Bickell* Regulae p. 4. *Gietm.* p. 2.); II. quantitatis syllabarum nulla ratio habetur (*Bickell* et *Gietm.* ll. cc.); III. ubi par est syllabarum numerus, eius generis versiculi *trochaici* sunt, in prima syllaba acuendi; si impar sit syllabarum numerus, pro *iambicis* censendi sunt et syllaba secunda est acuenda (*Bick.* Carmina p. 220; *Gietm.* p. 33); IV. Periodi (strophae) plerumque constant duobus versiculis, saepe tribus quatuorve, aliquando pluribus (*Bick.* Carm. p. 231); V. Versiculi eiusdem periodi, exceptis perpaucis, sunt eiusdem generis (*Bick.* l. c. « strophae aut homostichae sunt... aut mixtae »); VI. Versus trochaici plerumque pedum numero conveniunt, sed saepe etiam discrepant; VII. Versus iambici plerumque discrepant, sed saepe etiam conveniunt; VIII. Singuli versiculi singulos sensus non exponunt (*Gietm.* p. 19). De Harii systemate cfr *Lowth* l. c. p. 403 et 699 sqq.

8. *G. Bickell* Metrices bibl. regulae. p. 4 sq.; Carmina V. T. metrice p. 228. — Cfr etiam *Gietmann* l. c. p. 2 : « Versus *accentu* seu ictu vocis non quantitate seu mensura reguntur, ita quidem, ut *constanter alternae syllabae efferantur ac deprimantur*. Ita metra vel *iambica* vel *trochaica* non qualitate, sed pondere syllabarum metienda constituuntur. Accentus autem hebraicus *duplex* est : alter primarius, qui est Massoretharum, extremae fere syllabae annexus; alter secundarius, cuius certum indicium est incrementum vocalium syllabarum apertarum accentum primarium proxime praecedentium... Lege igitur versuum *alterutra harum syllabarum ictu premi, neutra corripi vel omitti potest* » etc.

9. *Bickell* Metr. bibl. reg. p. 5 sq.; Carmina p. 230 sq.; — *Gietmann* (l. c. p. 34) etiam enneasyllabos admittit; *Hare* eam versuum veritatem ignorat.

10. *Lowth* l. c. p. 406. Nota.

11. Pro exemplo sint nomina divina, quae secundum *Bickell* (Carmina etc.) his variis modis pronuntiantur et acuuntur. יהוה aut *Iahvé* (⏑ˊ *Ps.* 111,1 a.) aut *Iáhve* (ˊ⏑ *Ps.* 111,2 a.) aut *Iah* (monosyllabum sine accentu *Ps.* 112,1 a.) aut *Iáh* (monosyllabum cum accentu *Ps.* 115,1 a.). — אלהים aut *elóhim* (⏑ˊ⏑ *Ps.* 48,4 a.) aut *élohim* (ˊ⏑ˊ *Ps.* 46,6 a.), aut *lohim* (⏑ˊ *Ps.* 46,5 b.), aut *lóhim* (ˊ⏑ *Ps.* 46,2 a.). — אדני

aut *ádonáj* (–∪– *Thren.* 1,15 a.), aut *adónaj* (∪–∪ *Thren.* 1,15 c.),aut *dónaj* (–∪ *Thren.* 1,14 c.), aut *donáj* (∪– *Thren.* 2,18 a.). — Nobis quidem, qui quomodo antiqui Hebraei vocabula sua pronuntiaverint accentumque posuerint prorsus ignoramus, magna illa accentuum variatio non tam mira videtur; sed quid Germani dicerent de poeta, qui pro libitu in suis carminibus adhiberet : *Gebétes* (orationis), aut *Gébetés* aut *Gebéts* aut *Gébets*, immo *G'béts* aut *G'bets* (sine tono)? Neque respondeatur, Latinos quoque Graecosque *térrae* et *terráe*, πολλούς et πόλλους in versibus legere; nam illi *tono* vocum neglecto *quantitate* sola syllabarum pedes metricos definiunt, Hebraei autem eos *accentu grammatico* vocum (primario vel secundario definivisse dicuntur, ita ut eorum ratio metrica ad germanicam vel similem, cuius versus *accentu* reguntur, proxime accedat. Haud immerito *Lowth* quoque (l. c. p. 406) licentiam vituperat, qua Harius eandem vocem nunc trochaeum nunc iambum, nunc dissyllabam nunc monosyllabam fecerit.

12. *Bickell* (Carm. p. 112 sqq.) quatuor priores Threnos dicit esse *dodecasyllabos* TROCHAICOS, at *Gietm.* (De re metr. p. 58 sq.) IAMBICOS *enneasyllabos* (vel potius *hendecasyllabos*); similiter iuxta *Bickell* (l. c.) *Ps.* 1. 5. 9. etc. sunt *trochaici*, iuxta *Gietm.* vero *iambici*; contra vero *Ps.* 85. 93. etc. iuxta *Bickell* sunt *iambici*, quos alter *trochaicos* esse docet.

13. Quantum differant, docet *Bickell* (Ztschr. f. kath. Theol. 1880. p. 555 sqq.).

14. *Euseb.* (Praep. evang. XI. 5. M. 21,852), qui suam sententiam a suae aetatis rabbinis habuisse recte dicitur, carmen Moysis et *Ps.* 118 (119) « hexametris SEDECIM syllabarum » constare asserit, sed moderni metrici, qui massorethicam pronuntiationem sequuntur, DUODECIM tantum versuum syllabas agnoscunt; alio ergo modo Thalmudistae saec. 4. et 5., alio Massorethae saec. 7. et 8. voces hebraicas pronuntiarunt. Arabes quoque moderni non tantum in fine vocum, sed etiam in eorum medio multas vocales in sermone quotidiano praetermittunt, licet eas in suis versibus numerent. In plerisque praeterea linguis vocabula decursu temporis corripi deprehendimus vocalibus eiectis; quis igitur crediderit, pronuntiationem hebraicam, quae Moysis aut Davidis aut exsilii tempore fuerit, illibatam usque ad Massorethas perseverasse? Assyriaca porro lingua, quae hebraicae vicinissima fuisse dicitur, eam vocalium numero longe superat, si massorethica pronuntiatio admittitur; annon conlicere licet, iuniores Hebraeos pristinae suae linguae ubertatem cum chaldaici sermonis quem adoptaverant paupertate commutasse? Nihilominus in re tam incerta nihil pro certo asserimus, sed paucas tantum ex multis rationes dubitandi proponimus.

15. *Lowth.* l. c. p. 34 sq.; cfr *Sanct.* in Thren. (Lugduni 1618. Praef. 5).

16. *Hare* (l. c. p. can. VIII.) et *Gietm.* (l. c. p. 19. 35) hanc concedunt; *Bickell* vero (Carm. p. 230) « legem, iuxta quam stichi cum incisis sententiarum coincidant, *stricte* observari » docet, strophas autem uno vel compluribus distichis (aut tristichis) constare, quibus argumenti pars absolvatur.

17. Quam parum *Gietm.* ad parallelismum attendat, ex *Ps.* 1,1 et clarius ex *Ps.* 20 (19), 7. 8. elucet. Nihilominus eius versus versibus Bickellii, si alterutros eligere necesse esset, longe praeferrem. Hic enim parallelismum quidem servat, sed sacrum textum omissis aut insertis aut transpositis vocibus et stichis et versibus sexcenties alterat. Neque superstitiosam venerationem textui massorethico deberi neque quidquam impedire, quominus mutetur, ubi antiquae versiones aptiorem lectionem praebent, haud ignoro, neque a leviore mutatione abhorrendum esse censeo, qua metrum, quod parallelismum servet, carmini alicui adaptari possit; *frequentes* vero et *graves* (maxime sensus) mutationes ne ob certum quidem metrum admitterem, nisi una saltem ex versionibus novae lectioni faveret. Nunquam ergo cum *Bickell* (Carm. p. 31) metri causa verbis *Ps.* 44 (45), 7 (« *Thronus tuus, Deus, in saeculum saeculi* »), quibus S. Paulus (*Hebr.* 1,8) ad Christi divinitatem demonstrandam utitur, alia substi-

tuerem (« *Thronus tuus, firmum est fundamentum eius; confirmavit eum Deus in saeculum saeculi* »), quae apostolicae demonstrationi non inserviunt. Quaenam autem mutationes admitti possint, interpretis est diiudicare.

18. *P. Vetter* Die Metrik des B. Iob. Freiburg 1897; cfr p. 57 sqq., ubi systema suum paucis complectitur, et p. 30 sqq., ubi de strophis libri agit.

## § 2. — *De carminum hebraicorum speciebus et de dictione poetica.*

165. — Ratione, qua argumentum a poetis tractatur, quatuor distingui solent poeseos genera: lyricum, didacticum, epicum, dramaticum [1]. Ex quibus duo posteriora a sacris poetis non sunt exculta; omnia enim, quae in Scripturis possidemus, poemata aut lyrica sunt aut didactica. Quod si interrogatur, cur poetae inspirati nec epicum nec dramaticum genus excoluerint, non sufficit, ut cum nonnullis modernis interpretibus respondeamus « Hebraeis campum feracissimum epicorum et dramaticorum poematum defuisse; *epos* enim amare mythologiam, heroes terrestres, fatum, *drama* vero festa populi nationalia et rationem cogitandi profanam » atque « supponere singulare artis studium » [2]. Nam nec mythologia aut fatum ad poeseos epicae, nec profana cogitandi ratio ad dramatis naturam pertinent; neque sane Israelitis defuerunt eximii heroes, quorum res praeclare gestas aut epicis aut dramaticis poematis proponerent, neque festa nationalia, in quibus ea coram integro populo aut recitarent aut repraesentarent. Rectius respondere alii videntur drama quodcunque, quo res praeterita velut praesens coram spectatoribus agitur, ex intima sua natura fictionem quandam esse atque epica poemata quoque rem gestam, quam narrant, multis rebus fictis exornare; in libris autem inspiratis fictioni non esse locum. Quapropter nihil quidem impedit, quominus sacra dramata et carmina epica de piis rebus sine ullo mythologiae aut fati adminiculo componantur; verum a Spiritu S. nec drama nec epos inspirantur. Errarunt igitur illi, qui in l. Iob et in Cantico Cant. dramata *veri nominis* agnoscere voluerunt [3]; dialogi enim, quos in l. Iob legimus, nondum constituunt drama, et Canticum ille solus pro dramate habere potest, qui allegorica eius explicatione contra totius antiquitatis unanimem consensum reiecta nescio quas amatorias res Salomonis in eo celebrari sibi persuaserit; immo si id locum habere concederemus, nondum adnumeraremus dramatis Canticum Cant. Dramaticam quandam formam in utroque carmine apparere profecto non negamus; at drama genuinum ipso suo nomine actionem quandam, quae repraesentetur, postulat nec solis colloquiis et descriptionibus poeticis contentum est. Sed de carminum istorum indole recurret sermo, ubi de singulis libris poeticis tractabimus.

Duo igitur tantum poematum sacrorum genera in Scripturis possidemus, lyrica et didactica, quae Hebraei etiam nominibus distinxerunt; prioris enim generis poema vocant שִׁיר, quo et sacra (*Ps.* 33,3; 40,4 *hebr.*, et sexcenties) et profana (*Is.* 23,16; 24,9 etc.) carmina, quae proxime cantui sunt destinata, designant; alterum autem מָשָׁל, quod proxime quidem dicit *similitudinem*, sed omni poemati didactico designando inservit. Utrumque genus complures complectitur species, de quarum praecipuis, quatenus nominibus ipsi Hebraei eas videntur distinxisse, nonnulla addemus. Id autem praemoneamus oportet, magis minusve verisimilia dumtaxat de plerisque posse asseri, siquidem de nominum hebraicorum significatione vix quidquam certi nobis est traditum, atque carmina lyrica, praesertim Psalterii, sive eorum argumentum sive eorum forma poetica considerantur, ita inter se sunt finitima et propinqua, ut aegre eorum species definiantur; de eorum autem argumento nobis hoc loco non est agendum. Immo vero haud raro difficillimum est didactica a lyricis separare; quare non defuerunt, qui hanc distinctionem in poesi sacra locum habere negarent. Sed immerito; quis enim unquam Proverbiorum aut Ecclesiastici disticha vel tristicha, quae morum praecepta nobis tradunt, lyricis carminibus adnumerabit? Atque ipse liber Iob, etsi haud paucis in locis vere lyrico modo incedat, integro tamen suo argumento, fine, dispositione ad didacticum genus se pertinere prodit. Contra vero Psalmi multi, quamvis interdum solas doctrinas morales tradere videantur, ipso tamen modo, quo eas explicant et proponunt, lyricum suum characterem manifestant[4].

1. Quintum nonnullis videtur addendum genus, quod in solis Scripturis reperiatur, sc. *propheticum*: prophetas enim non tantum poetico sententiarum rhythmo (parallelismo) dicendique genere poetico uti, sed satis multa vaticinia esse veri nominis poemata. Quae non negamus, sed eodem modo, quo Psalmos propheticos, etiam illa vaticinia poetica ad genus lyricum recte trahi arbitramur.

2. *Zschokke* Historia revelationis V. T. p. 200; *Keil* Einleitung p. 347 sq.

3. Ita iam saec. praecedente *Fr. Xav. Matthaejus* Giobbe Giurisconsulto. Siena 1786; hodie *Delitzsch* (Commentar ü. d. B. Iob. Leipzig 1876. p. 15; Hohes Lied. 1875. p. 10 Herzog P. R. E. Ed. 2. 1880. VI. p. 134), *Zoeckler* (Iob. Bielefeld 1872. p. 8; Hohes Lied. 1868. p. 8), *Ewald* (Die poetischen BB. d. A. T. Ed. 2. p. 73 sqq.), *Renan* (Le Cantique des cantiques p. 83 sqq.), *De Wette Schrader* (Einleitung p. 515), qui alios eiusdem sententiae patronos rationalisticos non paucos nominat.

4. Cfr *Ps.* 36. 48. 72; 31. 49. 118, qui praecipui sunt inter didacticos; at inter eos solus *Ps.* 36. ita in doctrina tradenda versatur, ut aliquo cum iure ex lyrico genere excludi videatur.

166. — Nomine *schir*, etsi secundum etymologiam suam (a שִׁיר, *canere*) proxime respondeat graeco ᾆσμα (ᾄδειν) et latino *canticum* ac proin poema cantui destinatum designet, omnia CARMINA LYRICA designari diximus, etiam

ea, quae cantui minus erant adaptata; illud profecto carmen, quo Salomo Christi et Ecclesiae unionem celebrat, שִׁיר הַשִּׁירִים quidem inscribitur (ᾆσμα τῶν ᾀσμάτων, *canticum canticorum* i. e. praestantissimum omnium carminum), sed tota illius indoles satis manifestat, cantui illud non inservisse. Verum ab interpretibus alexandrinis vocabulum *schir* graeco ᾆσμα non semper redditur, sed frequentius ᾠδή, rarissime ὕμνος (*Is.* 42,10) aut ψαλμός (*Ps.* 45,1) explicatur; strictiore scilicet sensu illud saepe usurpari perspexerunt. Duplici autem ratione eius sensus restringitur. Alicubi enim carmina *laeta* designat lugubribus opposita; se Israelitarum *schiroth* (ᾠδάς, cantica) conversurum esse in קִינָה (θρῆνον, *elegiam*) minatur Deus per prophetam (*Am.* 8,10). Alibi autem, atque praesertim in psalmorum titulis, ita adhibetur, ut *cantica* sacra designare videatur. Solitarium autem uni *Ps.* 45 (46) praefigitur, reliquis in locis cum altero nomine coniungitur, quo species accuratius definiri recte dicitur.

Aliquoties enim ei additur vocabulum מִזְמוֹר, quod ab Alexandrinis, Vulg., Hier. semper redditur ψαλμός. In solis Psalterii inscriptionibus nomen *mizmor* reperitur atque quinquaginta septem carminibus velut titulus praefigitur plerumque auctoris (maxime Davidis) nomine vel praecedente vel sequente; saepius autem cum voce *schir* ita coniungitur, ut ei aut praemittatur aut addatur[1]. Quae genuina sit vocabuli *mizmor* significatio, satis docet Alexandrinorum versio ψαλμός. Quaecunque enim primitiva radicis זמר statuitur significatio, certum est זִמֵּר idem esse, quod ψάλλειν, *fidibus canere;* quapropter *mizmor* recte dicitur esse « carmen ad chordarum (psalterii vel cytharae) sonum decantandum »; *schir* vero, si ad certam speciem carminum definiendam adhibetur, canticum illud est, quod sola voce modulabatur. Quam nominum distinctionem tradidit iam *S. Hippolytus*, quocum reliqui Patres fere consentiunt. Inter quos brevissime *Eusebius* : « Carmen in psalterio pulsatum psalmus (*mizmor*) vocatur; canticum (ᾠδή, *schir*) carmen est sine instrumento modulate prolatum »[2]. Minus autem probantur nobis ea, quae de utriusque vocabuli *schir* et *mizmor* coniunctione tradunt; volunt enim *mizmor schir* esse illud carmen, « in quo cantui praecedat psalterii pulsatio », et *schir mizmor* illud, « in quo pulsatio instrumentorum sequatur cantum »[3]. Probabilius enim dici videtur, utrumque nomen esse praefixum, ut carmen sive cum cytharis sive sine illis decantari posse designetur[4].

Quindecim sunt carmina (*Ps.* 119-133), quibus praefigitur inscriptio שִׁיר הַמַּעֲלוֹת (ᾠδὴ τῶν ἀναβαθμῶν, *canticum graduum*). Si fides esset iudaicis interpretibus, quos cum Lyrano sequuntur nonnulli antiquiores[5], cantica illa suum nomen haberent, quia a levitis in festo tabernaculorum decantari solebant in quindecim gradibus scalae, qua in templo ab atrio mulierum in atrium virorum ascendebatur; at antiquum hac de re non exstat testimonium. Neque illorum nobis probatur sententia, qui ea referunt ad itinera, quibus Israelitae ter quotannis ad templum ierosolymitanum *ascendebant;* licet enim plerorumque argumenta huic coniecturae faveant, alia tamen (*Ps.* 119. 131) minus sunt apta. Probabilius graeci Patres carmina de reditu ex captivitate babylonica interpretati sunt, neque incongrue ea a reducibus, qui ex

Babylonia in Palaestinam *ascenderunt* (cfr 1 *Esdr*. 7,7. 9) decantata esse putarunt[6]. Quod si huic sententiae obiicitur, aliquorum saltem argumenta (*Ps*. 121. 133) templum cultumque divinum iam restitutum supponere, responderi potest, toto illo tempore a 1. Cyri anno usque ad Nehemiam continuo alios atque alios exsules rediisse (cfr *Zach*. 1,13), argumenta igitur illis, qui post 6. a. Darii reverterunt, omnino fuisse adaptata. Inter modernos tamen interpretes nonnulli nomine hoc singularem carminum speciem indicatam forte melius censent; in eo enim fere conveniunt carmina hoc titulo insignita, quod « *gradatim* eorum procedat oratio, ita quidem ut antecedentis sententiae pars ab initio subsequentis repeti et novis verborum copiis augeri et quasi *ascendere* soleat »[7].

Tredecim carminum species indicatur praefixo nomine מַשְׂכִּיל, quod ab Alexandrinis et Theodotione redditur aut genitivo συνέσεως (Vulg. *intellectus* vel *intelligentiae*) aut εἰς σύνεσιν (V. *ad intellectum*), ab Aquila et S. Hieronymo alias cum nomine proprio sequente (*Ps*. 31. *David erudito; Ps*. 52. ἐπιστήμονος τοῦ Δαυίδ etc.) coniungitur, interdum pro substantivo abstracto habetur (*Ps*. 53. sqq. *eruditio David*). Moderni interpretes attenta vocabuli etymologia aut carmen didacticum intelligunt, quippe quod hominem prudentem reddat (הִשְׂכִּיל, *docuit*) aut carmen, quod ut intelligatur pia meditatione indigeat vel ad meditationem excitet (הִשְׂכִּיל, *attendit. Deut*. 32,29 etc.). Didactico generi vix unus alterve ex psalmis hoc titulo insignitis attribui potest, piae meditationes vero sunt omnes; quare hanc explicationem praeferimus, quia *Ps*. 141. simul vocatur תְּפִלָּה *oratio* et *Ps*. 44. שִׁיר יְדִידוֹת, *canticum deliciarum*, rerum iucundarum, quae pia meditatione degustentur oportet; agitur enim de Christi et Ecclesiae intima unione. Simili modo vocabulum explicarunt Patres : « Quando *intellectus* vox adscribitur hymnis, inquit *S. Gregorius Nyss*., monemur ne rudes et imperiti simus illorum verborum, quae Dei gloriam celebrant » etc.[8].

Sex carminibus velut titulus praefigitur vox מִכְתָּם, quae ab Alexandrinis et Theodotione στηλογραφία (*tituli inscriptio* V.) redditur[9]. Inter modernos interpretes alii vocabulum a כֶּתֶם (*aurum*) derivantes designari putant carmen, quod ob praestantiam suam *aureum* vocari aut aureis literis describi mereatur, alii in arabica lingua originem eius quaerentes censent carmina illa fuisse *occulta*, usque dum in Psalterium sint recepta, alii alias explicationes conquisiverunt. Omnino autem standum est Alexandrinorum interpretationi; כתם enim *insculpendi* sensum habet (*Ierem*. 22,2), unde *miktham* idem est quod ἐπίγραμμα i. e. carmen, quod aut in perpetuam rei memoriam monumento insculpendum[10], aut menti tam profunde, quam cippo inscriptio, infigendum erat. Hanc explicationem iam tradiderunt Patres, inter quos *Eusebius* : « στηλογραφία prophetiam admirabilem exprimit et scriptura sempiterna dignam...; sicut enim athletarum splendidiora atque mirabiliora certamina cippo donantur, atque in bello trophaea de hostibus in diuturnam rei memoriam eriguntur, ita magnum illud trophaeum, quod Salvator destructo mortis imperio erexit, iam diu a prophetarum temporibus in eorum libris velut in lapide insculptum erat ideoque στηλογραφία dicitur »[11]. Revera

omnes *mikthanim* in eo inter se conveniunt, quod de liberatione ex magnis tribulationibus agant atque aut literali sensu de passione et resurrectione Domini sunt intelligendi (*Ps.* 15.), aut typico sensu de ea apte intelliguntur. In sua structura quoque id habent commune, quod unam sententiam gravissimam singulari modo velut ἐπίγραμμα proponant[12].

*Psalmus* 7. inscribitur שִׁגָּיוֹן, quae appellatio ab Alexandrinis et Theodotione ψαλμός redditur, a S. Hieronymo autem, qui Aquilam et Symmachum sequitur, *ignoratio* (ψαλμός ὑπὲρ ἀγνοίας *Aq.*, ἀγνόημα *Sym.*). Inter multas, quae a modernis propositae sunt, explicationes illa omnino videtur praeferenda, quae vocabulum a *schaga* (*erravit*, *oberravit*) derivat eoque dithyrambum designatum videt. Qui quum inventione, dictione, dispositione a consueta lyricorum carminum ratione discedat audaciusque decurrens quodammodo vagetur atque circumerret, carmen *erraticum* apte appellatur. Etiam propheta *Habacuc* eundem titulum suo carmini praefixit, quo audacissimis quibusdam imaginibus adventum Domini iudicis in dithyrambi modum describit, neque *Ps.* 7. a dithyrambi ratione alienus est[13].

Propheta Habacuc autem carmen suum simul vocat תְּפִלָּה (προσευχή, *oratio*), atque eundem titulum quinque Psalmis invenimus praescriptum, qui omnes singularem ardentemque affectum amoris et fiduciae spirant. Num tamen veram carminum speciem designet, non satis liquet; tantum enim non omnes Psalmi sunt precationes, quare in subscriptione *Ps.* 71. omnes praecedentes hoc titulo תְּפִלּוֹת (*orationes*) comprehenduntur[14]. Unus quoque *Ps.* 147. illo titulo inscribitur (תְּהִלָּה, αἴνεσις, *laudatio*), qui integro Psalterio praefigitur (תְּהִלִּים); fortassis nomine isto antiquitus ea praesertim carmina insigniebantur, quae in celebrandis Dei magnalibus versabantur ideoque rectius ὕμνοι (quam αἰνέσεις) appellantur; nam teste Phavorino ὕμνος ἐστιν αἶνος ἐμμελής atque definitur ἡ πρός τὸν θεὸν ᾠδή.

Quibus nominibus, quae in Psalterio variis carminum lyricorum speciebus designandis inserviunt, illud addamus oportet, quo in Scriptura naeniae carminaque lugubria seu *elegiae* appellantur[15]. קִינָה denominatur pulcherrimum illud poema, quo David mortem Saulis et Ionathan planxit (2 *Reg.* 1,19 sqq.); Ieremias quoque *Qinoth* composuerat de morte Iosiae. (2 *Paral.* 35,25); pulcherrimae nobis supersunt illae, quas de ultimo urbis et templi excidio cecinit, quasque antiqui Hebraei etiam *Qinoth* (S. Hier. Prol. gal.), recentiores a primo eorum vocabulo desumta appellatione אֵיכָה, Alexandrini θρήνους, S. Hieronymus *Lamentationes* inscripserunt. Iustis elegiis etiam nonnullae prophetarum (uti *Is.* 14,14 sqq.; *Ezech.* 19,1 sqq.; 26,17 sqq.; 27,2 sqq.; 28,12 sqq.; 32,2 sqq. etc.) atque aliorum quoque librorum pericopae adnumerari possunt; nam *Iob.* 3. 6. 7. ad hoc genus prope accedunt atque ultima Iobi oratio (29-31) iusta est elegia; neque inter Psalmos carmina elegiaca (uti *Ps.* 41. 42. etc.) desunt[16].

1. *Schir mizmor*, ᾠδὴ ψαλμοῦ, *canticum psalmi Ps.* 65. 82. 87. 107; *mizmor schir*, ψαλμὸς ᾠδῆς, *psalmus cantici Ps.* 29. 66. 67. 74. 75. 86.

2. *S. Hippol.* in Psalm. fragm. 7. (M. 10,717); *Euseb.* in Psalm. Prooem. (M. 23, 72; *S. Gregor. Nyss.* In Psalm. inscript. II. 3 (M. 44,493) : ψαλμὸς μέν ἐστιν ἡ διὰ τοῦ ὀργάνου τοῦ μουσικοῦ μελῳδία, ᾠδὴ δὲ ἡ διὰ στόματος γενομένη τοῦ μέλους μετὰ τῶν ῥημάτων ἐκφώνησις etc.

3. *S. Hippol.* l. c.; *Euseb.* l. c.

4. Nisi cum modernis multis dicere mavis, unum solum nomen ab auctore carmini esse praefixum, alterum autem librariis deberi, qui forte in variis exemplaribus alterutrum invenientes utrumque in sua apographa receperunt. Cui coniecturae favet, quod interdum duo vocabula nomine auctoris separentur (*Ps.* 75. 76. *hebr.*) atque Vulgata duobus titulis duos auctores adscribat (*Ps.* 64. « Psalmus David. Canticum Ieremiae »; *Ps.* 75. « Psalmus Asaph, canticum ad Assyrios »).

5. *S. Hippol.* in Psalm. fragm. 4. (M. 10,716) : « Sunt *odae graduum* quindecim numero, quot etiam templi gradus fuerunt » etc. Cfr *Agell.* Comm. in Ps. 119., qui varias sententias optime exponit.

6. *Theodor.* in Ps. 119,1 (M. 80,1876) postquam varias versiones graecas attulit (ᾠδὴ τῶν ἀναβαθμῶν LXX; ᾆσμα τῶν ἀναβάσεων *Theod.*; εἰς τὰς ἀναβάσεις *Aq.* et *Symm.*) concludit : « indicant ascensus sive gradus reditum captivi populi e Babylone »; *S. Chrys.* hom. in Ps. 119 (M. 55,338 sq.) etc.

7. Cfr de hac sententia *Gesen.* Thesaur. p. 1032. Clarissime haec structura apparet in *Ps.* 120. : v. 1. « unde veniet *auxilium meum.* v. 2. *Auxilium meum* a Domino; v. 3. *neque dormitet, qui custodit te*; v. 4. *non dormitabit... qui custodit* Israel. v. 5. *Dominus custodit te*; v. 7. *Dominus custodit te* ab omni malo; v. 8. Dominus *custodiat introitum tuum et exitum tuum.* — Fateamur autem oportet non in omnibus carminibus hoc titulo insignitis structuram hanc inveniri, eam vero in cantico Debborae (*Iudic.* 5) observari, quod ista inscriptione caret. Quare pro certa et indubitata sententiam hanc nequaquam habemus.

8. *S. Gregor. Nyss.* in Psalm. II. 3. (M. 44,497).

9. *Ps.* 15. 55 - 59, quibus addenda inscriptio orationis Ezechiae (*Is.* 38,9), licet lectio massorethica ibi exhibeat מכתב (pro מכתם), quam lectionem iam secuti sunt *Aq. Symm. Theod.* (Cfr *S. Hier.* in Is. 38. M. 24,406) vertentes γραφή, dum Alex. exhibeant προσευχή vel ᾠδή. Sed vix potest dubitari, eandem inscriptionem in Psalmis laudatis et in carmine Ezechiae olim adfuisse.

10. Si inscriptionem *Ps.* 59. cum 2 *Reg.* 8,1 - 13 comparaveris, recte coniicies illum Psalmum monumento revera esse inscriptum.

11. *Euseb.* in Ps. 15 (M. 23,153).

12. Cfr quae de hac appellatione disputat *Delitzsch* (Comm. ü. die Psalmen. Leipzig 1873. I. p. 156 sq.), qui apposite monet in Psalmis illis graviores sententias nonnullas aut introduci formulis אמרתי, ויאמר, דבר (*Ps.* 15,2; 57,12; 59,8; *Is.* 38,10. 11) aut velut versus intercalares repeti (*Ps.* 55. 56. 58).

13. Cfr *Knabenbauer* Proph. minor. II. p. 93, qui etiam alias indicat vocabuli explicationes; *Trochon* Petits Prophètes p. 339; *Keil* Comm. über d. kl. Propheten. p. 437.

14. *Ps.* 16. 85. 141., qui Davidi auctori attribuuntur, 89. (oratio Moysis, viri Dei), 101. (oratio pauperis). *Ps.* 71,20; quo in loco Alex. et Vulg. habent ὕμνοι, *laudes*, ac si legissent תְּהִלִּים.

15. Amicorum mortem carminibus lugubribus plangere antiquus fuit mos (2 *Reg.* 1,17 sqq.; 3,33 sqq.; 2 *Paral.* 35,25); eadem autem ratione publicae quoque calamitates argumentum erant elegiarum, unde non semel monent prophetae, quando populorum vel civitatum interitum annuntiant, naenias de iis esse componendas (*Ierem.* 7,29; 9,90. 18; *Ezech.* 19,1; 26,17; *Am.* 5,1 etc.).

16. Nomina illa, quae in Psalmorum inscriptionibus leguntur, accuratius in Commentario explicabuntur.

167. — Didactica poesis sacrorum librorum fere integra in sapientia (חָכְמָה) docenda versatur; sapientia autem, quam docent, vera illa est ac genuina, quae ex timore Dei exoritur (*Prov.* 9,10), timore Dei regitur et ducitur (*Prov.* 15,33), timore Dei coronatur (*Eccli.* 1,22), cuius igitur timor Dei est A et Ω. Quare etiam ille solus praedicatur « beatus, qui eam audit et qui vigilat ad fores eius quotidie et observat ad postes ostii eius. Nam qui eam invenit, invenit vitam et haurit salutem a Domino. Qui vero in eam peccat, laedit animam suam, et omnes, qui eam oderunt, diligunt mortem » (*Prov.* 8,34). Hominibus vero illis, qui, quia veram sapientiam irrident, irrisores (לֵצִים) vocantur, parata sunt iudicia (*Prov.* 19,29). Divina igitur revelatione sapientia haec integra nititur, secundum praecepta divina diiudicat omnia, ad Deum velut eorum principium et ultimum finem omnia refert; atque hac ratione philosophia haec sacra ab omnium ethnicorum philosophorum studiis differt. Sed ab iis etiam diversa est, si modum attendimus, quo docetur. Doctis enim dissertationibus non exponitur, sed brevibus gnomis aut carminibus didacticis proponitur. Procul dubio nonnulli quoque ethnici philosophi doctrinas suas interdum gnomis et adagiis comprehenderunt; apud Hebraeos autem haec docendi ratio ita praevaluit, ut omnes libri, qui strictiore sensu didactici vocari debent, etiam poeticis sint adnumerandi. Argumento igitur carmina didactica Hebraeorum non distinguuntur, omnia enim doctrinam sacram tractant; variae autem sunt eorum species, si externa forma sola consideratur.

« Familiare est, inquit *S. Hieronymus*, Syris et maxime Palaestinis ad omnem sermonem suum parabolas iungere, ut quod per simplex praeceptum teneri ab auditoribus non potest, per *similitudinem exemplaque* teneatur »[1]. Hinc factum est, ut omne poema didacticum ab Hebraeis מָשָׁל appelletur; *maschal* enim *similitudinem* proxime dicit vel comparationem, quare ab Alexandrinis quoque alicubi Ἴσα transfertur (*Iob.* 13,12). Plerumque tamen ab illis aut παραβολή aut παροιμία redditur, et quia vocabula graeca inter se significatione differunt, duas esse carminum didacticorum species videntur insinuasse.

Nam *parabola* a *Clemente Alex.* definitur « oratio ab aliquo non proprio quidem, sed quod est simile proprio, ad id, quod est verum et proprium, deducens eum, qui intelligit, vel sententia, quae per alia efficaciter ostendit illud, quod proprie est »[2]. Moderni, qui ex evangelicae praedicationis exemplis definitionem suam maxime desumunt, eam dicunt « narrationem allegoricam, moribus efformandis idoneam, argumento, doctrina, stylo gravem », quo ultimo addito eam a mera fabula distinguunt, quae etiam est « allegorica narratio moribus efformandis apta », sed quae argumentum suum ex vilioribus rebus (animalibus, plantis) desumit nec praeclarioribus doctrinis tradendis apta est. Verarum fabularum, licet non poetico stylo propositarum, pauca exempla in V. T. nobis sunt conservata[3]; parabolae quoque, si eo nomine narrationes proprie dictae intelliguntur, frequentes

quidem a Domino N. sunt propositae, rariores autem in V. T. leguntur. Verum frequentissimae sunt parabolae, quibus definitio Clementis Alex. convenit; unico scilicet disticho, interdum tristicho vel tetrasticho similitudinem exhibent, qua doctrina illustratur vel commendatur, comparationis particulis aut additis aut praetermissis [4].

At interdum doctrina commendata unico verbo subindicatur, immo haud raro plane praetermittitur, ut quid sibi velit narratiuncula vel descriptio proposita non statim illucescat [5]. Ad quae respiciens *S. Hieronymus* monuit : « proverbia non hoc sonare quod scriptum est, etiam in Evangelio docemur, quum Dominus populo in proverbiis et parabolis sit locutus, secreto autem Apostolis dissolverit illa. Ex quo manifestum est, et Proverbiorum librum et alios sapientiales] non, ut simplices arbitrantur, patentia habere praecepta, sed quasi in terra aurum, in nuce nucleus, in hirsutis castanearum operculis absconditus fructus inquiritur, ita in eis divinum sensum altius esse investigandum » [6]. Atque haec earum obscuritas causa videtur esse, cur Alexandrini eas etiam παροιμίας dixerunt. Nam teste *S. Athanasio M.* « illa, quae in *paroemiis* dicuntur, non clare et aperte, sed obscure enuntiantur », vel uti fusius et accuratius explicat *S. Basilius* ad vulgarem simul vocabuli definitionem respiciens : « *Paroemiorum* nomen *externi* usurpant de sermonibus vulgatioribus (proverbiis, adagiis) et de illis, quae in viis plerumque dicuntur; οἶμος enim apud illos via dicitur, unde paroemiam definiunt verbum triviale usu vulgi tritum et quod a paucis ad plura similia transferri potest. *Apud nos* vero paroemia est *sermo utilis cum moderata obscuritate expressus*, secundum ipsam literam multum complectens utilitatis et *intus multum intelligentiae occultans* » [7]. Ex qua definitione paroemia correspondet illi carminum didacticorum speciei, quam Hebraei מְלִיצָה aut חִידָה vocant; eadem enim carminum species duobus vocabulis hebraicis designari videtur, licet variis nominibus ab antiquis interpretibus exprimantur. Nam utrumque sententiam perplexiorem et difficiliorem significat, ad quam intelligendam acumen et sollertia ingenii requiritur. Prior vox ab Alexandrinis redditur σκοτεινὸς λόγος (*obscurus sermo*), a Theodotione πρόβλημα, ab Aquila, Symmacho, S. Hieronymo ἑρμηνεία, *interpretatio*, i. e. sententia, quae interpretatione indiget; alteram omnes αἴνιγμα reddunt [8]. Satis frequentes in libris sapientialibus inveniuntur, pleraeque brevissimae sunt. Huc etiam nonnullae allegoriae longius quaesitae pertinent, quibus interdum sapientes hebraei sermonem suum obscuriorem reddere studiose quaerebant [9].

Licet autem *maschal* proxime dicat comparationem et similitudinem, frequenter tamen etiam significat omne acute dictum vel sententiam quamcunque moralem poetice expressam, atque hoc sensu fere correspondet graecae γνώμη. Haec quoque carminum didacticorum species plerumque unico disticho vel tristicho constat, rarius complures occupat versus; omnes in iis adhibentur parallelismi formae, frequentior tamen est antithesis (162. p. 7). Neque desunt inter illas, quae quum praecipua earum vis non in eo, quod dicitur, sed in eo, quod tacetur, sit sita, legentium animos exerceant et in aenigmata fere transeant [10]. Aliae sunt, quae numerorum artificio quodam attentionem excitant et memoriam iuvant; certo scilicet nu-

mero nonnulla commendantur aut vituperantur, numerus autem plerumque bis ita exprimitur, ut prior incompletus minora et imperfectiora complectatur, alter unitate maior ultimum quoque membrum contineat, quod maxime efferre vult poeta[11].

Iam eiusmodi sententiae, quae de eodem argumento tractant illudque vario modo explicant, interdum nullo certo ordine servato serie longiore continuantur[12], alias logico quodam ordine inter se connectuntur et maiora carmina didactica formant[13], quibus designandis vocabulum speciale non cuderunt Hebraei communi nomine *maschal* contenti. In longioribus tamen istis carminibus unitas ea, quae in lyricis apparet, saepius desideratur; liberiore enim modo decurrentes aliquoties in singulas fere gnomas et similitudines discerpi possunt[14].

Sed haec hactenus de carminum didacticorum speciebus, quae frequentiores adhibentur; de libris Iob et Ecclesiastae, qui ipsi quoque ad genus didacticum pertinent, infra dicemus.

1. *S. Hier.* in Matth. 18,23 (M. 26,132).

2. *Clem. Alex.* Strom. VI. 15. (M. 9,349). Clarius *Ps. Athanas.* Synops. S. S. 22 (M. 28,344) : « *Parabolae* dicuntur sermones quasi imagines eorum, quae dicuntur; ex ipsis enim per similitudinem intelligitur id, quod dicitur ». *S. Chrysost.* in Ps. 48. (M. 55,225) varios sensus, quibus vocabulum in Scriptura usurpatur, enumerat : λάλημα καὶ ὑπόδειγμα καὶ ὀνειδισμός (*Ps.* 43,15), αἰνιγματώδης λόγος, ὃ πολλοὶ λέγουσι ζήτημα (*Iudic.* 14,14), ἡ ὁμοίωσις (*Matth.* 13,24), τροπολογία (*Ezech.* 17,1 sqq.).

3. *Iudic.* 9,7 sqq.; 4 *Reg.* 14,9; sed cfr etiam 2 *Reg.* 12,1 sqq.; 14,5 sqq. etc.

4. Longiores parabolas habes 2 *Reg.* 12,1 sqq.; *Is.* 5,1 sqq.; *Prov.* 24,30 sqq. etc. Breviorum variae formae ex his exemplis intelliguntur :

Quomodo nix in aestate et pluviae in messe,
Sic indecens est stulto gloria. — *Prov.* 26,1.

Sicut canis, qui revertitur ad vomitum suum,
Imprudens, qui iterat stultitiam suam. — *Prov.* 26,12.

Flagellum equo et camus asino :
Et virga in dorso imprudentium. — *Prov.* 26,3.

Mala aurea in lectis argenteis :
Qui loquitur verbum in tempore suo. — *Prov.* 25,11.

Sicut frigus nivis in die messis,
Legatus fidelis illi, qui misit eum;
Animam ipsius requiescere facit. — *Prov.* 25,13.

Aufer rubiginem de argento,
Et egredietur vas purissimum;
Aufer impietatem de vultu regis,
Et firmabitur iustitia thronus eius. — *Prov.* 25,3. 4.

Comede, fili, mel quia bonum est,
Et favum dulcissimum gutturi tuo :
Sic et doctrinae sapientiae animae tuae.

Qua inventa habebis in novissimis spem,
Et spes tua non peribit. — *Prov.* 24,13. 14.

5. Ex. gr. *Prov.* 26,12 : Dicit *piger* : Leo est in via,
Et leaena in itineribus.

*Prov.* 25,16 : Mel invenisti? Comede, quod sufficit tibi,
Ne forte satiatus evomas illud.

6. *S. Hier.* In Eccle. 12,9 (M. 23,1113). *Ps. Athanas.* l. c. eas vocat στροφὰς, ἐπειδὴ στρέφων τις αὐτὰς τῇ διανοίᾳ, ἀνοίγει καὶ εὑρίσκει τὸν ἐν αὐταῖς ἐγκείμενον νοῦν.

7. *S. Athanas.* C. Arian. or. II. 44. (M. 26,241); *S. Basil.* In Princip. Proverb. 2 (M. 31,388); *S. Caesar.* Dial. I. 35 (M. 38,897). *Ps. Athan.* (l. c.) quoque vocabulum ab οἶμος (*via*) derivat, sed alio modo explicat, scilicet, quia « per vias sententiae tales conscribi solitae sint ad correctionem et doctrinam eorum, qui iter instituebant »; atque simili modo *Didym. Alex.* In Prov. 1,1 (M. 39,1621). Alii tamen nomen non derivant ab οἶμος (*via*), ut sit παρόδιον (tritum et vulgare), sed ab οἴμη (*verbum*), ut παροιμία omnino consonet latino *proverbio*, et proxime significare dicatur *orationem alludentem* ad aliquid, quod non est expressum.

8. Cfr quae de his vocabulis disserit *Orig.* Fragm. in Prov. 1,6 (M. 13,20 sqq.), ubi ex ordine (fusius forte quam clarius) explicat, quid sit παραβολή, σκοτεινὸς λόγος, ῥῆσις τῶν σοφῶν, αἴνιγμα.

9. Praeclarum exemplum habes *Eccle.* 12,2 sqq. in descriptione senis, in qua simul adhiberi videtur ambiguitas vocabulorum, ut obscurior reddatur sensus.

10. Ex. gr. *Prov.* 20,12 : Aurem audientem et oculum videntem,
Dominus fecit utrumque. (Cfr *Ps.* 93,9 vel *Matth.* 13,9.)

*Prov.* 22, 2 : Dives et pauper obviaverunt sibi,
Utriusque operator est Dominus. (Cfr *Iob.* 34,19.)

11. Ex. gr. *Pr.* 6,16 sq. : Sex sunt, quae odit Dominus,
Et septem detestatur anima eius :
Oculos sublimes, linguam mendacem,
Manus effundentes innoxium sanguinem,
Cor machinans cogitationes pessimas,
Pedes veloces ad currendum in malum,
Proferentem mendacia testem fallacem,
Et discordias seminantem inter fratres.

Cfr *Prov.* 30,15 sqq.; *Iob* 5,19; *Eccli.* 23,21; 26,5; 50,27. — Germanice *Priamel* vocatur (a lat. *praeambulum*, quo attentio ad praecipuam sententiam convertitur).

12. Cfr *Prov.* 26,1-12. 23-28 etc.; *Eccli.* 3,1-16; 17-29 et passim.

13. *Prov.* 1,8-9,18 eiusmodi carminibus constat, inter quae 7,1 sqq. iusta est parabola poetica; *Prov.* 31,10 sqq. est alphabeticum carmen didacticum etc.

14. Cfr ex. gr. *Prov.* 3,1-20; 21-35 etc.

**168.** — De DICTIONE POETICA vix opus est dicere, quoniam ad sacram potius philologiam, quam ad historicam introductionem pertinet. Quemadmodum aliarum nationum, ita etiam Hebraeorum poetae praestantiore illo et politiore dicendi genere carere non poterant, quod communem et vulgarem sermonem pulchritudine superans lectorum animos delectat, allicit, captivat, atque hac ratione ideas menti

facilius et efficacius imprimit. Quantopere poetarum sacrorum sermo ab oratione prosa librorum sacrorum differat, experientia edocti omnes sciunt, qui unquam literis hebraicis operam impenderunt; quamprimum enim ab historicis ad poeticas gressum fecerunt, quasi novam linguam addiscere sibi videbantur. Omnibus enim in linguis, praecipue autem in hebraica, poetica elocutio, cuius maximam virtutem in eo sitam esse docet Aristoteles, ut sit perspicua sed non humilis, amat rariores et exquisitiores dicendi modos omnisque generis tropos et figuras, studiose autem vitat usitatiora et propria, quae etsi perspicuitati plerumque non noceant, humilem tamen haud raro reddunt sermonem.

Itaque poeticus sermo ad res etiam quotidianas et usitatissimas exprimendas non paucis utitur vocibus, quas in aliis libris frustra quaerimus[1]. Satis multae ex iis in vicinarum dialectorum, maxime aramaicarum, oratione soluta sunt communes et vulgares, quare aramaismi vel chaldaismi a nonnullis appellantur. At parum recte, siquidem nomen istud insinuat, vocabula illa e Chaldaeorum lingua in hebraicam esse transumta. Namque licet hebraicis poetis ea non sit neganda licentia, quam omnes alii sibi sumunt, ut glossas seu peregrinae linguae vocabula aliquando mutuentur eaque velut sua adhibeant, longe plerasque tamen dictiones et phrases, quae aramaismis accensentur, vere et proprie hebraicas esse censemus atque a poetis ex suae nativae linguae thesauris haustas. Quapropter etiam illud argumentum respuimus, quo nonnulli ex maiore minoreve frequentia dictionum, quas aramaismis accensent, libri poetici vel didactici aetatem definire conantur. Nam tam pauca hebraicae linguae documenta nobis sunt conservata, ut quaenam antiquitus fuerit eius ubertas nullo modo diiudicare possimus, idque eo minus, quia omnia illa documenta nobis duo tantum literarum genera, historicum et poeticum, exhibent et tantum non omnia de rebus, quae ad religionem pertinent, tractare solent. Profecto moderni nostri « critici », qui ex libris V. T. historicis divitias antiquae linguae hebraicae dimetiuntur omniaque, quae in illis non inveniunt, ex peregrinis dialectis adscita esse arbitrantur, haud multum differunt ab eo, qui ex Herodoti Historiis, si solae nobis essent conservatae, integram graecae linguae ubertatem, aut si mavis ex Caesaris commentariis et Taciti Historiis et Annalibus thesaurum latinitatis dimetiretur. Ex *vivae* linguae fonte perenni hauriebant poetae sacri nec alienis fonticulis indigebant, quibus hortos suos irrigarent. Ex eodem hoc perenni fonte, ex quo desumserunt vocabula ab historicis populi sui non recepta vocabulorumque multas significationes, etiam formas illas constructionesque hauserunt, quibus dictioni suae proprium quendam inducebant colorem dignitatemque a vulgari et

humili historicorum sermone semotam[2]. Procul dubio inter illas non paucae reperiuntur, quae etiam a Chaldaeis adhibentur; at chaldaismi vocari nequeunt, quia ex Chaldaeorum sermone non sunt transumtae.

Ad rariores voces formasque, quibus soli poetae utuntur, accedunt *dictionis figurae* quam plurimae. Amant enim poetae hebraei constructiones audaces et vividas; creberrimae sunt et praecipites temporum, generum, personarum immutationes, multae sunt ellipses, frequens dramaticus quidam describendi modus. Quam maxime autem Hebraeorum sermo poeticus *troporum* frequentia et audacia a prosa oratione differt[3]. Omnes procul dubio omnium nationum poetae metaphoris, allegoriis, prosopopoeiis aliisque figuris carmina sua exornant, at in sacra poesi earum usus et longe frequentior est et pulchrior, ita ut nusquam fere earum virtus adeo splendeat. Ad tropos proxime iam accedit ille poetarum usus, quo rem aliquam ex quadam eius proprietate depingunt potius, quam denominant, ex. gr. si solem חַמָּה (*calidum*), lunam לְבָנָה (*candidam*), animam יְחִידָה (*unicam*), vel כָּבוֹד (*gloriam*), taurum vel equum אַבִּיר (*robustum*) etc. nullo apposito substantivo vocant. At quot sunt veri tropi, quorum is est finis, ut imaginibus aliunde translatis res vel clarius aut grandius exprimantur et ea, quae in se pulchra sunt, pulchriora esse videantur, eorum vero, quae in se aliquid habent deformitatis, appareat gratia, honestas, sublimitas! Infinitae fere numero sunt rerum externarum imagines, quibus poetae sacri utuntur; quatuor autem praecipui earum sunt fontes; nam desumuntur vel ex rebus naturalibus vel ex moribus rebusque in quotidiana vita occurrentibus, vel ex rebus sacris, vel ex rebus gestis, quae in historia sacra maxime sunt insignes. Quae omnia, quum primis carminum lectoribus omnino erant cognita, ad sermonis perspicuitatem non minus quam pulchritudinem non parum contulerunt[4].

« Est hoc peculiare poemati hebraeo multas *metaphoras a rebus naturalibus* depromere, maxime ab herbis arboribusque, ut poesin botanicam dicere ausim. Neque id mirum; populus enim erat aratorius et pastoritius, in quo sine suo agro pascuisque nemo nascebatur; nec poesis eruditis erat relicta, sed ita per omnem populum diffusus amor eius, ut et verorum pastorum carmine silvae resonarent. Hinc in exiguo V. T. codice sacro ultra ducenta quinquaginta inveniuntur nomina botanica, quibus nemo frequentius utitur poetis. In quo a nostra maxime distat hebraica. Ut enim taceam ipsos nostros botanicos vernacula plantarum nomina persaepe ignorare, plurimi poetae ita ab agris rerumque natura semoti sunt, ut paucas herbas arboresque norint, et prudentes ab illarum nominibus abstinent, ne risum praebeant peritioribus. Quod si botanicum esse poetam contingat, non sinit ta-

men eum inscitia plerorumque lectorum suae scientiae ornatu uti, nisi obscurus fieri velit » [5]. At multa illa plantarum, animalium, aliarumque rerum naturalium nomina, quae primis lectoribus sermonem reddebant perspicuum, nobis eundem reddunt haud raro obscuriorem utpote rerum illarum ignaris [6].

Alterum metaphorarum troporumque fontem poetis hebraeis praebuit *vita quotidiana*, quae apud eos admodum simplex erat sibique constans. Neque enim ea erat artium conditionumque varietas, quae apud alios populos antiquos et modernos invenitur; agricolae et pastores erant plerique, at viri quoque erant bellicosi atque ad arma capienda, ut haereditatem suam divinitus acceptam defenderent, prompti et alacres; hinc ex vita rustica, pastoritia, militari poetae quam plurimas desumunt imagines. Quis ignorat, quam frequens sit imago paleae, quam ventus abripit, tribuli, quo hostes conteruntur, torcularis, quod calcatur, armorum, pugnarum etc? Inter eas quidem nonnullae sunt, quae humiliores nonnemini videntur; at recte monet Lowth : « quod si cui male delicato sordere nonnunquam videantur huiusmodi rerum species, quasi scilicet oleant plebeculam et stercus, id suae tribuat ignorantiae, qui ex sui sensus modulo antiqua aestimet ». Apud Hebraeos enim, quibus carmina proxime sunt destinata, nemo vel amplissimus indecorum aut se indignum putabat etiam infimis rustici operis negotiis vacare; ab aratris et gregibus reges, duces, prophetae ad augustissima et sanctissima munera obeunda sunt vocati [7].

Tertium imaginum fontem diximus esse *religionem* et quartum *historiam sacram*. Quoniam omnia carmina hebraica, quae nobis sunt conservata, sunt sacra, mirum esse non potest, quod ex duobus istis quoque fontibus quam plurima hauserint poetae. Pleni sunt Psalmi et prophetarum libri allusionibus ad magna illa miracula, quae Deus in populo suo operatus est, et sive felices sive adversos eventus praedicunt, utuntur vocabulis, quibus antiquiores illi eventus in memoriam revocantur. Status rerum, qui ante sex dierum opus erat, Ieremiae (4,23 sqq.) inservit ad describendam futuram vastitatem terrae sanctae; excidium Sodomorum et a Psalmista (Ps. 10,6 etc.) et ab Isaia (1,9 sq. ; 34,8 sqq. etc.) et ab aliis frequenter adhibetur; exitus ex Aegypto et transitus per mare rubrum vix minus frequenter in memoriam revocantur (*Is.* 43, 16 sqq.; 51,9 sq. etc.); atque eadem ratione tota historia sacra, quam omnes Israelitae optime cognoverunt, poetis et prophetis inserviebat illustrandis carminibus et vaticiniis suis. Ad religionem ipsam autem quod attinet, probe attendendum est, eam legibus suis totam vitam publicam et privatam Israelitarum rexisse, ita ut vix quidquam apud eos esset profanum; quare in metaphoris illis, quae ex vita quotidiana desumuntur, diligenter quoque attendendum est ad nexum, quo cum

rebus sacris coniunguntur. Ad quae si attenderis, nonnullae imagines, quae tibi forte minus decorae esse videntur, veram dignitatem acquirent[8].

Sed paucissima haec de dictione poetica sufficiunt; diligens enim carminum sacrorum studium multo clarius et evidentius, quam longus tractatus, docet poeticae elocutionis Hebraeorum pulchritudinem, dignitatem, sublimitatem.

1. Ex. gr. אֱלוֹהַּ (*Deus* pro *Elohim*), אֹמֶר (*verbum pro* דָּבָר), אֱנוֹשׁ (*homo* pro אָדָם), אָתָה (*venire* pro בּוֹא), גֶּבֶר (*vir* pro אִישׁ), etc. Cfr *Scholz*. Einl. III. p. 8, *Keil* Einl. p. 41, ac praesertim *Gesenius* Handwörterbuch. Ed. 9. cur. Mühlau et Volck p. XXXVIII, qui plurima exempla addunt.

2. Huc pertinent praepositiones אֱלֵי, עֲלֵי עֲדֵי (pro אֶל, עַל, עַד), terminationes plur. ־ִין et ־ִי (pro ־ִים), suffixum מוֹ — et alia. Cfr auctores laudatos.

3. Egregie prae ceteris hanc quaestionem tractat *Lowth* De poesi sacra. Praelect. IV-XVII, quas sequimur et ex quibus pro fine nobis proposito dumtaxat paucissima delibabimus.

4. Id enim etiam est animadvertendum, certam quandam normam imaginum istarum sua quasi sponte ita esse exortam, ut eaedem res iisdem ideis figurandis inservirent, quemadmodum in vulgari sermone certa vocabula certas res notant. « Quod quidem non omnino absolute intelligendum est, sed eousque ut vere dici possit poetas hebraeos in eadem re exornanda iisdem imaginibus multo constantius uti, quam ceteri poetae solent » (*Lowth*). Ex. gr. *lux* et *tenebrae* rebus prosperis vel adversis significandis Hebraeis constanter inserviunt; *Libanus* et *Carmelus* eodem semper modo adhibentur etc.

5. *Michaelis* ad Lowth Prael. VI. p. 455.

6. Ad quam difficultatem removendam insigne adminiculum praebent *Fillion* Atlas d'histoire naturelle de la Bible. Lyon 1884, aliaque opera ab eo laudata p. V.

7. Cfr *Lowth* l. c. p. 71.

8. Imago, quae *Is*. 64,6 legitur de panno menstruatae, multo gravior et dignior apparet, si ad leges *Lev*. 12. et 15. relatas attenderis; item si Messias ab *Isaia* 54,4 comparatur cum leproso, prae oculis habenda sunt, quae *Lev*. 13 de lepra praescribuntur etc. Rectissime monet *Lowth* (l. c. p. 82) : « Si quae divinitus sunt praescripta pro communibus habeamus, si sancta et augusta in vulgaribus sordidisque numeremus, incredibile est, quantum de verborum pondere deque sensuum vi et maiestate detrahatur ».

## CAPUT II.

### DE LIBRO IOB.

### § 3. — *De libri Iob argumento, divisione, fine.*

169. — Iob, vir sanctus, Deo sic permittente ut servi sui virtutem probaret, gravissimis calamitatibus per daemonem affligitur. Filiis omnibusque opibus orbatum, a proximis derelictum, ab uxore tentatum, horrendo morbo et ulcere vexatum invisunt tres amici, Eliphaz, Baldad, Sophar, cum eoque de harum calamitatum causis disceptationem instituunt. Amici enim, quibus id fixum ratumque erat, neminem innocentem adversa fortuna premi, virum pium de miseria sua conquerentem vehementer vituperant exhortanturque, ut cum criminum poenitentia et animi subiectione calamitates sibi immissas perferat. At Iob conscientiae testimonio securus graviora esse mala, quae patitur, contendit, quam quae meritus sit; falli igitur amicos, qui omnem adversam fortunam dicant esse poenam peccatorum actualium, nihil se timere, si coram Dei tribunali causam agere cogatur; in disputandi autem ardore inconsideratius nonnulla de Deo loquitur. Tacentibus iam tribus amicis, quum quid responderent non amplius haberent, licet in sua sententia persisterent, surgit quartus, Eliu, qui controversiam finire conatur. E solis verbis, quae ab Iob audivit, se de eo iudicaturum protestatus ab omni culpa eum non absolvit, calamitates autem etiam ad maiorem in virtutibus profectum procurandum a Deo immitti docet, atque non obiurganda sed humiliter admiranda esse divina iudicia inculcat. Eliu adhuc loquente Deus ipse apparet disceptationi finem impositurus. Gravissimis suis verbis castigat disputantium imprudentiam, qui quum ea, quae coram oculis sunt posita, intelligere nequeant, de providentiae divinae mysteriis iudicium ferre curiosiusque ea scrutari audeant. Iob qui iam Eliu verbis nihil responderat, inconsiderate se esse locutum profitetur, a Domino autem amicis praefertur et pro iis deprecari iubetur. Omnibus quae amiserat, immo duplo maioribus opibus iterum potitus felicem postea duxit vitam plenusque dierum in pace quievit.

Haec summa est admirabilis illius poematis, quod in canone Tridentino inter didacticos libros primum locum obtinet, nomen sortitus ab eo, qui in illo primas partes agit. Ut quanta cum arte sit compositum

clarius perspiciamus atque eius finem, unitatem, integritatem efficacius tueri possimus, accuratiorem praemittamus oportet eius analysin. Praeter *exordium* autem (1,1-2,13), qui historiam Iob calamitatesque a satana ei inflictas prosa oratione exponit, atque *epilogum* (42,7-16), qui iterum prosaico sermone novam Iobi fortunam paucis verbis adumbrat, tres partes distinguimus carminis ipsius. *Prima*, eaque longior, triplicem Iobi cum tribus prioribus amicis disputationem de calamitatum causis continet (3,1-14,22; — 15,1-21,34; — 22,1-31,40). In *altera* Eliu novam adversae fortunae iustorum causam ab aliis omissam fusius explicat (32,1-37,24); in *tertia* Deus oratione sua disceptationi finem imponit. Totus igitur liber in eo versatur, ut in causas inquirat rerum adversarum, quibus homines omnes atque maxime illi, qui iusti et innocentes hac in terra habentur, frequenter subiacent; quaestio autem ita tractatur, ut variae quidem causae quum ab amicis Iobi tum ab Eliu et ab auctore ipso indicentur, at simul homini ius facultasque negetur iudicandi, quaenam ex illis certa in conditione sit admittenda. Haec autem est LIBRI ANALYSIS.

In EXORDIO HISTORICO (1,1-2,13) auctor explicat disputationum originem veramque calamitatum, quas Iob patitur, innuit causam, qua cognita lector de iis, quae ab alterutra disputantium parte afferuntur, certius iudicium potest ferre. Itaque

1. describitur Iobi sincera pietas, qui in rebus secundis, quibus fruebatur, ita fidelis Dei servitio inhaesit, ut a Deo coram angelis et satana laudari mereretur (1,1-9).
2. Verum satanas pietatem illam felici fortunae viri adscribendam esse contendit, atque a Deo permissionem accipit, ut omnibus eius bonis externis destructis eum probet (1,10-12). At nec subita omnium filiorum suorum morte nec omnium suarum divitiarum amissione Iob permotus est, ut Deum relinqueret (1,13-22).
3. Quare nova accepta permissione (2,1-6) satanas virum ipsum aggressus horrendo morbo eum afflixit; at nec summis doloribus nec uxoris dicteriis Iob ad blasphemiam seduci potuit (2,7-10).
4. Ad afflictissimum virum consolandi causa tres amici, Eliphaz, Baldad, Sophar, accedunt, qui calamitatum magnitudine perculsi septem diebus compatientes cum eo taciti sedent (2,11-13).

Sequitur PRIMA PARS (3,1-31,40) *exhibens triplicem Iobi cum amicis de calamitatum causis disputationem,* in qua eum ordinem tenet poeta, ut singulis amicis ex ordine disserentibus Iob respondeat.

I. *Disputationibus ansam praebet Iob* (3,1-26)
  propter calamitatum magnitudinem maledicens diei conceptionis et nativitatis suae (3,1-10),
  sibi mortem exoptans, quae omnes pares reddat et ab omni malo immunes (3,11-19),

queribundus interrogans, cur tandem hominem, qui tanta pati debeat et mori desideret, Deus creaverit (3,20-26), qua interrogatione quodam modo thema totius libri indicat.

II. Disputationem primam (4,1-14,22), *in qua amici magis indirecte ostendere conantur, solam calamitatum Iobi causam in eius peccatis quaerendam esse poenitentique restitutionem amissae felicitatis promittunt*, exorditur *oratio* Eliphaz (4,1-5,27).

Praemissa benevolentiae captatione, in qua Iobum antea afflictos omnes consolantem Iobo nunc acerbe conquerenti opponit (4,1-6),

velut principium universale statuit, nunquam innocentem, sed solum impium perire (4,7-11).

Quae ut indirecte ad Iobum applicet, ad visionem quandam provocat, qua didicit, nullum hominem purum esse coram Deo (4,12-21);

unde Iobum monet, quoniam stultus, qui ad Deum non recurrat, pereat necesse sit (5,1-7), ut ad Deum refugiat, qui iustorum et iniustorum aequus sit iudex (5,8-16);

atque orationem terminat beatum praedicans illum, quem Deus ipse corripiat, quia correptus ad novam felicitatem reversurus sit (5, 17-27).

*Cui sermoni* Iob *non directe respondens querelas suas priores explicat amicosque incusat, quod ipsum non consolentur* (6,1-7,21).

Querelarum vehementiam explicat magnitudine calamitatis, quae tanta sit, ut mortem non possit non desiderare (6,1-12);

amicos deinde vituperat, quod ipsum non sint consolati, sed vanis increpationibus lacessiverint, eosque rogat, ut iustos se erga ipsum exhibeant (6,13-30).

Atque denuo sua calamitate descripta (7,1-10) quasi desperabundus interrogat Deum, cur tam crudeliter ipsum tractet et cur peccatum, quod forte commiserit, non condonet (7,11-21).

*Vehementius iam in Iobum insurgens* Baldad (8,1-22)

verba eius carpit, ac si Deum iniustum dixisset (8,1-3), quum tamen Deus solos impios affligat atque poenitentibus maiora bona restituat (8,4-7).

Idem principium, quod Eliphaz iam statuerat, solos impios perire, ex antiquorum sapientum auctoritate probare vult proposita parabola (8,8-19),

qua simul praedicitur resipiscenti felicior sors (8,20-22).

*Eiusdem falsi principii repetitione adducitur* Iob, *ut directe illud impugnet* (9,1-10,22).

Optime se scire ait hominem coram Deo non esse iustum (9,1-13), nec posse hominem cum Deo contendere, quippe qui potentissimus et iustissimus sit (9,14-21);

at negat solos impios eosque semper calamitatibus affligi (9,22-24).

Se prorsus iustum esse utique non vult asserere, quia coram Deo nemo iustus sit (9,25-35),

at Deum rogat, ut sibi peccata sua manifestet, quoniam profecto non

ad instar hominum cruciatibus confessionem rei extorquere velit, siquidem hominem optime cognitum iam habeat (10,1-13).

Atque ad priores querelas reversus iterum interrogat, cur Deus peccatum forte commissum non condonet et cur ipsum in hac calamitate versari sinat (10,14-19), Deumque precatur, ut saltem ante mortem sibi concedat levamen quoddam malorum (10,20-22).

*Ad quae iracundo modo respondet tertius amicus* SOPHAR (11,1-20)

qui loquacitatis accusat Iobum (11,1-3) et arrogantiae, quoniam purum se dicat, licet minora patiatur, quam quae meritus sit (11,4-6).

Quae ut aliqua ratione probet, exaltat sapientiam scientiamque Dei, quae omnia perscrutetur (11,7-12);

atque ad poenitentiam eum exhortatus feliciorem sortem poenitenti praedicit, impium vero periturum monet (11,13-20).

*Longiore autem sermone primam disputationem terminat* IOB (12,1-14,22).

Atque primum quidem ad amicos suos conversus (12,1-13,12),

eorum arrogantiam arguit, qui se solos Dei magnitudinem cognovisse putent neque tamen videant impios saepe rebus secundis frui (12, 1-6), dum ipse e contrario quum e rebus creatis tum ex sapientum dictis didicerit, Deum non secundum unam solam normam cunctas res administrare (12,7-25), ac proin amicis suis non minus sit sapiens (13,1. 2);

quare eos ut taceant exhortatur, ne Dei partes non recto modo agentes divinam iram excitent (13,3-12).

Deinde vero ad Deum sese convertens (13,13-14,22),

omnimodam suam in Deum fiduciam professus (13,13-19) eumque obtestatus, ne ipsum maiestate terreat (13,20-22),

contendit non eiusmodi esse peccata sua, quae tantam calamitatem mereantur (13,13-28). Quod ut melius efficaciusque demonstret, duas rationes affert :

hominem ob debilitatem naturae suae et suae originis impuritatem tam severo iudicio iudicari non debere (14,1-6),

et semel mortuum, ut feliciore sorte fruatur, ad vitam terrestrem non esse reversurum (14,7-22).

III. DISPUTATIONEM SECUNDAM (15,1-21,34), *in qua amici clarius et apertius Iobi peccata dicunt calamitatum causam nec amplius de feliciore quadam eius sorte loquuntur sed directe ad eum principium suum erroneum applicant, iterum exorditur* ELIPHAZ (15,1-35)

Iobum reprehendens, quod stulte sit locutus (15,1-6), quum sapientiorem se habeat, licet omni ratione inferior sit amicis suis (15,7-11);

eum vituperans, quod cum Deo contendere audeat, coram quo nemo sit purus (15,12-16), ad poenitentiam eum exhortans magnifica descriptione iustitiae, quam Deus exercet erga impios (5,17-35).

*Cui respondens* IOB (16,1-17,16)

conqueritur, quod eadem recoquentes amici molestos sese exhibeant consolatores (16,1-5),

describit iterum suam miseriam, quae ideo sit maior, quoniam inexspectata advenerit (16,6-17),

Deum invocat innocentiae suae testem, ad illum se convertit despectis amicis, inter quos sapientem non invenerit (16,18-17,10), et qui feliciorem sortem ei, qui morti est proximus, promittentes inanem consolationem praebeant (17,11-16).

*Exsurgens autem* BALDAD (18,1-21),

verbositate et inanitate sermonum Iobi vituperata monet Deum propter Iobum immutabilia sua consilia non esse mutaturum ac proin impium semper periturum (18,1-5);

atque impii contumacis multiplicem ruinam, quae morte non terminetur, ita describit, ut clare innuat eandem esse Iobi sortem (18,6-21).

*Quibus verbis afflictus* IOB *ita respondet* (19,1-29),

ut conqueratur de amicorum opprobriis (19,1-5),

se non secundum consuetas Dei leges tractari moneat (19,6. 7.), fortunae suae ruina (19,8-12) et omnimoda sua derelictione (19,13-20) fuse descriptis.

Quare amicos suos obtestatur, ut ipsi saltem sui misereantur (19,21. 22), et quia videt a coaevis suis suam innocentiam non agnosci firmissimam exprimit spem redemtorem suum, qui vivat, in futura resurrectione, quam exspectet, innocentiam suam esse manifestaturum[a] (19,23-27) amicosque monet, ut ab eius iudicio caveant (19,28. 29).

*At* SOPHAR *Iobi precibus non commotus sed magis exacerbatus* (20,1-29)

vituperat admonitionem, qua sermonem terminaverat (20,1-3),

et principio toties repetito iterum insistens magna cum eloquentia, ut eum terreat, miseriam hominis impii describit, non diu duraturam eius felicitatem monens (20,4-11), ruinam autem eius iustam fore (20,12-23) et completam (20,24-29).

*Ad quae* IOB (21,1-34),

postquam rogavit amicos, ut attenti audiant, quae dicturus sit (21,1-6),

principium illud directe impugnat, ex experientia constare docens, impios saepe secundis rebus frui, etsi in Deum blasphemias iactent (21,7-15),

neque semper statim puniri (21,16-26),

immo etiam saepe in vita et post mortem ab hominibus honorari (21, 27-33),

inanem igitur esse eorum consolationem (21,34).

IV. *Nihilominus in* TERTIA DISPUTATIONE (22,1-26,14) *Eliphaz et Baldad in sua sententia permanent.*

(a) « Ab hoc loco, rectissime inquit *Sanctius*, ad finem usque libri aliter se habet Iob quam prius. Neque enim luget aut queritur, quasi aegre ferat torqueri se vehementer, quum tamen non levior esset extrema vexatio, sed est tantum enumeratio malorum, quae pertulerat, ita tamen, ut in athleta fortissimo nullus appareat languor, nulla desperatio aut mortis desiderium. Confortavit enim et exhilaravit patientis animum spes certa resurrectionis, quam eo oraculo, in quo ab amicis urgebatur angustius, ex divina revelatione conceperat »

*Atque* Eliphaz *quidem* (22,1-30), quoniam Iobi ultimum assertum refutare non potuit,

longa serie peccata enumerat, quibus Iobum suam sibi calamitatem attraxisse diserte contendit (22,1-11);

neque enim fieri posse, ut Deus peccata aut ignoret aut praetermittat (22,12-14), siquidem historia doceat, eum semper peccatores punivisse (22,15-20);

ideo Iob ad poenitentiam se convertat, ut nova beneficia a Deo accipiat (22,21-30).

*Qua gravi accusatione non iratus* Iob (23,1-24,25), quia assertionibus eius fidem semper denegant amici,

desiderat, ut coram Deo innocentiam suam probare possit (23,1-6), at quoniam Deus suam praesentiam ei subtrahere videtur (23,7-9),

ad illius omniscientiam provocat, qua suam innocentiam constare certus est (23,10-17).

Quod si nihilominus patitur, multi autem impii, quos enumerat, hac in terra poenas non luunt, sed quieta morte vitam finiunt, quaestionem propositam accusationibus iniustis amicorum non solvi patet (24,1-25).

*Quae concedere videtur* Baldad, *siquidem paucissimis tantum verbis* (25,1-6) respondet coram Deo potentissimo et sanctissimo nullum hominem posse contendere aut esse mundum (25,1-6).

*At rectissime* Iob (26,1-13)

ironice regerit, haec verba non esse ad rem (26,1-4),

neque se amici doctrina indigere, ut Dei potentiam in inferis et in terra et in coelo exaltet (26,5-13).

V. *Amicis non amplius respondentibus tres disputationes* Iob duobus monologiis *terminat* (27,1-31,40).

In priore, (27,1-28,28) quod fere carmen triumphale dixeris, *amicos suos vera sapientia carere ostendit.*

Atque primum quidem per Deum testatur se mentiri nolle ac proinde, quum innocens sit, se culpam profiteri non posse (27,1-6), innocentiam autem suam etiam probari censet fiducia illa, quam in calamitatibus suis non amisit (27,7-10).

Deinde ad amicos suos docendos transit,

praeprimis repetens, vanam et mancam esse doctrinam ab iis semper propositam, quod impii omnes hac in terra puniantur (27,11-23),

atque monens, homini eam sapientiam deesse, quae ad divinam rerum administrationem et gubernationem diiudicandam requiratur;

nam hominem arte sua quidem multum valere (28,1-11),

ad veram tamen divinam sapientiam non pertingere, quippe quae Dei ipsius sit donum (28,12-28). Quibus verbis simul innuit, problematis propositi intimam rationem ex Dei sapientia esse repetendam hominique esse absconditam.

In altero (29,1-31,40), quae elegia iusta est, *pristina sua felicitate et praesenti sua miseria inter se comparatis* protestatur *se alteram hanc peccatis suis sibi non attraxisse.*

Incipit a describendo felici suo statu pristino, quando omnibus bonis externis fruebatur (29,1-10), ab omnibus laudabatur propter misericordiam suam erga omnes (29,11-17), de felicitatis suae continuatione confidere se posse putabat (29,18-20), et maximo honore gaudebat (29,21-25).

Quanto mutatus ab illo est praesens eius status, ubi iam a vilissimis despicitur (30,1-10), undequaque impetitus auxiliatorem non invenit (30,11-15), gravissimis malis premitur (30,16-23), omnia sua desideria ad irritum ceciderunt (30,24-31).

Atque demum protestatur se ab iis peccatis esse immunem, quibus tantam calamitatem sibi attrahere potuerit, se nec libidini indulsisse (31,1-8), nec iniuriam fecisse proximo (31,9-15), nec pauperes aut viduas aut pupillos despexisse (31,16-23), nec in divitiis fiduciam posuisse aut idololatriam occulte exercuisse, aut inimicos odisse, aut hypocritam fuisse (31,24-34). Ad quam protestationem confirmandam invocat Dei ipsius testimonium (31,35-40).

Pars secunda (32,1-37,34). Amicorum disceptationibus quaestio de calamitatibus Iobo inflictis non erat soluta; universale enim illud principium, omnia mala, quae homo patiatur, poenas esse peccatorum actualium, Iob refutaverat suisque in monologiis integram esse quaestionem relictam clarius ostenderat. Ut igitur eam solvat, quartus assurgit Eliu, qui eo usque tacitus disputationibus adstiterat, atque *quatuor sermonibus solutionem aliquam innuens simul ea, quae audacius et minus accurate Iob disseruerat, reprehendit et corrigit.*

Post *brevem introductionem historicam*, qua Eliu genus et conditio indicatur (32,1-5),

Primus sermo (32,6-33,33) *praesertim docet calamitates etiam velut medicinales a Deo mitti.*

*Praemisso longo exordio,* in quo Eliu amicis Iobi explicat, cur ipse, licet iunior, quaestionem tractare audeat, quia nimirum amici Iobum refutare non potuerint (32,6-22), et Iobum monet, ut ad sua verba attendat (33,1-7),

praeprimis docet *non recte egisse Iobum,* quippe qui prorsus innocentem se declarans Deum velut inimicum suum sibi opposuerit (33,8-12),

*Deum* enim sive per visiones, quibus homines in somno terret (33,13-18), sive per morbos, quos mittit (33,19-22), sive etiam per internuntios (33,23-28) *erudire homines,* ut eos ad defectuum cognitionem adducat et a malo efficacius avertat.

Atque *terminat* primum sermonem interrogans, num Iob habeat, quae respondeat (33,29-33).

Secundus sermo (34,1-37) *ostendit homini non licere de Dei iustitia dubitationem movere.*

*Exordio* desumto a quibusdam verbis, quibus Iob Deum iniustitiae ergo se commissae incusaverat (34,1-9),

Eliu *praeclare demonstrat Dei iustitiam.*

ex eius amore, quo sui immemor integrum orbem gubernat, quem si vellet facillime destruere posset (34,10-15),

ex iudiciis, quae sine ullo partium studio in reges et populos exercet (34,16-20),

ex omniscientia, qua hominis intima cognoscit (34,21-30).

In epilogo rogat Iobum, ut respondeat, si possit (34,31-37).

TERTIUS SERMO (35,1-16) *erroneam esse docet sententiam, qua pietas inutilis esse creditur.*

Initium iterum a quibusdam Iobi verbis sumens (35,1. 2.) docet non Deo quidem, quippe qui sit sublimior, bonas vel malas hominis actiones utiles aut nocivas esse, sed homini ipsi (35,2-8);

si quis vero, qui a malis hominibus patitur, non statim a Deo exauditur, id ex eo provenit, quod aut non recte sit precatus, aut Deus auxilium suum nunc differat, ut suo tempore eos puniat (35,9-16).

QUARTUS SERMO (36,1-37,24) *accuratius docet Deum calamitatibus immissis hominem* erudire *Deique iustitiam sapientiamque celebrat.*

*Brevi exordio* indicat sibi non deesse rationes, quibus Dei iustitiam vindicet (36,1-4);

monet dein Deum iustos afflictos non derelinquere (36,5-7), sed sicut calamitatibus vel ipsos impios ad peccatorum agnitionem adducat, ita eum innocentes benigne servare et erudire (36,8-15);

atque ita eum etiam cum Iobo egisse, qui e malis illis sit evasurus, si recto modo ea perpetiatur (36,16-21).

Quo ut Iobum adducat, nec de Dei viis temere iudicandum esse doceat (36,22-24), *in longiore epilogo* exaltat Dei sapientiam et potentiam, quae ex rebus naturalibus cognoscitur (36,25-37,13) atque Iobum rogat, ut his consideratis ignorantiam suam relate ad Deum confiteatur (37,14-24).

PARS TERTIA (38,1-42,6). Eliphaz duoque eius socii calamitates Iobi voluerant esse poenas peccatorum ab eo commissorum; quare Iob, quum talium criminum conscientiam non haberet, iure contra eos sese defenderat; Eliu verbis autem, qui calamitates etiam ideo infligi docuit, ut homo iustus accuratius se ipse consideret et cautius a malo abstineat, neve inconsiderate se exaltet coram Deo, nihil respondere potuerat. At ne ipse quidem Eliu veram calamitatum Iobi causam, quam ex prologo cognovimus, ullo modo attigerat, ita ut etiam ab illo integra quaestio non esset plane et perfecte soluta. Ideo *apparet Deus,* minime quidem, ut suam erga Iobum agendi rationem explicet aut defendat, sed *ut eos, qui divinae providentiae mysteria curiosius scrutantur, ad silentium redigat.* Hic est finis, haec summa tertiae partis, quae duplici sermone Dei et duplici brevi responso Iobi absolvitur.

PRIOR SERMO DIVINUS (38,1-39,32) *totus in eo est, ut Dei sapientiam et potentiam exaltans doceat arrogantem esse hominem, qui cum Deo contendere audeat.*

Deus apparet in turbine et Iobum provocat, ut interroganti sibi respondeat (38,1-3);

interrogat autem eum primum de illis, quae in prima rerum creatione facta sunt (38,4-15),

deinde de iis, quae in abyssis et in excelsis latent et de naturae viribus, quae Deo praesto sunt (38,16-27),

tum de iis, quae in nubibus fiunt, et de astrorum cursu (38,28-38),

tandem de vivendi ratione et generatione leaenae, corvi (38,39-41), ibicum, cervi onagri, rhinozerotis (potius : bubali), struthionis, equi, accipitris, aquilae (39,1-30).

Brevissimo epilogo respondere eum his quaestionibus iubet, si secum contendere velit (39,31. 32).

*Ad quae* IOB *humiliter confitetur, se inconsiderate esse locutum*, quando cum Deo contendere volebat (39,33-35).

ALTER SERMO DIVINUS (40,1-41,25) *docet hominem non ita se iustificare debere, ut Deum condemnet, idque eo minus, quo debilius ens sit homo.*

Incipit ab increpatione Iobi, qui se iustificans Deum fere condemnare sit ausus (40,1-3), quamvis sit ens debilissimum (40,4-9).

Verum ut Iob magis cognoscat suam debilitatem, Deus describit duo animalia, quae ipse creavit, et quae homo gubernare non potest:

behemoth (hippopotamum) (40,10-19),

et leviathan (crocodilum) (40,20-41,25).

*Quibus respondet* IOB agnoscens Dei potentiam et scientiam, profitens suam ignorantiam atque veniam precans (42,1-6).

In EPILOGO HISTORICO (42,7-16) Deus vituperat tres Iobi amicos, quod non recte sint locuti, eos poenitentiam agere iubet (42,7-9), Iobo autem resipiscenti maiorem, quam qua antea fruitus erat, felicitatem restituit (42, 10-16).

170. — Quin FINEM DIDACTICUM ET PARAENETICUM auctor in poemate hoc componendo prae oculis habuerit, nemini est dubium; quid autem docere voluerit, ex analysi tradita satis patere arbitramur. Nihilominus et ab antiquioribus interpretibus et a modernis varia de eius consilio tradita sunt. Etenim *S. Thomas* iam totam libri intentionem in hoc versari putavit, « ut per probabiles rationes ostendatur res humanas divina providentia regi »[1]. Quam sententiam recte reiecit *Lyranus;* etenim « totus liber, inquit, procedit per modum disputationis cuiusdam inter Iob ex una parte et amicos eius ex altera. Intentio vero disputantis contra aliquos non est declarare vel probare illud, in quo cum eo conveniunt, sed eo supposito tamquam vero et concesso procedere ulterius ad probandum vel improbandum illud, in quo dissentiunt. Manifestum autem est, amicos Iobi in hoc convenisse cum eo, quod actus humani regantur divina providentia »[2]. Minus recte autem ipse definivit auctoris finem : « Licet amici Iob tenerent actus humanos regi divina sapientia, tamen tenebant, quod adversitates huius mundi non inferuntur alicui nisi propter mala praeterita, et prosperitates non eveniunt alicui, nisi propter praecedentia merita; quod est erroneum. Propter quod Iob intendit in hoc libro declarare contrarium,

nimirum quod aliquando in praesenti malis eveniant bona et iustis adversa ». Simili modo *Estius* « summam ponit in hac quaestione, *utrum* Deus iustis hominibus aliquando adversa immittat, an vero iustis tantum bona et iniustis tantum mala » [3]. Haec autem quaestio in ipso statim exordio disertis verbis solvitur, quando satanas Iobum affligere permittitur, ac proin non potest esse summa totius libri. Longius a vero aberrarunt illi, qui statuerunt auctorem impugnasse Iudaeorum antiquam persuasionem, *omnes* res adversas esse poenas peccatorum actualium atque iustum *semper in hac vita* praemium virtutis recipere [4]. Quod si enim persuasio illa (id quod negamus) unquam communis fuisset apud Iudaeos, noster liber illam potius confirmasset, quam refutasset; revera enim Iob in hac terra iam praemium fidelitatis suae obtinet et amici poenam temporalem non effugiunt nisi propter suam poenitentiam et Iobi preces. Longissime demum aberrarunt illi, qui, ut librum nostrum tempori exsilii babylonici adscribere possent, in Iobo patiente viderunt symbolice repraesentatum populum Israel in exsilio ab ethnicis oppressum [5]; quis enim Iobum innocentissimum atque sola invidia daemonis afflictum dixerit esse symbolum populi, qui gravissimis suis criminibus iustissimam sibi attraxerat poenam?

Quibus aliisque similibus sententiis erroneis omissis [6] librum nostrum in ea quaestione definienda versari recte dicemus, *quae sit causa* tribulationum rerumque adversarum, quas homo hac in terra patitur. Quoniam autem in eo omnes conveniunt, peccatoribus calamitates a Deo iustissimo infligi, ut iustitiae ordo restituatur, quaestio arctioribus finibus terminata ita fere proponitur, *quae sit causa* adversae fortunae, quam *iusti* (vel potius ii qui ab hominibus iusti habentur) interdum experiuntur. Finis autem auctoris is est, ut doceat varias in genere causas tribulationum esse statuendas, soli autem Deo cognitum esse, cur hunc vel illum affligat, nec licere homini divinae providentiae mysteria curiosius et audacius scrutari. Eo enim omnia, quae in libro legimus, conspirant; eius igitur thema idem est, quod alibi quoque in V. T. attingitur (*Ps.* 36; 72; *Ier.* 12,1 sqq. etc.), sed non tam fuse explicatur. Amici Iobi solis agnitis poenis *vindicativis* ex adversa fortuna Iobi ad eius culpam concludunt et ex calamitatum magnitudine magnitudinem culpae dimetiuntur. Quae doctrina certe erronea a Iobo constanter impugnatur, qui conscientiae testimonio fretus se talium criminum insontem esse contendit, quibus tot ac tantae calamitates ex aequo respondeant; at quia ipse quoque aliam tribulationum causam videtur ignorare, conqueritur interdum, quod Deus non secundum consuetas providentiae leges ipsum tractet. Sed alteram causam clare assignat Eliu monens iustum ideo quoque interdum calamitatibus premi, ut severius se ipse diiudicet, cautius a malo abstineat, Deum

studiosius quaerat; omnino igitur eius doctrina a doctrina amicorum dissentit. Non ignoramus etiam ab Eliphaz in prima oratione beatum praedicari hominem, « qui corripiatur a Deo : increpationem ergo Domini reprobari non licere » (5,17); sed illis quoque in verbis calamitates (id quod ex contextu elucet) velut poenae vindicativae considerantur, quae cessante causa (sc. peccato) ipsae quoque sint cessaturae; neque eo attigit, ut *medicinalem* earum characterem cognosceret. Tres amici in Deo non vident nisi *severum iudicem,* qui inexorabili cum rigiditate secundum immutabilem legem, ut ordinem iustitiae vindicet, mala malis et bona bonis hac in terra rependit; Eliu in eo videt *benignum patrem,* qui, ut filium dilectum efficacius a malo absterreat et cautiorem reddat, etiam leviores naevos interdum gravioribus poenis castigat (33,29; 36,10 sqq.); neque enim Eliu Iobum ab omni culpa immunem habet, licet in eo non sicut ceteri gravia peccata vituperet[7]. Hisce autem integra doctrina de calamitatum causis nondum est absoluta; tertiam enim earum, quas iusti patiuntur, auctor ipse in prologo historico manifestat. Ex quo discimus Iobum permittente Deo a satana esse afflictum, ut virtus eius probaretur et coram toto mundo manifestaretur. Tribulationes igitur aut sunt poenae vindicativae, quibus ut iustitiae ordo restituatur peccata interdum iam his in terris puniuntur, aut sunt salutares medicinae, quibus homines a malo interdum avertuntur, aut sunt probatio quaedam, qua iustorum virtus interdum probatur et manifestatur : haec est doctrina, quam auctor docere sibi proposuit; variam igitur et multiplicem esse providentiae rationem atque longe a vero aberrare eos, qui omnes eventus secundum solam vindicativam iustitiam diiudicare audeant, ac si altera vita non sit futura, in qua vindicis munere functurus sit Deus (19,25 sqq.). Quoniam vero multiplex est providentiae divinae ratio, ideo Eliu iam monere incipit, ne homines de illa iudicare praesumant; Deus vero apparens atque Iobo amicisque eius ad oculos demonstrans, eos vel ipsas res materiales et visibiles ignorare, multo minus de occultis illis normis, secundum quas bona vel mala in terris distribuat, iudicare licere docet : malam igitur et bonam fortunam e manu Dei humiliter esse accipiendam, quippe qui sapientissima et iustissima sua providentia omnia gubernet et regat et ad finem praestitutum ducat[8].

Verum non incongrue statuemus praeter primum istum finem auctorem illud quoque intendisse, ut in Iobo gravissimis calamitatibus afflicto nobis proponeret patientiae exemplar, quo omnium aetatum fideles incitarentur, ut in rebus adversis Deo fideles inhaererent neque ab hominibus, sed a solo Deo consolationem et auxilium exspectarent[9]. Procul quidem dubio Novum Testamentum multo augustius perfectiusque atque vere divinum patientiae exemplar nobis proponit in ipso D. N.

Iesu Christo, qui innocentissimus gravissima quaeque perferens nos incitat, ut ex eius amore non tantum patienter feramus, sed etiam amemus et quaeramus tribulationes, quibus ei similes reddamur; dilucidissime quoque et evidentissime nos docet Apostolus « transitorias illas et leves tribulationes nostras supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operari in nobis » (2 *Cor.* 4,17). Nihilominus pii Iobi exemplum nobis non esse superfluum docet S. Iacobus, qui illud quam maxime Christianis ob oculos posuit, ut ex eo discerent, « quoniam misericors est Dominus et miserator » (*Iac.* 5,11).

1. *S. Thom.* in l. Iob Prolog.; eandem sententiam *B. Alberto M.* attribuit Pineda (in Iob. Praef. c. 5.); vicina est nonnullorum modernorum sententia, totam disputationem institui de moralis providentiae legibus atque doceri eas nobis esse ignotas (*A. Crampon* Proleg. ad edit. Corderii Comm. in Iob. Paris 1861. p. IV etc.).

2. *Nic. Lyran.* in l. Iob. Praef.; cfr etiam *Pineda* l. c., *Est.* in Iob 1,1 etc.

3. *Lyran.* l. c.; *Pineda* l. c.; *Est.* l. c. et plerique antiquiores.

4. Huc spectant moderni rationalistae non pauci : *Hirzel* Hiob (Ed. 2. ed. Olshausen p. 2 : « Der Verfasser wollte in Hiobs unverschuldeten Leiden die Schwäche u. Unhaltbarkeit der alten mos. Vergeltungslehre an einem in die Augen springenden Beispiele zeigen »); *Bleek Wellh.* Einl. p. 532; *Renan* Le livre de Job. 1852 *Davidson* Introd. II. p. 217 aliique, quorum sententiam *Keil* (Einl. 1873. p. 383) iam dixit obsoletam; nihilominus eam recoxit *Driver Rothstein* Einl. 1896. p. 441. — Clarum est ab ea longe distare alteram, quae auctorem asserit « doctrinam illam iustis limitibus circumscripsisse, eam perpolivisse illaque supplesse, quae ei deessent » (*Knabenbauer* Comm. in l. Iob p. 9); haec enim recte statuuntur, quatenus scilicet *erroneam* doctrinae illius *explicationem* et *applicationem impugnari* innuunt.

5. *Bernstein* Ueber Alter, Inhalt u. Zweck des B. Hiob (Keil u. Tzschirner Analecten I. 1813. p. 109 sqq.); *Br. Bauer* Die Religion des A. T. Leipzig 1840. II. p. 470 sqq.; *F. Seinecke* Der Grundgedanke des Hiob. Leipzig 1863. aliique.

6. Eos enumerat *O. Zoeckler* Das B. Iob. Bielefeld 1872. p. 13 sqq.; moderni plerique, qui erroneos istos fines statuunt, nonnullas pericopas a libro nostro abscindunt; id autem non recte fieri statim demonstrabimus.

7. *G. Gietmann* S. I. Stimmen aus M. Laach 1886. XXX. p. 229 sq., qui recte monet, Iobi culpam fuisse nimiam quandam suae virtutis aestimationem, qua seductus, quum iniustis amicorum accusationibus esset provocatus, non sine aliqua temeritate cum Deo de sua innocentia expostulet. Optime autem addit : « Es handelt sich um die Schuld eines Heiligen, welche zudem nicht zur vollendeten Thatsünde geworden ist, sondern auf einer schuldbar gehegten Selbstachtung beruht, eine Schuld also, welche nicht mit gewöhnlichem Masstabe gemessen werden darf ».

8. Eadem fere ratione finem describunt plerique moderni catholici : *Welte* Das B. Iob. p. XIV; *Vigouroux* Manuel bibl. II. p. 213; *Kaulen* Einl. Ed. 3. p. 298 u. Wetzer Welte Kirchenlex. Ed. 2. VI. p. 1488; *Zschokke* Hist. sacr. p. 255; *Knabenbauer* Comm. p. 9; *Lesêtre* Le l. de Job. p. 15; *Langer* Das B. Iob. 1889 p. XI. Quibus adde acatholicos a *Zöckler* l. c. p. 11 sq. enumeratos, qui *totius* libri authentiam agnoscunt.

9. Minus recte *S. Chrysost.* Synops. S. Script. (M. 56,362) *totum finem* (ὁ σκόπος ἅπας) libri esse ait hortari ad patientiam eos, qui in calamitates incidunt, etiamsi magnum pietatis testimonium prae se ferant », et *Estius* (in Iob 1,1) *praecipuum* scopum in eo reponit, « ut insigne et memorabile exemplum patientiae Iob lectori proponatur »; finem enim illum non esse nisi secundarium tota libri compositio clare docet;

profecto multae illae et longae disputationes, quae integrum fere librum constituunt, atque ipsae Dei orationes ad istum finem obtinendum sunt superfluae; atque longae querelae Iobi ei potius videntur obstare.

## § 4. — *De libri Iob origine et integritate.*

171. — Nullum forsitan in V. T. canone invenerimus librum, de cuius origine maior, quam de nostro, sit opinionum dissensus. Alii enim illum Moyse ipso habent antiquiorem, alii ipso exsilio babylonico recentiorem, alii multis illis in saeculis, quae inde a Moyse usque ad exsilium finitum effluxerunt, tempus quaerunt, cui opus adscribant. Quoniam certi nihil de hac quaestione nos docent documenta historica, praecipuas sententias paucis referemus, et quae inter illas melioribus niti videatur rationibus indicabimus.

Haud pauci olim ipsi Iobo vel uni ex eius amicis vel uni ex auditoribus, qui disputationibus interfuerunt (*Iob* 34,2), librum attribuere non dubitarunt. Quam sententiam probabilem habuit *S. Gregorius M.*, qui tamen Iobum aetate Iudicum vixisse ratus librum mosaico tempore recentiorem esse duxit; *Origenes* vero Iobum ipsum et librum eius Moyse dixit antiquiorem [1]. Immo propter multos arabismos et chaldaismos, quos adesse iam adnotavit *S. Hieronymus* (Praef. in l. Iob), primigenium textum arabicum vel chaldaicum fuisse atque a Moyse vel alio scriptore hebraice esse translatum coniecerunt *Pineda*, *Bonfrerius* aliique multi interpretes [2]. At liber integer tantum abest, ut versionem sapiat, ut non obstantibus idiotismis illis, quos vocant arabismos et chaldaismos, ob styli et linguae suae puritatem inter optima hebraicarum literarum monumenta unum ex primis locis occupet. Neque magis, ut auctorem arabicum vel chaldaicum statuamus, illud nos permovet, quod in toto libro mosaicae legislationis, rituum leviticorum, rerum israeliticarum ratio non habeatur. Namque qui ex moribus, qui in libro describuntur, ad eius originem concludunt, inter aetatem, qua Iob vixisse supponitur, interque tempus, quo scriptus est liber, non satis distinguunt. Quoniam enim Iob, quamquam verum Deum colebat, ex gente hebraica non fuisse atque satis diu ante Moysen aetate patriarcharum vixisse supponitur, poematis auctor, quisquis ille fuit, si verum narrare atque in Iobi amicorumque eius disputationibus personas pro temporis, in quo vixisse credebantur, ratione sustinere voluit, nec de mosaica legislatione nec de aliis rebus Moyse recentioribus loqui potuit. Ceterum non desunt textus ad Pentateuchum tam prope accedentes, ut librorum mosaicorum non ignarum fuisse auctorem demonstrent. Omittere possumus, quod ea, quae de homine tradit « ex limo » formato

et in pulverem reducendo, in cuius naribus « spiritus Dei » insit, creationis historiam in memoriam revocent, aut quod diluvii historiam satis clare commemoret Eliphaz; pro argumento enim id unum nobis sufficit, quod crimina, quorum se reum esse negat Iob, iisdem fere verbis in lege mosaica notentur[3]. Hebraeum igitur fuisse libri auctorem, prudenti non est dubium.

Moysen ipsum esse auctorem traditio quaedam est thalmudica[4], quam receperunt inter Graecos *Methodius, Polychronius, Iulianus Halic.*, inter Latinos *Philippus*, S. Hieronymi discipulus; *S. Hieronymum* ipsum in eadem sententia fuisse non temere colligunt nonnulli ex eo, quod libros sacros enumerans librum nostrum Pentateucho adiunxerit[5]; eandem quam plurimi interpretes inde a saec. 15. tenuerunt, inter quos praecipui *Tostatus, Caietanus, Bellarminus, Pererius, Sanctius, Huetius, Bossuetius*[6]. Verum idoneis argumentis, quibus eam tueantur, prorsus carent. Thalmudicam enim illam traditionem non magna fide esse dignam facile concedet, quicunque legerit ea, quae de Iobi aetate Thalmudistae disputant, quorum aliqui eum cum Iudaeis ex exsilio babylonico redisse, alii eum Salomonis vel Davidis vel Iudicum vel Moysis aetate vixisse arbitrantur[7]. Stylum autem mosaico similem esse gratis asserunt Polychronius et Huetius, cantica enim Moysis, quae sola cum libro nostro comparari possunt, ad eum non propius, quam alia quaecunque V. T. carmina accedunt. Neque facile, opinor, aliquis sibi persuaserit, perfectissimum poema didacticum, quod ad omnes summae artis regulas diligentissime est compositum, primum fuisse hebraicarum literarum monumentum; ante Pentateuchum scilicet illud conscriptum esse volunt a Moyse in deserto madianitico greges soceri sui Iethronis pascente, ut gentem suam eo tempore ab Aegyptiis dura servitute oppressam consolaretur; nescio vero an pauperibus illis servis sublime nostrum poema et difficiles eius disputationes magno potuerint esse solatio. Quibus demum velut efficax, licet minutum nonnemini videatur, argumentum addimus bis commemorari « aurum Ophir »[8], quod ante regum aetatem Israelitis incognitum fuisse satis constat.

1. *S. Gregor. M.* Moral. Praef. 1 (M. 75,517); Orig. c. Cels. VI. 43 (11,1365) : σαφῶς ἐν τῷ ἀρχαιοτέρῳ καὶ Μωυσέως αὐτοῦ Ἰὼβ ὁ διάβολος ἀναγέγραπται κτλ. Cfr *S. Isid. Hisp.* Etymol. VI. 2 (M. 82,231) : « nonnulli eundem Iob post plagam passionis suae scriptorem fuisse existimant ».

2. Primus, qui hanc sententiam diserte tradit, est *Ps. Orig.* in Iob Comment. I (M. 17,373); eandem commemorat et approbat *Sixt. Sen.* Biblioth. sacra (ed. Milante I. p. 14); eam sequuntur *Pineda* (Comm. Praef. 3. 4), *Bonfrerius* (Praeloquia in S.S. VII. 2 et 8), *Corderius* (Comment. Praef.) alii; ex recentissimis *Haneberg* (Gesch. der bibl. Offenb. Ed. 4. 1876. p. 366) opus nostrum censet esse aut versionem aut retractationem operis cuiusdam scripti ante Moysis vocationem. — Ex interpretibus protestanticis eandem tenuit *Carpzov.* Introd. II. p. 45 sq.; librum Moyse antiquiorem

dixerunt *Bertholdt* Einleitung V. 1. p. 2104 sq.; *Eichhorn* Einl. IV. 2. p. 156 sqq.; *E. Bunsen* Die Einheit der Religionen. Berlin 1870. I. p. 420 sqq. (qui Iobum esse Melchisedech opinatur) etc.

3. Cfr *Iob* 10,9; 27,3 et *Gen.* 2,17; 3,19; — *Iob* 22,15-19; — *Iob* 24,2-11 et *Exod.* 22,25 sq., *Levit.* 19,9; 25,2 sqq.; *Deut.* 24,6 etc.

4. *Baba bathra* f. 14. « Moyses scripsit librum suum et sectionem de Bileam et Iobum »; cfr *S. Isid. Hisp.* de eccles. offic. I. 12 (M. 83,747): « Iobi librum Hebraei Moysen scripsisse putant ».

5. *Methodius* in Photii Biblioth. cod. 235 (M. 103,1146); *Polychron.* et *Iulian. Hal.* in Nicetae Catena in Iob. Praef.; *Philipp.* in Iob 3 (M. 26,661 « auctorem Moysen esse tradit opinio »); *S. Hier.* ad Paulin. ep. 53,8 (M. 22,545).

6. *Tostat.* Genes. in S. Hier. prol c. 7; *Caiet.* in Iob Praef.; *Bellarm.* De verbo Dei I. 5; *Perer.* in Exod. 3. disput. 1; *Sanct.* Comment. Proleg. 2.; *Huet.* Demonstr. evang. Prop. IV. (Venet. 1565. p. 240); *Bossuet* discours sur l'hist. univ. II. 3 etc.; *Goldhagen* Introductio II. p. 209; *Iahn* Einl. II. p. 802 sqq. etc. — Ex recentioribus Protestantibus eam tuentur *Stier* Die Reden der Herrn. 1846. IV. p. 51; *Ebrard* Das B. Hiob. Landau 1858; *I. Graeber* Die Stellung u. Bedeutung Hiobs im A. T. 1869. etc. (Cfr *Zoeckler* l. c. p. 20).

7. Cfr *Marx* Traditio rabbinorum veterrima de librorum V. T. ordine et origine. Lipsiae 1884. p. 25 sqq.

8. *Iob* 28,16; immo 22,24 aurum vocatur אוֹפִיר; de auro autem ex Ophir allato non fit sermo ante Salomonem 3 *Reg.* 9,28; 10,11.

**172.** — Maior hodie interpretum catholicorum numerus librum ad salomonicam aetatem esse referendum arbitratur, neque desunt qui ipsum Salomonem eius auctorem esse suspicentur. Quam sententiam Polychronius iam *S. Gregorio Naz.* attribuit, atque revera S. Doctor semel verba quaedam ex nostro libro allegat addito Salomonis nomine; *S. Chrysostomus* autem eam velut non improbabilem refert; eandem approbaverunt *Harduinus* et *Calmetus* [1], atque fatendum est, eam inter omnes, quae propositae sunt, melioribus confirmari argumentis.

Inter quae primum locum merito obtinet ipsa poematis nostri vere singularis et divina pulchritudo, quae prohibet, quominus alteri, quam aureae poeseos hebraicae aetati, i. e. tempori Davidis et Salomonis, attribuatur. Optime enim *Knabenbauer* : « Ea est styli elegantia, rerum variarum tractatio amplissima, argumenti dispositio grandis et conformatio ad omnem perfectionis apicem limata, ea est disceptationis varietas, profunditas, ea morum motuumque animi explicatio, descriptio, ea demum sapientiae studii inquisitio, rerum naturalium et arcanarum perscrutatio et explicandi facilitas et ubertas, quae in aurea aetate poeseos, quae tempore Salomonis in rerum illa conditione florentissima adfuisse prorsus exspectatur » [2].

Accedit quod magnus inter nostrum librum et inter Proverbia Salomonis deprehenditur sententiarum, vocum, locutionum consensus; id quod suo tempore iam animadvertit et fuse ostendit *Calmetus* :

« Utrinque nobilissimum Sapientiae elogium texitur (*Iob* 28,12 sqq.; *Prov.* 8,11 sqq.); vera sapientia in eo constituitur, ut timor Dei servetur, eiusdemque sapientiae solus auctor Deus ab utroque libro asseritur (*Iob* 28,28; *Prov.* 1,7). Ad haec phrasium vocumque consensus utriusque summus : תּוּשִׁיָּה (*sapientia Iob* 5,12; 6,13; 11,6 etc.) nonnisi in *Prov* (2,7; 3,21; 8,14 etc.) recurrit; item הַוָּה (*pravitas Iob* 6,2; 30,13; *Prov.* 10,3; 11,6; 17,4; 19,13); תַּחְבּוּלוֹת (*prudentia*, *gubernatio Iob* 37,12; *Prov.* 11,14; 12,5; 20,18 etc.); פֹּתֶה = פֶּתִי (*simplex Iob* 5,2; *Prov.* 20,19 et passim); אֲבַדּוֹן = שְׁאוֹל (*Iob* 26,6; 28,22; 31,2; *Prov.* 15,11; 27,20) etc[3]. Sermonem habet Iob de mortuorum statu, idem fere apud Salomonem recurrit (*Iob* 21,33: 26,5; 12,22; *Prov.* 9,18). Patere oculis Dei sepulcrum et infernum habet Iob, habet et Salomon (*Iob* 26,6; *Prov.* 15,11); bibere iniquitatem velut aquam est phrasis utriusque (*Iob* 15,16; 34,7; *Prov.* 26,6); spiritus s. ventos appendere Deum legimus utrinque (*Iob* 28,25; *Prov*, 8,28 sq.). Iobus ad amicos dicebat, ex eorum silentio, si nunquam vocem emisissent, futurum fuisse, ut sapientia praediti iudicarentur; stultum, dum silet, sapientem haberi docuit Salomon (*Iob* 13,5; *Prov.* 18,28)... Divitiis inique collectis nunquam iuvari impium, sed illas in manus iustorum dilabi, ait Iobus, ait et Salomon. Tumidae mentis audaciae succedere plerumque probrum, saepius docet Salomon, illud ipsum Iob asseruit (*Iob* 22,29; *Prov.* 16,18; 18,12; 29,23); de creatione terrae marisque paria utrinque spectes (*Iob* 38,4-8; *Prov.* 8,25-29); periturum impium eiusque memoria futurum tandem, ut male oleat, veluti dapes corruptae, uterque profitetur (*Iob*. 20,7; *Prov.* 10,7). Plura huius naturae congeri possunt, quamquam ea, quae ad moralem spectant doctrinam, argumentum urgere minus videntur »[4].

Huius consensus tam manifesti quae sit causa genuina, difficile quidem definitur[5]; attamen plerique textus, in quibus libri nostri concordia cum salomonicis Proverbiis deprehenditur, sunt eiusmodi, ut non tam alterutrius auctoris dependentiam et imitationem, quam communem potius unius eiusdemque aetatis sermonem, scientiam, disciplinam, opiniones arguant. Quapropter, quum Proverbia Salomoni attribuenda sint (201), liber Iob eidem saltem aetati, quin etiam eidem auctori attribuendus videtur. Confirmationis vero gratia addere licebit, auctorem nostrum, id quod non tantum ex sermonibus Dei sed ex integro libro luculenter apparet, rerum naturalium fuisse studiosissimum. Atqui Salomonem earundem rerum peritissimum fuisse atque de iis disseruisse docet Scriptura, qua teste « disputavit super lignis, a cedro, quae est in Libano, usque ad hyssopum quae egreditur de pariete, et disseruit de iumentis et volucribus et reptilibus et piscibus » (3 *Reg.* 4,34).

Indirectum quoque argumentum haud leve nobis praebent iuniores libri, quorum testimoniis constat opus nostrum prophetis antiquioribus iam cognitum fuisse, eius originem igitur ad primorum regum aeta-

tem ascendere. Quin *Ieremias* poema nostrum frequenter adhibuerit, vix cuiquam est dubium; sed etiam in vaticiniis *Isaiae* non desunt, quae ad illud respiciant, atque ineunte saec. 8. *Amos* nonnulla habet, in quibus ad illud alludere non immerito censetur.

Ezechielem, qui Ieremia paullo est recentior, si de Iobi iustitia loquitur (*Ezech.* 14,14. 20), iustum virum illum, qui a nostro auctore celebratur, prae oculis habuisse inter omnes paucissimis exceptis rationalistis constat; mirum igitur esset, si Ieremias, Ezechielis aequalis, librum nostrum non cognovisset. Ac profecto Ieremias, ubi diei nativitatis suae maledicit, ad Iobi prima verba respexisse est dicendus. Sunt quidem, qui auctorem nostrum verba illa ex Ieremiae vaticiniis desumsisse statuant; sed parum recte. Inter omnes enim V. T. scriptores non reperiri, qui Ieremia frequentius antiquiores libros adhibuerit, saepius iam monuimus; quare a priore fere Ieremiam esse Iobi imitatorem concludere nobis licet. At ipsi quoque textus, si inter se conferantur, satis clare docent, Iobi verba nervosiora et audaciora a Ieremia quodam modo esse emollita[6]. Item *Ierem.* 12,1 accurate fluit ad *Iob* 21,7 aut 12,6, *Ierem.* 17,1 ad *Iob* 19,24, *Ierem.* 31,29 ad *Iob* 21,19, *Ierem.* 49,19 ad *Iob* 41,1 etc.; Threni vero Ieremiae cum nostro libro ita consonant, ut eidem auctori utrumque opus deberi nonnulli (utique parum recte) sint opinati[7]. Alteruter igitur alterius opus cognovit et imitatus est; atqui summum illum poetam, qui sublimissimum totius Scripturae carmen composuit, Ieremiae prophetae vaticinia tam studiose imitatum esse quis crediderit?

Tam frequentia quidem non sunt operis nostri vestigia in vaticiniis Isaiae, quum non eadem ratione, qua Ieremias, antiquiores imitari soleat; at eum librum nostrum cognovisse veri simillimum est. Conferatur ex. gr. *Is.* 19,5 cum *Iob* 14,11, qui duo versus in altero sticho ad verbum consonant. Sed in poemate nostro praecedens v. 9. comparationem adhibitam quasi necessario provocavit atque sensus versus istius est omnino generalis; ab Isaia autem sententia generalis argumento particulari accommodatur ideoque voci יָם (*mare*) particularis significatio fluvii Nili attribuitur. Quare Isaiam potius a Iobo, quam Iobum ab Isaia imaginem mutuatum esse recte concludere nobis videmur. Simili modo in eodem vaticinio *Isaias* (19,13. 14) alteram universalem sententiam *Iobi* (12,24. 25) solis Aegyptiis accommodat. Conferantur quoque *Is.* 40,2 cum *Iob* 7,1, *Is.* 44,24. 25 cum *Iob* 9,8 et 12,17, *Is.* 59,4 cum *Iob* 15,35[8]. Ad *Amos* demum quod attinet, equidem omnino concedendum arbitror pastorem thecuensem nostri carminis memorem fuisse, ubi Dominum describit « facientem Arcturum et Orionem » (*Am.* 5,8 cfr *Iob* 9,9; 38,31 sq.); quae enim a poeta toti descriptioni aptissimo et arctissimo nexu sunt inserta, ea propheta velut ex abrupto affert. Item in divina potentia describenda (*Am.* 4,13) prophetam descriptionem poetae (*Iob* 9,5 sqq.) prae oculis habuisse et pro fine suo paucioribus verbis complexum esse, utrumque locum diligenter contemplanti dubium puto non esse.

Alia exempla afferre supersedemus; allatis enim probabile redditur,

poema nostrum ineunte saeculo 8. esse antiquius. At inde a Salomonis aetate usque ad antiquiores istos prophetas literae inter Hebraeos non videntur floruisse; neque id admodum mirum, siquidem scissio regni bellaque continua, quae eam secuta sunt, atque multo magis idololatria, quam Salomon ultimis suis annis introduxerat atque successores eius tollere aut noluerunt aut non potuerunt, sacrae poesi adversabantur. Quocirca *ad Salomonis aetatem* origo libri Iob recte referri videtur.

1. *S. Gregor. Naz.* orat. 19,5 (M. 35,1061); *S. Chrysost.* Synops. S. Script. (M. 56, 362) : « Dicunt Salomonem hunc quoque librum composuisse, nisi forte ipsius Moysis sit opus ». — *Harduin* Chronol. V. T. p. 533 (in eo utique errans, quod Iobum arbitratur Davidis tempore vixisse); *Calmet.* Comm. in Iob. Proleg. — Ex modernis interpretibus consentiunt *Welte* Das B. Iob p. XX; *Danko* Hist. V. T. p. 319 sqq.; *Kaulen* Einl. Ed. 3. p. 302 et Kirchenlex. Ed. 2. VI. 1889. p. 1490; *Vigouroux* Man. II. p. 230; *Zschokke* l. c. p. 226 et Das B. Iob. p. XIX., *Knabenbauer* Comment. in l. Iob p. 14 sq.; Lesètre Le livre de Iob. p. 10 sq.; *Schenz* Einl. p. 206 etc. — Eiusdem sententiae acatholicos patronos enumerant *Zöckler* Das B. Iob. p. 22 et *Keil* Einl. p. 387.

2. *Knabenbauer* l. c. p. 15.

3. Adde : הַמָּה (*innocentia Iob* 2,3. 9. et saepius; praeterea dumtaxat *Prov.* 11,3); יֹשֶׁר (= *id quod fieri vel dici debet*, dumtaxat in *Prov.* 11,24 etc. et *Iob* 6,25; 33,23); מַעֲנֶה (*Prov.* 15,23 etc. et *Iob* 32,3. 5); אֶכֶּה (*onus*) semel dumtaxat et quidem *Iob* 33,7 legitur, eius autem radix אָכַף (*onerare, urgere*) legitur in solis *Prov.* 16,26 etc.

4. *Calmet.* in l. Iob. Proleg. (Ed. Venet. 1754. III. p. 420).

5. A modernis « criticis » multis saltem prima Proverbiorum pars (*Prov.* 1-9) Salomoni abiudicatur et scriptori saec. 7. attribuitur, quia nimirum doctrina de sapientia divina magis sit exculta in Proverb. 1-9, quam in l. Iob; id autem falsum est. Pro fine enim suo auctor noster doctrinam istam fusius non explicat, at eadem in utroque libro de sapientia asseruntur. Ceterum Calmetus iam exempla sua praecipua non ex solis illis *Prov.* capitibus desumsit; in integris potius duobus operibus idem invenitur sermonis et idearum consensus, id quod exempla allata abunde demonstrant.

6. *Iob* 3,3 sqq.; *Ierem.* 20,14 sqq. — Rectissime *Lowth* (de sacra poesi. p. 152) : « Ieremiae increpatio plus habet querimoniae, quam indignationis; lenior est, remissior, flebilior, ad miserationem excitandam potissimum comparata, in quo affectu propheta ille plurimum pollet; quum Iobus non tam misericordiam moveat, quam incutiat terrorem ». — Confer ex. gr. quomodo nervosus Iobi versus (« Pereat dies, in qua natus sum, et nox, in qua dictum est : conceptus est homo ») lenior, quia fusior, reddatur a propheta : « Maledicta dies, in qua natus sum! Dies, in qua peperit me mater, *non sit benedicta!* Maledictus vir, qui annunciavit patri meo : natus est tibi puer masculus et quasi gaudio laetificavit eum ». Alterum stichum de nocte conceptionis prorsus omittit, et primum ita amplificat, ut eum simul leniat (non sit benedicta) et ut commemorato pristino patris gaudio terrorem auferat, commiserationem augeat.

7. Cfr *Thren.* 2,16 cum *Iob* 16,9. 10; *Thren.* 3,7 sq. cum *Iob* 19,7 sq.; *Thren.* 3,12 cum *Iob* 16,13; *Thren.* 3,15 cum *Iob* 19,18; *Thren.* 3. 46 cum *Iob* 16,9 etc. — *Ios. Bunsen* (Bibelwerk II. 2 p. 757 sqq.) Threnorum et Iobi consensum ita exaggerat, ut utrumque opus eidem auctori attribuat, quem prophetam Baruch fuisse temere plane asseruit.

8. *Is.* 40-66 revera prophetae Isaiae auctori deberi *infra* (256. 257) ostendemus. Vaticinii contra Aegyptum (*Is.* 19) quoque authentia a nonnullis in dubium est vocata, sed tam levibus argumentis, ut vel severissimi « critici » (*Knobel* Isaias p. 130 sqq.; *Reuss* Gesch. des A. T. p. 311 etc.) illud Isaiae abiudicare non audeant.

173. — Quid nostrae sententiae opponatur, restat ut videamus. Etenim antiquitus nonnulli et satis multi hodie poetam nostrum Salomone longe recentiorem esse volunt : alii tempore exsilii baylonici, immo post exsilium saec. 5. eum vixisse asserunt, alii Ieremiae, alii Isaiae eum faciunt aequalem, alii tempore inter Ieremiam et Isaiam intermedio eum floruisse censent[1]. Sententiarum igitur copia est magna, argumenta autem, quibus stabiliuntur, pauca sunt neque admodum videntur firma, immo eo infirmiora, quo recentiorem aetatem adstruere dicuntur. Ac profecto omni omnino probabilitate destituitur illorum opinio, qui librum exsilio aut tempori postexsilico attribuunt; quae enim pro argumentis afferunt, ea hoc nomine parum esse digna non immerito dixeris.

Primo loco provocant ad operis finem, quippe quod consolationi Iudaeorum in exsilio degentium sit destinatum; Iobum enim calamitatibus oppressum repraesentare populum a Chaldaeis in captivitatem abductum, in Iobi autem nova felicitate eidem proponi spem felicioris sortis mox adipiscendae. Quid de hoc argumento sentiendum sit, *supra* (170. p. 44) innuimus; neque enim quisquam opinor intelliget, quo cum iure Iob innocens et iustissimus typum gerere dicatur populi ob gravissima delicta a Deo reiecti et puniti. Ad resipiscentiam et agendam poenitentiam exhortandi erant Iudaei exsules longe plerique; ex nostro autem libro, licet *piis* revera fuerit consolationi, fructum illum, quo indiguerunt, carpere non potuerunt.

Neque maioris momenti est alterum argumentum ex chaldaismorum frequentia desumtum, de quo etiam supra (168. p. 34 sq.) iam diximus. Quod dictionum illarum, quibus chaldaismi nomen parum recte imponitur, frequentia non parum exaggeretur, nolumus urgere; id unum repetimus, poetas omnium nationum rariora verba, significationes vocum minus usitatas, vocabula ab una alterave tantum populi parte adhibita praediligere. Idem in poematis hebraicis obtinere certum est; in solo cantico Debborae, quod ex antiquissimis hebraicae linguae monumentis esse ad unum omnes interpretes concedunt, saltem septem dictiones leguntur, quae chaldaico loquendi modo sunt viciniores; quid igitur valet argumentum ex chaldaismis deductum contra nostri libri antiquitatem, quippe qui cum cantico isto comparatus multo pauciores habeat[2] ?

Refutatione vix indiget tertium argumentum, quod nonnullis rationalistis praeplacet. Satanas, inquiunt, in exordio libri commemoratur atque angeli pro hominibus intercedere dicuntur; atqui satanae ideam et angelorum intercessionem didicerunt Iudaei exsules a Persis. Utinam satanas ne primis nostris parentibus iam innotuisset! Revera eum in primis Geneseos capitibus cognitum supponi, evidens est[3]. Angelorum autem, qui

Deum inter et homines velut internuntiorum munere funguntur, tantum non in omnibus V. T. libris frequens invenitur mentio.

Prima igitur sententia, quae auctorem nostrum Ieremia dicit esse recentiorem, sustineri nullo pacto potest; omni enim fundamento destituta est atque difficultate illa gravissima premitur, quod affinitatem satis magnam, quae inter Ieremiae vaticinia nonnulla et inter librum nostrum intercedit, non explicet. Ieremiam enim, uti ex aliis antiquioribus libris, ita etiam ex nostro aliqua hausisse vel potius esse imitatum, satis est certum. Eadem autem difficultate laborat altera sententia, quae Ieremiae aequalem fuisse nostrum auctorem putat. Tertiam vero, quae Isaiae aetati poema nostrum attribuit, eatenus fatemur non omni probabilitate carere, quatenus pauciores illae similitudines, quae inter Isaiam vel Amos et inter nostrum librum inveniuntur, prophetas illos a poeta dependere non eadem cum certitudine demonstrant. Nostro quidem iudicio nonnulla ex nostro libro hauserunt; at argumenta certa, quibus eos, qui poetam potius a duobus istis prophetis dependere censent, efficaciter refutemus, praesto nobis non sunt. Altera autem ex parte sententiae istius patroni nobis concedant oportet, se non satis magnam illam explicare affinitatem, quae librum nostrum cum *integro* Proverbiorum libro coniungit; licet enim Ezechiae et Isaiae tempore aliqua Proverbiorum pars sit *collecta* (*Prov.* 25,1), *omnia* tamen Proverbia eo tempore esse *composita* nemo hucusque demonstrare conatus est, atque etiam « critici » nobiscum maiorem eorum partem ipsi Salomoni aut saltem salomonicae aetati attribuunt. Porro id quoque concedere coguntur adversarii, se praeter paucas illas similitudines inter duorum prophetarum et poetae nostri opera nihil habere, quo recentiorem poematis originem demonstrent. Quod si enim verba illa urgent, in quibus integrorum populorum magnae calamitates supponantur atque de populo cum principibus et sacerdotibus transportato sit sermo (*Iob* 12,14-25; 21,16-20; 24,1 sqq.), profecto erronee concludunt illa esse conscripta, postquam Assyrii Asiam citeriorem invadere et populos transportare coeperant. Omnium enim antiquiorum ducum et regum in Oriente fuit mos et consuetudo, ut populos devictos secum abducerent; iam Abrahami tempore Chodorlahomor cum sociis suis abduxit Sodomitas et Gomorrhaeos (*Gen.* 14), tempore Roboami Sesac rex Aegypti diripuit terram Iuda (3 *Reg.* 14,25 sqq.), atque ex monumentis aegyptiacis et assyriacis satis constat, antiquissimos iam reges eadem ratione, qua eorum successores, populos devictos tractasse. Quae quum ita sint, tota controversia ad illam quaestionem reducitur, quomodo explicanda sit affinitas, de qua diximus.

Fateamur ergo oportet, plena cum certitudine nec aetatem nec au-

ctorem libri definiri; quapropter concludamus cum *S. Gregorio M.*: « Quis haec scripserit, valde supervacue quaeritur, quum tamen libri auctor Spiritus S. fideliter credatur. Ipse igitur haec scripsit, qui scribenda dictavit; ipse scripsit, qui et in illius opere inspirator exstitit et per scribentis vocem imitanda ad nos eius facta transmisit. Si magni cuiusdam viri susceptis epistolis legeremus verba, sed quo calamo fuissent scripta quaereremus, ridiculum profecto esset epistolarum auctorem scire sensumque cognoscere, sed quali calamo earum verba impressa fuerint indagare. Quum ergo rem cognoscimus eiusque rei Spiritum S. auctorem tenemus, quia scriptorem quaerimus, quid aliud agimus, nisi legentes literas de calamo percontamur? »[4].

1. Exsilio iuniorem esse librum iam tradiderant *Theodor. Mopsuest.* (M. 66,697) et aliqui rabbini in *Baba bathra* f. 15 (*Marx* Traditio rabbinorum veterrima p. 25 sq.). quos una cum « criticis » *Gesenius*, *Vatke*, *Koester*, *Br. Bauer*, *E. Meyer* etc. etiam recentissimus sequitur « criticus » *Cornill* (Einl. Ed. 3. 1896. p. 241). Tempori exsilii librum cum *Garnett*, *Bernstein*, *Umbreit* etc. attribuit *Driver Rothstein* (Einl. 1896. p. 464 sq.); brevi ante exsilium illum scriptum esse cum *Grotio* tenet *Koenig* (Einl. 1893. p. 417); Isaiae autem aetate *Noeldeke*, *Hitzig*, *Reuss* (Das A. Test. übersetzt etc. 1894. VI. p. 16); Isaiam ipsum libri auctorem esse coniecit *Codurcus* (Annot. in Iob. 1651); cfr *Zoeckler* l. c. p. 20; *Keil* l. c. p. 387.

2. Cfr *Knabenbauer* l. c. p. 15 « Linguae hebraicae historiam variamque aetatem minime ita perspectam habemus, ut verba verborumque formas secundum temporis rationem metiri et diiudicare possimus; insuper multa, quae in cognatis dialectis servantur, antiquioris linguae propria esse hodie facile concedunt omnes; unde fit, ut formae aramaizantes nullo modo aetatem posteriorem per se prodant ». Simili modo *Zoeckler* l. c. p. 18 : « Eine Entwicklungsgeschichte der hebr. Sprache von solcher chronologischer Genauigkeit, dass jedes ihrer Stadien scharf fixirt und als Zeitbestimmungsmittel für einzelne Bücher u. Abschnitte von Büchern benützt werden könnte, existirt nicht und dürfte wohl für immer unmöglich sein » etc. Iam ineunte hoc saeculo monuerat sapientissime *Kosegarten* (Comm. exeg. crit. in Iob 19,25-27. Gryphiae 1815. p. 15) : « Nobis solo sono quodam linguae et dictionis peculiari inductis, antequam historia linguae hebraicae variarumque eius dialectorum accuratissime excussa et dilucidata sit, de antiquitate et origine librorum non nimis emere diiudicandum esse censemus. Nam quamdiu linguae nondum mortuae in oret hominum versantur, leves et imperceptibiles fere variationes in iis exstant, quae post saecula oblivione obruuntur, vel minus recte inter se permutantur; inde multae argumentationes falsae ex linguarum peculiaritate petitae originem trahunt » etc.

3. Cfr *Knabenbauer* l. c. p. 42. nota. Idem monet *Zoeckler* l. c. p. 21 : « Die Zurückführung der satanologischen und angelologischen Vorstellungen des Buches auf chaldäische oder persische Einflüsse ermangelt jeden geschichtlichen Grundes ».

4. *S. Gregor. M.* Moral. Praef 2. (M. 75,517).

174. — A modernis interpretibus protestanticis unitas et integritas libri in dubium vocatur atque multae pericopae velut spuriae reiiciuntur. De eius vero unitate disserere opus non est, siquidem ex analysi supra proposita, licet non omnino sit completa, satis superque apparet,

quam arcto nexu omnia cohaereant. Ad integritatem quod attinet, alii prologum et epilogum, alii Iobi verba 27,11-28,28, alii maiorem partem ultimae orationis Dei (40,10-41,45), multi demum quatuor Eliu sermones (32,1-37,24) ad genuinum librum pertinere negant. De quibus singulis pauca addemus.

1. Qui integrum librum vel semel legerit, non potest non mirari, quod eo usque aliqui sint progressi, ut prologum et epilogum a reliquo libro separarent[1]. Iis enim sublatis, quis librum intelligere possit, equidem non video: habes sermones, quorum causam, rationem, finem prorsus ignoras; nisi ex prologo didiceris, quae vera sit calamitatum Iobi causa, de litigantium argumentis iudicium ferre non poteris; nisi ex epilogo tibi innotuerit Dei ipsius sententia et ulterior Iobi sors, anxius haeres. Haec tam clara et aperta sunt, ut hodie vix quisquam dubitationes istas repetat; quoniam tamen nondum plane obsoleta sit obiectio, argumenta, quibus « critici » hanc libri detruncationem cohonestare conati sunt, examini subiiciamus.

Quid quod ipsa prosa oratio, qua conscripti sunt prologus et epilogus, nonnullos offenderit quasi poetis non liceret carminibus suis historicam introductionem praemittere, nec historicis carmina quaedam suis operibus inserere? Quid quod etiam nomina divina, quibus usus est auctor, nonnullis dubitationem iniecerint, quum artem non animadverterent, qua illa adhibuit? Scilicet in prologo et epilogo atque iis in libri partibus, in quibus auctor ipse loquitur, adhibetur nomen יְהוָֹה, at in Iobi amicorumque, qui non erant ex israelitica gente ideoque nomen istud sacrum ignorarunt, sermonibus adhibentur nomina אֱלוֹהַ, אֵל, שַׁדַּי[2].

Quibus non multo graviora sunt reliqua argumenta. In multis enim historicam partem cum poetica pugnare contendunt. Nam Iobi filii, inquiunt, quos prologus mortuos esse refert (1,19), in poemate supponuntur inter vivos versari (8,4; 19,17). At prior textus immerito affertur, siquidem Baldad peccata filiorum velut causam indicat mortis eorum, eos igitur vivere non supponit; in altero autem « filii uteri mei » sunt Iobi fratres ex eodem utero nati[3], nisi mavis admittere Iobum ibi loqui hypothetice, id quod aliis praeplacet[4]. — Porro in prologo, inquiunt, Iob omnes calamitates patientissimus accipit (1,21; 2,10 sqq.), in carmine autem acerbissime conqueritur, immo Deum ipsum velut calamitatum auctorem videtur incusare. In carmine quoque ob peccata sua vituperatur, in epilogo autem a Deo laudatur. Attamen quid mirum est in eo, quod vir, qui primis hostis insultibus fortissimus restitit, perdurantibus et crescentibus calamitatibus infirmae naturae aliquantulum indulserit? Rectissime iam monuit Chrysostomus Iobum, « si conquestus non esset, potuisse videri naturae communis expertem »; querelae igitur viri, qui multa tacitus pertulerat, novarum calamitatum magnitudinem demonstrant. Neque illud est omittendum, Iobum tamquam patientiae quidem exemplar proponi, in Vetere autem Foedere non

illam esse exspectandam patientiae perfectionem, quae propria est indoli Novi Testamenti, in quo *gaudebant* Apostoli de contumeliis pro nomine Iesu acceptis et Paulus *gloriabatur* de infirmitatibus suis. A non paucis quoque querelae Iobi severius diiudicantur et acerbius carpuntur. Procul dubio nonnulla in eius sermonibus leguntur, quae vituperio quodam sunt digna, quare etiam ab Eliu corrigitur et a Deo vituperatur et ipse se insipienter locutum esse confitetur. Sed summa querelarum eius haec est, quod melius sit homini non esse natum, quam a Deo esse repudiatum; quae verissima sunt (*Matth.* 26,24)[5]. Accusationes demum amicorum iniustissimae ad augendam tentationem et acuendos dolores eius non parum conferunt; quomodo autem ex iis demonstretur, epilogum cum carmine ipso pugnare, non videmus. Nonne amici a Deo increpantur, quod « non recte » sint locuti, atque sacrificiis culpam suam expiare iubentur? — At haec sacrificia novae obiectionis praebent argumentum; in prologo enim et in epilogo de sacrificiorum virtute expiatoria non semel esse sermonem (1,5; 42,8), sed in poemate eam nusquam commemorari monent adversarii. Id quidem verum est et seriam constitueret difficultatem, si auctor in poemate docere voluisset, qua ratione peccata sint expianda; at tota quaestio ab amicis agitata in eo versatur, utrum peccata Iobi sint calamitatum causa annon; minime vero inquirunt, quomodo peccata illa supposita possint auferri; neque enim de expiatoria sacrificiorum virtute dubitabant.

1. Primus, ut videtur, *Xav. Matthaeius* (Giobbe giurisconsulto. Siena 1780) prologum et epilogum reiecit; quem secuti sunt *Hasse* (Magazin f. bibl. u. orient. Literatur I. p. 162), *Stuhlmann* (Hiob. 1804), *Bernstein* (Keil u. Tzschirner's Analecten. I. 3. p. 122 sqq.), *Knobel* (Studien u. Kritiken 1842. p. 485) etc., ac recentissime *König* (Einleitung. 1894. p. 415).

2. Ab *auctore libri ipso* adhibetur *Iahve* etiam 38,1; 39,31. 33; 40,1. — In Iobi sermonibus bis legitur *Iahve* 12,9 et 28,28; at utroque in loco lectio non est certa, quum satis multi codices habeant 12,9 אלוה cfr *Rossi* Variae lect. IV. p. 110, et 28,28 lectio אדני est communior. *Eichhorn* Einl. V. p. 190 recte iam monuit: « Dieser Wechsel (der Gottesnamen) gehört sichtbar zu den Schönheiten der Dichtung und beweist die Aufmerksamkeit des Verfassers auf das Schickliche ».

3. Fuse hanc obiectionem urget *Knobel* Stud. u. Krit. 1842 p. 485 sqq. Ad explicanda autem vocabula בְּנֵי־בִטְנִי sufficit conferre 3,10, ubi בִּטְנִי est « uterus, qui me portavit ».

4. Cfr de hac quaestione *Knabenbauer* l. c. p. 241 sq.

5. Egregie de modo, quo explicandae sunt Iobi querelae, agit *Knabenbauer* l. c. p. 68-71 et in Innsbr. Theol. Zeitschr. 1886. X. p. 418 sqq.

2. *Verba, quae leguntur* 27,11-28,28, non ipsi Iobo, sed alteri interlocutori, probabiliter Sophari, qui in tertia disputatione sileat, attribuenda aut omnino e libro eiicienda esse censuerunt aliqui interpretes[6], qui poetae ideis nexuique, quum ea non intelligerent, suas ideas nexumque a se excogitatum substituere voluerunt. At illa aptissime Iobo attribui ex analysi tradita satis elucet; quare quum aliud argumentum,

quo pericopen impugnent, praeter nexus defectum non habeant, totam hanc quaestionem interpretibus relinquimus[7].

3. Neque in authentia *secundae orationis Dei* (40,40-41,25) vindicanda immorabimur, siquidem leves videntur esse obiectiones et refutatione vix dignae[8]. Quid enim dicemus, si quis graviter monet poetam, qui paucis tantum lineis reliquas animalium imagines adumbravit potius quam delineavit (38,30-39,30); non potuisse duo monstra tam diligenter et accurate describere? Profecto non immerito protestanticus quidam interpres monuit, criticis istis genuinam pulchri ideam defuisse, quum diligentem descriptionem non esse poeticam declararent. Nexum non adesse arbitrantur adversarii illi inter orationis exordium (40,7-14) et monstrorum descriptionem (40,15 sqq.). At nexus ille, opinor, non admodum est obscurus; humanam enim infirmitatem, quam exordium asserit (40,9), et divinam potentiam illustrat pulcherrima illa monstrorum descriptio. In prima oratione, inquiunt, Deus iam suam potentiam demonstraverat, in hac autem suam iustitiam demonstrare voluit, cui demonstrationi monstra illa non inserviunt. Fateor divinam iustitiam ista descriptione non demonstrari, nego autem Deum illam demonstrare voluisse. Ille enim est divinarum orationum finis, ut ostendatur non licere homini infirmo et ignaro contendere cum Deo sapientissimo et potentissimo. Si Deus iustitiam suam defendere voluisset, nonne homini ius secum contendendi attribuisset[9]?

4. Maiore cum sagacitate et a multo pluribus interpretibus, quam reliquae pericopae, impugnantur *Eliu sermones* (32,1-37,24). Eorum linguam chaldaismis esse refertam, eorum stylum aliquid languidi habere, tumidi, inflati, eorum argumentum aut repetitionem esse eorum, quae a tribus amicis iam sint dicta, aut praeoccupationem eorum, quae Deus sit dicturus; praeterea nec in prologo nec in epilogo ullam inveniri mentionem Eliu nec quemquam eius sermonibus respondere; immo post ultima Iobi verba (29,1-30,40) immediate exspectari Dei interventum, inopportunis autem Eliu sermonibus hanc exspectationem frustrari; uno verbo superfluos eos esse nec tali libro dignos[10]. Quae omnia immerito obiici non difficile est demonstratu.

Atque praeprimis adversarii non satis animadverterunt, quanta cum arte poeta linguam et stylum variaverit pro interlocutorum indole; unusquisque enim ex iis suos proprios habet dicendi modos, quare Eliu, quum ex tribu Buz, quae aramaica fuit (*Gen.* 22,21), oriundus esse dicatur, etiam lingua aramaizante aptissime utitur. Quoniam vero est iuvenis, tumidum quoddam et inflatum dicendi genus ei attribuitur. At animadvertas velim, praesertim longam illam excusationem, qua sermones exorditur (32,6-33,7), aliquid languidi habere atque impediti; iuvenem igitur poeta tibi ob oculos ponit, qui prima vice coram

senioribus publice loquens non statim apta verba invenit, quibus audaciam suam excuset; quamprimum autem timiditatem illam vicit, fluit oratio nec quidquam amplius invenies languidi aut impediti, licet tumidior maneat sermo. In dicendi igitur modo nihil est, quod alium auctorem prodat; quomodo vero senescentis poetae vestigia in istis sermonibus aliqui invenerint, difficile est dictu[11].

Porro argumentum nequaquam esse repetitionem eorum, quae ab amicis dicta sunt, supra iam ostendimus (169. 170 p. 41. 44 sq.); amicorum potius errorem, qui in calamitatibus nihil vident nisi vindicativas Dei poenas, corrigit Eliu virtute earum medicinali demonstrata. Quapropter Eliu sermonibus abscissis tota poematis oeconomia destruitur, nec apta quaestionis propositae solutio traditur. Quod enim ad calamitatum causam explicandam afferunt amici, id Iob pernegat et reiicit, nec tamen ipse aliam causam indicare conatur; neque ullam quoque indicat Deus in suis sermonibus, qui cuncti divinam quidem potentiam sapientiamque celebrant et humanam infirmitatem manifestant, sed quaestionem de calamitatum Iobi causa non attingunt; nisi igitur Eliu haberemus sermones, in errorem inducti credere cogeremur, omnes calamitates aut esse secundum amicorum doctrinam poenas vindicativas aut secundum prologi doctrinam probationem quandam et manifestationem pietatis hominum. Porro Deus in sermonibus suis Iobum et amicos vituperat, qua in re autem a veritate aberraverint, iterum non docet; undenam igitur Iobi et amicorum sermones diiudicabimus, si Eliu verba e libro eiecerimus, in quibus potissimum declaratur, quid in prioribus verbis sit reprehendendum. Itaque tantum abest, ut Eliu amicorum verba repetat aut divinas orationes praeoccupet, ut priora corrigat, alteras praeparet. Atque ipsam quoque Dei apparitionem quodam modo praeparat, in fine quarti sermonis (37,2. 21 sqq.) indicato turbine *illo* (הַסְּעָרָה 38,1), in quo Deus sese manifestat.

Demum quod iuveni nemo respondeat nec eius ulla fiat mentio in prologo et epilogo, id optime se habet. Quae enim protulit, ea veritati erant consona; quare nec Iobus aut amici invenerunt, quid responderent, nec Deus quid vituperaret. Tam parcus autem et sobrius erat poeta in personis nominandis, ut in prologo aut epilogo eorum tantum mentionem faceret, quas silentio praetermittere non potuit, si carmen suum intelligi voluit; nulla igitur fuit ratio, cur illius mentionem in prologo aut epilogo faceret; quae scitu erant necessaria, attulit eo in loco, in quo eum publice prodisse refert (32, 1 sqq.)[12].

6. *Bernstein* (l. c.), *Studer* (Jahrb. f. prot. Theol. 1875. p. 688 sqq.), *Bleek Wellhausen* (Einl. Ed. 4 p. 540 sq.), *König* (Einl. p. 415 etc.).

7. Cfr *Knabenbauer* l. c. p. 322 sq. Quam maxime adversariis displicent verba Iobi

27,13-23, quia illis Iob amicorum thesin de peccatis velut unica calamitatum causa approbare et suam facere videtur. Recte autem monet *Knabenbauer*, Iobum eo in loco *referre* amicorum sententiam eamque *vanam* dicere (27,12).

8. *Bernstein* l. c. etc.; *Ewald* in Zeller Theol. Iahrb. 1843. p. 740 sqq.; *Dillmann* Das B. Hiob 1869. p. 354 sqq. etc.

9. Cfr *Zoeckler* l. c. p. 29 sq.

10. *Eichhorn* Einl. V. p. 202 sqq.; *Bernstein* l. c.; *Ewald* Hiob Ed. 2. p. 319 sqq.; *Dillmann* l. c. p. 287; *Davidson* Introduction II. p. 204 sqq.; *Delitzsch* Das B. Iob. Ed. 2. p. 490 sqq. etc. etc. — Mirum est, quod etiam *Le Hir* Le livre de Job. p. 366 sermones Eliu superfluos esse putaverit.

11. Ita *Renan*, *Kamphausen*, *Delitzsch* etc. — In linguam dictionemque sermonum Eliu accuratius inquisivit *C. Budde* (Beiträge zur Kritik des Buches Hiob. Cfr Studien u. Kritiken 1878. p. 167 sq.) atque nihil reperiri ostendit, quod eorum authentiae repugnet; *Cornill* (Einl. Ed. 3. 1896. p. 235 sqq.) eos genuinos esse acriter tenet.

12. Cfr *Knabenbauer* l. c. p. 421 sqq. et in Innsbr. Theol. Zeitschrift 1886. X. p. 432 sqq., qui etiam antiquorum interpretum haud raro iniusta iudicia de Eliu sermonibus diligenter explicat et diiudicat.

175. — In versione alexandrina legitur additamentum, in quo eius genealogia recensita Iobum Idumaeorum regem Iobab (*Gen.* 36,33) fuisse ostenditur. Parum a canonica dignitate abesse additamentum istud, antiquiores quidam interpretes his argumentis demonstrare sunt conati : a.) exhibetur in graeca V. T. editione, quae Sixti V. auctoritate est approbata; b.) Patres illud in suis exemplaribus legerunt et velut textum sacrum receperunt; c.) Concilia Laodic. et Carthag. decretis suis eos libros, qui tunc temporis erant, in canonem receperunt; sed tunc temporis in libro Iob adfuit additamentum[1]. Quibus argumentis rem non evinci patet. Neque enim Sixtus nec Concilia quidquam de additamentis versionis alexandrinae statuerunt, atque profecto Sixtus, si eis canonicam auctoritatem attribuisset, ea in Vulgatae editionem suam recepisset. Antiqui quoque Patres additamenta illa non in omnibus exemplaribus legi non ignorarunt; revera non tantum in textu hebraico et in Vulgata, sed in reliquis quoque editionibus, quae ab Alexandrina non dependent, desideratur nostrum additamentum; scriptum autem est a Christiano atque velut glossa textui sacro adiecta; quare non maior eius est auctoritas, quam verborum, quae 2,9 uxori Iobi ab alexandrina versione tribuuntur. Liber enim noster ex illis est, qui aut minus diligenter et accurate ab Alexandrinis sunt translati aut minore cum sollicitudine conservati. Qua de re iam conqueritur *Origenes* : « Sic et in Iob, inquiens, ab his verbis *scriptum est autem ipsum resurrecturum* quae sequuntur usque ad finem apud Hebraeos non exstant, quare nec apud Aquilam habentur, sed apud LXX et apud Theodotionem quoad sensum eadem sunt. Innumera quoque alia invenimus in Iob, quae in nostris exemplaribus ultra hebraicum textum redundant, modo parum, modo multum... Rursus plurima in medio toto libro Iob apud Hebraeos reperiuntur, quae in exemplaribus nostris desiderantur : saepius quidem stichi quatuor vel tres, interdum vero quatuordecim, undeviginti, vel sedecim ». Atque *S. Hieronymus* quoque monet « apud Latinos (antequam suam translationem sub asteriscis et obelis edidisset) septingentos ferme aut octingentos versus (stichos) defuisse, ut decurtatus

et laceratus corrosusque liber foeditatem sui publice legentibus praeberet » et « beatum Iob apud Latinos iacuisse in stercore et vermibus scatuisse errorum »[2]. Hinc satis apparet, laciniis istis alexandrino libro librariorum inscitia assutis auctoritatem non esse attribuendam; longe praeferendam autem esse S. Hieronymi versionem, quae omnibus fatentibus optima est inter cunctas, quae publico ecclesiarum usui inservierunt. Eam tamen ab omnibus naevis immunem non esse, ipse fatetur S. Doctor, ubi de difficultate loquitur, quam in illa adornanda invenerit : « obliquus enim, inquit, etiam apud Hebraeos totus liber fertur et lubricus et quod graeci rhetores vocant ἐσχηματισμένος, dumque aliud loquitur, aliud agit : ut si velis anguillam vel murenulam strictis tenere manibus, quanto fortius presseris, tanto citius elabitur ».

1. *Bonfrerii* Praeloquia V. 5 etc.
2. *Orig.* ad Afric. 3. (M. 11,53); *S. Hieron.* in l. Iob. Praef. 1. et 2.

## § 5. — *De libri Iob auctoritate.*

**176.** — « Fuerunt aliqui, inquit *S. Thomas*, quibus visum est, quod iste Iob non fuerit aliquid in rerum natura, sed quod fuerit quaedam parabola conficta, ut esset quoddam thema ad providentiae disputationem, sicut frequenter homines confingunt aliqua facta ad disputandum de eis : et quamvis ad intentionem libri non multum refert, utrum sic an aliter fuerit, refert tamen quantum ad ipsam veritatem »[1]. Cum *S. Augustino* antiquitus plerique librum Iob historicis operibus adnumerarunt[2]; rursum Iudaei nonnulli integrum libri argumentum arbitrario confictum esse censuerunt[3]. Inter quas sententias oppositas media via incedentes longe plerique interpretes historiam Iobi, quae in libro refertur, veram quidem esse dicunt, ab auctore autem poetice amplificatam et exornatam. Optime *Huetius :* « Iobum revera exstitisse reor, in acerbissimas calamitates incidisse et certo Dei consilio bonis et filiis opera daemonis fuisse orbatum, diro etiam atque tetro ulcere erosum; adisse ad ipsum uxorem et amicos consolandi causa verbaque cum eo conseruisse in eam sententiam, quam retulit auctor; controversiam Deum diremisse oraculo suo ac querimonias composuisse; Iobum ipsum denique ingens pietatis ac patientiae praemium, restitutam sanitatem, auctas opes, numerosa prole fundatam domum a Deo esse consecutum : verba vero verborumque collationem, dialogi compositionem, interlocutionum dispositionem et distinctionem, figuras et reliquum sermonis ornatum esse auctoris »[4]. Aptissimum igitur in canone nostro locum occupat, quatenus immediate post historicos inter poeticos libros primus est, ut ad utramque librorum classem aliquatenus pertineat.

Namque 1. Iobum revera esse personam historicam de fide est tenen-

dum atque integrum argumentum eo sensu, quo diximus, esse veram historiam certis argumentis facile demonstratur.

a.) *S. Thomas* priorem asserti partem hac ratione demonstravit: « Videtur opinio negans auctoritati S. Scripturae obviare. Dicitur enim ab Ezechiele (14,20) ex persona Domini: *Si fuerint tres viri in medio eius, Noe, Daniel et Iob, ipsi iustitia sua liberabunt animas suas.* Manifestum est autem Noe et Daniel homines in rerum natura fuisse: unde nec de tertio eis connumerato, scilicet de Iob, in dubium debet venire »[5]. *S. Iacobus* quoque patientiam Iobi felicemque calamitatum exitum commendat (*Iac.* 5,11), ut hoc exemplo fideles ad patientiam exhortetur; ficto autem exemplo uti nec decuit Apostolum nec fictione quidquam potuit efficere. — Confirmationis gratia etiam vulgatam libri Tobiae editionem merito afferimus, in qua Iobi patientia eiusque cum amicis disceptationes velut facta historica proponuntur. Nam Tobiae tentatio dicitur esse a Domino permissa, « ut posteris daretur exemplum patientiae eius, *sicut et sancti Iob* », parentes vero et cognati eius dicuntur irrisisse vitam eius, « *sicut beato Iob insultabant reges* » (*Tob.* 2,12. 15. Vulg.).

b.) Alterius assertionis argumentum certissimum nobis praebet integrae Ecclesiae consensus. Neque enim in Martyrologio Rom. tantum Iob velut « vir admirabilis patientiae », aut in Menologiis Graec. velut « multorum certaminum victor » inter viros sanctos, qui colendi sunt, adnumeratur, sed inde a *S. Clementis Rom.* tempore[6] Patres et interpretes catholici omnes de Iobo velut de persona historica agunt, eius iustitiam, patientiam, fortitudinem celebrant, in eius patriam, genus, aetatem inquirunt; quae omnia non fecissent, nisi iis persuasum fuisset, Iobi fata in libro nostro secundum historiae veritatem esse relata. Neque id quisquam mirabitur, qui consideraverit ea ratione referri totam narrationem, qua referri debuit, si auctor eam consonare veritati docere voluit; quare in errorem ineluctabilem nos induxisset, si omnia quae narrat mera essent figmenta poetica. Iobi amicorumque nomina propria recitantur, patria et genus indicantur, liberorum Iobi numerus, domus, habitationes, mortis genus describuntur. Atqui hac ratione hebraei scriptores fictas historias referre non sunt soliti; ex eo, quod pauper, qui ad divitis ianuam iacebat, Lazarus vocatur, deducunt iam Patres illum revera exstitisse: « Quid illic Lazari nomen, inquit *Tertullianus*, si non in veritate res est »[7]? A fortiori igitur concludamus oportet, personas, quarum non nuda nomina in nostro libro ponuntur, sed res omnes satis accurate describuntur, in rerum veritate exstitisse atque saltem summam eorum, quae narrantur, esse secundum historiae veritatem relatam.

c.) Cui sententiae immerito Fl. Iosephi de Iobo silentium obiicitur. Quoniam enim in suis Antiquitatibus historiam dumtaxat Israelitarum narrare voluit, Iob autem ex gente israelitica non erat oriundus, nomi-

nare eum non potuit. Ceterum ex canonis divisione, quam proponit, satis elucere puto, eum librum nostrum inter historicos recensuisse. Quin enim illum pro canonico habuerit, nemo dubitaverit; praeter quinque mosaicos autem libros et tredecim historicos non cognovit nisi quatuor, « qui hymnos in Dei laudem et praecepta vitae utilissima exhibeant », i. e. Psalmos et tres libros salomonicos[8]. — Multo minore cum iure sententiae propositae obiicitur, nomina Iobi amicorumque eius, quum personarum indoli, characteri, fatis correspondeant, prodere fictionem. Nam plerorumque nominum genuina significatio nos latet; atque ipsius nominis Iob explicationes tam variae sunt et incertae, ut quomodo una ex illis pro argumento nobis obtrudi queat, plane non intelligamus. Ceterum demus in Iobi nomine, quod ab antiquioribus interpretibus plerisque explicatur *dolens* ( = יוֹבָב?), a modernis autem vel *hostiliter tractatus* vel *resipiscens*[9], fata eius aliquo modo esse praefigurata, num ideo iam narrationem integram declarabimus confictam? Id quidem minime, nisi etiam Noe, Abraham, Saulem, Davidem, Salomonem et sexcentos alios, quorum nomina sunt significantia et historiam vitae eorum aliquo modo indicant, pro personis fictis habere velimus.

1. *S. Thom. Aq.* Expos. Iobi. Prol.

2. *S. August.* Doctr. christ. II. 8 (M. 34,41) enumeratis Pentateucho, Iosue, Iudic., Ruth, quatuor Regum et duobus Paralipomenon libris ita pergit : « Haec est historia, quae sibi annexa tempora continet atque ordinem rerum; sunt aliae tamquam ex diverso ordine, quae neque huic ordini neque inter se connectuntur, sicut est Iob et Tobias et Esther et Iudith et Machabaeorum libri duo et Esdrae duo, qui magis subsequi videntur ordinatam illam historiam usque ad Regnorum vel Paralipomenon terminatam. Deinde prophetae, in quibus David unus liber Psalmorum et Salomonis tres » etc. Etiam *S. Innocentius I.* (ad Exsup. Tolos. Mansi Coll. Concil. III. 1040) in canone recenset « *historiarum* Iob unum », *Iunilius Afric.* (De part. div. leg. I. 3. M. 68,16) inter historicos affert l. Iob, cui locum attribuit medium inter Paralipomena et Tobiam, *Petrus de Riga* (Aurora fragm. 5. M. 212,23) eum ponit inter Paralipomena et Reges etc.

3. *Baba bathra f.* 15 « Iob nunquam exstitit, non erat homo creatus, sed parabola »; ceterum longe plerorumque antiquorum rabbinorum sententia fuit, Iobum esse personam historicam eiusque veram historiam in libro nostro referri. Cfr totum locum ex *Baba bathra* desumtum in *Marx* Traditio rabbinorum veterrima p. 25 sq. — Eandem rabbinorum paucorum sententiam propugnaverunt nonnulli protestantici interpretes, inter quos *I. Clericus* (cfr eius Libr. hagiogr. Amstelodami 1731. Praef. et in Comm. passim), *I. D. Michaelis* (in Lowth de sacra poesi p. 643 sqq.), *Bernstein* l. c. etc. Inter recentissimos « criticos » *Reuss* Gesch. des A. T. p. 281, *L. Seinecke* (cfr Bleek Wellhausen Einl. p. 533), *Merx* in Schenkel Bibellexicon III. p. 100 et in suo Das Gedicht von Hiob (Iena 1871.) etc.

4. *Huet.* Demonstr. evangel. Prop. IV. (Ed. Venet. 1765. p. 241).

5. *S. Thom. Aq.* l. c.

6. *Martyrol.* Rom. 10. Mai.; *Menolog.* 6. Mai.; cfr Act. Sanct. Mai. II. p. 492. —

*S. Clem. Rom.* 1 Cor. 17. Inter eos, quos imitari debeamus, recenset Eliam, Elisaeum, Ezechielem, Abrahamum, *Iobum*, Moysen. Multorum Patrum testimonia affert *Knabenbauer* l. c. p. 12 sq.

7. *Tertull.* De anima 7 (M. 2,657); cfr *S. Ambros.* in Luc. 16,19 (M. 15, 1768.) : « Narratio magis quam parabola videtur, *quando etiam nomen exprimitur* » etc. Omnes fere Patres inter narrationem hanc et inter reliquas parabolas distinguunt; licet etiam frequenter eam parabolam nominant, tamen fundamentum historicum ei subesse supponunt.

8. *Fl. Ioseph.* c. App. I. 8; cfr *Introd. gener.* Ed. 2. p. 50. Contra sententiam nostram ibi propositam *Bickell* (Zeitschr. f. kath. Theol. 1886. p. 345) obiecit, Iosephum *quatuor* ll. Regum numerare debuisse, sicut numeravit quinque libros Moysis, nec potuisse Iobum historicis libris accensere. Quatuor igitur eius libros poeticos esse Iobum, Psalmos, Proverbia, Ecclesiasticum; tredecim vero historicopropheticos 1. Iosue, 2. Iudices et Ruth, 3.-6. quatuor Regum, 7. Esther, 8.-12. quatuor maiores et duodecim minores prophetas, 13. Esdram graecum. At liceat monere, Iosephum *non potuisse* numerare *quatuor Regum*, quia ista numeratio Palaestinensibus prorsus erat inusitata, dum distributio operis mosaici in quinque libros apud Palaestinenses non minus quam apud Hellenistas erat recepta. Optime vero potuit librum Iob historicis accensere, quippe qui historico plane modo inchoetur ideoque antiquitus a multis historicus sit habitus. Recte statuit Bickell, ex Antiquitatibus posse desumi, quos libros historicopropheticos habuerit Iosephus; iam vero ex Antiquitatibus constat, eum Paralipomenis eandem auctoritatem attribuisse, quam libris Regum (cfr ex. gr. quomodo Antiqu. VII. 14 utriusque operis narrationes de ultimis Davidis annis coniungat et conciliet), atque aeque certum est eum illas Nehemiae partes adhibuisse, quae in Esdra graeco desiderantur (Antiqu. XI. 5.). Paralipomenis igitur et Nehemiae inter tredecim historicopropheticos locus debetur. Iosephus autem, licet graece scribens graecam librorum versionem adhiberet, in numerandis tamen libris, utpote Palaestinensis, palaestinensem morem sequitur; hinc Esdram et Nehemiam pro uno libro habuit, et 13. locus reservatur Iobo. Ad poeticos autem libros quod attinet, nullo modo admitti potest, Iosephum Canticum et Ecclesiastem velut appendices Proverbiis adiecisse et tres libros salomonicos pro uno libro numerasse; illa enim numeratio neque apud Iudaeos palaestinenses aut hellenistas neque apud Christianos unquam est adhibita, nec ullum eius invenitur vestigium. Neque supponere licet, eum duos istos libros non agnovisse, ac si eo tempore de eorum canonicitate nondum constiterit; nam levis illa dubitatio, quam paullo post a *paucis* rabbinis de libris illis in canone *retinendis* movebatur, infirmissimum praebet fundamentum tali hypothesi. Numerabantur igitur inter poeticos libros; Canticum enim revera hymnus est in Dei laudem, Ecclesiastes utilissima continet vitae praecepta; liber Iob autem, etsi pulcherrimas contineat Dei laudes, hymnus dici nulla ratione potest, nec vitae praecepta, licet sit didacticus, tradere apte dicitur. Restat igitur, ut Iosephum librum nostrum inter suos historicopropheticos retulisse dicamus.

9. Cfr ea, quae *Knabenbauer* l. c. p. 35 de nomine Iobi tradit. Quomodo nomina *Eliphaz* (= Deus est robur, aut Deus divitiarum, aut Deus meus est aurum etc.), *Bildad* (= Bel-Adad?!) *Sophar* (= villosus?) indolem amicorum Iobi significent, quis nobis dixerit?

177. — 2. Argumentum autem, etsi vere sit historicum, poetice esse exornatum et amplificatum, integra libri indoles docet. « Quis, inquit *Huetius*, putet Iobum in summis corporis et animi doloribus carmina ad uxorem et amicos fudisse, aut ipsos vicissim virum tot malis oppres-

sum versibus esse allocutos? » Atque *Vavassor* : « non credo (ut cetera omittam) miseros, dum lugent, tam ordinate lugere et artificiose, ut lascivire in mala et ornare miserias suas velle videantur » [1]. Quicunque igitur poeticum libri characterem agnoscit (neque quisquam, opinor, eum negare ausus fuerit), etiam argumentum poetice exornatum esse fatebitur. Certa quadam ratione poema nostrum cum Domini narratione de Lazaro et divite apposite comparatur, quam « nec parabolam nec historiam esse » iam monuit *Ps. Iustinus*, licet utriusque indoli affinis sit, siquidem, uti habet *Maldonatus*, Dominus « parabolam super historiam finxit », ità « ut aliqua ad historiam, aliqua ad parabolam pertineant » [2]. Simili igitur ratione liber Iob, si argumentum eius solum in considerationem venerit, historicus dici poterit, si eius forma vero sola consideratur, poeticus omnino dicendus est.

A modernis multum disputatur, cui poematum classi sit attribuendus, utrum dramaticis an epicis, atque utraque sententia suos habet fautores. Qui ad exordium et epilogum attentionem maiorem dirigunt, de *Iobeide* velut de carmine epico loqui non dubitant; qui autem Iobi amicorumque dialogos intentius contemplantur, iustum drama aut tragoediam in libro nostro invenire volunt. Verum utrique a vero videntur aberrare. Ad tragoediam enim praeprimis teste Aristotele *fabula* requiritur, i. e. « non hominum, sed actionis vitaeque imitatio », quae « actionibus mores repraesentat ». Quam actionem tam necessariam esse censet, ut illam « principium animamque tragoediae » appellet atque « sine actione tragoediam fieri posse » neget; etenim « si quis, inquit, moratos sermones et dictiones et sententias bene formatas componat, illud quod est tragoediae proprium non assequetur » [3]. Atqui in libro nostro actio in solo prologo et epilogo invenitur, eaque non dramatice repraesentatur sed historice narratur; poema ipsum solis « sermonibus moratis et dictionibus et sententiis bene formatis » constat. Neve obiiciatur externam quidem actionem desiderari, sed internam inveniri, in interlocutorum scilicet affectibus et sermonibus [4]; id enim si ad iustum drama constituendum sufficeret, omnes iam disputationes scholasticas omnesque dialogos, immo etiam orationes dramatis accensere cogeremur; quippe in quibus etiam continuam habeamus affectuum et sermonum varietatem continuumque progressum. Neque rectius epos, quam tragoedia, appellatur liber noster; nam epos quoque fabulam postulat, quae narretur, nec sermonibus contentum est, qui referantur. Errant igitur, qui cum Graecorum aliorumque poematis sive epicis sive dramaticis librum nostrum conferunt, atque graeca terminologia abutuntur, qui illam de nostro libro adhibent; est enim carmen sui generis nec in aliorum populorum monumentis ullum invenimus, quod cum nostro ex aequo comparari possit [5]. Id unum iure asserere licet, ad didacticum poeseos genus librum nostrum pertinere atque *formam* quandam dramaticam exhibere, quatenus dialogis constat.

Quod si quis scire desiderat, quaenam poeticae amplificationi ornatuique poetico sint adnumeranda, quaenam autem pro historicis factis

admittenda, ea supra cum Huetio in genere quidem indicavimus, fatemur autem nonnullas inveniri pericopas, de quibus certum iudicium ferre difficillimum est. Auctorem in enumerandis Iobi opibus numeros rotundos pro definitis posuisse facile potest concedi[6], sed Dei cum angelis et satana colloquentis consessus (1,6 sqq.; 2,1 sqq.) aut theophania (38,1) quomodo explicentur oporteat, dissentiunt Patres et interpretes catholici. Ad priorem pericopen quod attinet, alii in narratione illa nihil vident nisi προσωποποιΐας vel potius μιμήσεως figuram, qua Dei omniscientia providentiaque atque satanae machinationes innuantur, alii autem veram historiam referri censent, rem enim ita esse peractam, sicut puris spiritibus conveniat, narrari autem humano modo, ita tamen « ut involucra haec rei spiritualis veritatem non laedant », alii demum rectius, ni fallor, ad similes prophetarum visiones symbolicas et maxime ad 3 *Reg.* 22,19 sqq. provocantes tenent, per visionem aliquam haec, quasi peracta essent, auctori esse ostensa. Theophaniam vero alii per somnium vel per exstasin explicant, alii cum S. Thoma « locutionem illam non per exteriorem sonum prolatam, sed interius inspiratam » esse admittunt; at verba auctoris potius publica quadam Dei apparitione disputationibus finem esse impositum insinuant, nec quidquam obstat, quominus proprium retineamus sensum verborum, quae utique de modo, quo facta sit illa apparitio, nihil certi nos docent. Sed accuratior harum quaestionum solutio traditur ab interpretibus[7].

1. *Huetii* Demonstr. evangel. Prop. IV. p. 241; *Vavass.* in l. Iob Praef.
2. *Ps. Iustin.* ad Orthod. Quaest. 60 (M. 6,1301); *Maldonat.* in Luc. 16,23.
3. *Aristot.* Poetic. 6.
4. Ita inter alios *Delitzsch* in Herzog P. R. E. 2. VI. p. 134 : « Der Kampf wird nicht mit Faust oder Schwert geführt, Verwicklung und Auflösung gehen nur im Gemüthsleben und seinem Spiegel, dem Worte, vor sich. Aber was wir hören, ist doch eine vor uns sich fortbewegende Geschichte (?). Der Stillstand ist nur Schein, in Wahrheit ist Alles ein Strom des erregtesten Werdens, freilich ohne äussere Handlung, ausser in der Anknüpfung und in der Lösung ».
5. Cfr ea quae de libri nostri indole egregie iam disseruit *Lowth* De poesi sacra p. 373 sqq.
6. *Iob* 1,2. 3; 42,12 sq. 16.
7. Cfr *Knabenbauer* Comm. p. 16. n; 41 sq.; 425.

178. — Historica igitur auctoritas quaedam sine ullo dubio libro nostro ita competit, ut omnia quae de Iobi rebus gestis traduntur, pro vera historia sint recipienda. Multo minus vero DE DIVINA EIUS AUCTORITATE dubitare licet; nam divinitus inspiratum esse opus nostrum antiqua synagoga iam tenuit atque Ecclesia semper docuit docetque. Inter V. T. scriptores Ezechielem et auctorem l. Tobiae ad librum nostrum respexisse atque Ieremiam illum, eodem modo quo reliquas antiquiores

Scripturas, adhibuisse iam diximus; in N. T. autem S. Paulus ex illo, velut ex Scriptura, testimonia depromsit et S. Iacobus ad illum provocavit[1]. Patrum testimonia inde a S. Clementis Rom. tempore abundant; quae afferre superfluum est, quum de re manifesta nec a quoquam in dubitationem vocata agatur; atque vix memoria digni sunt duo illi scriptores, qui soli in tota antiquitate christiana divinam libri originem et auctoritatem negarunt, *Theodorus Mopsuest.* eam ob causam a Concilio V. (Constant. II.) damnatus, et *Iunilius Afric.* sententiarum Mopsuesteni compilator satis confusus[2]. Ab illo tempore adversarios non amplius invenit praeter modernos rationalistas, qui nostrum librum, sicut alias Scripturas omnes, divino charactere spoliarunt. Verum argumenta, quibus eius divinitatem destruerent, alia non invenerunt praeter deistica sua praeiudicia. Quod si enim nonnemo gloriatus est, quaestiones, quas Deus Iobo velut inexplicabiles proposuit, a moderna scientia esse solutas, suam dumtaxat ignorantiam prodidit; Alex. de Humboldt enim, testis hac in quaestione etiam rationalistis procul dubio acceptus, quum de eius eruditione et doctrina insigni non minus quam de eius incredulitate constet, ingenue professus est, quaestiones plerasque hodie magis scientifico quidem modo proponi, sed a nullo adhuc esse solutas[3].

Restat altera dubitatio, *utrum omnia libri nostri effata divinae sint auctoritatis necne*. Etenim, uti recte adnotat Pineda, « quod in libro hoc sacro refertur, non oportet continuo secundum se verum et sacrum esse, nisi quatenus refertur; quum mendacia et fallacia testimonia in historia verissima referantur » [4]. Revera amici Iob thesin statuunt certe erroneam, omnes scilicet calamitates in hac terra esse poenas vindicativas, quam longis suis sermonibus stabilire volunt; Iob quidem eos refutare conatur, at num argumenta eius omnia sint valida, non omnino esse certum videtur. Quapropter necesse est inquiramus, quousque in libro hoc, licet integer sit inspiratus, sese extendat divina auctoritas. Haec autem videntur esse statuenda.

1. Omnia, quae in prologo et epilogo leguntur aut medio libro velut *ab ipso auctore* dicta inseruntur, gaudent divina auctoritate atque secundum easdem leges hermeneuticas, atque reliqui libri historici, exponantur oportet. Verba quoque, quae Deo loquenti sacer auctor attribuit, eadem gaudent auctoritate. Asserta haec demonstratione non indigent, quoniam directa et immediata conclusione ex divino libri charactere derivantur. Sine ulla igitur haesitatione theologi ex *Iob* 1. 2; 32,1-5; 38-42 argumenta sua, sicut ex aliis libris sacris, desument.

2. Non eadem autem est ratio disputationum Iobi et amicorum (*Iob* 3-31); etenim plurima quidem verba Iobi, nonnulla quoque trium amicorum vera sunt divina veritate, sed non omnia verba amicorum

eadem veritate divina gaudent; de Iobi vero verbis quid sentiendum sit, contradictoria docent interpretes catholici.

Etenim a.) plurima verba Iobi auctoritate divina gaudere iure merito asserimus, propterea quod eius sermones saltem generatim Deus ipse diserte approbaverit; vituperat enim amicos, quod « de se non sint locuti recta, *sicut servus suus Iob* » (42,7). Hinc etiam factum est, ut Patres Iobi verbis velut certis et divinis testimoniis, quibus non liceat contradicere, in suis argumentationibus uti non dubitarent, atque Iobum ipsum prophetis adnumerarent[5].

b.) Nonnulla quoque amicorum verba eandem habere auctoritatem luce clarius apparet ex eo, quod S. Paulus effatum quoddam Eliphazi pro auctoritate allegaverit illa usus formula, qua sola testimonia divina allegari solent, eique idem pondus ac momentum attribuerit, quod textui Psalterii, quem simul affert[6]. Neque recte ab Estio obiicitur Paulum etiam effata poetarum ethnicorum pro argumentis adhibere[7]; nunquam enim in illis allegandis formulam istam (« *scriptum est* ») adhibuit nec illa cum verbis scripturisticis eodem in genere posuit. S. Paulum autem imitati sunt quam plurimi Patres et theologi, qui in libro Iob allegando saepissime non attenderunt, in cuiusnam sermonibus verba allegata legantur.

c.) Neque tamen omnia verba amicorum vera esse docet ipse Deus graviter eos vituperans, quod « *de se non sint recta locuti* » (42,7). Quapropter Patres quoque interdum verba eorum nonnulla reprobant et argumenta ex eis desumta declarant infirma. Fusius de hac re agit *S. Augustinus*, quum ei textus ex verbis Baldad desumtus (25,4-6) esset obiectus. « Non pro auctoritate divina, inquit, istam sententiam recipiendam esse existimo; non enim ipse Iob eam enuntiavit, cui singulari quodam modo testimonium divinitus perhibetur, quod non peccaverit labiis suis coram Domino[8], sed unus ex eius amicis, qui dicti sunt consolatores malorum [rectius : mali vel molesti] omnes (16,2) et divina sententia reprobati sunt (42,7). Sicut autem in Evangelio, quamvis verum sit omnino, quod dicta sint, non tamen omnia quae dicta sunt vera esse creduntur, quoniam multa a Iudaeis falsa et impia dicta esse verax Evangelii Scriptura testatur : sic in hoc libro, ubi multae personae locutae esse narrantur, non solum quid dicatur, sed a quo etiam dicatur considerandum est; ne passim quae in sancto libro quolibet scripta sunt recipientes cogamur fateri, quod absit, vera et iusta fuisse, quae marito sancto mulier insipiens suggerebat, ut aliquid adversus Deum loquens ab illa intolerabili poena moriendo liberaretur. Quod non ideo dixerim, quia illi amici a Deo reprobati et ab ipso sancto Dei servo merito culpati nihil veri loqui potuerunt, sed quia non omnia, quae locuti sunt, vera putanda sunt. Quamvis enim adversum Iob nihil

verum dixerunt, potest tamen etiam ex eorum verbis aliquam sanam sententiam in testimonium veritatis assumere, qui novit sapienter dicta discernere »[9].

d.) Neque omnia ipsius Iobi verba « ad exactam theosophiae stateram examinata probari » asserit *Corderius*, atque *Estius* « non omnia habere vim divinae auctoritatis » his demonstrat argumentis : « Primum quia postea a Domino reprehenditur, tamquam quaedam insipienter locutus (38,2; 39,32); secundo quia ipse quoque se reprehendit (39,33-35; 42,3); tertio quia V. Beda[10] et D. Thomas agnoscunt quaedam talia esse in eius verbis, quae digna fuerint reprehensione »[11]. Revera *S. Thomas* haec de auctoritate verborum Iob tradit : « Iob in hoc libro tripliciter invenitur fuisse locutus : primo quidem quasi repraesentans affectum sensualitatis in prima quaestione, quum dixit *Pereat dies* etc. (3,4 sqq.); secundo exprimens deliberationem humanae rationis, dum contra amicos disputaret, tertio inspirationem divinam, dum ex persona Domini verba induxit. Et quia humana ratio debet dirigi secundum inspirationem divinam, post verba Domini ea quae secundum rationem humanam dixerat reprehendit »[12]. Eandem esse sententiam plerorumque interpretum recentiorum asserit Estius; fatendum vero est, nonnullos interpretes nullum errorem doctrinalem in Iobi verbis invenire atque Dei reprehensionem Iobique retractationem ad solum *modum* coarctare, quo vir sanctus audacius cum Deo contendere ausus sit; *S. Augustinus* quoque in testimonio supra allato omnia verba Iobi auctoritate divina gaudere supponit, nec alia est *S. Hieronymi* aliorumque Patrum non paucorum sententia[13].

3. De Eliu quoque sermonibus (32,6-37,24) satis magnus est interpretum dissensus; alii enim vix quidquam verae et sanae doctrinae in eis inveniunt, alii eum veram quam attulit doctrinam fastu et arrogantia commaculasse arbitrantur, alii demum doctrinam eius approbant eumque etiam ab arrogantiae accusatione liberant[14]. Primi procul dubio sermones eius severius diiudicant; nam Deus ipse argumentum ab Eliu inchoatum continuat atque hac ratione approbat. Num vero omnia et singula, quae Eliu profert, ab auctore inspirato censenda sint approbata ideoque divina auctoritate donata, eodem modo diiudicetur necesse est, quo verba Iobi reliquorumque eius amicorum. Quapropter de hac norma erit nobis disserendum.

4. Non paucis omnia reddi incerta videbuntur, si in maiore libri parte permixta quodam modo sint divina et humana. Neque enim cuiquam, opinor, probabitur *Estii* (l. c.) responsum « illis, *qui discretionem spirituum habeant*, non esse usquequaque incertum, quae verba a Spiritu S. profecta sint, quae non »; nimis facile enim fieri potest, ut sibi quisque discretionem spirituum sine causa attribuat. Neque

magis videtur sufficere *S. Augustini* (l. c.) sententia, quum ab eo, « *qui novit sapienter dicta discernere* » ex amicorum verbis sanam doctrinam in testimonium veritatis assumi posse doceat; quaeritur enim, quae adhibenda sit norma, ut humana a divinis « sapienter » discernantur. *S. Hieronymus* (l. c.) generalem regulam non statuit, sed sententiam quandam ex primo Eliphaz sermone allatam pro divina auctoritate recipiendam esse monet, quia non ab Eliphaz ipso sit dicta, « sed ab illo, qui sub persona angeli in visione et revelatione locutus sit ei sententias Dei »; merito autem aliquis obiecerit, id iam in dubitatione versari, num humano Eliphazi testimonio cogamur illam visionem, de qua loquitur, pro divina recipere.

Quomodo integra difficultas sit solvenda, alibi iam diximus [15]; pauca tantum addemus. Omnis scilicet liber pro sua natura et indole est explicandus et diiudicandus; alias scribendi regulas observant historici, alias poetae; opus autem historicum secundum regulas, quas observant historici, explicandum est, poema secundum poetarum regulas. Noster igitur liber, qui est dialogus poeticus, explicandus est secundum regulas, quas dialogorum scriptores sequi solent. Quapropter divina auctoritate gaudere censemus illa omnia, quae a Iobo amicisque eius et Eliu proferuntur, in quantum inter eos de illis convenit et in quantum illis nec a Deo nec in prologo aut epilogo contradicitur. Namque ex regulis in dialogorum compositione observatis omnia illa auctor censetur approbare, in quibus interlocutores consentiunt, nisi dissensum suum alibi in opere diserte manifestet; ergo etiam a primario libri nostri auctore, Spiritu S., eadem velut vera approbantur. Porro ex inspiratione libri immediate deducitur, saltem summam doctrinam, quae legitima interpretatione ex eo eruitur, veram esse et divinae auctoritatis; secus enim inutilis esset « ad docendum... et erudiendum in iustitia ». Ad summam autem hanc illa quoque pertinent, quae a colloquentibus ad eam explicandam, illustrandam, confirmandam adducuntur, in quantum de iis vel diserte vel tacite conveniunt, et in quantum auctor ea erronea esse alio modo non manifestat. Hinc elucet, quid de Eliu sermonibus sit sentiendum; nemo illis contradicit, nemo illos improbat; id unum, quod insinuat Iobi calamitates esse poenas *mere* medicinales, erroneum esse docet auctor in prologo, quum primam et proximam earum causam manifestet. Hinc etiam apparet, quanta Iobi sermones gaudeant auctoritate. Ex disceptationibus cum tribus amicis victor discesserat, nec quisquam ex illis eum erroris convicerat; quae autem in eo vituperat Eliu, audaciam potius et temeritatem, qua cum Deo contendere voluerat suamque omnimodam innocentiam asseruerat, quam doctrinam ab eo propugnatam et vindicatam spectant; neque aliud, quam audaciam, in eo vituperat Deus. Hinc demum elucet, quid

valeant amicorum sermones; eorum enim thesis quidem, *omnes* calamitates esse poenas vindicativas, a Iobo impugnatur, ab Eliu improbatur, a Deo damnatur, at nemo ex illis vituperat, quod poenas vindicativas admittant; omnia illa igitur, quibus illarum calamitatum, quae velut poenae vindicativae immittantur, iustitiam gravitatemque describunt, ab auctore ipso approbantur. Quibus suppositis de singularum sententiarum auctoritate diiudicare non erit difficile.

1. Ezech. 14,14; *Tob.* 2,12. 15 (Vulg.); *Iac.* 5,11; *Rom.* 11,35; 1 *Cor.* 3,19.

2. *Theodor. Mopsuest* Fragm. (M. 66,679 sq.), cfr Mansi Collect. Concil. IX. 223 sq. — *Iunil. Afric.* De part. div. leg. I. 3 (M. 68,17).

3. *A. v. Humboldt* Kosmos. II. p. 48. « Unter den Fragen sind viele, welche unsere heutige Physik wissenschaftlicher zu formuliren, aber nicht befriedigend zu lösen weiss ».

4. Cfr *Introd. gener.* Ed. 2. 1894. p. 595 sq.

5. *Martyrol. Rom.* die 10. Maii : « In terra Hus S. Iob *prophetae* » etc.; *S. August.* De nat. et gr. 62 (M. 44,283); *S. Gregor. M.* Moral. XVII. 1 (M. 76,9) : « S. Iob per vulnera et verba sic loquitur sua ut etiam nostra significet et plerumque per *prophetiae* spiritum ventura narret, praesentia transcendat » etc.

6. 1 *Cor.* 3,19. cfr *Iob* 5,13 : « Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum; *scriptum est enim* : comprehendam sapientes in astutia eorum; et iterum : Dominus novit cogitationes sapientium » *Ps.* 93,11.

7. *Estius* in Iob 6,1, quocum consentit *Corn. a Lap.* in 2 Mach. 2,24; sed cfr *Act.* 17,28; 1 *Cor.* 15,33; *Tit.* 1,12.

8. Textus a S. Augustino allatus (*Iob.* 1,22) parum est ad rem, siquidem sola verba usque ad illud momentum a Iobo dicta respicit.

9. *S. August.* ad Oros. contra Prisc. et Orig. 9 (M. 42,676).

10. *Estius* cum multis antiquioribus interpretibus V. Bedae attribuit illum commentarium, quem alii antiquitus S. Hieronymo, hodie autem plerique Philippo, S. Hieronymi discipulo, deberi existimant. Cfr *Ps. Hieron.* Comm. in Iob. 7. 13. 38 etc. (M. 26,672. 789 etc.).

11. *Est.* in Iob 6,1; *Corder.* Comm. in Iob. Praef.

12. *S. Thom.* Comm. in Iob 39. Lect. 3.

13. *S. August.* ad Oros. 9; *S. Hier* c. Pelag. II. 4 (M. 23,563), ubi testimonio ex amicorum verbis desumto, quod molliter defendit, velut absolute certa addit testimonia Iobi ipsius.

14. Varias sententias cfr in *Knabenbauer* l. c. p. 422 sq.

15. Cfr *Introd. gener.* Ed. 2. l. c.

## § 6. — *De praecipuis commentariis catholicis in l. Iob.*

179. — Liber Iob unus est ex illis, in quibus explicandis interpretes maiorem diligentiam et sollicitudinem adhibuerunt. Patrum graecorum quidem integer commentarius nobis non est conservatus; quantam tamen in eo explanando operam collocaverint, satis docet « *Catena in l. Iob* absolutissima e viginti quatuor Graeciae doctorum explanationibus ab Olympiodoro (vel potius saec. 11. a Niceta Heracleensi) con-

texta »[1]. Praecipui doctores, ex quorum operibus explicationes Nicetas collegit, sunt *Origenes, S. Athanasius M., S. Chrysostomus, Didymus Alex., Polychronius* Mopsuesteni frater, *Olympiodorus*[2]. Exstat quoque satis diffusus commentarius in tria priora capita, quem ab antiquioribus interpretibus sub *Origenis* nomine allegatum recentiori auctori deberi demonstravit Huetius[3]. Ex aliis Patribus orientalibus solus *S. Ephraem* propter brevia sua scholia nominari meretur, quibus librum nostrum illustravit[4].

Inter LATINOS PATRES tempore primus est *S. Hilarius Pict.,* quem « tractatus in Iob de graeco Origenis ad sensum transtulisse » refert S. Hieronymus; operis autem istius non superest nisi breve fragmentum a S. Augustino allegatum[5]. Libri quatuor, quos *S. Ambrosius* « de interpellatione Iob et David » conscripsit, interpreti vix inserviunt; *S. Augustini* exstat « Annotationum in Iob liber unus », qui « utrum suus habendus sit an potius eorum, qui eas sicut potuerunt vel voluerunt redegerint in unum corpus descriptas de frontibus codicis » ipse definire noluit; brevitatem quoque, obscuritatem mendosamque editionem annotationum suarum conqueritur[6]. Inter *S. Hieronymi* opera duo leguntur commentarii, quorum brevior nihil fere nisi excerpta ex longiore exhibet; at neutrum S. Doctori deberi hodie satis constat; longior, qui inter *Ven. Bedae* quoque opera interdum editur, *Philippo presb.,* S. Hieronymi discipulo, a plerisque attribuitur[7]. S. Hieronymus autem, etsi commentariis iustis librum nostrum non illustraverit, prae reliquis tamen Patribus omnibus sive graecis sive latinis optime de eo meruit nova adornata versione, quae reliquas longe superans faciliorem reddidit eius explicationem. Eam primus adhibuit *S. Gregorius M.* in opere suo vastissimo et doctissimo, cui titulus « Moralium libri sive expositio in librum B. Iob »; quamnam methodum secutus sit in hoc commentario, hisce verbis docet: « sciendum, quod quaedam historica expositione transcurrimus, et per allegoriam quaedam typica investigatione perscrutamur; quaedam per sola allegoricae moralitatis instrumenta discutimus; nonnulla autem per cuncta simul sollicitius exquirentes tripliciter indagamus »; ex quibus satis elucet, eum in literali sensu indagando minorem diligentiam adhibuisse, unde factum est, ut opus eius theologis quidem et concionatoribus sit utilissimum, minus utile autem interpreti, qui literalem maxime sensum investigat. A S. Gregorii Moralibus ita dependet *Walafr. Strabonis* Glossa ordinaria in l. Iob, ut eorum non sit nisi ieiunum compendium[8].

1. *Catena* etc. latine versa et ed. a Paul. Comitolus S. I. Lugduni 1587. Locupletiorem editionem graeco-lat. curavit Patric. Iunius London 1637.

2. *Origenis* Fragmenta, quae supersunt M. 12,1029-1050 et 17,57-106. — *S. Athanasii* Fragm. M. 27,1343-1348. — *S. Chrysostomi* Fragm. M. 64,505-656. — *Didymi*

*Alex.* Fragm. M. 39,1119-1154. — *Olympiodori* Comment. in B. Iob. M. 93,13-470.

3. Anonymi (vel Ps. Origenis) in Iob Comment. M. 17,371-522; de quo cfr Huetii Origeniana. Appendix 2. (M. 17,1273 sq.).

4. *S. Ephraem Syri* Annotat. Opp. syr. II. 1-20.

5. *S. Hilarii Pict.* fragm. M. 10,723; cfr *S. August.* c. Iulian. II. 8 (M. 44,692). — De interpretatione Hilarii cfr *S. Hieron.* De vir. ill. 100 (M. 23,739).

6. *S. Ambrosii* De interpellatione Iob. M. 14,797-850. — *S. Augustini* Annotat. in Iob. M. 34,825-886; et cfr Retract. II. 13 (M. 32,635).

7. (*Ps. Hieronymi*) Expositio interlinearis in Iob. M. 23,1475-1536; (*Philippi* presb.) Comment. in Iob M. 26,655-850. Alia fragmenta, quae a paucis interdum sub S. Hieronymi nomine allegantur M. 23,1539-1552.

8. *S. Gregorii M.* Moralia. M. 75 et 76; de sua methodo agit in Epist. missoria 3. (M. 75,513). — *Wal. Strabonis* Glossa ordin. in Iob. M. 113,747-840.

Tanta erat S. Gregorii M. auctoritas, ut proximi qui secuti sunt MEDIAE AETATIS interpretes eodem modo, quo Glossator, eum praecipuum ducem sequantur. Inter quos *S. Odo Cluniac.* non dedit nisi « Epitomen Moralium S. Gregorii in Iob », *S. Bruno Ast.* autem, *Rupertus Tuit.*, *Petrus Bles.* omnino ab eo dependent[9]. Liberior quidem incedit *Card. Hugo*, sed quia ipse quoque in nostro opere allegoricum potius et moralem, quam literalem, sensum investigavit, eius commentarius parum utilis est. *S. Thomas Aq.* autem ratus « libri Iob mysteria tam subtiliter et discreta a B. Papa Gregorio esse aperta, ut his nihil ultra addendum videatur », illum « secundum literalem sensum exponere intendit ». Accurate et subtiliter ubique pro more suo nexum idearum indicat; in fine autem integri poematis determinando minus felix etiam argumentandi rationem auctoris non semper assecutus est; de cetero illum « omnes praedecessores suos quam maxime superasse » iure asserit Knabenbauer. Eandem fere viam, quam S. Thomas, tenuit *Nicolaus Lyranus*, ipse quoque investigando literali sensui maxime intentus, *Dionysius Carth.* vero literali non neglecta in allegorica et morali explicatione iterum S. Gregorium sequitur. — In Oriente aetate media prodiit Nicetae Catena, quam supra nominavimus; atque inter Syros *Barhebraeus* in suo « Horreo mysteriorum » nonnullos nostri libri textus interpretatus est[10].

SAECULA 16. ET 17. eum commentariorum eruditorum numerum protulerunt, ut paucos dumtaxat sed praecipuos nominare possimus. *Card. Caietanus* hieronymiana versione non contentus novam sibi adornandam curavit, quam explicaret; et licet commentarius eius nobis parum probetur, in eo tamen laudandus, quod ad hebraicum textum diligentius attenderit. Etiam *Did. de Zuniga* cum hebraico, chaldaico, graeco textibus Vulgatam contulit, sed moralem potius quam literalem sensum explicavit. Quibus multum praestant *I. de Pineda* « Commentariorum in l. Iob libri tredecim », quos magnis laudibus heterodoxi quoque ce-

lebrarunt. « Inter commentatores pontificios, inquit *Schultens*, instar omnium magnus apud suos, apud nos quoque, quibus ubique virtus laudatur, I. de Pineda, theologus idem et commentator eximius, completissimum dedit commentarium, in quo omnes fere veterum et recentiorum e communione praesertim romana explicationes summo iudicio et ordine percensuit, atque exactissima trutina pensavit »[11]. Pinedae operi mole quidem, sed vix quidquam eruditione cedunt *C. Sanctii* et *B. Corderii* commentarii, atque alter praesertim non immerito laudatur, quia « quidquid probatissimi antea commentatores in Iob elucubraverunt, sedulo lustravit, quidquid verae scientiae sanaeque criticae in iis sparsum erat, peritus elicuit suumque fecit »[12]. Neque longe inferiorem locum tenent *Iac. Iansonii, Henr. de Ionghem, Phil. Codurci, Franc. Vavassoris* commentarii[13].

Aliis non paucis, utpote inferioris subsellii, omissis ad SAEC. 18. transimus, in quo praeter *A. Calmeti* magnum commentarium, quo omnes libros sacros illustravit, non multa invenimus digna, quae recenseantur. Ab aliquibus interdum etiam hodie allegari solent ea, quae ediderunt *I. Harduinus., I. I. Duguet*, e Iansenistarum secta, *L. de Poix, Xav. Matthaeius*, qui prologo et epilogo separatis in libro nostro verae tragoediae exemplar nos possidere demonstrare conatus est[14].

Ad NOSTRAM AETATEM iam pervenimus, quae satis magnum studium in libro Iob explanando collocavit. In Italia *Rosarius Parisi* lectionibus theologico-critico-moralibus librum illustrare conatus est; in Gallia *A. M. Le Hir* elegantem eius versionem eruditis notis illustratam reliquit; in Germania accurata versione et brevibus quidem sed eximiis notis eum explicavit *B. Welte;* minore laude dignum est simile opus ab *H. Hayd* editum[15]. RECENTISSIMI commentatores sunt *H. Zschokke, G. Bickell, I. Pierik, I. Knabenbauer, H. Lesêtre, I. Langer*[16].

Antiquiores INTERPRETES HETERODOXOS longa serie enumerat *E. F. C. Rosenmüller* (Scholia in V. T. V. Liber Iob. Ed. 2. Lipsiae 1824. p. XXIII-XLIV), recentiores vero *O. Zoeckler* (Das Buch Iob. Bielefeld 1872. p. 43 sqq.) et *Fr. Delitzsch* (Das B. Iob. Ed. 2. Leipzig 1876. p. 35 sqq.). Inter quos utiliores esse censemus praeter Scholia a Rosenmüller diligenter et accurate ex priorum interpretum commentariis collecta, commentarios a *Delitzsch, Zoeckler* et *F. C. Cook* (The Speaker's Commentary IV. London 1873.) editos.

9. *S. Odonis Cluniac.* Epitome Moral. S. Gregorii in Iob. M. 133,105 sqq.; — *S. Brunonis Ast.* Expositio in Iob. M. 164,551-696; — *Ruperti Tuit.* Comm. super Iob. M. 168,963-1196; — *Petri Bles.* Compendium in Iob. M. 207,795 sqq.

10. *Barhebraei* Scholia in Kirsch-Bernstein Chrestom. syr. p. 186-210. De quibus cfr *Knabenbauer* (Comm. in Iob p. 22), qui libri nostri commentatores tantum non omnes enumerat l. c. p. 20-28.

11. *Caietani* O. Praed. Comm. in l. Iob. Romae 1535. et saepius; *Did. de Zuniga* (Stunica) O. S. Aug. Commentarii in Iob, quibus triplex eius editio Vulgata, Hebr., Graeca necnon Chaldaea explicantur et inter se conciliantur. Toleti 1584. et saepius. — *I. de Pineda* S. I. Comment. in Iob cum paraphrasi. Madriti 1597. et saepius. (Cfr *A. Schultens* Liber Iob cum comment. perpetuo. Lugduni Batav. 1737. Praef. — Etiam *Delitzsch* Comm. Ed. 2. p. 32 Pinedae commentarium appellat « ein wahrhaft grossartiges Sammelwerk », atque *Knabenbauer* l. c. p. 23 eum dignum dicit, « qui hodie quoque assiduo volvatur »).

12. *Casp. Sanctii* S. I. Comm. in l. Iob. Lugduni 1625.; — *B. Corderii* S. I. Iob illustratus. Antwerpiae 1646. (receptus in Migne Curs. compl. S. S. tom. 13. et additus Cornelii a Lap. commentariis. Parisiis Vives 1861.).

13. *Iac. Iansonii* Enarrationes in Iob. Lovanii 1623.; — *H. de Ionghen* O. Min. Literalis elucidatio in Iob. Antwerpiae 1661.; — *Phil. Codurci* S. I. Liber Iob scholiis illustratus. Paris 1651. (receptus a Criticis sacris. tom. 2); — *Fr. Vavassor* Iobus brevi commentario et metaphrasi poetica illustratus. Paris 1638.

14. *I. Hardouin* S. I. Le livre de Job selon la Vulgate paraphrasé avec des remarques. Paris 1729.; — *I. I. Duguet* Explication du l. de Job. Paris 1732.; — *L. de Poix* O. Capuc. Essai sur le l. de Job. Paris 1768.; — *Xav. Matthaeii* I libri poetici della Bibbia tradotti ed adattati al gusto della poesia italiana colle note ed osservazioni critiche etc. Neapoli 1766. et Giobbe giurisconsulto o sia saggio di un nuovo sistema per interpretare il l. di Giobbe. Siena 1780. (De hoc auctore cfr *Hurter* Nomenclator III. p. 340 sqq.).

15. *Ros. Parisi* S. I. Il divino libro di Giobbe esposto in lezioni theologico-criticomorali. Palermo 1843.; — *Le Hir* Le livre de Job. Traduction sur l'hébreu et commentaire. Paris 1873 (Opus post auctoris mortem editum a Grandvaux); — *B. Welte* Das Buch Iob übersetzt und erklärt. Freiburg 1849. (commentarium « excellentissimum » dicit Knabenbauer l. c. p. 27); — *H. Hayd* Das Buch Iob in gereimtem Versmaasse übersetzt. München 1859.

16. *H. Zschokke* Das B. Iob übers. u. erkl. Wien 1875; *G. Bickell* accurate disseruit « De indole ac ratione versionis alex. in interpretando l. Iob » (Marburg 1863); in « Carminibus Vet. Test. metrice » (Oeniponte 1882) libro notas multas criticas, nonnullas explanatorias adiecit; textum iuxta sua principia restituta germanice transtulit : « Iob. Dialog. über das Leidens des Gerechten » (Innsbruck 1885); et iterum : « Das B. Hiob nach Anleitung der Strophik u. der Septuaginta auf seine ursprüngl. Form zurückgeführt u. im Versmasse des Urtextes übers. (Wien 1894.); — *I. Pierik* S. I. Het Bock Iob; naar't hebreeuwsch letterlijk vertaald ter vergelijking met de Vulgata (Gulpen 1881); — *I. Knabenbauer* S. I. Comment. in l. Iob (Parisiis 1885); — *H. Lesêtre* Le livre de Job. Introduction crit., traduction franç. et commentaires (Paris 1886); — *I. Langer* Das B. Iob in neuer u. treuer Uebers. nach der Vulg. (Ed. 3. Freiburg 1889.); — Cfr etiam *G. Gietmann* S. I. Classische Dichter u. Dichtungen. II. Parzival, Faust, Job etc. (Freiburg 1887. p. 556-679).

---

## CAPUT III.

### DE PSALTERIO DAVIDICO.

### § 7. — *De Psalterii nominibus, divisione, ordine.*

180. — In canone Tridentino et in Vulgatae editionibus librum Iob sequitur « *Psalterium davidicum centum quinquaginta Psalmorum* », cui Hebraei in tertio Scripturarum suarum ordine plerumque primum locum attribuunt[1]. In bibliis hebraicis carmina minora, quibus liber constat, licet singulis alii tituli praefigantur, communi nomine תְּהִלִּים (ὕμνοι, *laudes*) insigniuntur atque in subscriptione *Ps.* 71 (72) omnes praecedentes psalmi appellantur תְּפִלּוֹת (προσευχαί, *preces*)[2]; quae nomina aptissima esse patet. Verum quidem est, non omnes nostros Psalmos proprio et scricto sensu esse *Thehillim* (*hymnos*) aut *Thephilloth* (*preces*), quoniam nec omnes Deum directe celebrant nec omnes, id quod in precibus fieri solet, Deum alloquuntur. At nonne illa quoque carmina, quibus peccator poenitens a Deo culpae remissionem efflagitat aut plenus fiducia miseriam suam coram Deo explicat, indirecto saltem modo misericordiam et benignitatem divinam celebrant, sicut alia directe Dei potentiam, sapientiam etc. laudibus praedicant? Atque oratio est elevatio mentis ad Deum nec directam Dei appellationem postulat; quapropter iure *S. Hieronymus* « totum Psalterium, inquit, non est nisi ad Deum in cunctis operibus deprecatio »[3].

Ab Alexandrinis carmina singula ψαλμοί eorumque collectio βίβλος ψαλμῶν (*Luc.* 20,42; *Act.* 1,20) vel ψαλτήριον appellantur, unde latina nomina *Psalmorum liber* (Inscr. Vulg.) vel *Psalterium* (Trid.). Graecum autem verbum ψάλλειν explicat Suidas « summis digitis chordas musicorum instrumentorum pulsare », et vocem ψαλμοῦ proprie designare « chordarum pulsum » docet, translato autem sensu « carmen ad fidium pulsum cantatum »; correspondet igitur hebraico nomini *Mizmor*, quo magna eorum pars inscribitur (166 p. 23). Illo enim tempore, quo alexandrina Psalmorum versio adornata est, omnes iam dudum liturgico usui inservierunt, quumque instrumenta musica, quae in templo adhibebantur et ad quorum sonum carmina decantabantur, pleraque fidibus constarent, satis apte omnibus titulus ψαλμοί inditus est.

« Psalterium vero, inquit *Euthymius*, improprie hunc carminum librum appellamus; nam psalterium proprie genus quoddam est instrumentorum musicorum, quod ab Hebraeis *Nablium* (ναύλα, נֵבֶל) dicitur, a psallendo appellatum, sicut εὐκτήριον (oratorium) ab εὔχεσθαι. Sed appellatio haec postea ad librum translata est, quia psalmos continet »[4].

1. Primum locum inter Hagiographa Psalterium iam Domini tempore occupasse, non immerito deducitur ex *Luc.* 24,44, quo in loco *Psalmi* omnia Hagiographa videntur designare, quia ab iis tertius canonis ordo inchoabatur. Ceterum inter Codices hebraicos illi soli, qui *germanici* appellantur, Psalmis primum locum attribuunt, *Massora* et codices *hispanici* illis praemittunt Paralipomena, *S. Hieronymus* primo in loco ponit Iob et in secundo Psalmos (Prol. gal.). In graecis quoque catalogis et codicibus non idem semper servatur ordo; *Melito Sard.*, *Origenes*, *S. Athanasius M.* etc. Psalmos primo loco nominant, *SS. Cyrillus*, *Hier.*, *Gregorius Naz.* etc. illis praemittunt librum Iob. Canon Tridentinus retinuit ordinem Conciliorum Africanorum, a quo dissentit *S. Innocentius I*, qui enumerat « Salomonis libros quinque, Psalterium, Iobi historiarum librum ». Cfr catalogos in *Introd. gen.* Ed. 2. p. 83. 93. 94. 95. 99. 102 etc. relatos.

2. Titulus *Thehillim* (pro quo Hebraei etiam תִּלִּים vel תִּלִּין vel תִּלִּי) antiquissimus est; eum iam cognoverunt *Origenes* (in Ps. 1. M. 12,1084 cfr *Euseb.* H. E. VI. 24 : σέφερ θιλλίμ) et *S. Hieronymus* (Praef. in Psalt. ad Sophron. M. 28,1184 : *Sephar thallim*). In *Ps.* 71 (72),20 quoque Alexandrini videntur legisse תְּהִלִּים vel תְּהִלּוֹת, quum verterent ὕμνοι (*laudes* Vulg.); *S. Hieronymus* autem vertit *orationes*.

3. *S. Hieron.* adv. Pelag. I. 5 (M. 22,523). — Parum recte igitur *Bleek Wellhausen* (Einl. p. 497) nomina ista *a potiore parte* desumta esse volunt; neque sufficiens adest ratio, ut ea cum *Hupfeld- Riehm* (Die Psalmen. Ed. 2. Gotha 1867. I. p. 38) et *De Wette Schrader* (Einl. p. 518) ex liturgico Psalmorum usu derivemus.

4. *Euthymii Zigab.* Comment. in Psalterium. Prooem. (M. 128,53).

181. — « Psalterium davidicum *centum quinquaginta* Psalmorum » librum nostrum appellarunt Tridentini Patres, atque idem numerus canticorum semper ab Hebraeis et a Christianis est agnitus; quare psalmus ille, qui in codicibus graecis velut 151. additur, diserte dicitur ἔξωθεν τοῦ ἀριθμοῦ[1]. Verum in hoc numero unus bis numeratur; etenim *Ps.* 13. et 52. sunt identici; *Ps.* 69. quoque ultimis versibus *Ps.* 39,14-18 constat, et *Ps.* 107. compositus est ex *Ps.* 56,8-12 et 59,7-14[2]. Licet autem editiones omnes in canticorum numero consentiant, in illis tamen distinguendis satis magnus est dissensus. Alio modo in hebraicis, alio in graecis latinisque Psalteriis distinguuntur, nec ipsi hebraici codices eandem semper tenent rationem. Psalmus enim, qui nobis est 9., ab Hebraeis in duos (9. et 10.) dividitur, atque idem obtinet in nostro 113., qui illis est 114. et 115.; contra nostri 114. 115. ab illis in unum 116. contrahuntur, atque iterum nostri 146. 147. illis est unus 147. Unde diversa exoritur Psalmorum numeratio, quam adscribere

placet, quoniam plerique heterodoxi et nonnulli catholici interpretes hebraicum ordinem in suis allegationibus sequi solent.

| ALEX. VULG. | | HEBR. | ALEX. VULG. | | HEBR. |
|---|---|---|---|---|---|
| *Ps.* 1.-8. | = | 1.- 8. | 114. 115. | = | 116. |
| 9. | = | 9. 10. | 116.-145. | = | 117.-146. |
| 10.-112. | = | 11.-113. | 146. 147. | = | 147. |
| 113. | = | 114. 115. | 148.-150. | = | 148.-150. |

In longe maiore igitur parte (a *Ps.* 10. usque ad 146.) numero nostro unitas est addenda, ut habeatur hebraicus. Porro *Ps.* 1. et 2., quippe qui totius psalterii prooemium quoddam sint eiusque argumentum quum ethicum tum propheticum indicent, antiquitus pro uno sunt habiti; antiqua enim est Iudaeorum traditio, primum Psalmum a beatitudine inchoari (1,1) et beatitudine terminari (2,12), S. Paulus autem (*Act.* 13,33) versum Ps. 2. citans diserte tradit eum ἐν τῷ πρώτῳ ψαλμῷ legi[3]. In bonis codicibus hebraicis etiam Ps. 42. et 43. (41. 42.) in unum contrahuntur[4], idque rectissime, siquidem ex versu intercalari ter repetito (42,6. 12; 43,5) satis apparet eos intime esse coniungendos. Moderni nonnulli interpretes Ps. 18. in duos (18,1-7. 8-15) dividendum esse censent, alii Ps. 23. discerpunt (23,1-6. 7-10)[5], at ob solas internas rationes, de quibus in commentario est agendum.

1. Cfr *Ps. Athan.* Synops. S. S. 21 (*M.* 28,337); *Introd. gen.* Ed. 2. n. 72. p. 219.

2. Liturgico usui nova ista carmina deberi, quae ex aliorum partibus composita sunt, aliqua cum verisimilitudine deducitur ex 1 *Paral.* 16,8 sqq., i. e. ex carmine illo, quod levitae arcam in montem Sion transferentes decantaverunt. Constat enim ex *Ps.* 104,1-15 et *Ps.* 95,1-13 atque tres ultimi versus identici fere sunt cum 105,1. 47. 48. Quominus *Ps.* 104. et 96. davidicae aetati adscribamus nihil obstat; quare admittere nobis licet, Davidem vel alium poetam sacrum ex duobus istis carminibus novum composuisse, quod occasioni illi inserviret. Potuit autem etiam iunior poeta antiquius carmen liturgicum in duo dividere alteramque eius partem amplificare. Quidquid vero statuitur, certum esse videtur, antiquiora carmina ad liturgicos usus a sacris poetis interdum esse immutata et adaptata. Ultimi autem versus (1 *Paral.* 16,34-36) non sunt plane identici cum *Ps.* 105,1. 47. 48; nam in 105,47 allusio quaedam habetur ad exsilium (« congrega nos קַבְּצֵנוּ de nationibus »), quae in 1 *Par.* 16,35 non adest (קַבְּצֵנוּ וְהַצִּילֵנוּ « *recipe nos* [cfr *Is.* 54,7] *et libera nos* de nationibus »). Videtur igitur iunior poeta memor carminis illius, quod levitae decantaverant, versus illos aliquantulum immutasse et carmini suo inseruisse. Ita etiam in *Paralip.* ultimus versus secundum textum hebr. narrat : « et *dixit* omnis populus : Amen et iubila Domino », in *Ps.* autem praecipit : « et *dicat* omnis populus Amen et Alleluia ».

3. Lectionem hanc merito recepit *Tischend.* (Ed. 8.) ex *D.*, praesertim ob Patrum auctoritatem; cfr *S. Iustin. M.* Apol. I. 40 (M. 6,389); *Orig.* in Ps. 2. (M. 12,1100), *S. Hilar. Pict.* in Ps. 2 (M. 9,262. 264); *V. Beda* Expos. in Act. 13 (M. 92,974). De hebr. codicibus cfr *De Rossi* Variae lectiones. Supplem. p. 95.

4. *De Rossi* (Variae lect. IV. p. 30) allegat quadraginta sex codices, in quibus

Psalmi sunt coniuncti. *Euseb.* (in Ps. 42. M. 23,380) autem iam monet, ἔκ τε τῶν ὁμοίων ἐν ἀμφοτέροις λόγων καὶ ἐκ τῆς ἐμφεροῦς διανοίας apparere Psalmum 42. esse partem praecedentis.

5. *Bickell* (Carmina V. T. metrice.) praeter Psalmos nominatos etiam dividit Ps. 7. 26. 35. 39. 54. 76. 80. 84. 101. 126. 143.; quo cum iure, dicendum erit in Commentario.

**182.** — Antiquiores interpretes haud raro in tres quinquagenas cunctos Psalmos pro triplici statu populi fidelis distribuerunt : « scilicet pro statu *poenitentiae*, et ad hunc ordinatur prima quinquagena, quae finitur in *Miserere mei Deus* (*Ps.* 50.), pro statu *iustitiae* et haec consistit in iudicio et finitur in *Ps.* 100. *Misericordiam et iudicium*, pro statu *gloriae aeternae* et ideo finitur : *omnis spiritus laudat Dominum* (*Ps.* 150.) »[1]. Cui divisioni argumenta Psalmorum parum consonant. Multo antiquior est divisio Psalterii in quinque libros. Iam *S. Hippolytus* monet : « Neque illud te praetereat, quod Hebraei Psalterium in quinque libros diviserunt, ut esset instar alterius Pentateuchi »[2]. Atque *S. Hieronymus* divisionem accuratius explicat : « Aiunt Hebraei uno Psalmorum volumine quinque libros contineri : a 1. usque ad 40., et a 41. usque ad 71., et a 72. usque ad 88., et ab 89., qui quarti libri initium est, usque ad 105., in quorum omnium fine duplex *Amen* positum est, quod Septuaginta transferunt γένοιτο γένοιτο, *fiat fiat*, et a 106. usque ad finem »[3]. *S.Hilario Pict.* autem et *S. Hieronymo* divisio haec parum probabatur : « Scio, inquit alter, quosdam putare Psalterium in quinque libros esse divisum... Nos autem Hebraeorum (?!) auctoritatem secuti et maxime Apostolorum, qui semper in N. T. Psalmorum librum nominant, unum volumen asserimus ». Neque magis probabatur *S. Augustino;* nam « huius dispertitionis, inquit, rationem quum vellem comprehendere non valui : quia nec ipsae quinque partes aequales sunt inter se, etsi non scripturae quantitate, saltem Psalmorum numero. Et si uniuscuiusque libri finis est *fiat fiat*, cur liber quintus idemque ultimus non eodem fine sit terminatus, merito quaeri potest »[4]. Alii tamen Patres eam cum *Origene*, *S. Hippolyto*, *S. Epiphanio* aut tacite recipiunt aut cum *S. Gregorio Nyss.* diserte approbant diligenter inquirentes « quaenam huic distributioni subsit ars et ratio »[5]. Quos moderni interpretes omnes iure sequuntur. Nam argumentum, quo SS. Hilarius et Hieronymus divisionem impugnant, infirmum esse docuit iam *S.Augustinus* (l. c.) : « fieri enim potest, inquit, ut aliqua consuetudine literarum hebraearum unus liber dicatur, qui constat pluribus », id quod revera in quinque libris mosaicis obtinet, qui nomine *Legis* allegari solent. Altera vero ex parte divisio haec Psalterii antiquissima est, neque, uti S. Augustinus videtur putare, arbitrario facta, sed ex ipsa Psalmorum collectione derivanda.

Antiquitati eius luculentissimum testimonium ferunt alexandrini

interpretes, qui in suis exemplaribus non tantum illud duplex *Amen* invenerunt, de quo loquuntur Patres, sed integras doxologias, quae quia ad argumentum Psalmorum, quibus additae sunt, non pertinent, librorum singulorum dicendae sunt clausulae[6]. S. Augustino autem, si in ultimi libri fine clausulam eiusmodi non legi miratur, respondemus, integrum *Ps.* 150. doxologiam quandam esse, qua Psalterium totum aptissime terminatur. De cetero doxologias alexandrinis interpretibus multo esse antiquiores, moderni interpretes ex 1 *Paral.* 16,36 deducunt, quo in loco pars *Ps.* 105. una cum doxologia librum quartum terminante iam legatur; at invalidum esse hoc argumentum arbitramur[7]; neque illo indigemus, siquidem ex codicibus, quibus Alexandrini usi sunt, de earum antiquitate iam satis constat.

Divisio ipsa autem non eum in finem est invecta, ut « Psalterium esset instar alterius Pentateuchi », id quod *S. Hippolytus* olim iam docuit atque una cum Iudaeis etiam non pauci moderni interpretes censent[8]. Id enim si esset verum, S. Augustini altera obiectio valeret, qui non intelligere se ait, cur quinque illi libri inter se non sint aequales numero saltem Psalmorum; nam primus continet quadraginta carmina, alter unum et triginta, tertius et quartus septena dena, quintus quadraginta quinque. Neque magis intelligeretur, cur singulis libris haec potissimum carmina sint inserta. Quod enim *S. Gregorius Nyss.* (l. c.) opinatus est, argumentorum similitudine Psalmos singulorum librorum arctius cohaerere, id fundamento prorsus caret, quoniam eiusdem libri carmina argumento saepissime differunt, atque idem argumentum in diversorum librorum carminibus invenimus tractatum.

Restat igitur, ut divisionem ex Psalmorum collectione explicemus atque quinque Psalterii libros olim fuisse quinque diversas collectiones dicamus. Namque non eodem tempore nec ab eodem viro omnes in unum volumen esse congestos omnino constat. Unus enim, si omnes collegisset, cur eundem Psalmum bis recepisset aut ex nonnullis versibus Psalmi iam recepti novum carmen fecisset? Porro clausula, quae *Ps.* 71,20 doxologiam sequitur (« Defecerunt [terminantur] hymni Davidis filii Iesse ») finem alicuius collectionis eadem ratione denotat[9], qua in Proverbiorum libro inscriptio (25,1) initium novae collectionis indicat. Attendamus quoque oportet ad divina nomina, quae non eodem modo in singulis libris adhibentur. Quamvis enim a plerisque scriptoribus nomina *Iahve* et *Elohim*, nisi peculiaris quaedam ratio unum potius quam alterum postulet, promiscue usurpentur, in Psalmorum tamen libris ita inveniuntur posita, ut in tribus libris nomen *Iahve*, in uno nomen *Elohim* longe praevaleat, in uno dumtaxat *utrumque* aequaliter usurpetur[10]. Etenim invenitur

| in *libro* | I. | II. | III. | IV. | V. |
|---|---|---|---|---|---|
| nomen *Iahve* | 272 | 30 | 44 | 103 | 236 |
| nomen *Elohim* | 15 | 164 | 43 | 0 | 7 |

Neque casui id esse adscribendum elucet ex eo, quod *Ps.* 13. in primo libro nomen *Iahve* exhibet, cuius in loco nomen *Elohim* substituitur, quando in secundo libro repetitur (*Ps.* 52.). Eandem nominum permutationem deprehendes, si primi libri *Ps.* 39,14-18 cum *Ps.* 69. in secundo libro, aut *Ps.* 67,2. 8. 9. cum *Num.* 10,35 et *Iudic.* 5,4. 5. comparaveris.

Quibus argumentis satis, opinor, demonstratur, varios admittendos esse collectores variasque collectiones, quae uno volumine coniunctae hodiernum nostrum Psalterium constituunt. De tempore autem, quo factae sunt, et de fine, quem singuli collectores prae oculis habuerint, quid probabilius sentiendum sit, *infra* (191. p. 112 sqq.) dicemus.

1. *S. Thom. Aq.* In Psalm. Prooem. — Cfr *Card. Hugo.* in Ps. Prol.

Tres quinquagenos cantat David ordine Psalmos;
Versus bis mille bis centum sex canit ille,
Ut sis perfectus gemino formatus amore,
*Incipiendo, progrediendo, perveniendo.*

Quae divisio cognita iam erat *Origeni*, a quo eam recepit *S. Hilarius* (in Psalm. Prol. 11; in Psalm. 150,1. M. 9,259. 888 sq.) : « Prima huius libri quinquagesima nos regenerat ad innocentiam, sequens ad iudicium innocentiae resurrectione perducit, tertia in naturam spiritus et laudis constituit ». Eius autem originem videtur insinuare *S. Augustinus* (in Ps. 150. n. 5. M. 37,1962) : « Non frustra mihi videtur Psalmus quinquagesimus esse de poenitentia, centesimus de misericordia et iudicio, centesimus quinquagesimus de laude Dei in sanctis eius. Sic enim ad aeternam sanctamque tendimus vitam, primitus peccata nostra damnando, deinde bene vivendo, ut post condemnatam vitam malam gestamque bonam mereamur aeternam ». Divisionem hanc « non reiiciendam esse » dicit *Bellarminus* (in Psalm. Praef.), sed non explicat, quomodo aliquis eam tueri possit.

2. *S. Hippol.* in Psalm. fragm. 8. (M. 10,720); cfr *S. Epiph.* de pond. et mens. 5. (M. 43,244).

3. *S. Hieron.* ad Cyprian. ep. 140,4; cfr ad Marcell. ep. 26,4 (M. 22,1168. 431).

4. *S. Hieron.* in l. Psalm. Praef. ad Sophron. (M. 28,1183); *S. Hilar.* in Psalm. Prolog. 1. (M. 9,235); *S. August.* in Ps. 150. 2 (M. 37,1961).

5. *Orig.* in Psalm. (M. 12,1056); *S. Hippol.* l. c.; *Euseb.* in Ps. 40,14 (M. 23,365); *S. Epiph.* l. c.; *S. Gregor. Nyss.* In Psalm. inscript. I. 5 (M. 44,449 : « Tota Psalmorum collectio in quinque partes distributa est continetur que in his sectionibus artificiosa quaedam structura et divisio » etc.). Prae ceteris *S. Ambros.* Enarr. in Ps. 40. n. 37-41 (M. 14,1085 sqq.) hanc divisionem approbat et allegorice explicat.

6. *Ps.* 40,14; 71,18-20; 88,53; 105,48. Recte iam *S. Gregor. Nyss.* l. c. integras istas doxologias pro clausulis habet.

7. Etenim *supra* (181. n. 2 p. 78) iam monuimus, Psalmi 105. auctorem prae oculis habuisse carmen 1 *Paral.* 16. relatum, neque auctorem Paralip. sua ex *Ps.* 105. desumsisse. Adverte quoque doxologiam *Ps.* 105. omnino ad carmen ipsum pertinere, ita

ut collector Psalmorum clausulam carminis ad quartum quoque librum terminandum adhibuerit. Nam doxologiam istam non, sicut reliquas, carmini esse superadditam, eius forma satis prodit, quae non tantum a reliquis clausulis differt (pro duplici enim *Amen* legitur *Amen Alleluia*), sed etiam apte non explicatur, nisi ad carmen ipsum pertineat. Quomodo enim populus admoneri potest, ut *clausulae libro adscriptae* assentiat (et *dicat omnis populus :* Amen Allelùia)?

8. *S. Hippolyt.* l. c. — Ex recentioribus cfr *Keil* Einleitung p. 359. 370; *Bleek Wellhausen* Einl. p. 498; *Davidson* Introduction II. p. 235 etc. — Etiam *Delitzsch* (Comm. über die Ps. Ed. 3. I. p. 11; Herzog P. R. E. Ed. 2. XII. p. 314), *Moll* (Der Psalter. Bielefeld 1869. p. 7), *Cook* (The Speaker's Comm. IV. p. 149) aliique, licet divisionem ipsam ex variis collectionibus explicent, relationem quandam inter quinque libros Legis a Deo populo datae et inter quinque hymnorum, quibus populus Deum celebrat, libros agnoscunt. Cfr *Schegg* Die Psalmen Ed. 2. München 1857. I. p 19 : « Der Pentateuch enthält das Gesetz geschrieben auf steinerne Tafeln, die Psalmen geschrieben in die Herzen ».

9. Formulam istam omnes antiquae versiones exhibent *sola syriaca excepta*; at Psalterium syriacum etiam quam plurimos singulares Psalmorum titulos habet, quos recentiori tempori deberi extra controversiam est; quare ex omissione subscriptionis illius in hodierno textu syro non sequitur, eam primitus non adfuisse.

10. Cfr *Gesenius* (Thesaur. ling. hebr. p. 97 sq.), *Delitzsch* (Symbolae ad Psalm. illustrandos isagogicae. Lipsiae 1846· p. 1 sqq.), *Schegg* (l. c. p. 20), *Vigouroux* (Manuel bibl. II. p. 240) aliorumque recentiorum introductiones et commentarios.

183. — Omnia carmina in Psalterio certo ORDINE esse disposita, SS. Patribus plerisque erat persuasum; quocirca non pauci diligenter in eum inquisiverunt, in eo autem indicando in diversas abierunt sententias, atque *S. Augustinus* ingenue fatetur, « ordinem hunc, qui magni sacramenti videatur continere secretum, sibi nondum esse revelatum »[1]. Id tamen inde iam a *S. Hippolyti* aetate omnes tenuerunt, « non secundum ordinem historiae Psalmos, qui ab historia pendere videntur, esse descriptos »[2]; id quod verissimum esse, Psalterium vel obiter percurrenti patet. Aliqui igitur teste *Eusebio* in iis disponendis « numeros ipsos vim quandam habuisse putarunt, ut singulis numeris congruens aptaretur verborum sententia »[3]. « At qui talia dicunt, inquit idem, non videntur mihi scopum attingere, primum quidem quia nullus omnino numerus in hebraico Psalmorum libro fertur, sed carmina nullo addito numero sunt inserta, deinde quia diverso modo carmina vel coniuncta vel disiuncta sunt; nam vel ab ipso initio Ps. primus et secundus in hebraico exemplari copulati sunt, rursumque nonus, qui coniunctus in nostro est, in hebraico divisus est in duos. Quae quum ita sint, inutilis erit numerorum istorum consideratio. Et quomodo fieri potest, ut... in singulis centum quinquaginta numeris propria et congruens tali vel tali numero sententia assignetur? Haec autem suo quisque arbitrio recipiat ». Eusebius igitur ipse suspicatur, « pro sententiae ratione et similitudine Psalmos ut plurimum digestos esse, ideoque ordine coniunctos esse illos, qui affinitatem inter se habeant

aut cohaereant, indeque non pro temporis ratione sed pro sententiarum concinnitate eos esse digestos »[4]. Eadem fere est nonnullorum modernorum interpretum sententia, qui in demonstranda illa affinitate haud pauca, ni fallor, subtiliora quam probabiliora statuerunt[5]. Re enim vera satis multi Psalmi, qui sese immediate excipiunt, et argumentis suis et externa sua forma et suis auctoribus ita inter se discrepant, ut casui potius, prout scilicet singuli in collectorum manus venerint, quam certo distributionis principio ordo deberi videatur. Atque haec est *S. Athanasii* sententia, quam Eusebius quoque non improbat: Exsilio finito « propheta quidam cum aliis Scripturis librum quoque Psalmorum collegit; non quod simul omnes Psalmos eodemque tempore repererit, sed diversis temporibus; ac primo ordine posuit eos qui primi reperti fuerant; quo factum est, ut ne omnes quidem ipsius Davidis Psalmi ordine ponantur atque Psalmi filiorum Core et Asaph... permixti in libro occurrant, non quo tempore editi, sed quo inventi sunt »[6]. Quae sententia, dummodo de quinque Psalterii libris utpote diversis collectionibus a variis auctoribus vario tempore adornatis intelligatur, longe praeferenda est *S. Gregorii Nyss.* opinioni, qui in quinque libris eum invenit ordinem, ut semper ad maiora et altiora virtutis studia perducant[7]; quomodo enim carminum argumenta quam plurima, nisi coacto prorsus modo et arbitrario explicentur, huic opinioni faveant, non videmus. Neque tamen ullum ordinem in singulis collectionibus inveniri negamus; interdum enim carmina eiusdem auctoris (Ps. 1-40. 50-65. etc. *Davidis*; 41-48. *filiorum Core*; 72-82. *Asaph*), vel eiusdem formae externae (55-59. *Miktham*, 41-44. 51-54. *Maskil*, 120-134. *Cantica graduum*), vel eidem usui liturgico inservientia (110-117. 134 sq. 146-150. *Alleluia*), vel ad eandem melodiam decantanda (56-58.) videntur esse coniuncta; inveniuntur quoque coniuncta, quae eadem fere occasione composita simile argumentum tractant (3-7. ex tempore rebellionis absalomicae etc.)[8]. Nihilominus certam et indubitatam rationem, qua omnia sint digesta, nemo hucusque detexit; quin etiam si cum plerisque modernis interpretibus quinque diversas collectiones statuimus, probabile est non omnes collectores eandem rationem in disponendis carminibus inventis tenuisse.

1. *S. August.* in Ps. 150. (M. 37,1960).
2. *S. Hippol.* in Psalm. fragm. 5 (M. 10,715); *Origen.* Selecta in Ps. (M. 12, 1073).
3. *Euseb.* in Ps. 62 (M. 23,601). — *Origenes* (l. c.) hanc sententiam velut probabilem proponit illustratque unico exemplo : « Quinquagenario numero proprie convenit Davidis confessio ob legem quinquagesimi anni, qua debitorum remissiones fieri iubentur ». Idem exemplum affert *S. Hilar.* (in Psalm. Prol. 9. 10. M. 238), qui sine haesitatione asserit : « Absolutissime in gestorum et temporum ratione docemur, Psalmorum scilicet collocationes secundum perfectorum numerorum efficientiam esse

ordinatas ». Meritissimo autem monet *Agellius* (in Psalm. p. 6) « subtiliorem esse istam rationem et operosiorem eamque nonnihil dubitationis relinquere ».

4. *Euseb.* in Ps. 62 l. c. In Commentario passim (cfr in Ps. 41-49) hanc affinitatem ostendere conatur.

5. Inter quos praecipui sunt *Delitzsch* (Symbolae p. 35 sqq. et Comment. über die Psalmen; passim) et *Schegg* (Die Psalmen I. p. 21). Difficile aliquis sibi persuadebit, Ps. 49. et 50. *ideo* esse coniunctos, quia 49,9 legitur : « *Non accipiam de domo tua vitulos* » et 50,18 « *holocaustis non delectaberis* » (*Schegg* p. 20), aut 49. et 48. sese excipere, quia 48,2 incipit « *audite haec, omnes gentes* » et 49,7 legitur : « *Audi, populus meus*, et loquar », aut 48. cum 47. et 46. coniungi, quia 46,2 et 48,2 sermo ad *omnes populos* dirigatur (*Delitzsch* Comm. I. p. 370. 380) etc.

6. *S. Athanas.* Argum. in Psalm. (M. 25,56); *Euseb.* in Psalm.Prooem. et in Ps. 62; eodem iam modo *Orig.* in Ps. (M. 12,1076); postquam priorem sententiam de Psalmis secundum numerorum mysteria dispositis explicavit, pergit : « Alius vero dixerit nihil tam superflui (vel affectati, περίεργον) in libro contineri, sed simplicem collectionem canticorum et psalmorum et reliquorum poematum, quae prius sparsim descripta fuerant, Esdra videlicet haec simul cum aliis Scripturis in unum redigente, aut antiquioribus Hebraeorum sapientibus casu et fortuito, prout sese memoriae offerebant, colligentibus ».

7. *S. Gregor. Nyss.* In Psalm. tr. I. 5-9 (M. 44,449 sqq.).

8. Cfr *Kaulen* Einl. Ed. 3. p. 307 (« Ein Plan bei Zusammenstellg der einzelnen Psalmen ist nicht sichtbar; *nur in einzelnen Fällen* lässt sich aus der Verwandtschaft des Inhaltes oder der Form das nachbarliche Verhältniss einzelner Psalmen begreifen »); *Zschokke* Hist. sacr A. T. p. 205 etc.

## § 8. — *De Psalmorum inscriptionibus.*

184. — Priusquam in Psalmorum originem inquirimus, solvenda est quaestio de auctoritate titulorum, qui illis praefiguntur. Omnes enim, duobus primis in Vulgata atque circiter triginta in textu hebraico exceptis[1], suam quisque inscriptionem habent, qua aut eorum auctor, aut historica eorum occasio, aut carminis genus ad quod pertinent, aut modus ad quem decantandi sunt, aut eorum usus liturgicus indicantur. Patres atque antiquiores interpretes inscriptionibus illis magnam, immo divinam, auctoritatem attribuisse vel ex eo solo elucet, quod eas eadem cum diligentia et sollertia, qua Psalmos ipsos, interpretati sunt. Nihilominus etiam in antiquitate a paucis nec divinitus inspiratae nec authenticae habebantur; tanta enim earum in variis versionibus est varietas, ut vix dubium sit, quin nonnulli librarii in illis mutilandis mutandisque maiorem licentiam, quam in reliquis sacri textus partibus, sibi competere sint arbitrati. Atque *Theodoretus* suo tempore inveniri asserit, qui omnem fidem illis denegent, procul dubio Theodorum Mopsuest. denotans, quem inscriptionum auctoritatem non agnovisse refert *Leontius Byzantinus*[2]. Attamen dubitationes istae evanuerant, usque dum exeunte saeculo praecedente a rationalistis denuo sint

excitatae; atque hodie eo res est perducta, ut non tantum a rationalistis, sed ab aliis quoque non paucis interpretibus auctoritas earum non tantum parvi pendatur aut spernatur sed plane reiiciatur[3]. At immerito; licet enim non negamus inter eas inveniri, quae, quia critice sunt dubiae, fidem non mereantur, illis tamen, *quae critice certae sunt,* summa competit auctoritas, quin etiam divina, si ab ipsis auctoribus sacris additae demonstrantur[4].

Praeprimis enim earum auctoritati favet ipsa antiquitas, ita ut de earum authentia non magis, quam de aliis Scripturarum particulis dubitari posse censeant non pauci. « Mihi quidem, inquit optime *Theodoretus,* temerarium videtur invertere inscriptiones, quae iam olim Ptolemaei temporibus circumferebantur, quasque Septuaginta omnes seniores in graecam linguam transtulerunt, sicut reliquas omnes Scripturas »[5]. Eas vero alexandrinis interpretibus multo esse antiquiores nemo negabit, qui multas, maxime eas, quae ad musicam sacram pertinent, ab illis non amplius satis intellectas esse consideraverit. Quod si adversarii obiiciunt, hoc argumento titulos comparate quidem, sed non simpliciter antiquos demonstrari[6], id concedamus oportet; monemus autem criticis quibuscunque argumentis *nunquam* directe probari textus alicuius authentiam, sed eius maiorem minoremve antiquitatem; antiquitas vero lectionis ipsa, si nihil aliud obstat, authentiae est argumentum[7]. De titulis autem aliter non est iudicandum, quam de reliquis textus sacri phrasibus, quas sine haesitatione pro genuinis recipimus, quamprimum critica documenta eis favent. Ad ipsum autem Scripturae textum pertinere inscriptiones, persuasum erat Iudaeis, qui eas tamquam genuinas Psalmorum partes accentibus instruxerunt, et Patribus, qui eas « a Spiritu S. dictatas » et « canonicas » esse, « mysteria Psalmorum continere », « claves Psalmorum esse », « auctoritatem Psalmis praestare » asseruerunt aliaque multa in earum laudem dixerunt[8].

Porro si inscriptiones illae, id quod adversariis placet, merae essent lectorum aut collectorum coniecturae et glossae, qui factum est, ut interdum Psalmis, quibus minus congruere videntur, sint appositae eaeque maxime, quae musicam spectant, explicatu tam sint difficiles? Notae enim, opinor, et glossae ad illustrandum textum, minime vero ad eum obscurandum, adscribi solent; in toto autem Psalterio nihil titulis difficilius inveniri omnes concedunt. Cur occasio historica omnibus illis carminibus non est addita, in quibus ex ipso argumento satis facile cognoscitur? Unde demum tanta inscriptionum varietas, siquidem aliae solum auctorem, aliae simul occasionem historicam indicant, aliae hac omissa carminis genus, aliae modum, quo decantandum sit carmen etc. continent? Quae omnia ab adversariis explicari non posse

evidens est, et maiore cum iure alii videntur asserere, omnibus Psalmis nomen auctoris, tempus, quo sunt dicti, eaque quae ad eorum usum liturgicum scitu erant necessaria, olim fuisse adscripta, temporis autem iniuria et incuria librariorum longiores inscriptiones plerasque interisse [9].

Tertio loco adnotamus orientalium omnium poetarum morem esse, ut carminibus suum nomen praefigant; a quo more non recessisse hebraicos poetas non tantum carmina demonstrant in historicis libris relata [10] et vaticinia prophetarum omnium, sed etiam libri Proverbiorum et Cantici. Quo igitur cum iure Psalmorum auctores eundem morem observasse negantur? At, inquiunt, prophetae nomine praefixo vaticiniis suis auctoritatem conciliare voluerunt et ex historicorum librorum usu ad aliorum scriptorum usum concludere non licet [11]. Immerito autem, ni fallor, supponunt adversarii, auctores carminum, quae pleraque usui liturgico erant destinata et quorum multa sunt vera vaticinia, noluisse nominibus suis adscriptis auctoritatem operibus suis conciliare; et undenam mores Iudaeorum discemus, si ex libris historicis argumenta desumere non licet [12]? Quidquid autem de istis exemplis statuitur, duo praecipua carmina, quae praeter Psalmos in canone habemus, auctorum nominibus insignita esse certum est, ac proinde integrum manet argumentum. Neve nobis obiiciatur liber Iob, qui, quum velut liber historicus inchoetur, morem historicorum librorum sequitur, quibus auctorum nomina non praefigebantur.

Argumentis nostris opponitur magna inscriptionum in codicibus et versionibus varietas, quae demonstret, eas antiquitus eadem, qua reliquas Scripturae partes, auctoritate non esse gavisas, sed eodem in loco fuisse, in quo librorum N. T. subscriptiones habebantur et habentur [13]. Caveamus autem, ne varietatem inscriptionum exaggeremus. In longe maiore numero Psalmorum, qui a textu hebraico certis auctoribus adscribuntur, nec codices nec versiones variant. Nec variatio est, si syriacam versionem excipis, inter codices et versiones in tredecim illis inscriptionibus, quae occasionem historicam indicant. Omnes quoque versiones (syriaca iterum excepta) in notis, quae carminis genus et modulationem musicam indicant, eandem lectionem sequuntur, quam massorethicus textus exhibet, quamvis eam diverso modo interpretentur. Varietas igitur in eo praesertim apparet, quod textus hebraici inscriptionibus versiones interdum aliqua verba addant, et quod in nonnullis versionibus illi quoque Psalmi inscriptionibus sunt ornati, qui in textu hebr. illis carent. Mirum autem profecto esset, si haec varietas lectionum, quae in nonnullis inscriptionibus invenitur, etiam eas demonstraret spurias, in quibus nulla varia lectio habetur; num forte de omnibus Paulinarum epistolarum inscriptionibus aliquis du-

bitaverit, quia de illa ad Ephesios omnimoda cum certitudine non constat[14]?

Suspicionem quoque illud movere censent, quod ab inscriptionibus solus David et pauci cantores davidico tempore celebres tamquam Psalmorum auctores nominentur[15]. Urgere nolumus, etiam Moysi et Salomoni a textu hebraico aliqua carmina attribui atque in versionibus plura auctorum nomina inveniri, sed id unum interrogabimus, annon obiectione hac omnis potius suspicio fraudis removeatur. Namque satis multi sunt Psalmi, qui exsilii tempore videntur esse conscripti, atque facile aliquis nomen insignioris cuiusdam prophetae illis praefigere potuisset; quod quum (paucissimis in textu alex. exceptis) factum non sit, non immerito concludimus, inscriptiones non collectoribus aut incertae traditioni sed auctoribus ipsis deberi. Concedimus vero, in nonnullis fortasse carminibus, quibus auctorum minus illustrium nomina erant praefixa, inscriptiones a librariis esse omissas.

Integram demum rem ultimo suo argumento confici putant; multas enim aiunt inscriptiones certissime esse erroneas et confictas, ergo omnes sua auctoritate privari[16]. Perbelle profecto argumentum, quod ad perfectum scepticismum historicum nos adducit! Multi numeri in historicis libris non tantum sacris sed etiam profanis relati certissime sunt erronei, ergo omnes reiiciamus et integram chronologiam destruamus etc. Id quidem sequeretur ex obiectione, si eius assertum concederetur, caute et diligenter esse examinandas singulas inscriptiones, antequam admittantur; at num assertum illud iure proponitur? Annon adversarii ipsi de tempore, cui singuli Psalmi originem debent, inter se continuo disceptant, ut idem Psalmus ab alio attribuatur davidico tempori, ab alio in exsilio dicatur compositus, ab alio ad machabaicam aetatem reiiciatur? Quo igitur cum iure asseverant, multas inscriptiones certissime esse erroneas, quum non tantum plerique interpretes catholici, sed etiam heterodoxi multi atque rationalistae nonnulli Psalmos ita interpretentur, ut argumentum inscriptioni correspondeat[17]?

Sed haec de inscriptionum auctoritate sufficiunt. Quoniam textus hebr. et versiones saepe dissentiunt, cauto et diligenti examine opus esse, quo genuinae a fictis discernantur, sponte et ultro concedimus; illas autem, quae unanimi textus hebraici et versionum praecipuarum testimonio approbantur, non magis, quam reliquas Scripturae partes, reiiciendas esse arbitramur; aliae secundum sanae criticae regulas diiudicandae sunt, neque asserere dubitamus, multas, quae in alexandrina et vulgata versionibus solis leguntur, genuinas posse demonstrari.

1. Nonnulli *viginti* Psalmos in Vulgata titulo carere dicunt (*Vigouroux* Manuel II. p. 241), quia *Alleluia*, quod octodecim praefigitur, inscriptionem non esse parum

recte censent. — Thalmudici Psalmum titulo carentem vocant *orphanum* (מזמורא יתומא).

2. *Theodoret.* in Psalm. Prooem. (M. 80,861); *Leont. Byzant.* c. Nestor. et Eutych. III. (M. 86,1365). *Theodoretus* (in Ps. 26,1) videtur indicare, Mopsuestenum inscriptiones ideo reiecisse, quia aliquas, quae in alexandrina versione leguntur, apte explicari non posse putabat. — Cfr *Kiehn* Theodor von Mopsuestia p. 70.

3. Primus fuit *G. I. L. Vogel* Dissertatio : Inscriptiones Psalmorum serius additas videri. Halae 1767. Quem secuti sunt praeter alios *Eichhorn* (Einleitung V. p. 44 sqq.), *Bertholdt* (Einl. p. 1978 sqq.), *Ewald* (Poet. BB des A. T. II. p. 276 sqq.), *De Wette Schrader* (Einl. p. 520 sq.), *Hupfeld Riehm* (Die Psalmen I. p. 45 sqq.), *Olshausen* (Die Psalmen. Leipz. 1853. p. 4 sqq.), *Reuss* (Gesch. d. A. T. p. 185), *Driver Rothst.* (Einl. 1896. p. 401 sqq.), *Cornill* (Einl. Ed. 3. 1896. p. 218 sqq.). — *Bleek Wellhausen* (Einl. p. 498 sqq.) rem in dubio relinquere videtur.

4. *Zschokke* Hist. s. A. T. p. 207 : « Tituli qui simul in hebr. et in versionibus alex. et lat. exstant, authentici habendi, ideoque divinitus inspirati sunt, utpote Psalmorum partes ». Quae recte dicuntur, dummodo sola textus hebraici cum Alex. et Vulg. consonantia criterium authentiae ne statuatur. — Ex antiquioribus aliqui inscriptiones a iuniore quidem manu (Esdrae) additas putaverunt, de divina tamen earum auctoritate non dubitarunt (cfr ex gr. *S. Thom. Aq.* in Ps. 6). Etiam moderni catholici plerique earum auctoritatem tenent, licet aliqui dubitent, num Psalmorum auctoribus an collectoribus debeantur; cfr *Herbst Welte* (Einl. II. 2. p. 206 sqq.), *Aug. Scholz* (Einl. III. p. 73 sqq.), *Danko* (Hist. rev. V. T. p. 276 sqq.), *Patrizi* (Cento Salmi. Roma 1875. p. 32 sqq.), *Thalhofer* (Erkl. d. Psalmen. Ed. 4. p. 6 sq.), *Vigouroux* (Man. bibl. II. p. 241 sqq.), *Kaulen* (Einl. Ed. 3. p. 306. 309 et Kirchenlex. Ed. 2. X. 1897. p. 590 sq.), Lesêtre (Les Psaumes, p. 4 sq.), *Hoberg* (Die Psalmen d. Vulg. 1892. p. XII.) etc. — Ex acatholicis praeter *Hengstenberg*, *Tholuck*, *Haevernick* eam admittunt Keil (Einl. Ed. 3. 1873. p. 362 sq.), *Delitzsch* (in Herzog P. R. E. Ed. 2. p. XII. 318), *Cook* (The Speaker's Comment. IV. p. 150 sq.), *Alex. Stewart* (*Lex mosaica.* 1894. p. 369 sqq.), *A. Watson* (l. c. p. 315 sq.) etc.

5. *Theodoret.* in Psalm. Prooem. (M. 80,861).

6. *Hupfeld Riehm* l. c. p. 46. Huius auctoris obiectiones praeprimis refutamus, quia fusius, quam alii, hanc quaestionem tractat (p. 45-51), reliqui nihil novi addunt.

7. Nonnulli adversarii subscriptiones librorum N. T. cum inscriptionibus Psalmorum comparant, ut utrasque reiiciendas esse concludant. At nulla ratione inter se comparari possunt; subscriptiones enim illae in iunioribus tantum codicibus graecis leguntur et a versionibus non sunt receptae; inscriptiones autem Psalmorum in omnibus codicibus et versionibus leguntur. Cfr *Vigouroux* l. c. p. 242.

8. *S. Chrysost.* De compunctione II. 4 (M. 47,415), *S. Hilar.* in Ps. 119. Prol. (M. 9,642); *S. August.* in Ps. 50. 53. 58. (M. 36,586. 619. 692), (*Ps.*) *Hier.* Brev. in Psalm. Prol. (M. 26,872) etc.

9. Cfr *Rosenmüller* Scholia in Psalm. Ed. 2. I. p. XXXIII.

10. *Exod.* 5,1; *Deut.* 31,30; 33,1; *Iudic.* 5,1; 1 *Reg.* 1,17; 22,1; 23,1 etc.

11. *Hupfeld Riehm* l. c. p. 47.

12. Si quis *Is.* 39,6 inscriptionem cantici Ezechiae aut *Hab.* 3,1 inscriptionem orationis prophetae comparaverit, statim videbit, quinam fuerit poetarum hebraicorum mos. In Proverbiis quoque et Cantico tituli cum libris ita sunt connexi, ut postea additi esse dici nequeant.

13. *Hupfeld-Riehm* l. c. « Verdächtig sind schon die Abweichungen und Zusätze in Handschriften (in vier resp. fünf Hdss. sind die namenlosen Pss. 66. u. 67. als davidisch bezeichnet) und besonders den alten Uebersetzungen, namentl. Alex. u.

Syr., worin man sie im Wachsen begriffen sieht » etc. Rectius forte dicetur, in textu hebr. eas esse diminutas; Ps. 67. (66.) etiam ab *Alex.* Davidi attribuitur, nec quidquam obstat, quominus 66. (65.) Davidi attribuatur. Probe quoque est animadvertendum, duos hos Psalmos esse solos anonymos (in hebr. textu), quibus praefigitur nota למנצח, quae omnibus aliis (i. e. quinquaginta tribus) in locis una cum nomine auctoris legitur; veri igitur simillimum est, in duobus his carminibus olim etiam adfuisse auctoris nomen.

14. De subscriptionibus librorum N. T. cfr n. 7 p. 88.

15. *Hupfeld Riehm* l. c. p. 48 : « Noch mehr verdächtig ist der auffallende Umstand, dass die Ueberschriften als Verfasser nur ein paar in der Tradition bekannte Namen, den David u. einige aus der Chronik bekannte Tempelsänger seiner Zeit nennen ». Timeo vero, ne adversarii, si nomina ignota in inscriptionibus invenissent, multo magis illa falsariorum fraudi attribuissent.

16. *Hupfeld Riehm.* l. c. p. 49 : « Entschieden wird aber die Unechtheit der Ueberschriften durch ihre häufig (?!) nachweisliche Unrichtigkeit, weil sie im Widerspruch stehen mit ihrem Inhalt »; p. 50 : « Es bleibt allerdings die Möglichkeit, dass *manche* Ueberschriften aus alter u. richtiger Ueberlieferung geflossen sind. Allein wenn auch nur *ein Theil* falsch ist, so sind sie dadurch *alle* für uns unbrauchbar »; *Olshausen* Die Psalmen p. 4 sq.

17. Recte *Vigouroux* l. c. p. 242 : « On s'appuie surtout sur le sentiment des critiques d'après lesquels, dans les livres III. IV. V. plusieurs Psaumes attribués à David etc. ne sont point de ces auteurs. — La question est de savoir si ces critiques ont raison. Or, ils n'établissent nullement, à part quelques exceptions, que les titres qu'ils attaquent sont faux; seulement, *quelquefois ils les expliquent mal, afin de les rejeter* ».

185. — Titulorum auctoritate stabilita de eorum sensu pauca tradere non erit abs re; de illis quidem, qui carminum genus definiunt, supra iam egimus (166. p. 22 sqq.), de auctoribus, quos nominant, infra disseremus (187 sq. p. 98 sqq.), quare hoc loco illos solos attingemus, qui Psalmorum modulationem musicam et usum liturgicum videntur indicare. Illud autem praenotemus oportet, de multis inscriptionibus, quippe quas Alexandrini non amplius intellexerint, certi nihil sed coniecturas dumtaxat magis minusve probabiles in medium afferri posse. Patres enim mysticis allegoricisque plerumque explicationibus contenti in literalem sensum earum raro inquisiverunt; iuniores vero interpretes inde a saec. 16. diligentius quidem accuratiusque eas tractaverunt, sed traditione certa destituti pro rei natura in diversissimas abierunt sententias.

I. Inter omnes titulorum partes longe difficillimae sunt illae, quae ad carminum MUSICAM RECITATIONEM pertinent. Neque id mirum est; etenim frequentissimum fuisse in antiqui templi liturgia cantus et instrumentorum musicorum usum, satis multis testimoniis librorum sacrorum edocemur, neque dubitationi est locus, quin musica ars ad altum perfectionis gradum ab eis sit evecta; quas autem regulas in canendo observarint et quae fuerit musicae sacrae indoles atque natura, prorsus ignoramus; instrumentorum nomina satis multa nobis sunt

conservata, nihil vero certi traditum est de eorum structura. Quapropter facile intelligitur, cur in hisce inscriptionibus explicandis tantus sit dissensus, ut tot fere sint sententiae, quot interpretes. Omnium coniecturas referre et diiudicare quum huius loci nostrique muneris non sit, illam sententiam solam proponemus, quae utpote melioribus argumentis munita magis nobis probatur [1].

1. Frequentissima est expressio לַמְנַצֵּחַ; quinquaginta enim Psalmis praefigitur, quorum duo tantum in textu hebr. (unus solus in Alex. et Vulg.) sunt anonymi, longe plerique autem Davidi auctori attribuuntur; semel praeterea legitur in orationis prophetae Habacuc (3,19) subscriptione. Ab *Alexandrinis*, qui omisso מ videntur legisse לנצח (vel retento litera initiali לַמְנַצֵּחַ?) in Psalmis semper vertitur εἰς τὸ τέλος (Vulg. *in finem*), a *Chaldaeo* לְשַׁבָּחָא (*ad laudandum*). Reliqui graeci interpretes et S. Hieronymus vocabulo significationem *vincendi* inesse rati variis modis illud transtulerunt : ἐπινίκιον (*Symm.*), εἰς τὸ νῖκος (*Theodot.*), τοῦ νικῆσαι (*Alex.* in Hab. 3,19), τῷ νικοποιῷ (Aq.), victori (*S. Hier.*). Alexandrinam interpretationem Patres allegorice fere explicant : *Theodoretus* « *In finem*, inquit, significat fore, ut longis post saeculis quae praedicit, perficiantur » ; *Eusebius* Aquilae simul versionem respiciens : « Psalmi *in finem* inscripti *finem* praedicant ac *victoriam* Christi, qui David vocatur » ; *S. Hilarius* Origenem secutus, qui fuse de philosophica *finis* definitione agit : « Psalmi, qui inscribuntur *in finem* ita intelligendi sunt, ut ex perfectis et absolutis bonorum aeternorum doctrinis et speciebus exsistant : quia ad ea, quae in his dicentur, fidei se nostrae cursus extendat et in his, nullo ulteriore tendens procursu, ipso suo optatae et adeptae beatitudinis *fine* requiescat » [2]. Moderni nonnulli, interpretatione allegorica omissa, nihil aliud vocabulo indicari censent, nisi carmen in liturgiae *fine* esse decantandum [3]. Communior tamen altera est explicatio, quam praeferendam ducimus. Etenim נִצֵּחַ satis frequenter in iunioribus libris (Paralip. et Esdr.) usurpatum ubique significat « rei alicui praeesse, quae ad cultum divinum spectat », atque viri, quos Salomon operariis in templo aedificando occupatis praeposuerat, vocantur מנצחים [4]. Speciatim autem vocabulum adhibetur de iis, « qui canebant cytharis in octava, *ut praecinerent* (לְנַצֵּחַ) », unde מְנַצֵּחַ *praecentorem* videtur designare aut *cantorum magistrum* [5]; inscriptione autem indicari censemus carmen praecentori tradendum, ut in liturgia decantetur [6]. — Ter vocabulo nostro additur nomen *Iduthun*, quem unum ex praefectis cantorum fuisse Paralipomena insinuant [7].

1. De titulis Psalmorum fuse agunt ex antiquioribus praesertim *Agellius* (Comm. in Psalm. p. 7-17) et *Bellarminus* (in Comment. passim); nonnullos titulos fusius explicat *Calmet.* (Comm. ed. Mansi. 1775. IV. p. 14-18. 49 sqq.); ex recentioribus *Patrizi* (Cento Salm. p. 23-32.), *Vigouroux* (Manuel bibl. II. p. 259-267), *Lesêtre* (Les Psaumes p. 41 sq.) et aliae Introduct. et Comment. — Inter protestanticos conferri merentur *Ro-*

*senmüller* (Scholia I. p. XXXVI sqq.), *Moll* (Der Psalter. Bielefeld 1869. p. 11 sqq. 24 sqq.), *Delitzsch* (Comm. über d. Psalmen. passim), *Strack* (Einl. Ed. 4. 1895. p. 123 sq.).

2. *Theodoret.* in Ps. 4 (M. 80,888), *Euseb.* in Ps. 4 (M. 23,110), *S. Gregor. Nyss.* in Psalm. tr. II. 2. (M. 44,492), *S. Hilar.* in Psalm. Prol. 18 (M. 9,244), *Orig.* in Psalm. (M. 12,1053) etc.

3. *Kaulen* Einleitung p. 259.

4. Cfr 2 *Paral.* 2,1; 34,13; 1 *Esdr.* 3,8. 9.

5. 1 *Paral.* 15,21. Eundem sensum attribuit *Bellarminus* (in Ps. 4) vocabulo *Victori*, « optimo cantori, qui praepositus est concinendis hymnis ». Dubito autem, an Aq. et S. Hier. sua versione hunc sensum exprimere voluerint.

6. Quoniam τέλος a iunioribus scriptoribus interdum adhibetur pro τελετή, quo vocabulo initiatio mysteriorum aut alii sacri ritus designantur, nonnulli etiam graecam inscriptionem εἰς τὸ τέλος explicant « *in usum liturgicum* », at parum recte, quia a LXX nunquam τέλος hac in significatione usurpatur. Rectius alii chaldaicae inscriptioni « *ad laudandum* » censent inesse sensum « ad celebrandum Deum cultu sacro ».

7. *Ps.* 39. 62. 77 hebr. לִידוּתוּן vel עַל יְדוּתוּן. — 1 *Paral.* 15,19 tres cantores praecipui vel praefecti musicae nominantur *Heman*, *Asaph* et *Ethan*, sed 25,1 Asaph, Heman et *Iduthun*, cuius filii quoque eodem munere functi esse videntur (25,3). *Patrizi* l. c. p. 22 probabile reddit, Iduthun esse alterum nomen *Ethanis*, integros autem trium istorum praefectorum choros a praefecti sui nomine esse denominatos; unde *lamnaçeach 'al Iduthun* significare putat « al prefetto sopra Iduthun » i. e. « sopra la classe o coro di musici, cui per il primo egli presedette ».

2. Nonnulla vocabula designant instrumenta musica, ad quorum concentum Psalmi decantari solebant. Huc spectant

בִּנְגִינוֹת (*Alex.* et *Theod.*) ἐν ὕμνοις; *Vulg.* in carminibus; Aq. ἐν ψαλμοῖς; *S. Hier.* in psalmis; *Symm.* διὰ ψαλτηρίων)[8]. Quoniam *niggen* (manu attrectavit) eodem fere modo, quo gr. κρούειν (*pulsare*), maxime de instrumentorum pulsatione adhibetur, quae digito vel plectro attrectata sonum concinnum edunt, vox *neginoth* denotat instrumenta pulsatilia, atque omnium eorum, quae fidibus instructa erant, nomen commune fuisse videtur[9]. Cui explicationi consonat Symmachi versio διὰ ψαλτηρίων, neque ab ea omnino dissentiunt aliae versiones, siquidem ὕμνος et ψαλμός proxime designant carmen ad *cytharae* vel *psalterii* concentum decantandum.

אֶל־הַנְּחִילוֹת (*Alex.* et *Theod.* ὑπὲρ τῆς κληρονομούσης, Vulg. pro ea, quae haereditatem consequitur, *Aq.* ὑπὲρ κληροδοσιῶν, *Symm.* ὑπὲρ κληρουχιῶν, *S. Hier.* super haereditatibus *Chald.* עַל חִנְגִּין [ad tibias]). Patres, quibus sola Graecorum interpretatio cognita erat, inscriptionem hanc, soli *Ps.* 5. praefixam, interpretantur de « anima vel Ecclesia, quae in divinam haereditatem Dei famulis praeparatam ducitur. Est quippe haereditas Deum colentibus parata et haec quidem non corruptibilis neque in divitiis sensum moventibus constat » etc[10]. Verum Agellius iam adnotat, Hebraeos « musicum instrumentum intelligere, quod sonum habeat ei, quem volans apis edit, persimilem, unde etiam nomen traxerit, quum apud eos *Nechil* examen apum significet ». Moderni quoque plerique[11] instrumentum vocabulo designatum putant, sed statuentes נְחִילוֹת scribi pro נְחִלוֹת, quod partic. pass. quoddam

sit rad. חָלַל (*perforavit*), cum Chaldaeo intelligunt instrumenta perforata i. e. *tibias*, quae altero nomine ab eadem radice derivato vocabantur חֲלִלִים. Tempore secundi templi tibias in liturgia adhibitas esse constat; id etiam iam ante exsilium obtinuisse disertis quidem testimoniis non demonstratur, iure autem ex eo concluditur, quod filii prophetarum in sacra quadam peregrinatione iam Samuelis tempore illas adhibuerint atque filii Israel ad montem Sion ascendentes laetitiam cordis sono tibiarum exprimere sint soliti [12]. Probabile quoque est, eadem ratione, qua nomen *neginoth* omnia instrumentorum quae pulsantur genera comprehendat, voce *nechiloth* omnia illa designari, quae inflantur [13].

A nonnullis, praesertim antiquioribus interpretibus, alii quoque tituli huc trahuntur, quos omittimus, quoniam alteram eorum significationem probabiliorem esse statim ostendemus.

3. Duae expressiones sonum vocis, qua Psalmi nonnulli decantandi erant, videntur exprimere. Duobus enim praefigitur עַל־עֲלָמוֹת (*Alex.* ὑπὲρ τῶν κρυφίων; *Vulg.* pro occultis; *Aq.* ἐπὶ τῶν νεανιοτήτων; *Hier.* pro iuventutibus; *Symm.* ὑπὲρ τῶν αἰωνίων) [14], atque duobus עַל־הַשְּׁמִינִית (*Alex.* ὑπὲρ τῆς ὀγδόης; *Vulg.* pro octava; *Aq.* ἐπὶ τῆς ὀγδόης; *S. Hier.* super octava; *Symm.* περὶ τῆς ὀγδόης; *Chald.* ad cytharam octo chordarum *Ps.* 6. 12. *hebr.*). Utraque expressio etiam 1 *Paral.* 15,19-21 legitur, quo in loco de musica sacra sermo est. Tres cantorum chori a Davide sunt constituti; in primo erant Asaph Eman et Ethan gerentes cymbala aenea לְהַשְׁמִיעַ « *ut facerent audire* », i. e. ut cantum regerent instrumentorum suorum pulsu modos numerosque moderantes; in altero octo erant cantores, qui gerebant nabla, עַל עֲלָמוֹת « more virginum » i. e. voce virginea seu acuta (soprano) canentes; in tertio demum iterum octo gerebant cytharas, ut עַל הַשְּׁמִינִית « in octava » scilicet inferiore (basso) praecinerent (לְנַצֵּחַ) [15]. Duabus igitur expressionibus nostris vocem gravem et vocem acutam designari plerique moderni censent; atque profecto carmina, quae *ʿal-haschminith* inscribuntur, lugubria sunt et tristia (*Ps.* 6. 11), carmina vero, quae *ʿal-ʿalamoth* decantari iubentur, laeta sunt et triumphalia (*Ps.* 45. et prior pars *Ps.* 9). Alii tamen musica instrumenta nominibus istis significari censent, sed parum recte, quoniam 1 *Paral.* 15 instrumenta trium chororum alia nominantur. Patres, ut terminos graecos explicent, allegoriae indulgent [16].

8. *Ps.* 4. 6. 54. 55. 67. 76 hebr.; *Habac.* 3,19.

9. Cfr *Patrizi* l. c. p. 29.

10. *Euseb.* in Ps. 5 (M. 23,116); *S. Gregor. Nyss.* in Ps. tr. II. 5 (M. 44,504) etc. — Graecos interpretes aliis vocalibus nostrum vocabulum legisse evidens est; omnes illud derivarunt a rad. נָחַל (*haereditatem accepit*), atque *Alex.* legerunt הַנֹּחֶלֶת, *Aq.* autem et reliqui הַנְּחָלוֹת.

11. Neque tamen omnes; *Fürst-Ryssel* (Hebr. Handwörterbuch. Ed. 3. 1876.), nescio quo fundamento nixi, intelligunt chorum musicorum, qui in oppido, cui nomen

נחילות, sedem suam habuerit; at nec oppidi istius vestigium ullum invenio nec probabile puto, ab oppido chorum esse denominatum.

12. Cfr 1 *Reg.* 10,5; 3 *Reg.* 1,40; *Is.* 30,29. Secundum *Thalm.* tr. Erachin non tantum in quotidiana liturgia tibiae adhibebantur, sed praecipuus eorum erat usus in parasceve paschatis, quando agni paschales mactabantur, atque in festo tabernaculorum.

13. *Patrizi* l. c. « Può credersi... che *nechiloth* fosse il nome generico di tutti gli strumenti da fiato ».

14. *Ps.* 45. hebr. et *Ps.* 9. In hodierno textu Ps. 9. legitur quidem עַל מוּת לַבֵּן, quod haud pauci moderni interpretes pro initio carminis habent, ad cuius melodiam *Ps.* 9. erat decantandus (*Mors filio*, vel mutatis vocalibus : *mors pallidum reddidit*); sed omnes graeci interpretes eandem lectionem, quam Ps. 45., exprimunt addito vocabulo לבן (*Alex.* ὑπὲρ τῶν κρυφίων τοῦ υἱοῦ = עַל עֲלָמוֹת לַבֵּן; *Aq. Theod.* V., VI. ὑπὲρ νεανιότητος τοῦ υἱοῦ, ὑπὲρ ἀκμῆς τοῦ υἱοῦ = עַל עֲלָמוּת לַבֵּן), quam Patres fere de mysteriis *filii Dei*, i. e. de eius incarnatione aut de eius passione etc., interpretantur. Omnino autem praeferenda est lectio עַל עֲלָמוֹת לְבֵן. Etenim *Ben* in 1 *Paral.* 15,18 inter levitas nominatur, atque vix est dubium, quin sit idem, atque *Benaia*, qui 1 *Paral.* 15,20 unus est ex illis, qui cytharis concinunt עַל עֲלָמוֹת; quare inscriptio Ps. 9. vertenda est : « tradendus praecentori, ut decantetur a choro virginum Benaiae ».

15. *Patrizi* l. c. p. 28 probabile reddere conatur, 1 *Paral.* 15,19-21 tres voces distingui, atque primo loco nominari vocem gravem (*le haschmia* « il basso *fa udire*, cioè aggiunge corpo, vigore, robustezza all'insieme delle voci messi in armonia »), secundo loco vocem acutam (*ál-álamoth* : su vergini = il soprano), tertio loco vocem mediam (*ál-haschminit* nella ottava : il tenore e considerato come *la guida* del canto = lenaçeach ad dirigendum).

16. Cfr *Orig.* in Ps. (M. 12,1061 sq.) « Duos Psalmos *pro octava* inscriptos arbitror salutarem resurrectionis Domini diem adumbrare... Qui inscripti sunt *pro occultis*, occultum quoddam et latens bellum necnon de invisilibus et spiritualibus inimicis victoriam Salvatoris nostri continent »; *Euseb.* in Ps. 6. 9. etc. (M. 23,120. 132); *S. Greg. Nyss.* in Psalm. II. 5 (M. 44,504) etc.

4. Aliae demum inscriptiones aut argumentum aut prima vocabula indicant carminis magis cogniti, ad cuius melodiam psalmus erat decantandus. Huc videntur pertinere :

עַל־אַיֶּלֶת הַשַּׁחַר (*Alex.* ὑπὲρ τῆς ἀντιλήψεως τῆς ἑωθινῆς et *Symm.* ὑπὲρ τῆς βοηθείας τῆς ὀρθρινῆς; *Vulg.* pro susceptione matutina; *Aq.* ὑπὲρ τῆς ἐλάφου τῆς ὀρθρινῆς et *S. Hier.* pro cervo matutino. *Ps.* 22 *hebr.*). Quin expressio hebraica « *cerva aurorae* » vix quidquam aliud praeter carmen, quod sive a suo argumento sive a primis suis vocabulis hoc nomine sit appellatum, designare possit, nemini opinor erit dubium; « cerva aurorae » autem poetis orientalibus est sol matutinus primos suos radios spargens. Alexandrini et Symm. pro אַיֶּלֶת legerunt אֱיָלוּת (cfr *Ps.* 22,20) atque carmen hoc putaverunt esse precationem, qua Deus rogatur, ut *cito* auxilium mittat. Quam explicationem praefert Agellius, postquam primo in loco velut probabilem alteram Eusebii attulit, qui susceptionem matutinam intelligit « auxilium illud, quod Salvatori nostro Pater Deus praestitit, quum sub auroram a mortuis est

resuscitatus »; at Psalmus noster integer in ***passione*** Messiae describenda versatur[17].

עַל־שֹׁשַׁנִּים (*Alex.* ὑπὲρ τῶν ἀλλοιωθησομένων; *Vulg.* pro iis qui commutabuntur; *Aq.* ἐπὶ τοῖς κρίνοις et *S. Hier.* pro liliis; *Symm.* ὑπὲρ τῶν ἀνθῶν. *Ps.* 45. 69. hebr.), cui omnino vicinae sunt inscriptiones *Ps.* 60. hebr: עַל־שׁוּשַׁן עֵדוּת (*Alex.* τοῖς ἀλλοιωθησομένοις ἔτι; *Vulg.* uti *Ps.* 45; *Aq.* ἐπὶ κρίνων μαρτυρίας; *S. Hier.* pro liliis testimonium; *Symm.* ὑπὲρ τῶν ἀνθῶν μαρτυρία) atque *Ps.* 80. *hebr.*: אֶל־שֹׁשַׁנִּים עֵדוּת (*Alex.* et *Vulg.* ut supra; *Aq.* ἐπὶ κρίνων μαρτυρία; *Hier.* et *Symm.* ut supra). Tres expressiones idem videntur designare canticum, cuius fortassis initium fuerit : ***Lilia sunt testimonium***. Alexandrini probabiliter legerunt שֶׁשֹּׁנִים (= אֲשֶׁר שֹׁנִים), eorum autem interpretatio Patribus occasionem dedit multarum allegoricarum accommodationum, quas ad duas classes apte redigimus : qui immutabuntur, aut sunt illi, qui ex mortali corpore exuviis mortalitatis abiectis ad immortalitatem transituri sunt, aut illi, qui in hac vita de errore ac vitiis ad veritatem et iustitiam commutantur[18].

עַל־יוֹנַת אֵלֶם רְחֹקִים (*Alex.* ὑπὲρ τοῦ λαοῦ τοῦ ἀπὸ τῶν ἁγίων μεμακρυμμένου; *Vulg.* « pro populo, qui a sanctis longe factus est »; *Aq.* ὑπὲρ περιστερᾶς ἀλάλου μακρυσμῶν; *S. Hier.* « pro columba muta, eo quod procul abierit [David] »; *Symm.* ὑπὲρ τῆς περιστερᾶς, ὑπὲρ τοῦ φύλου ἀπωσμένου, V. ὑπὲρ τῆς περιστερᾶς τῆς μογιλάλου κεκρυμμένων. *Ps.* 56. ***hebr.***). Alexandrini, ut videtur, ***columbam*** (יוֹנָה) metaphorice interpretati inscriptionem de populo exsulante intellexerunt eadem ratione, qua Chaldaeus : « Pro populo Israel, qui similis erat columbae silentii, quando remotus erat a civitatibus suis ». Phrasis hebraica difficillima est explicatu atque probabiliter corrupta ; moderni interpretes tantum non omnes carmen quoddam istis vocabulis indicari putant, sed alii vocalibus mutatis (יוֹנַת אֵלִים רְחֹקִים) initium eius explicant : « columba muta longinque agentium », alii vocabulis alio modo separatis (יוֹנַת אֵל מֵרְחַק־יָם) : « columba Dei ab extremo mari », alii alio modo.

Quatuor Psalmis (57-59. 75. hebr.) praefigitur inscriptio אַל־תַּשְׁחֵת (*Alex.* et reliqui Graeci : μὴ διαφθείρῃς; *Vulg.* ne disperdas). Graecam interpretationem *S.* ***Hilarius*** refert ad resurrectionem Domini, qua corpus eius a corruptione servatum est, *S.* ***Augustinus*** ad titulum crucis, quem Pilatus mutare (corrumpere) noluit, ***Theodoretus*** ad Davidem, qui a Saulis occisione abstinuit, cuiusque exemplo ad patientiam et longanimitatem invitamur etc.[19]; quas omnes explicationes allegoricas magisque minusve arbitrarias esse manifestum est. Ex antiquioribus interpretibus aliqui miro hoc nomine instrumentum musicum designari asseruerunt; multo rectius censent moderni omnes, vocabula esse initium carminis, ad cuius modulos psalmi alii erant decantandi.

Quae sit significatio inscriptionum עַל־מַחֲלַת et עַל־מַחֲלַת לְעַנּוֹת (*Ps.* 53. 88. hebr.) prorsus nos latet. Alexandrini vocabulum hebraicum retinuerunt (ὑπὲρ Μαελέθ et ὑπὲρ Μαελὲθ τοῦ ἀποκριθῆναι *Vulg.* : pro Maheleth, et pro Ma-

heleth ad respondendum), reliqui Graeci, quos sequitur S. Hieronymus, chorum saltantium laetantiumque intelligunt (*Aq.* ἐπὶ χορείᾳ *Symm.* διὰ χοροῦ, *Theod.* et V ὑπὲρ τῆς χορείας; *S. Hier.* per chorum)[20]. Inter modernos alii aethiopicum nomen cytharae comparantes instrumentum fidibus instructum indicatum censent; alii vocabulum derivant a rad. חלל et tibias intelligunt; alii chorum musicorum quendam ab oppido *Mechola* (*Iudic.* 7,22) denominatum esse putant; alii demum (rectius ni fallor) modulos, ad quos decantandi erant Psalmi, initio alterius carminis indicari putant; duo autem carmina, quibus praefigitur hic titulus, lugubria sunt, et *Machaleh* (rad. חלה) dolores morbosque significat, quare inscriptio forte docere vult, ea esse maesto modo decantanda.

5. Musicis inscriptionibus adiungimus vocabulum סֶלָה, quod licet plus septuagies in Psalmis et Hab. 3. legatur, in Vulgata nostra semper est omissum. Quot eius antiquitus iam exstiterint explicationes docet *S. Hieronymus* a pia matrona Marcella hac de re interrogatus[21]; antiquis autem moderni interpretes non paucas novas interpretationes addiderunt neque tamen rem definierunt. Praetermittere licet quum eos, qui vocem pro scripturae compendio habent, quo nostrum *da capo* aut *tutti* etc. exprimatur, tum eos, qui cum *Chald.* (לעלמין), *Aquila* (ἀεί); (*S. Hier.*) (« semper ») eam denotare putant, « sempiterna esse, quae dicta sint » (*S. Hier.*). Melius alii cum *Alex. Symm. Theodot.*, a quibus διάψαλμα redditur, illam esse signum musicum coniiciunt, quo aut silentium praecipitur (« pausatio spiritus » *S. Hier.*), ut cantoribus tacentibus menti tempus concedatur « ad divinam illustrationem recipiendam » (*S. Greg. Nyss.*) vel etiam ut cantu cessante concentus continuetur instrumentorum (interludium), aut mutatio significatur, sive sensus vel argumenti (*S. Aug.*), sive musicae cantilenae vel rhythmi (*Orig.*), sive forte cantorum illis in psalmis, qui alternantibus choris cantabantur, ita ut priore stropha terminata alteram ab altero choro cantandam esse moneatur[22].

17. Cfr *Euseb.* Demonst. evang. X. et in Ps. 21. (M. 22,764; 23,201); *S. Aug.* in Ps. 21. Enarr. 1. (M. 36,167) etc. Eandem quoque indicat *S. Athanas.* (M. 27,132. 732), sed alteram praemittit: « Canitur hic Psalmus pro susceptione matutina, quia a nocte et caligine diabolica nos liberavit emicans Dei Verbum, oriens ex alto ».

18. Utramque explicationem tradit *S. Hieron.* ad Princip. ep. 65,4 (M. 22,625). Miro modo *S. Gregor. Nyss.* in Psalm. tr. II. 4. (M. 44,501) varias graecas explicationes conciliare conatur.

19. *Orig.* in Psalm. Fragm. (M. 12,1061 sqq.); *S. Hilar.* in Ps. 56. n. 2 (M. 9,363); *S. August.* in Ps. 56. n. 3 (M. 36,663); *Euseb.* in Ps. 56. (M. 23,505), *S. Gregor. Nyss.* in Psalm. tr. II. 3 (M. 44,493) etc.

20. Cfr *S. Gregor. Nyss.* l. c. tr. II. 6 (M. 44,508): « Omnem victoriam de hostibus sudore et labore reportatam docet inscriptio ὑπὲρ Μαελέθ laetitia et choris esse excipiendam, quum omnis creatura rationis particeps sese victoribus, quasi in chori concentu, attemperet ».

21. *S. Hieron.* ad Marcell. ep. 28. De voce Diapsalma (M. 22,433); ibidem sententiam *Origenis* ex eius epistola quadam refert.

22. Ultimam sententiam primus *I. K. Zenner* S. I. (Die Chorgesänge im Buche der Psalmen. Freiburg 1896. I. p. 18 sq.) proposuit antiquorumque nonnullorum testi-

moniis confirmare conatus est. Etymologiae graeci nominis διάψαλμα (δια-ψάλλειν alternatim canere, cfr διαλέγειν alternatim loqui) explicatio omnino congruit; num etiam etymologiae hebraici *Selah* dubitatur.

186. — II. « Domini et Apostolorum documenta et exempla et praecepta », ut S. Augustini verbis utar, secuta est Ecclesia, quum magnam partem liturgiae suae Psalmis constare vellet[1]. Quem usum Dominum ex antiqua synagoga retinuisse manifestum est. Fateamur quidem oportet non omnes Psalmos a Davide aliisque sacris poetis proxime in usum liturgicum esse compositos; singularibus enim occasionibus haud pauci originem suam debent atque auctoris solius sensus affectusque potius exprimunt, quam integri populi; attamen saltem secundi templi tempore omnes in sacra liturgia esse adhibitos satis constat, atque multi etiam sunt, quos auctores ipsi eum in finem videntur conscripsisse, ut sacrae liturgiae inservirent. Quapropter aliquas etiam inscriptiones, quae LITURGICUM USUM Psalmorum spectant, ab ipsis sacris auctoribus esse profectas arbitramur, alias tamen a iuniore manu additas esse non negamus.

1. Secundi templi tempore singuli hebdomadae dies suos habebant psalmos; in textu quidem massorethico solus *Ps.* 92. (91.) inscriptus est לְיוֹם הַשַּׁבָּת (*Alex.* εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ σαββάτου *Vulg.* in die sabbathi); at in Alexandrina et Vulg. *Ps.* 23. inscribitur τῆς μιᾶς σαββάτου, *Ps.* 47. δευτέρας σαββάτου, *Ps.* 93. τετράδι σαββάτου, *Ps.* 92. τοῦ προσαββάτου, quae cantica Thalmude teste illis diebus in templo decantabantur, sicuti die 3. recitabatur *Ps.* 81. et die quinta *Ps.* 80[2]. Is autem erat ritus, ut sacrificio matutino vix oblato cymbala pulsarentur et cantus inchoaretur, Psalmus autem assignatus in tres partes divideretur et pausis satis longis singulae ab invicem separarentur.

Alia quoque sacrificia certos suos habebant psalmos : *Ps.* 100. (99.) inscribitur לְתוֹדָה (εἰς ἐξομολόγησιν, *in confessione*[3]); *zebach thodah* autem vel simpliciter *thodah* vocabatur illud sacrificiorum pacificorum genus, quod ad gratias de beneficio accepto agendas offerebatur[4]; inter sacrificia eucharistica igitur *Ps.* 99. erat decantandus. *Psalmi* 38. et 70. (37. 69.) inscribuntur לְהַזְכִּיר (εἰς ἀνάμνησιν, *in rememorationem*)[5]; incruenti autem illius sacrificii (*Minchah*) pars, quae in altari incendebatur cuiusque odor ad Dominum ascendebat, ut ei sacrificantis *memoriam* quodammodo revocaret, אַזְכָּרָה (*Alex.* μνημόσυνον; *Vulg.* memoriale) vocabatur[6]; atque iure merito videntur moderni interpretes statuere, inscriptione sua duos istos Psalmos destinari, ut inter illud sacrificium decantarentur. Probabile autem esse arbitramur, hos maxime titulos, quibus aliqua carmina certis hebdomadis diebus aut certis sacrificiis assignantur, auctoribus non deberi.

2. Nonnullis Psalmis, maxime ultimi libri, praefigitur velut epiphonema הַלְלוּ יָהּ (ἀλληλούια *alleluia*[7]); quae inscriptio, etsi etiam carminum argu-

mentum vel scopum indicare aliquo modo possit, rectius tamen, saltem in nonnullis, ad liturgicum usum pertinere dicitur. Etenim « hic Psalmus 112., inquit *Paulus Burg.*, cum quinque sequentibus vocatur ab Hebraeis *alleluia magnum* i. e. hymnus magnus, de quo singularem faciunt sollemnitatem; nam in tribus praecipuis festis et in neomeniis stantes istum hymnum cantant cum maiore sollemnitate, quam ceteros Psalmos totius psalterii. Insuper in nocte paschatis, quando agnus paschalis comedebatur, post eius comestionem recumbentes ad mensam ipsum hymnum sollemniter dicebant. Unde de hoc hymno ex istis sex Psalmis composito intelligi debet illud, quod imminente passione in Matthaeo (26,30) legitur : *Hymno dicto* etc., eo quod Christus post agni paschalis comestionem huiusmodi ritum conservans hymnum praedictum cum Apostolis recitavit ». Attamen ex rabbinis videtur constare, sex illos Psalmos ab Hebraeis vocari *Hallel aegyptiacum*, atque *Ps.* 135 (136) solum appellari Hallel magnum[8].

3. Supra (166. p. 23) iam adnotavimus ex multorum interpretum sententia etiam inscriptionem « *Psalmus graduum* » (*Ps.* 119-133) esse liturgicam, quoniam ista cantica aut a levitis in festo tabernaculorum stantibus in gradibus scalae, qua ex mulierum atrio in atrium virorum ascendebatur, aut ab Israelitis ad montem Sion ter in anno ascendentibus decantata sint. Maiore autem cum iure liturgicum usum duae aliae inscriptiones denotare dicuntur.

Tres Psalmi (8. 81. 84. *hebr.*) inscribuntur עַל הַגִּתִּית, quo titulo moderni interpretes multi aut instrumentum musicum (cythara gathitica) aut melodiam quandam (ad modulos gathiticos) indicari censent. Attamen cum *Alex.*, *Symm.*, *S. Hier.* rectius legimus עַל־הַגִּתּוֹת (ὑπὲρ τῶν ληνῶν, *pro torcularibus*). Sicuti enim Graeci suos ὕμνους ἐπιληνίους habebant, ita Iudaei quoque vindemiarum tempore laeta carmina usurpabant (*Iudic.* 9,26; *Is.* 16,10); tria autem nostra carmina, quae benignitatem Dei celebrant, eum in finem videntur esse composita, ut vindemiis finitis in festo tabernaculorum Deo grates agerentur. « Tertium festum, inquit iam *Theophylactus*, erat scenopegia, quam celebrabant, ut gratias agerent pro comportatione frugum... Unde et Psalmos quosdam davidicos, qui *pro torcularibus* inscribuntur, multi dicunt a Davide in hanc festivitatem esse compositos, propterea quod eo tempore torcularia vindemiantes implerent ideoque gratias agerent; quare etiam in *Ps.* 8. meminit bonorum, quae a Deo nobis concessa sunt »[9].

Liturgicum quoque usum indicari arbitramur inscriptione *Ps.* 30 (29) שִׁיר־חֲנֻכַּת הַבַּיִת (*Alex.* ᾠδὴ τοῦ ἐγκαινισμοῦ τοῦ οἴκου; *Vulg.* canticum in dedicatione domus; *Symm.* ὑπὲρ ἐγκαινισμοῦ; *S. Hier.* pro dedicatione). Etenim cum Agellio multisque interpretibus antiquioribus et modernis censemus domum non significare palatium regium (« domus David »), nam vix est dubium, quin hoc in loco, sicut in reliquis titulis, לְדָוִד auctorem carminis nominet, *domus* autem absolute positum de palatio regio nemo intelliget, sed de domo κατ' ἐξοχήν i. e. de templo. David vero templum dedicavit, quum cessante peste in area Ornan, in qua templum exstruendum erat, altare erexit primisque sacrificiis oblatis dixit : « Haec est domus Dei et hoc

altare in holocaustum Israel ». Atque huic occasioni integrum carmen aptissime correspondere optime ostendit Agellius[10].

1. *S. August.* ad Ianuar. epist. 55,18 (M. 33,221).

2. Cfr *Lightfoot* Ministerium templi tempore Servatoris nostri. VII. 2,3 (Ugolini Thesaurus IX. 864).

3. *S. Gregor. Nyss.* in Psalm. II. 6 (M. 44,572) : « *Confessionis* quum secundum Scripturas duplex sit significatio (modo enim peccatorum quae commisimus manifestationem modo gratiarum actionem significat), hac inscriptione utroque sensu ad vitam ex virtute agendam manuducimur » etc. *S. August.* in Ps. 99 (M. 37,1271) alterum sensum solum admittit : « Psalmus iste *in confessione* ad hoc nos exhortatur, ut iubilemus Deo » ; *Eusebius* sequitur solum priorem sensum.

4. Cfr *Ps.* 107(106),22; 116(115),17; 56(55),13; 2 *Paral.* 29,31. — De sacrificiis eucharisticis, quae inscriptione designari recte docuit *Agellius*, cfr *Lev.* 7,12 sqq.

5. Cfr *S. Gregor. Nyss.* l. c. : « Quibus praeponitur *in rememorationem*, illi compendiariam quandam salutis doctrinam tradunt »; *S. Hilar.* in Ps. 69,1 (M. 9,490) : « *Rememorationis* precatio ei competit, qui se incidere in oblivionem eius, a quo vel auxilium vel veniam expetat, pertimescit et aut sui ad salutem commemorationem fieri desideret, aut eorum ad poenam, qui sibi semper infesti sunt ». Alii Patres alio modo, sed omnes allegorice; cfr *Agell.* l. c. p. 12 sq.

6. *Lev.* 2,2. 9. 16; 5,12; 6,8; *Num.* 5,26; cfr *Is.* 66,3 מַזְכִּיר לְבֹנָה « qui thus in memoriam offert ». Cfr *Scholz* Die heil. Alterthümer II. p. 201.

7. Carmina alleluiatica in textu hebr. sunt: 106(105). 111-113. (110-112). 117(116). 135(134)146-150(145-150). Quibus accedunt secundum Alex. et Vulg. 104. 106. 113. 114. 115. 117. 118. 135.

8. *Paul. Burg.* in Addit. ad Lyrani Postil. in Ps. 112. — Secundum *Delitzsch* (Comm. II. p. 299) in Thalm. et Midraschim *Hallel magnum* interdum vocantur Ps. 136(135) solus, interdum Ps. 135,4-136,26 (134. 135), interdum Ps. 120-136 (119-135). Cfr etiam *Bickell* Messe u. Pascha. Mainz 1872. p. 50 sq.

9. *Theophyl.* in Ioan. 7 (M. 124,276); eodem fere modo *S. Thom.* in Ps. 8. — Patres autem multi allegorizantes torcularia intelligunt ecclesias, « eadem ratione, inquit *S. August.*, qua et aream intelligimus Ecclesiam ». Cfr *Orig.* Fragm. (M. 12,1060); *Euseb.* in Ps. 8. (M. 23,125); *Theodoret* in Ps. 8. (M. 80,913); *S. August.* in Ps. 8. (M. 36,109) etc.; sed *S. Gregorio Nyss.* (in Psalm. II. 5. M. 44,505) « torcular est conscientia; in torculari enim uniuscuiusque animae botrus operum vinum nobis in futuram vitam reponet ». Alii aliter.

10. 1 *Paral.* 21 et 22. Cfr *Agell.* l. c. p. 119.

## § 9. — *De origine Psalmorum et Psalterii.*

187. — Utrum David solus sit omnium Psalmorum auctor an aliqua carmina ab aliis poetis sacris sint composita, antiqua est controversia, de qua etiam in Concilio Tridentino actum est. Etenim quum de canone statuendo ageretur atque in schemate proposito *Psalmi Davidis* enumerarentur, expressio haec mutata est, ne omnium Psalmorum originem davidicam Patres asserere viderentur. Ita enim *Pallavicinus :* « In excipiendis divinis libris optabant aliqui, ne Psalmi generatim *Psalmi Davidis* appellarentur, quoniam ex multorum sententia ille non omnium

auctor sit. Episcopus Feltriensis, qui decretum per ea verba conceperat, respondebat illa verba e Florentino Concilio a se esse excerpta, addebatque Bituntinus, totius appellationem desumi a maioris partis ratione. Plerique tamen censuerunt *Psalterium Davidicum* potius nuncupandum »[1]. Hodie vix, opinor, invenietur, qui omnes Psalmos Davidi auctori attribuat, at inde a patristica aetate non eadem fuit omnium hac de re sententia[2].

Namque inter Patres latinos *S. Ambrosius* disertis verbis docet, Psalmos omnes, etiamsi alio nomine praenotentur, Davidi auctori esse attribuendos, alterum autem nomen additum designare cantorem, cui cantandi sint traditi. Eiusdem sententiae est *S. Augustinus*, atque *S. Philastrius* inter haereticos recensere non dubitat illos, qui omnes Psalmos a Davide compositos esse negent[3]. Inter Graecos autem ante Euthymium[4] non invenies scriptorem auctoritate praeditum, qui omnes Davidi adscripserit : nam SS. Basilius, Gregorius Naz., Epiphanius in eadem sententia fuisse sine sufficienti ratione dicuntur; siquidem ex eo, quod ex. gr. Asaphi carmen sub nomine Davidis allegaverint, nihil sequitur, nisi eos in singulis Psalmis citandis non semper codices suos inspexisse, ut quisnam eius esset auctor viderent; eodem igitur modo egerunt, quo hodie omnes theologi et concionatores, qui sive in concionibus sive in scientificis operibus omnes Psalmos promiscue sub « regii Psaltis » nomine allegant. Neque maiore cum iure nobis obiiciuntur S. Chrysostomus et Theodoretus; testimonia enim, quae ex prioris operibus ab antiquioribus interpretibus allegantur, in spuriis dumtaxat inveniuntur, atque alterum, licet quaestionem decidere nolit, « quum constet divini Spiritus afflatu universos esse conscriptos », ad negantium tamen partes magis inclinari, satis docet eius commentarius[5]. Neque id est mirum, quoniam graeci Patres ab antiquissimis iam temporibus eandem sint tuiti. *S. Hippolytus* librum Psalmorum ideo nomine auctoris non esse insignitum asserit, « quia non unius tantum sermones hoc ipso volumine sunt editi, sed plurium fuerunt, ut a veteribus est traditum, ab Esdra collecti »[6]. Quin *Origenes* complures Psalmorum auctores admiserit, non est dubium, atque *S. Hilarius*, qui ab eo multa mutuatus est, censet « absurdum esse *Psalmos David* cognominare, quum tot auctores eorum ipsis inscriptionibus edantur »; similia saepius repetit *Eusebius Caes.*, qui ipse quoque nonnulla ex Origene desumsit[7]. Eandem sententiam approbant *S. Athanasius* et *Ps. Athanasius*[8], ex Latinis autem praeter S. Hilarium *S. Hieronymus* idem tradit « sciamus, inquit, errare eos, qui omnes Psalmos David arbitrantur, et non eorum, quorum nominibus inscripti sunt »[9].

Dissentientibus inter se antiquioribus Patribus latinis facile intelligitur, etiam iuniores Patres et interpretes diversa sensisse. *S. Isidorus*

*Hisp.* docet « auctores Psalmorum esse eos, qui ponuntur in titulis », *Cassiodorus* autem Augustinum secutus tenet « universos Psalmos non multorum exsistere, sed tantum ipsius. quem a Domino constat esse nominatum » atque pro argumento addit: « Usus quoque Ecclesiae catholicae Spiritus S. inspiratione generaliter et immobiliter tenet, ut quicunque Psalmorum cantandus fuerit. qui diverso nomine praenotatur, lector aliud praedicare non audeat. nisi *Psalmus David.* Quod si essent proprii, i. e. aut *Idithun,* aut *filiorum Core,* aut *Asaph* aut *Moysi,* eorum nomina utique praedicarentur » [10]. *S. Thomas* quoque sequitur Augustinum, *Lyranus* vero Hieronymum ideoque impugnatur a *Paulo Burgensi; Caietanus* cum Augustino sentit. *Bellarminus* probabiliorem vocat Augustini, probabilem Hioronymi sententiam, *Agellius* utriusque sententiae argumentis adductis se rem decidere nolle asserit; *Salmeron, Sa, Mariana* etc. unum statuunt omnium carminum auctorem, at *Sixtus Sen., Bonfrerius, Tirinus, Menochius* etc. complures auctores esse volunt.

1. *Pallavicini* Hist. Conc. Trid. VI. 14.

2. Iudaeorum quoque traditio de hac quaestione incerta est. In *Baba bathra* f. 14 *decem* auctores Psalmorum nominantur (cfr *Introd. gen.* Ed. 2. p. 47), sed in tr. *Pesachim* 10. (cfr Carpzov. Introd. II. 91) traditur « omnes laudes, quae dicuntur in libro Psalmorum, dictae sunt a Davide ». Cfr etiam *Marx* Traditio rabbin. de ll. V. T. ordine et origine. p. 44 sqq.

3. *S. Ambros.* in Ps. 43 et 47 (M. 14,923); *S. August.* de Civ. Dei XVII. 14 (« Mihi credibilius videntur existimare qui omnes illos centum et quinquaginta Psalmos Davidis operi tribuunt eumque aliquos praenotasse etiam nominibus aliorum aliquod quod ad rem pertineat figurantibus, ceteros autem nullius hominis nomen in titulis habere voluisse... Nec movere debet ad hoc non credendum, quod nonnullorum nomina prophetarum, qui longe post David regis tempora fuerunt, quibusdam Psalmis in eo libro leguntur inscripta, et quae ibi dicuntur, velut ab eis dici videntur. Neque enim non potuit propheticus Spiritus prophetanti regi David haec etiam futurorum prophetarum nomina revelare, ut aliquid quod eorum personae conveniret, prophetice cantaretur : sicut rex Iosias exorturus et regnaturus post annos amplius quam trecentos cuidam prophetae, qui etiam facta eius futura praedixit, cum suo nomine revelatus est » 3 *Reg.* 13,2) ; in Ps. 89,2 (M. 41,547; 37,1141); *S. Philastr.* haer. 130 (M. 12,1259).

4. *Euthym.* in Ps. Prooem. (M. 128,53); inter *S. Chrysost.* opera leguntur Protheoria quaedam in Psalm. et homil. in titulum Ps. 50 (M. 55,532 sq. 566), quae unum Davidem auctorem statuunt, at illas esse spurias ostendit Montfaucon l. c.

5. *Theodoret.* in Psalm. Praef. (M. 80,682) *plures* quidem scriptores Psalmos omnes Davidi adscribere asserit, sed cfr eius explicationem in Ps. 136,1 (M. 80,1925).

6. *S. Hippol.* in Ps. 1 (M. 10,712).

7. *Orig.* in Psalm. fragm. (12,1066); *S. Hilar.* in Psalm. Prooem. 2 (M. 9,233); *Euseb.* in Psalm. Prooem. in Ps. 41. 72. 77 etc. (M. 23,74. 368. 822. 902).

8. *S. Athan.* ad Marcell. 30 (« Si vis scire, quomodo *Moyses* oraverit, habes Psalmum octogesimum nonum »); Argum. in Psalm. (M. 27,29. 57); *Ps. Athan.* Synops. S. S. 21 (M. 28,332) : « Psalmorum liber, etsi solius Davidis habeat inscriptionem, multorum tamen aliorum quoque continet carmina »

9. *S. Hieron.* ad Cyprian. ep. 140,4 (M. 22,1169).

10. *S. Isidor. Hisp.* Etymol. VI. 16; in libr. V. et N. T. Prooem. 33; de offic. eccles. I. 12 (M. 82,231; 83,747); *Cassiod.* in Psalm. Praef. 2 (M. 70,14). A S. Isidoro eandem sententiam receperunt *Alcuinus* (Disput. pueror. 7. M. 101,1126), *Rhabanus Maurus* (De cleric. instit. II. 54; De Universo V. 3. M. 107,366; 111,112).

Communis igitur hodie sententia tenet varios admittendos esse Psalmorum auctores eamque certam dicere non dubitamus, quum solidis nitatur argumentis.

a.) « Psalmos omnes eorum testamur esse auctorum, qui ponuntur in titulis ». Ita rectissime *S. Hieronymus*[11]; titulis enim veram competere auctoritatem ostendimus (184 p. 84 sqq.), nec decere catholicum interpretem arbitramur eos spernere aut reiicere. Titulos et Psalmos docet *S. Hilarius* ab invicem non esse separandos, « quum enim sibi invicem auctoritatem praestent, debilis erit sermo, si de aliquo eorum absque altero disseratur »; atque *S. Augustinus* ipse titulis « canonicam auctoritatem » attribuit[12]. Atqui eodem prorsus modo, quo Davidi, aliqua carmina Moysi, Salomoni, filiis Core, Asapho etc. inscribuntur. Quapropter si titulorum auctoritate Davidem nonnulla composuisse demonstramus, eadem quoque auctoritate alios, qui in titulis nominantur, carminum auctores esse constat. Neque valet SS. Ambrosii et Augustini exceptio, nomina reliqua designare cantores, quibus Psalmi isti ad psallendum sint traditi; profecto enim nec « Moyses vir Dei » nec Salomon inter cantores leviticos fuerunt, atque eadem verborum constructione, quibus Davidi, etiam Moysi et Asapho cantica inscribuntur.

b.) Accedit quod 2 *Paral.* 29,30 Ezechias levitis praecepisse referatur, « ut laudarent Dominum sermonibus David et Asaph Videntis »; illo igitur tempore iam Asaphi cantica cum davidicis coniuncta in liturgia sacra adhibebantur. Davidis autem cantica, quae Ezechiae tempore a levitis in templo decantabantur, procul dubio ex illis fuerunt, quae regis nomine inscripta hodie in Psalterio leguntur; quo igitur cum iure dubitamus, num asaphica quoque carmina illa, quae Ezechias decantari iussit, nobis sint conservata atque sint illa ipsa, quae Asapho in Psalterio inscribuntur?

c.) Multis in Psalmis sermo est de rebus davidica aetate recentioribus, quae non velut futurae praedicuntur, sed velut praeteritae narrantur aut velut praesentes supponuntur. Neque recte obiicietur solam formam esse narrativam vel descriptivam, revera autem illis in Psalmis contineri vaticinia; monet quidem *S. Augustinus* fieri *potuisse*, ut David haec in Spiritu praeviderit[13]; at non quaeritur, quid fieri potuerit, sed quid factum sit. Ultro enim concedimus, Davidi exsilium babylonicum omnesque exsulantium res minutissimas *potuisse* revelari, sed quo argumento illa ei revelata esse demonstretur, non videmus. Sine certo

autem fundamento non sunt multiplicanda miracula, neque rationem aptam nobis effingere possumus, propter quam ex. gr. Davidi illa, quae in Ps. 136. legimus, a Deo revelata dicantur. Ne ipsi quidem Ieremiae, quamvis exsilii tempore viveret, Theodoretus hunc Psalmum attribui posse censuit, quia quum in Babyloniam non venisset dicere non potuit: « Super flumina Babylonis *sedimus* » etc.[14].

d.) Non parum haec sententia confirmatur, si ad elocutionis stylique diversitatem in Psalmis advertimus; tanta enim est, ut omnes unius esse auctoris nemo facile crediderit. Faciliores et suaviores decurrunt illi, qui Davidi inscribuntur, vehementiores et sublimiores sunt illi, qui Asaphi nomen prae se ferunt. Quae differentia clarius quidem apertiusque in textu primigenio perspicitur, at ex ipsa quoque Vulgata cognoscitur, si ex. Gr. *Ps.* 72., qui asaphicus est, aut unus ex iis, qui proximi sequuntur, cum carminibus primi libri comparantur.

11. *S. Hieron.* ad Sophron. Praef. in Psalm. (M. 28,1123).
12. *S. Hilar.* in Psalm. 119. Prol. (M. 9,662); *S. August.* in Ps. 50. n. 2 (M. 36,586).
13. *S. August.* de Civ. Dei XVII. 14 (cfr *supra* n. 3 p. 100).
14. *Theodoret.* in Ps. 136 (M. 80,1925): « Hic Psalmus sine titulo est apud Iudaeos, sed nonnulli rem audacem ausi inscripserunt *Davidi per Ieremiam*. Porro hoc inscriptionis figmentum stultitiam eorum, qui inscripserunt, prae se fert. Ieremias enim Babylonem cum captivis non est adductus, sed quum parum temporis Ierosolymis vixisset, ab iniquis Iudaeis coactus est cum illis in Aegyptum abire. Quomodo igitur Ieremiae convenit dicere : *Ad flumina Babylonis, ibi sedimus et flevimus?* »

188. — Ex Psalmorum igitur titulis nonnullos eorum auctores cognoscere possumus; quoniam vero variorum textuum tituli non semper consentiunt atque eiusdem etiam textus codices interdum inter se discrepant, secundum sanae criticae regulas discernendum esse, qui genuini, qui vero spurii sint, supra (184 p. 78) iam monuimus. Singulos examini subiicere huius loci non est, nisi in interpretis munus ingerere nos velimus; illud autem sine ulla haesitatione asserimus, illos viros, quorum nomina textus hebraicus omnibus versionibus antiquis consentientibus exhibet, pro auctoribus esse agnoscendos. Etenim de titulis alio modo non est iudicandum, quam de ipso textu Scripturarum; lectio vero, quae omnium codicum, versionum, Patrum auctoritate munita est, pro vera et genuina admitti potest ac debet. Iam vero in textus hebraici et praecipuarum versionum titulis haec nomina legimus :

1. Abraham, cui sola paraphrasis chaldaica attribuit *Ps.* 88. (89.); dissentiunt autem textus massorethicus et reliquae versiones omnes, a quibus canticum illud alteri auctori inscribitur; nullius igitur auctoritatis habemus inscriptionem chaldaicam.

2. Moyses, cui unanimi consensu omnes textus Ps. 89. (90.) inscribunt; tantum vero abest, ut tituli authentiae quidquam obstet, ut argumento

et elocutione carminis confirmetur[1]. Quodsi vero *S. Augustinus*, *Euthymius Zigab.* aliique Moysi hunc Psalmum ideo abiudicant, quia in Pentateucho non legatur nec primum in Psalterio locum obtineat[2], erronea supponunt; neque enim ordine chronologico dispositi sunt Psalmi, neque necesse fuit omnia Moysis cantica in Pentateuchum reciperentur.

3. DAVID, cui maiorem Psalmorum numerum deberi certum est. Neque enim sine ratione *egregius Psaltes Israel* appellatur; carminum autem ab eo compositorum, quae levitae sive in dedicatione templi salomonici sive aliis in festis decantabant, mentionem aliquoties faciunt libri historici[3]. Textus hebraicus et versiones consentientes ei attribuunt sexaginta novem Psalmos, quibus accedunt quatuor alii, qui in textu hebr. et *plerisque* versionibus nomen eius in fronte gerunt. Quos omnes ei originem debere, eo minus dubitari licet, quo magis argumentum et elocutio inscriptionem confirmant[4]. At ex anonymis quoque Psalmis Alexandrina ei attribuit undecim, Vulgata duodecim, Syriaca sedecim; ex quibus nonnulli quidem de rebus davidica aetate recentioribus agentes immerito ei attribui, alii vero nomen eius recte gerere videntur. Ex reliquis anonymis *Ps.* 2. ei adscribendus est ob Apostolorum disertum testimonium (*Act.* 4,25), atque etiam Ps. 1., quippe qui apostolico tempore cum 2. pro uno carmine habitus sit (*Act.* 13,33). Minus disertum quidem est testimonium *Hebr.* 4,7 de davidica origine *Ps.* 94. (95.), sua tamen vi et auctoritate non caret. Utrum integer *Ps.* 104. (105.) sit davidicus, an illa sola eius pars, quae 1 *Paral.* 16,7-22 ab eo composita dicitur, definire non audemus; *Ps.* 95. (96.) autem probabiliter non est nisi retractatio vel alia recensio partis carminis dedicatorii, cuius ibidem (1 *Paral.* 16,23-33) origo davidica asseritur (189. n. 5. p. 107). Demum alii sunt Psalmi anonymi, quorum auctorem Davidem esse magna cum veri similitudine ex tota eorum indole colligimus. Quocirca asserere non dubitamus, maiorem Psalmorum numerum, i. e. plus octoginta, Davidi deberi. Qui in quinque Psalterii libris ita sunt distributi, ut primus contineat sola carmina davidica, secundus et quintus multa, tertius et quartus pauciora. Si ad inscriptiones solas advertimus, Davidi auctori attribuunt.

| *ex* | 40 (41) | 31 | 17 | 17 | 45 (44) | carminibus |
|---|---|---|---|---|---|---|
| *libri* | I. | II. | III. | IV. | V. | |
| *Hebr.* | 37 | 18 | 1 | 2 | 15 | = 73, |
| *Chald.* | 37 | 18 | 1 | 2 | 12 | = 70, |
| *Alex.* | 38 | 20 | 1 | 11 | 14 | = 84, |
| *Vulg.* | 38 | 21 | 1 | 11 | 14 | = 85, |
| *Syr.* | 38 | 19 | 1 | 10 | 18 | = 86. |

4. SALOMON, cui in textu hebr., chald., Vulg. attribuuntur *Ps.* 71.

126. (72. 127.), in plerisque Alexandrinae codd. solus 72., in Syro nullus[5]. Quominus eum duorum istorum Psalmorum auctorem dicamus, nihil obstat.

5. Asaph, qui ab omnibus textibus vocatur auctor unius carminis libri II. et undecim carminum l. III[6]; a Syro solo etiam Ps. 100. (101.) ei datur, quem reliqui omnes inscribunt Davidi. Erat autem Asaph unus ex tribus praefectis musicorum et cantorum tempore Davidis; atque tanta eius erat fama, ut eodem ordine cum Davide nominetur, ubi de sacra musica instituta sermo est; titulo *Videntis,* qui ei imponitur, prophetis aequiparatur, eiusque carmina una cum davidicis Ezechias in templo cantari iussit[7]. Mirum ergo non est, quod eorum nonnulla in Psalterium quoque una cum davidicis sint recepta. Ex illis, quae Asapho inscribuntur, aliqua davidicae aetati omnino conveniunt, nec ulla est ratio, cur Asapho Davidis aequali abiudicentur. Alia autem recentiora videntur esse; profecto 76. (75.) in Alex. et Vulg. « canticum ad Assyrios » appellatur atque Ezechiae aetati videtur convenire; *Ps.* 74. 79. (73. 78.) destructum templum atque proin tempus chaldaicum supponunt. Hos igitur Asaphi posteris, qui semper musicae sacrae in templo praeerant et ex quorum numero unus tempore regis Iosaphat propheta erat[8], deberi multi interpretes recte censent.

6. Eman *Ezrahita*, cui ab omnibus, excepto Syro, Ps. 88. (87.) et

7. Ethan *Ezrahita*, cui Ps. 89. (88.) ab Hebr., Alex., Vulg. adscribuntur. Eman vel Hemam, ex filiis Core, etiam unus erat ex tribus praefectis musicae a Davide constitutis atque *Videns* vocatur[9]; in eius genealogia nullus quidem nominatur Ezrah, at genealogiae pleraeque non sunt completae, quare omissione illius nominis duos diversos Eman admittere non cogimur. Ethan autem tertius erat praefectus cantorum successoremque habuit Idithun, nisi binominis fuisse Ethan rectius dicatur; ipse quoque erat *Videns*[10]. Duobus igitur his levitis duos istos Psalmos attribuendos censemus. Difficultatem quandam procul dubio creant ea, quae 3 *Reg.* 5,11 legimus; Ethan Ezrahita enim et Eman et Chalcol et Dorda filii Mahol ibi nominantur, qui sapientia ita erant insignes, ut Salomon cum eis compararetur, sed secundum 1. *Paral.* 2,6 ex tribu Iuda oriundi erant; dubitari vero potest, an in Psalmorum titulo illud patronymicum Ezrahita a sciolo librario non sit additum.

8. Filii Core, quibus ab omnibus textibus decem carmina attribuuntur[11]. Core est levita ille, quem, quum contra Moysen et Aaron insurrexisset, terra deglutiit; ex eius autem filiis, quibus Deus pepercerat, descendebant Coritae illi, qui tempore davidico custodes atriorum sanctuarii erant atque inter principes cantorum recensentur, quo munere etiam tempore regis Iosaphat fungebantur[12]. Quoniam unius carminis

complures auctores admitti non possunt, inscriptio (*Filiis Core*) ita videtur esse explicanda, ut huius familiae poetas carminibus suis nomen patronymicum quam proprium praefigere maluisse dicamus. Alii minus recte existimant collectionem quandam carminum a variis familiae istius membris compositorum olim exstitisse, atque collectorem Psalterii carminibus, quae ex isto volumine transumserunt, titulum voluminis ipsius reliquisse. Quidquid est, certum esse plerique tenent, Coritas carminum, quibus titulus ille praenotatur, auctores esse; siquidem eadem prorsus constructione, qua Davidi, Asaph etc., filiis Core carmina inscribuntur. Si Chaldaeo et Syro fides esset, ad Moysis aetatem carmina nonnulla Coritarum ascenderent (Ps. 43. 44. [44. 45.]), at fidem eis non esse adhibendam, carmina ipsa satis docent. Neque vero omnia davidica aetate sunt exorta, quum nonnulla exsilii vestigia exhibeant. Carminibus filiorum Core addamus oportet Ps. 42. (43.), quippe quem partem esse carminis praecedentis *Eusebius* iam monuit et versus intercalaris utrique communis docet[13].

9. Ieremias ab Alexandrinis et Vulgata auctor *Ps.* 136. nominatur addito utique Davidis nomine, quod solum exhibet Syrus; item Aggaei et Zachariae nomina a Vulgata *Ps.* 111. et 145., ab Alexandrinis *Ps.* 145.-148., a Syro *Ps.* 145.-147. attribuuntur. Psalmum 136. non esse davidicum iam diximus, siquidem integer in describendo exsilio versatur; Ieremiae per se quidem esse potest, siquidem sententia, quam Theodoretus aliique tradunt, prophetam sc. in Babyloniam non venisse, est parum certa. At inscriptionem hanc recentioris originis esse iam monet *S. Hilarius*, qui etiam Aggaei et Zachariae nomina a recentioribus addita esse docet[14]. Quapropter titulos hosce iure omittimus, praesertim quia illi ipsi, qui nomina haec addiderunt, potius aetatem, cui conveniant carmina, quam eorum auctores indicare voluisse videntur; quis enim duos eiusdem carminis brevissimi statuet auctores?

1. Iuxta *Agell.* Psalmus in dictione interdum cum canticis *Deuteron.* consonat, et *Lagarde* (Abhandlgen. Leipz. 1866. p. 37) praeterea similitudinem cum *Exod.* 15 invenit; mosaicam eius originem etiam *Delitzsch* (Comm. II. p. 106), Lesètre (l. c. p. 432) etc. tenent.

2. *S. August.* in Ps. 89. n. 2 (M. 37,1141), *Euthym. Zigab.* in Psalm. Prol. (M. 128, 54); iuniores interpretes (Bellarm. Lorin. etc.) haec interdum repetunt.

3. 2 *Reg.* 23,1; 2 *Paral.* 7,6; 29,30.

4. Animadvertas autem velim nonnullis davidicis Psalmis videri aliquos versiculos a recentiore scriptore additos, quibus usui exsulantium adaptarentur. Ex. gr. Ps. 50. et 68. procul dubio sunt davidici; sed 50,20. 21 et 68,33-37 a Davide vix conscribi potuerunt. Recte *Patrizi* (Cento Salmi p. 13): « Nel fine di alcuni Salmi si truovano uno o più versetti, nei quali o chiedesi a Dio la liberazione della cattività, o se gli rendono grazie dell'averla finalmente ottenuta. Quanto irragionevole sarebbe il trarre da essi argomento a mettere in dubio il titolo, non vi vuol molto ad intenderlo. Si confrontino col rimanente del Salmo, e si osservi come o nulla abbian che fare con

esso, o, tolti che siano, il senso punto non ne patisca ». (L. c. p. 23) : « Niuno per altro si pensi che cotali cangiamenti ed addizione, almeno quali ora si truovano nel Salterio, sieno stati fatti per arbitrio privato di chicchesia, ma solo da coloro cui Dio ispirò il farli, a quel modo cioè con che furono introdotti anche negli altri libri della sacra Scrittura ». Cfr *infra* 191. p. 113.

5. Psalmum 71. Vulgata inscribit *In Salomonem* et Alexandrini εἰς Σαλομών; forte in errorem inducti subscriptione (71,20 *Terminantur hymni David filii Iesse*) carmen a Davide in filium eius compositum esse existimaverunt; at Psalmus directe est messianicus, quare hebraica inscriptio לִשְׁלֹמֹה eadem ratione reddenda erat, qua reliquae : *Salomoni* vel *Salomonis*.

6. *Ps.* 49. (50.) et 72.-82. (73.-83.).

7. 1 *Paral.* 15,17; 16,5 etc.; 2 *Esdr.* 12,46; — 2 *Paral.* 29,30.

8. 2 *Paral.* 35,15; 1 *Esdr.* 2,41; 3,10 etc.; — 2 *Paral.* 20,14.

9. 1 *Paral.* 6,18 sqq.; 15,19; 25,4. 5; 2 *Paral.* 32,15.

10. 1 *Paral.* 15,17; 6,29 sqq. (1 Paral. 25,1); — 2 *Paral.* 35,15.

11. *Ps.* 41. (42.); 43.-48. (44.-49.); 83. 84. (84. 85.); 86. (87.). Alexandrini sex ex illis (41. 44.-48.) et Syrus unum (46. [45.]) simul Davidi inscribunt.

12. *Num.* 16; 26,11; 1 *Paral.* 9,19. 33; 2 *Paral.* 20,19.

13. *Euseb.* in Psalm. 42. (M. 23.380); cfr *supra* 163. p. 11.

14. *S. Hilar.* in Psalm. Prol. 2 (M. 9,233) : « Visum autem aliquibus est, Ieremiae et Aggaei et Zachariae quorundam Psalmorum inscriptionibus nomina praenotare : quum horum nihil in authenticis septuaginta translatorum libris ita editum reperiatur, adeo ut etiam in plurimis latinis et graecis codicibus sine horum nominibus simplices tantum Psalmorum tituli proferantur ».

189. — Auctoris nomen adscriptum non habent satis multi Psalmi in duobus ultimis libris, pauciores in tribus prioribus; eorum autem numerus idem non est in diversis editionibus. Nam auctoris nomine carent

| | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| *ex* | 40 (41) | 31 | 17 | 17 | 45 (44) | | carminibus |
| *libri* | I. | II. | III. | IV. | V. | | |
| *Hebr.* | 4 | 4 | 0 | 14 | 28 | = | 50; |
| *Chald.* | 4 | 4 | 0 | 14 | 30 | = | 52; |
| *Alex.* | 2 | 1 | 0 | 5 | 25 | = | 33; |
| *Vulg.* | 2 | 1 | 0 | 5 | 27 | = | 35; |
| *Syr.* | 2 | 1 | 0 | 5 | 22 | = | 30. |

Antiqua est Iudaeorum opinio anonymos Psalmos ei deberi auctori, cuius est Psalmus proxime praecedens. « Hanc habet, inquit *S. Hieronymus*, Scriptura consuetudinem, ut omnes Psalmos, qui cuius sint titulos non habent, his deputentur, quorum in prioribus Psalmis nomen continetur », unde concludit undecim Psalmos (89.-99.) a Moyse esse conscriptos[1]. Eandem sententiam iam ante S. Hieronymum ab Hebraeis acceperant et approbarant *S. Hippolytus*, *Origenes* et *S. Hilarius*, *S. Athanasius*, *Eusebius Caesar.*, et post S. Hieronymum adoptarunt alii Patres[2]. Obiicientibus autem Ps. 98., quum in eo nomen Samuelis sit positum (98,6), a Moyse non potuisse conscribi, Iudaei teste *Origene*

(l. c.) responderunt « nihil mirum esse, si prophetice pronuntiatum sit a Moyse nomen Samuelis, viri sancti qui a Ieremia cum Moyse annumeratus sit in illo : *Neque si steterit Moyses et Samuel;* quandoquidem in libris Regnorum Iosiae nomen item prophetice annuntiatum sit »[3]. « At non facile mihi persuasero, inquit *Bonfrerius*, hanc Origenis et Hieronymi regulam firmam esse » ; *Agellius* autem miratur « Origenem tam facile Iudaeorum fabulis assentiri potuisse, ut non adverteret se ipsis literis sacris repugnare; nam inter undecim illos etiam 95. censetur, quem a Davide editum quisquis negaverit, contra 1 Paral. 16 pugnabit, in quo a David ille Psalmus editus legitur ». Profecto traditio illa iudaica tantae auctoritatis non est, ut illius causa Moysen prophetice nomen Samuelis annuntiasse statuamus, praesertim quia, uti monuit *Bellarminus*, « in *Ps.* 98,6 non *praedicitur* nomen Samuelis, quemadmodum nec Moysis aut Aaronis, sed *narrantur* res ab ipsis gestae »[4].

Quae quum ita sint, anonymorum Psalmorum auctores solis internis carminum characteribus cognoscuntur, nisi forte, id quod in nonnullis obtinet, in aliis libris sacris certo auctori adscribantur[5]. Interni autem illi characteres, argumenta dico et elocutionem, veram certitudinem rarissime creant; de nonnullorum igitur auctoribus cum *Theodoreto* dicamus oportebit : « Quid mea refert, sive huius, sive illius aliqui sint, quum universos divini Spiritus afflatu conscriptos esse constet ! »[6]

1. *S. Hieron.* ad Cyprian. ep. 140,2; cfr Comm. in Malach. Praef. (M. 22,1167; 25,1617).

2. *S. Hippol.* in Psalm. fragm. 2. (M. 10,713); *Origen.* Selecta in Ps. (M. 12,1056 sq.); *S. Hilar.* in Psalm. Prol. 3 (M. 9,234); *S. Athanas.* Arg. in Psalm. (M. 27,57) etc.

3. *Orig.* l. c. — Cfr idem argumentum a S. Augustino allatum, ut Davidem omnium Psalmorum auctorem esse potuisse demonstraret; De Civ. Dei XVII. 14 (*supra.* 187. n. 3 p. 100).

4. *Bonfrer.* Praeloquia S. S. VI. 4; *Agell.* et *Bellarm.* in Ps. 89. etc.

5. Supra iam monuimus *Ps.* 2. ab Apostolis (*Act.* 4,25) tam clare Davidi attribui (διὰ πνεύματος ἁγίου στόματος Δαυεὶδ παιδός σου εἰπών), ut davidicam eius originem negare non liceat; similiter auctoritate 1 *Paral.* 16 cogimur, saltem illas Psalmorum 95. 104. partes, quae ibi allegantur, Davidi attribuere, licet concedi possit iuniorem poetam sacrum illas retractasse et amplificasse. Expressio, qua utitur S. Paulus (*Hebr.* 4,8) : ἐν Δαυεὶδ λέγων eandem certitudinem non praebet, quia nomine *Davidis* potest integrum Psalterium designari; accedente autem auctoritate inscriptionum Alex. Vulg. Syr. in Ps. 94. explicatio illa videtur excludi.

6. *Theodoret.* in Psalm. Praef. (M. 80,861).

190. — Quemadmodum autem nonnullorum auctorum nomina, ita aliquorum Psalmorum AETATEM cum certitudine non possumus definire. Inter carmina, quae titulis Davidi attribuuntur, non pauca sunt, quae utrum ad Saulis persecutionem an ad Absalomis rebellionem rectius referantur difficillimum est dictu. Crescit autem difficultas in Psalmis

anonymis iisque, de quorum inscriptionibus iure dubitatur. Nonnullorum quidem carminum argumenta nos docent, illa precationes esse exsulum procul a patria sub duro hostium iugo degentium aut gratiarum actiones reducum de exsilio finito; aliorum autem argumenta ita sunt communia, ut variis periodis historiae israeliticae conveniant. Unde fit, ut idem Psalmus ab aliis aetati Davidis aut primorum eius successorum, ab aliis magnorum prophetarum tempori, ab aliis demum Machabaeorum tempori adscribatur. Nostri muneris non esse patet stabilire, quid de singulorum carminum aetate probabilius sit sentiendum, quum haec quaestio ab ipsa explicatione dependeat. Id unum autem inquiramus oportet, quid modernorum quorundam interpretum sententia valeat, qua maiorem Psalmorum numerum diu post Esdrae et Nehemiae aetatem eo tempore esse exortum docent, quo Iudaei ducibus Mathathiae filiisque eius sanctam suam civitatem templumque contra Seleucidas defenderunt hostiumque iugo excusso novum Hasmonaeorum regnum fundarunt.

De Machabaeorum aetate in nonnullis Psalmis agi iam coniecerunt Patres, at illam non velut praesentem a poeta coaevo describi, sed velut futuram a propheta praedici statuerunt eadem ratione, qua in aliis carminibus res romanas templique ultimam destructionem praedictas viderunt [1]. Longe aliter moderni interpretes, praesertim rationalistae quidam, quaestionem tractaverunt. De Machabaeorum enim rebus in Psalmis sermonem esse ipsi quoque admiserunt, at futura praedici posse negantes res illas a coaevis poetis narrari docuerunt ideoque carmina illa recentissima esse statuerunt vix ante saec. 1. a. Chr. conscripta. Ineunte nostro saeculo pauca tantum carmina illi aetati attribui coepta sunt, paullatim autem aliqui « critici » eo pervenerunt, ut ullum Psalmum Davidi aut eius aetati adscribendum esse negantes longe maiorem totius Psalterii partem tempori Machabaeorum attribuerent [2]. Inter catholicos interpretes nemo quidem eo usque est progressus; pauci tamen aliqua carmina melius explicari rati, si machabaicae aetati adaptarentur, novae sententiae ex parte saltem calculum suum adiecerunt [3]. Verum plerique, sive catholici sive heterodoxi, atque inter ipsos rationalistas nonnulli Psalterium Esdrae Nehemiaeque aetate terminatum esse asserunt machabaicosque Psalmos in eo inveniri negant [4]. Quorum sententiam nos quoque amplectimur.

Argumentis historicis patronos machabaicorum Psalmorum coniecturas suas non stabilire nec stabilire posse non attinet dicere; solis internis eas propugnant, immo uno solo contenti sunt; tota enim eorum argumentatio in eo nititur, quod aliqua carmina de rebus machabaicis agere aut machabaicae aetati correspondere videantur, atque statim illa eodem tempore composita esse concludunt. Quam argumentationem

infirmam esse, et res ipsa clamat et continuus interpretum dissensus docet. Iure quidem monent machabaicorum Psalmorum fautores, in magno carminum numero auxilium peti non tantum contra hostes externos, sed etiam contra impios Israelitas, qui cum hostibus coniuncti pios persequebantur[5]; at immerito censent id sola Machabaeorum aetate obtinuisse. Semper enim in Israel boni et mali erant permixti, frequenter ab hostibus impugnabantur et opprimebantur Israelitae atque pios Dei servos ab impiis persecutiones pati profecto non est res soli aetati machabaicae propria. Mirum ergo non est, quod interpretes, qui hoc solo fundamento nixi originem carminum definire conantur, in diversissimas abeant sententias, atque adversarii nostri ipsi inter se dissentientes eidem carmini diversissimam aetatem assignent.

Sed ulterius progrediamur. Nonnullorum Psalmorum argumenta temporibus machabaicis correspondere libenter concedimus; Patres enim in nonnullis res Machabaeorum praedictas vidisse iam monuimus, et auctor inspiratus 1. *Mach.* libri versiculos quosdam Ps. 78. rebus a se narratis impletos esse asseruit[6]. Verum hoc argumento machabaicam carminum illorum originem demonstrari negamus; immo rectius illos sentire arbitramur, qui ex eo, quod in 1. Mach. libro allegetur, *Ps.* 78. illa aetate antiquiorem esse concludunt; siquidem auctor verba illa velut *Scripturam sacram* affert, librum autem suum exaravit paullo postquam res, quas narrat, sunt gestae (154. tom. 1. p. 453 sq.); demonstrandum igitur est adversariis, quomodo factum sit, ut carmen machabaica aetate compositum immediate postea iam inter divinos gentis suae libros auctor 1. Mach. recenseret. Porro verba illa velut *prophetica* videtur afferre, non semel autem insinuat, Machabaeorum tempore *prophetam* in Israel non fuisse (1 *Mach.* 4,46; 14,41); persuasum igitur illi erat, Psalmum istum Machabaeis esse antiquiorem; num forte nos hodie aetatem illius carminis melius definire possumus? Eadem ratione alii Psalmi temporibus machabaicis accommodari utique possunt; conclusio autem, illis temporibus eos esse compositos, non erit legitima, nisi simul demonstretur, tam accurate omnia consonare, ut aliis similibus, quae multa fuerunt, temporibus adaptari nulla ratione queant. Eiusmodi vero carmina in Psalterio non exstare, genuina eorum interpretatio docet[7]; ex historia enim populi israelitici a Davide usque ad Esdram omnes, ne uno quidem excepto, optime explicantur, dummodo aliquos de Messia regnoque messianico agi concedatur.

Argumenta igitur, quibus sententiam suam probent, adversariis nostris prorsus desunt, neque habent, quibus nostra refutent, quae paucis verbis indicabimus. a.) Ex epistola a Iuda Machabaeo conscripta, quae 2. *Mach.* libro praemittitur, constat Nehemiam sacram bibliothe-

cam collegisse, in quam etiam τὰ τοῦ Δαυείδ recepit (2 *Mach.* 2,13); quin expressione illa Psalterium intelligatur, nemini est dubium; quomodo autem probabunt adversarii, collectionem illam a Nehemia factam mancam fuisse eamque novis carminibus postea compositis esse auctam [8]? Fl. Iosephus enim Psalterium illis libris accenset, quos ab Artaxerxis tempore nemo Iudaeus nec diminutione nec additione nec ullo alio modo mutare sit ausus, quosque tamquam divinos venerari omnes Iudaei a pueris didicerint [9]. b.) Exeunte saec. 3. vel ineunte saec. 2. alexandrina versio Psalterii iam est adornata; etenim quando Iesus filius Sirach c. a. 130. translationem Ecclesiastici aggressus est, non tantum Lex et prophetae, sed etiam tertia canonis iudaici pars (Hagiographa, τὰ λοιπὰ τῶν βιβλίων), in qua Psalmi primum locum occupant, iam erant translata (Prol. Eccli.), atque paullo post graecus interpres 1. Mach. libri ex graeca versione, velut communi usu recepta, versiculos Ps. 78. allegavit. Quomodo iterum probabunt, etiam huic versioni, quae Machabaeis est antiquior, nova carmina esse inserta et addita eodem ordine, quo in canone palaestinensi leguntur? Si revera, uti aliqui rationalistae volunt, maior pars Psalmorum machabaico tempore est conscripta, quomodo factum est, ut illis inscriptiones sint praefixae, quas eorum *aequales* non amplius intellexerunt? Nulla enim ratione origo versionis graecae Psalmorum post finitum saec. 2. poni potest. Ex eodem autem Prologo Eccli. discimus, avum interpretis, qui c. a. 190. floruit, lectioni Legis, prophetarum, Hagiographorum (τῶν ἄλλων πατρίων βιβλίων) magna cum diligentia vacasse; quo iterum cum argumento demonstrabitur, eius Psalmorum collectionem incompletam fuisse? c.) Quibus historicis argumentis, quae Psalmos machabaicos in Psalterio exstare improbabile reddunt, tertium addamus, quod contra rationalisticos nostros adversarios magna vi non caret. Rationalistae enim in aetate librorum diiudicanda magnam auctoritatem attribuunt linguae puritati vel impuritati; quamprimum chaldaismos inveniunt, librum exsilio recentiorem declarant. Iam vero, si rationalisticis nostris adversariis fides est, maior pars Psalterii tribus vel quatuor saeculis post finitum exsilium est composita, illo igitur tempore, quo impurissimam fuisse linguam hebraicam nemo negat. Explicent igitur, qui sit factum, ut illo tempore ea composita sint carmina, quae auream linguae aetatem produnt. Nonne illi, qui maiorem Psalterii partem tempori machabaico adscribere audent, simillimi atque ut ita dicamus gemini sunt miro illi scriptori, qui Virgilii poemata aut odas Horatii monachis mediae aetatis deberi suspicatus est?

1. Cfr ex. gr. *Theodoret.* in Ps. 43,1 : « *Praedicit* Psalmus macedonicam crudelitatem, Antiochi Epiphanis impium animum, Machabeorum animum et fortitudinem...

Ex illorum igitur persona *gratia prophetica* Psalmum dixit praemonens, quibus verbis in discriminibus eos uti conveniat ». In Ps. 78,1 : « *Propheticus sermo* Antiochi Epiphanis furorem in Iudaeorum populum *praedicit* » etc. In Ps. 73,1 : « Futuram Ierosolymorum perniciem *propheticus sermo vaticinatur*... Nonnulli igitur Antiochi Epiphanis tempori Psalmum accommodarunt neque ad historiam attendentes neque Psalmi vaticinium accurate perpendentes... Nec Babyloniorum obsidioni congruit... Quod si neque Babyloniis neque Macedoniis quadrat, manifestum est eum perniciem *a Romanis* inflictam praedicare » etc.

2. Ex primis, qui aliquos machabaicos Psalmos admiserunt, fuerunt *E. G. Bengel* (Dissert. ad introd. in l. Psalm. supplementa quaedam exhibens. Tubingae 1806. p. 16 sqq.) et *Bertholdt* (Einleitung p. 1921); secuti sunt *Hitzig* (Begriff der Kritik der Psalmen. 1831. II. p. 114 sqq.), qui in tribus ultimis Psalterii libris nullum Psalmum machabaica aetate antiquiorem agnovit, multos Alexandro Iannaeo (104.-78.) adscripsit, a quo etiam Psalterium collectum, in quinque libros digestum, in canonem receptum dixit, *Olshausen* (Die Psalmen 1853. p. 6 sqq.), qui vix ullum Psalmum ante exsilium scriptum concessit, longe maiorem partem, immo fere omnes, machabaicis scriptoribus attribuit, *Reuss* (Geschichte des A. T. 1881. p. 184 sqq. 597 sqq.), qui similem sententiam tenet etc.

3. *Patrizi* (Cento Salmi. Roma 1875) *Ps.* 43. 73. 78. 93. (Vulg.) tempori Antiochi Epiphanis attribuit; *Dom. Palmieri* (De verit. hist. l. Iudith. 1886. p. 53) saltem *Ps.* 73 (74) machabaicum habet; *S. Minocchi* (I Sálmi. 1895. p. LXIII) *Ps.* 44. 74. 79. 118. 149 (hebr.) machabaicos dicit; num qui alii catholici hanc sententiam teneant, dubitamus.

4. Quoniam de re inter catholicos vix controversa agitur, opus non est multos allegare qui nobiscum sentiunt; conferendus praeprimis est *Himpel* (Tübinger Quartalschr. 1870. p. 403-473 Ueber angeblich machabäische Psalmen), qui egregie demonstrat, ne ipsos quidem *Ps.* 44. 60. 74. 79. 83. 85. 89 (hebr.), qui prae reliquis machabaici putantur, illi aetati esse attribuendos. Ceterum cfr *Ghiringelli* De libris poet. et proph. A. T. 1847. p. 234; *Danko* Hist. revelat. V. T. p. 279; *Aug. Scholz* Einl. p. 68; *Kaulen* Einl. Ed. 3. 309; *Vigouroux* Manuel. II. p. 245; *Haneberg* Gesch. d. Offenb. 1876. p. 347 sq.; *Thalhofer* Erkl. Der Psalmen. 1880. p. 5; *Zschokke* Hist. revel. A. T. 1884. p. 205 sq.; *Schenz* Einl. p. 132; *Lesêtre* Les Psaumes. 1883. p. XLIV sqq.; *Hoberg* Die Psalmen. 1892 p. XIV sq. etc. — Acatholicos, qui machab. Psalmos fusius impugnant, enumerat *Keil* Einl. p. 387; inter eos praecipui sunt *Hengstenberg* Psalmen IV p. 557 sq. et *Ehrt* Abfassungszeit u. Abschluss des Psalters zur Prüfung der Frage nach Makkabäerpsalmen. Leipzig 1863. — Ex rationalisticis eos impugnant *Hupfeld-Riehm* Die Psalmen I. p. 36 sq., *Bleek-Wellhausen* Einl. p. 503 sq., *De Wette Schrader* Einl. p. 524 sq. etc.

5. Cfr praesertim *Olshausen* l. c. p. 6 sq., qui omnes Psalmos, in quibus vocabula רְשָׁעִים vel צַדִּיקִים leguntur, machabaicae aetati attribuit (cfr in Ps. 1. 3. 5. etc.).

6. 1 Mach. 7,16 sq. « καὶ ἀπέκτεινεν αὐτοὺς ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ κατὰ τὸν λόγον ὃν ἔγραψε (recte vertit *Vulg.* « secundum *verbum quod scriptum est* »). Σάρκας ὁσίων σου καὶ αἵματα αὐτῶν ἐξέχεαν κύκλῳ Ἰερουσαλήμ κτλ. — In quae verba ipse adnotat rationalista *Grimm* (Exeg. Handbuch zu den Apoc. III. p. 111) : « Nach Analogie der bekannten Citationsformeln ὡς γέγραπται, κατὰ τὸ γεγραμμένον u. dgl. kann es kaum einem Zweifel unterliegen, dass hier auf das *geschriebene* Wort Gewicht gelegt, folglich der betreffende Psalm als *heilige* Schrift citirt wird ».

7. Rectissime ipse *Hupfeld* l. c. p. 37 : « In den betreffenden Psalmen ist keine einzige Beziehung zu finden, die nothwendig auf die makkabäische Zeit führte, und nicht ebenso gut, ja zum Theil noch besser, auf die chaldäische und persische Zeit passte ».

8. Obiiciunt quidem secundum eundem textum etiam Iudam Machabaeum libros sacros collegisse; at non viderunt Iudam collegisse τὰ διαπεπτωκότα διὰ τὸν πόλεμον, minime autem collectioni, quae ante bellum exstitit, novos libros addidisse.

9. Cfr quae de canone palaestinensi Esdrae Nehemiaeque aetate terminato disseruimus in *Introd. gener.* Ed. 2. 1894. p. 42 sqq.

**191.** — Restat ut *de Psalmorum collectione* seu DE ORIGINE PSALTERII dicamus. Ultimam manum ei impositam esse ab Esdra pro certo habemus ob testimonium iam allatum Iudae Machabaei, quo constat Nehemiam (utique per Esdram, qui cultui religioso restituendo praefuit) τὰ τοῦ Δαυείδ i. e. Psalterium collegisse (2 *Mach.* 2,13). Quae etiam plerorumque Patrum est sententia, neque eorum tantum, qui complures fuisse Psalmorum auctores concedunt, sed eorum quoque, qui omnes Davidi attribuere malunt; exsilio enim finito Esdram carmina dispersa collegisse et prout in manus eius venissent in quinque Psalterii libris disposuisse tradunt [1]. Attamen quinque libros totidem esse diversas collectiones diverso tempore adornatas supra iam demonstravimus (182 p. 79 sqq.); quando autem singulae factae sint, quum historica documenta prorsus desint, solis coniecturis magis minusve probabilibus assequi possumus, origine scilicet et indole Psalmorum, quos continent, considerata.

*Primi libri* carmina (*Ps.* 1-40), quum omnia sint a Davide composita Deumque fere semper *Iahve* appellent, nihil obstat, quin davidico tempore, immo a Davide ipso, eum in finem dicantur collecta, ut usui liturgico in sanctuario inservirent. Davidis enim carmina iam eius tempore in liturgia esse adhibita, certis testimoniis (1 *Paral.* 16) constat, neque quisquam ignorat, quanta fuerit pii regis in cultus splendore augendo continua cura et diligentia; qui autem a Deo iussus erat « in domo Domini constituere levitas cum cymbalis et psalteriis et cytharis » (2 *Paral.* 29,25), non potuit non curare, ut carminum collectio adesset, quae ad instrumentorum concentum decantarentur.

*Secundus liber* (*Ps.* 41-71) ab octo Coritarum carminibus, inter quae nonnulla davidica aetate sunt posteriora, unoque asaphico inchoatur et salomonico terminatur; reliqua fere Davidem habent auctorem, omnia autem a primi libri Psalmis in eo differunt, quod nomen divinum *Elohim* omnino praevaleat, atque unus primi libri Psalmus in secundo est repětitus solis divinis nominibus mutatis (*Ps.* 13. et 52.). Collectio igitur a Davide ipso facta non est nec liturgico usui proxime videtur esse destinata; id enim si esset, non intelligeretur, cur idem carmen iterum esset receptum et nomini *Iahve* alterum nomen divinum esset substitutum. Privato igitur usui potius videtur inservisse, quare nonnulla quoque carmina recepta esse arbitramur, quae David, quia ipsius res privatas attingebant, in publicam collectionem recipere

noluerat[2]. Adornatam autem eam arbitramur circa Ezechiae aetatem; nullum enim carmen Ezechia est recentius.

In *tertio libro* (*Ps.* 72.-88.) unum solum davidicum carmen invenitur et quinque Coritarum, sed *undecim Asaphi*. Iam vero « Ezechias et principes levitis praeceperunt, ut laudarent Dominum sermonibus David et *Asaph Videntis* » (2 *Paral.* 29,30); viri quoque Ezechiae collegerunt parabolas Salomonis in priore collectione non contentas (*Prov.* 25,1). Unde coniiciendi sufficiens adest fundamentum, eosdem viros Ezechiae carmina asaphica collegisse prioribusque collectionibus adiecisse, ut canticorum librum complerent. Quin etiam ut novam suam asaphicam collectionem a prioribus distinguerent, praecedenti libro subscriptionem videntur addidisse; ad quid enim illud « *defecerunt hymni David filii Iesse* » (*Ps.* 71,20), nisi sequentes hymnos alterius esse auctoris indicet?

*Quarti libri* demum (*Ps.* 89.-105.) et *quinti* (*Ps.* 106.-150.) carmina satis multa tempori exsilii aut reditus ex exsilio sunt attribuenda; inter se autem ita differunt, ut *quarti* carmina pleraque sint anonyma (in textu hebr. unum Moysi, duo Davidi, reliqua nulli auctori inscribuntur), *quintus* vero praeter multa davidica et unum salomonicum minores quasdam collectiones complectatur, quae sive ob formae similitudinem sive ob usum liturgicum maiorem inter se habent affinitatem (*Ps.* 119.-133. Cantica graduum, 111.-118. et 145.-150. carmina alleluiatica). Liturgicum in usum Psalmos istos esse collectos, colligimus ex eo, quod unum fere nomen *Iahve* adhibetur, utramque autem collectionem Esdrae attribuimus, qui quamprimum in Palaestinam est reversus, ut cultum leviticum restitueret, prius quidem anonyma carmina prioribus collectionibus addidit, postquam vero muris civitatis opera Nehemiae restitutis nova respublica quietius agere coepit, collectis carminibus omnibus, quae ob davidicam originem vel liturgicum usum in canonem recipi merebantur, Psalterium complevit[3].

Exsilii autem tempore, quum cultus publicus cessasset, Psalmi omnes maioribus minoribusve corruptionibus fuerant expositi. Neque enim communes tantum cum reliquis libris sacris casus subierunt, qui legitima auctoritate eo tempore non custoditi facilius negligentia librariorum corrumpebantur, sed quoniam quotidianae fere erant exsulum preces, eorum quotidianis necessitatibus sunt adaptati versiculis nonnullis additis vel insertis. Iam vero quin Esdras expurgandis quoque sacris carminibus removendisque additionibus indebitis curam suam sollicitudinemque impenderit, non est dubitandum; quod si vero nihilominus genuinis Davidis Psalmis adhuc nonnulla sunt addita, quae exsilio originem suam debent[4], S. Spiritui id attribuamus oportet, qui invigilavit ne illa, quae ipse addenda curaverat, removerentur. Sub duplici

igitur hoc respectu Esdram Psalterio ultimam manum imposuisse cum Patribus censemus.

1. *Origen.* Selecta in Psalm. (M. 12,1076); *S. Hilar.* in Psalm. Prol. 4. (M. 9,234); *S. Athan.* Argum. in Psalm. (M. 27,56); *Ps. Athanas.* Synops. S. Script. 21 (M. 28, 332); *Euseb.* in Psalm. Praef. (M. 9,234); *S. Hier.* ad Sophron. Praef. (M. 28,1183) etc.

2. Inter *triginta septem* Psalmos primi libri, qui a textu hebr. Davidi inscribuntur, *tres* soli additam exhibent occasionem, cui originem suam debent, sed in secundo libro inter *octodecim* sunt *septem*, qui occasionem indicant.

3. In re tam incerta non unam esse interpretum sententiam, non est quod dicamus. Ut recentissimorum solum catholicorum opiniones recenseamus, *Kaulen* (l. c. p. 309 sq.) *duos* priores libros Davidis, tertium Ezechiae, quartum Iosiae, quintum Esdrae et Nehemiae tempori attribuit, sed in quatuor priores libros ante Esdram iam recentiora carmina inserta esse supponit; *Vigouroux* (Manuel II. p. 246) primum Davidi, secundum Ezechiae attribuit, tertium et quartum collectos censet ante Esdram, quintum ab Esdra; *Zschokke* (Hist. p. 208) cum Kaulen fere consentit; *Lesêtre* (Les Psaumes p. XLIII sq.) primum Davidi, secundum Ezechiae attribuit, tertiam collectionem inchoatam esse putat sub Ezechia sed terminatam a reducibus ex exsilio, quartam et quintam aetate Esdrae adornatas esse; *Patrizi* (Cento Salmi p. 3), quum machabaicos Psalmos admittat, integram collectionem factam esse supponit a Iuda Machabaeo. — Heterodoxi interpretes non minus variant, plerique tamen Esdrae Nehemiaeque aetate Psalterium absolutum esse concedunt.

4. Ex. gr. *Ps.* 24,22; 50,20 sq.; 52,7; 68,33 sqq.; 101,14-23 etc.

## § 10 — *De Psalmorum argumento et auctoritate.*

192. — « Omnis Scriptura, inquit *S. Athanasius*, divinitus inspirata utilisque est ad doctrinam, ut scriptum est; at Psalmorum liber aliquid peculiare habet observatu dignissimum iis, qui attendere voluerint. Quilibet enim liber suum proprium habet et prosequitur argumentum: ex. gr. *Pentateuchus* mundi originem, gesta patriarcharum, exitum ex Aegypto, Legis traditionem, *Triteuchus* sortium distributionem, iudicum acta, genealogiam Davidis, *libri Regum et Paralipomenon* res gestas regum, Esdras captivitatis solutionem, *Prophetae* vaticinia de adventu Salvatoris, de praeceptis servandis monita, praevaricantium reprehensiones, prophetias de gentibus: at *liber Psalmorum* sicut hortus omnium reliquorum fructus quasi complectitur eosque canens suos proprios simul manifestat »[1]. Atque *S. Basilius* « aliud, inquit, prophetae docent, aliud historici, aliud Lex, aliud exhortatio illa, quae in Proverbiis legitur: at quidquid in illis utile est, hic unus Psalmorum liber continet. Vaticinatur futura, praeterita in memoriam revocat, leges dat vitae, suggerit quae agenda sunt; quare commune quoddam bonarum doctrinarum promptuarium est, ex quo quidquid cuilibet utile est haurire licet... Quid enim ex eo discere non poteris? Nonne fortitudinis docet claritudinem? nonne gravitatem temperantiae, prudentiae per-

fectionem, poenitentiae modum, mensuram patientiae? nonne quidquid indiges boni? Heic perfecta de Deo doctrina, de Christi in carnem adventu vaticinia, comminatio iudicii, resurrectionis spes suppliciique timor, promissio gloriae, mysteriorum revelatio; uno verbo dicam, omnia velut in magno quodam et communi thesauro in hoc Psalmorum libro reposita sunt »[2]. Eodem modo reliqui Patres ingentem doctrinarum copiam, quae in Psalterio continetur, laudibus celebrant communemque eorum sententiam exhibet Glossa ordinaria, si Psalterium vocat « consummationem totius theologicae paginae », et *S. Thomas Aq.,* si eius argumentum dicit « generalem totius theologiae materiam »[3].

Quam ob causam eadem ratione, qua reliquorum librorum argumentum describere finemque indicare conati sumus, Psalterii argumentum et finem explicare non possumus; suum enim quisque Psalmus habet argumentum, suum finem, suam rei tractandae rationem, quae si omnia exponere et explicare vellemus, interpretis partes ageremus. In universum igitur dumtaxat dicemus,

a.) alios Psalmos Deum eiusque attributa celebrare atque opera eius in ordine naturae et gratiae praedicare (*hymni* et *gratiarum actiones*),

b.) alios auxilium a Deo efflagitare sive in necessitatibus privatis aut publicis sive in periculis, quae aeternam salutem spectant (*preces*),

c.) alios populi electi fatis enarratis singularem Dei erga filios Israel misericordiam, longanimitatem, bonitatem describere (*carmina historica*),

d.) alios doctrinas morales explicare sive iustorum iniustorumque sorte descripta, sive celebrata Legis observantia sive virtutibus inculcatis et commendatis (*carmina didactica*),

e.) alios contritionem de peccatis commissis exprimere, veniam implorare, salutis hostibus imprecari poenas (*Psalmi poenitentiales, imprecatorii*),

f.) alios Messiam venturum annuntiare de eiusque vita, passione, resurrectione, regno glorioso vaticinari (*Psalmi messianici*).

Non pauca autem sunt carmina, in quibus varia haec argumenta ita sunt commixta, ut ad certam classem revocari non possint, atque operam perdidisse illos arbitramur, qui sive ex argumento sive ex poematis forma omnes Psalmos in certas classes distribuere sunt conati[4].

1. *S. Athan.* ad Marcellin. 2 (M. 27,12).
2. *S. Basil.* Homil. in Psalm. 1. n. 1. 2. (M. 29,212 sq.).
3. *Walafr. Strab.* Glossa in Psalm. Prol. — *S. Thom.* in Psalm. Prol.
4. *S. Athanasius* ad Marcell. 14 (M. 27,25 sq.) viginti septem classes statuit, quarum aliquae unum solum, aliae duos vel tres etc., aliae ultra viginti Psalmos continent, neque tamen scio, num cuiquam distributio eius probetur. Pauciores classes a

recentioribus interpretibus statuuntur, at nec in classium numero nec in carminibus singulae classi assignandis consentiunt, id quod non est mirum, quum ab ipsa explicatione distributio dependeat.

193. — Accuratiore igitur doctrina de Psalmorum argumentis omissa de duabus eorum classibus pauca hoc iam loco addamus oportet, de messianicis et de illis, qui imprecatorii nominari solent. Nonnulla Psalterii CARMINA DE MESSIA REGNOQUE MESSIANICO agere omnes interpretes, solis rationalistis exceptis, unanimi consensu asserunt, immo aliqui eo usque progrediuntur, ut omnes Psalmos dicant esse messianicos[1]. Quibus praelusisse Patres quidam videntur : « Non est ambigendum, inquit *S. Hilarius*, ea quae in Psalmis dicta sunt secundum evangelicam praedicationem intelligi oportere; ut ex quacunque licet persona prophetiae Spiritus sit locutus, sit tamen totum illud ad cognitionem adventus Domini N. Iesu Christi et corporationis et passionis et regni, et ad resurrectionis nostrae gloriam virtutemque referatur ». At haec non nisi latiore quodam sensu esse intelligenda ipse S. Doctor clare docet : « Esse autem plures memini, qui omnia, quae in libris Psalmorum scripta sunt, ad personam Domini N. existiment esse referenda nihilque in eis aliud, quam quod ei sit proprium, contineri. Quae eorum opinio argui non potest; omnis enim ex affectu religiosae mentis hic sensus est et caret culpa, propensiore studio omnia ei, per quem ipsa omnia sunt, *coaptare*. Quamquam enim id ipsum interdum imperite fiat, tamen per id, quod ad eum cuncta referuntur, necesse est, ut ea, *quae ei sunt propria*, vere ac fideliter praedicentur. Cavendum autem est, ne dum omnia convenire in eum aequaliter opinamur, per assertionis huius studiosam intentionem plurimum et divinitatis suae dignitati et corporationis sacramento et operationum potestati et passionis virtuti et resurrectionis gloriae detrahatur »[2]. « Modum igitur tenendum » esse monet S. Doctor, quem non satis observasse arbitramur *S. Augustinum*, quum literali sensu plerumque neglecto, omnia fere mystice et allegorice ad Christum et Ecclesiam accommodaret; cum exaggeratione quadam *Tertullianus* quoque « omnes *paene* Psalmos Christi personam sustinere » et *S. Athanasius* « in singulis *fere* Psalmis ea quae Salvatorem spectant inveniri » asseruerunt[3]. Rectius cum *Theodoreto* mediam viam tenebimus, ut « ea, quae priscis historiis conveniant, de eis etiam nunc intelligamus, praedictiones autem de Domino Christo et de Ecclesia e gentibus congreganda et de evangelica republica et de apostolicis praedicationibus non ad alia facta applicemus, sicut Iudaei facere solent, qui malitiae assueti incredulitatis excusationem texunt... Sciendum enim est, prophetas non sola futura praedicere, sed etiam praesentia

et praeterita narrare... Sic etiam divinus David et beneficiorum olim a Deo collatorum meminit et longis post saeculis futura praemonstrat; non solum autem verbis utitur hominis vaticinantis, sed etiam admonitoris et legislatoris, et modo moralem doctrinam affert, modo dogmaticam, et Iudaeorum interdum calamitates deplorat, interdum gentium saluti praecinit, saepe (πολλαχοῦ) autem Domini Christi tum passionem tum resurrectionem vaticinatur et praedictionis varietate iis, qui attendere volunt, plurimam affert voluptatem »[4].

1. Nemo, opinor, hanc sententiam magis exaggeravit, quam pius quidam nostrae aetatis interpres; *I. R. Champon* (Épopée christologique des Psaumes. Paris 1876. I. p. 2.) hanc statuit thesin « *Le sens propre et vraiment littéral* des Psaumes dans l'ensemble et au détail a pour objet Jésus-Christ et son épouse la sainte Église, leurs mystères et leurs combats, leurs tribulations et leurs gloires ». Quam thesin ad fidem fere pertinere censet (« Donnons à notre thèse son plus haut degré d'évidence et par conséquent une certitude, une vérité qui lui assigne comme une place dans le domaine de la foi » p. 61) idque quia « *trois quarts* des Psaumes directement et en toutes lettres et tous les autres par voie de similitude et de nécessité logique, sont interprétés par le Saint-Esprit lui-même de Jésus-Christ et de son Église ». Rectius quidem dixisset *quartam* circiter Psalmorum partem (sc. triginta sex carmina) in Novo Test. allegari, at auctor dividit Psalterium in viginti duas sectiones, et si unum ex carminibus alicuius sectionis in N. T. allegatum videt, concludit omnium eiusdem sectionis canticorum sensum a Spiritu S. esse definitum; ex. gr. Psalmi 94.-99. ei constituunt sectionem, de qua haec tradit (p. 67) : « S. Paul ad Hebr. 3. 4. interprétant du Christ le premier Psaume de cette série, lui en applique également les autres, car tous ont visiblement le même sujet : la divinité du Christ et la nécessité pour l'homme de le reconnaitre et de l'adorer ». Hac ratione demum concludere potest. p. 83 : « Donc, *tous les Psaumes, tous, pas un seul excepté, ont pour sens littéral et pour objet propre Jésus-Christ et son épouse la sainte Église* ».

2. *S. Hilar. Pict.* in Psalm. Prol. 5 et in Psalm. 63. n. 2. 3 (M. 9,235. 408).

3. *S. August.* in Ps. 59. n. 1 (M. 36,713) : « Vix est, ut in Psalmis invenias voces, nisi Christi et Ecclesiae, aut Christi tantum aut Ecclesiae tantum » etc. Messianitatem autem Psalmi interdum demonstrat ex sola inscriptione *In finem* « : Finis enim Legis est Christus » l. c. n. 2. — *Tertull.* adv. Prax. 11 (M. 2,167); *S. Athan.* ad Marcell. 26 (M. 27,37).

4. Theodoret. in Psalm. Prol. (M. 80,860 sq.).

Quot vero Psalmi de Messia eiusque regno intelligendi sint, difficile est dictu; alii enim interpretes quam plurimos, alii vix unum alterumve de eo explicant. Nostrum non est hanc litem dirimere; sine ulla autem haesitatione messianitatem in illis agnoscimus, qui aut a sacris scriptoribus aut communiore Patrum et interpretum explicatione ad Christum vel Ecclesiam referuntur. At non omnes eadem ratione sunt messianici. Alii enim literali sensu ita agunt de Christo eiusque regno, ut omnem aliam explicationem respuant[5]; alii Davidem vel alium regem V. T. eiusque fata respiciunt, quatenus Christum vel res ad eum pertinentes praefigurant, ita ut typico sensu de rebus Christi

aut de eius persona intelligi possint ac debeant[6]; alii proxime de homine iusto generatim ita agere videntur, ut eorum verba plenum et perfectum suum sensum non consequantur, nisi de iusto κατ' ἐξοχήν, i. e. de Christo, secundo Adamo, simul intelligantur (ex. gr. *Ps.* 8. 20. etc.)[7]. Alii demum quartam classem adiungunt eorum, in quibus psalmista ad magnam illam promissionem Davidi factam (2 *Reg.* 7) alludit aut eam supponit vel explicat (ex. gr. *Ps.* 17. 88. 131. etc.)[8].

Si ad carminum messianicorum argumentum animos attendimus, non admirari non possumus, quot et quanta Christi mysteria psalmistis sint revelata atque maxime Davidi; longe enim maior messianicorum carminum numerus Davidem habet auctorem. Namque « in Psalmis, inquit *S. Ambrosius*, nobis non solum nascitur Iesus, sed etiam salutarem illam suscipit corporis passionem, quiescit, resurgit, ascendit ad coelum, sedet ad dexteram Patris. Id quod nemo praesumserat hominum dicere, hoc solus hic propheta annuntiavit, postea ipse Dominus in Evangelio praedicavit »[9]. Usque ad Davidem de Messiae persona et regno admodum pauca erant praedicta; ex Protevangelio didicerat genus humanum aliquando semen mulieris serpentem eiusque semen esse devicturum; ex Noe benedictione cognoverat salutem fore per posteros Sem; in Abrahami, Isaaci, Iacobi semine benedictum iri omnes gentes, patriarchis ipsis erat revelatum; Iacob moriens vidit sceptrum in tribu ex filio suo Iuda exoriunda permansurum usque ad adventum eius, cui tamquam regi sempiterno debebatur; per Moysen didicerant Israelitae futurum Salvatorem simul fore magnum Prophetam, quem audire et cui obedientiam praestare debeant, quicunque salvi fieri volunt; Davidi demum ipsi per Nathanem revelatum est, thronum eius iugiter permansurum atque semen eius in aeternum esse regnaturum. Haec fere sunt, quae de Messia usque ad Davidem diserte erant revelata : verum in Psalmis triplex Messiae munus, regium, sacerdotale, propheticum, clarissime annuntiatur, divina eius natura atque aeterna eius generatio non semel praedicitur, passio eius tam clare describitur, ut testem oculatum audire tibi videaris, neque minus clare eius resurrectio et gloria futura praedicuntur. Regnum autem eius sese extensurum esse usque ad fines terrae nec quemquam salutem esse consecuturum, nisi regno huic sit adscriptus, variis modis praenuntiatur etc.

Iam non desunt, qui ut hanc vaticiniorum copiam explicent, ad poeticum Psalmorum characterem appellant, ac si οἴστρῳ cuidam poetico potius, quam Spiritui S. debeantur. Quod quam immerito fiat, non opus est demonstrare. Illud utique concedimus, Spiritum S. in inspiratione sese, ut ita dicamus, ingenio sacrorum scriptorum accommodasse atque psalmistas ita illustrasse, ut verorum poetarum partes

agerent. Hac ratione, si quis voluerit, ex poeseos natura explicare poterit, cur a Davide etiam minutae quaedam passionis dominicae res sint descriptae aliis maioribus omissis, dummodo simul teneat illas revera a Spiritu S. esse revelatas. Sicut pictor imaginem viri alicuius expressurus ante omnia primis lineis illam designat, deinde singula minutatim depingit, ita Spiritus S. per aliquos prophetas totam Domini N. vitam extremis quasi lineamentis adumbravit, per sacros autem poetas et alios prophetas singulas huius picturae partes accuratius perfecit et perpolivit. Soli igitur Spiritui S. omnia sacrorum poetarum, sicut prophetarum, vaticinia debentur, atque David, Asaph aliique psalmistae simul etiam prophetico dono erant insigniti.

5. Huic classi a plerisque inseruntur *Ps.* 2. 15. 44. 71. 109.

6. De numero Psalmorum huic classi inserendorum magnus est interpretum etiam catholicorum dissensus. Omnes quidem nonnullos typice messianicos esse concedunt (ex. gr. *Ps.* 34. 68. 108. etc.), qui scilicet in N. T. velut messianici adhibentur; sed quoniam Davidem multiplici tribulatione oppressum et ab hostibus infestatum Christi patientis typum fuisse constat, satis multi alii Psalmi, in quibus de Davide patiente sermo est, qui vero in N. T. non allegantur, a nonnullis messianice explicantur (*Ps.* 3. 4. 5. 9. 10. etc.). Id iure fieri non est negandum, sed cfr quae de harum explicationum auctoritate diximus in *Introd. gener.* Ed. 2. n. 202. p. 559 sqq.

7. Nonnulli interpretes tertiam hanc classem non agnoscunt, sed Psalmos istos aut literali aut typico sensu de Messia explicant; sed quum in iis de determinata persona non agatur, sed universim de iusto aut de rege, parum apte typice messianici dicuntur.

8. Istorum Psalmorum partem dumtaxat esse messianicam recte statuitur; a nonnullis autem Psalmorum, quos literali sensu messianicos esse diximus, solam partem de Messia parum recte explicari censemus. Ex. gr. in *Ps* 2. solos vv. 7. et 12. directe ad Messiam, reliqua ad Salomonem spectare, aut in *Ps.* 15. usque ad v. 8. loqui Davidem, inde autem a v. 9 loqui Christum (Cfr *Patrizi* Cento Salmi p. 44. 76 etc.), difficile est creditu; neque enim videmus, quomodo in hac hypothesi unitas carminis servetur.

9. *S. Ambros.* in Psalm. 1. Praef. 8 (M. 14,924).

194. — DIVINAM AUCTORITATEM Psalmorum argumentis stabilire superfluum est, siquidem antiquam synagogam et Christi Ecclesiam omnes Psalmos semper pro divinis agnovisse inter omnes constat. Iam Nehemiam per Esdram τὰ τοῦ Δαυείδ i. e. Psalterium una cum prioribus et posterioribus prophetis Pentateucho adiunxisse testantur cum Iuda Machabaeo Iudaei ierosolymitani et synedrium in sua ad Iudaeos aegyptios epistola (2 Mach. 2,13), atque ex 1 *Mach.* 7,16 sqq. apparet, exeunte saec. 2. a. Chr. Psalmos velut divinitus inspiratos iam allegari. In Novo T. testimonia divinitatis Psalmorum abundant; etenim non tantum Dominus N. ad Psalmos eodem modo, quo ad Legem et prophetas, provocat (*Luc.* 24,44), sed praeter Isaiae vaticinia nullus est V. T. liber, qui Psalmis frequentius a Domino et ab Apostolis pro auctoritate

adhibeatur. Plus quinquaginta Psalterii textus ad verbum allegantur, testimonia autem haec ex triginta septem Psalmis desumta sunt, quorum quindecim in primo, sex in secundo, tres in tertio, sex in quarto, septem in quinto libro leguntur; quapropter nullus remanet dubitationi locus, quin integrum nostrum Psalterium centum quinquaginta Psalmorum a Domino et ab Apostolis declaratum sit divinitus inspiratum. Disertis quoque verbis Dominus Davidem « in Spiritu » composuisse Psalmum 109. asserit (*Matth.* 22,43), et « Spiritum S. per os Davidis » dixisse Psalmum 2. asserunt Apostoli (*Act.* 4,25).

Porro inde ab apostolica aetate in coetibus sacris Christiani continuo decantabant Psalmos, atque SS. Patres privatum quoque eorum usum toties et tam efficaciter inculcabant, ut in Asia Minore teste *S. Basilio* fideles « Psalmorum oracula et domi modularentur et in forum circumferrent », in Palaestina testibus *SS. Paula et Eustochium* « arator stivam tenens alleluia decantaret, sudans messor Psalmis se avocaret, et curva attendens vitem falce vinitor aliquid davidicum caneret », in Italia teste *S. Ambrosio* « erubescerent, qui sine Psalmorum celebritate diem clauserunt », in Aegypto secundum *S. Pachomii* regulam nemo in monasterio degere posset, qui integrum Psalterium non teneret memoria[1]. Quod vero Patres exempla Domini et Apostolorum secuti in suis ad populum habitis concionibus et in suis disputationibus cum haereticis testimonia ex Psalmis desumserint, quibus divinam revelationem adstruerent et vindicarent, id singulae fere operum eorum paginae docent.

1. *S. Basil.* Homil. in Ps. 1. (M. 29,212); *S. Ambros.* in Psalm. 6. Praef. (M. 14, 923); SS. Paulae et Eustoch. ep. inter *S. Hier.* ep. 46,12; *S. Pachomii* reg. 140. (M. 22,491; 23,82). Cfr quoque *S. Gregor. Nyss.* in Psalm. I. 3 (M. 44,437 sq.), *S. Chrysost.* in Ps. 41 (M. 55,155) etc.

195. — At inter Psalmos nonnulli inveniuntur, in quibus psalmista multis gravibusque hostium persecutionibus afflictus et oppressus ulciscendi cupidine ita abripi videtur, ut in persecutores suos Dei iram invocet eisque gravissima mala, immo perniciem aeternam, imprecetur[1]. *Theodoretus* monendos iam censuit lectores, « ne ullam ex iusti hominis precibus offensionem acciperent neve ansam inimicis mala imprecandi ex illis arriperent; Legis enim statum neque vero evangelicum vivendi modum prophetam esse sectatum; Legem autem imperare, ut proximum diligamus et inimicum odio habeamus, Dominum vero amorem inimicorum praecepisse »[2]. Eadem via ulterius progressus recens quidam interpres catholicus, pietate non minus quam eruditione insignis, carmina ista, quia legi a Christo datae repugnent, « ob solam antiquitatis memoriam » in Psalterio conservari putavit, at

ea « nova fieri non posse »[3]. Quod rationalistae demum istis abusi sint, ut revelationem divinam impugnarent, non est mirum; eorum usum Christianis interdicunt, quum non sint nisi « animi indomiti effrenataeque irae expressio »[4].

Attamen Psalmos istos ab Ecclesia in liturgia sacra adhiberi nemo ignorat; minime igitur velut « antiquitatis monumenta » in Psalterio relinquuntur, sed quotidie velut « novi » ab Ecclesia decantantur; unde iam satis constat eos novae Christi legi non repugnare, nisi quis ipsius Ecclesiae orationem legi Christi repugnare asserere velit. Immerito autem a nonnullis interpretibus inter veterem et novam legem tanta statuitur in caritatis praecepto differentia, ut quod pium et sanctum fuit iuxta mosaicam Legem, secundum legem Christi impium sit et sacrilegum. Etenim « omnes differentiae, quae assignantur, inter novam legem et veterem, accipiuntur secundum perfectum et imperfectum »[5], idque praecipue in iis, quae amorem proximi attingunt. Tantum enim abest, ut in antiquo foedere amor inimicorum incognitus fuerit atque odium inimicorum licitum, immo praescriptum, ut Apostolus verbis veteris Legis amorem inimicorum inculcare voluerit[6]. Procul dubio oppositio quaedam aderat inter Christi doctrinam interque doctrinas Scribarum et Pharisaeorum, qui praecepta Legis (*Exod.* 23,4; *Levit.* 19,17) ad populares suos restringebant, aut « ea quae Lex vetus instituerat facienda propter iustitiam, esse exsequenda ex appetitu vindictae vel ex odio inimicorum » credebant[7]; at errores istos Davidi aliisque psalmistis eo minus licet attribuere, quo luculentius ex tota vita Davidis et ex multis Psalmis apparet, eos inimicos suos dilexisse.

Ut imprecationes illas explicarent, interpretes varias congesserunt rationes, quas *Asterius* his verbis complectitur : « Optime ita acriter adversus inimicos invehi potuit David multis de causis : 1.) vivido illorum conversionis desiderio : Plecte illos, Deus, ut male agere et in te peccare cessent; 2.) ut in hac vita suppliciis affecti minoribus in altera crucientur; 3.) ut eorum poena alios impios, illorum exemplo abutentes coerceat; 4.) ut molestiis, quibus ab impiis iniquissime vexantur, liberentur iusti; 5.) ut Dei gloria vindicetur, quam impii, Deum iustorum protectorem esse negantes, violant; 6.) ne iusti perverso impiorum exemplo corrumpantur »[8]. Quibus rationibus sufficienter quidem explicatur, quomodo mala temporalia et transitoria psalmistae suis hostibus imprecari potuerint; neque tamen aliam et praecipuam rationem omittere licet, quam plerique Patres iam indigitarunt monentes multas ex illis imprecationibus vera esse vaticinia. « Magna, inquit *S. Chrysostomus*, heic nobis prudentia opus est; verba enim, si considerentur tantum sicut sunt prolata, perturbant multos eorum, qui non attendunt. Totus enim Psalmus plenus est exsecratione, atque eiusmodi

tota percurrit oratio ac loquentis ferventem et ardentem iram indicat, quae non contenta eum ulcisci, qui fecit iniuriam, etiam in filios, patrem et matrem extendit supplicium, et non una ei sufficit calamitas, sed etiam mala malis coniungit... Nemo autem perturbetur... prophetia est sub specie imprecationis; nam etiam alibi tale quid invenimus. Quoniam enim oportebat auditores iuvari ex iis, quae aliis eveniebant, vaticinia multa ita enuntiant prophetae, ut vel ipso modo proferendi augeatur metus in republica » etc. Similiter *Eusebius* dicit « Scripturam imperativo modo futura proferre solere », atque *Theodoretus* « beatum Davidem non maledicentem haec esse locutum, sed prophetantis modo praedixisse, ea, quae certe futura essent »[9]. Ex Latinis solum afferamus *S. Augustinum* : « ea, inquit, quae figura optandi dicuntur, animo prophetandi explicantur; illud *fiat* et illud *fiat* nihil est aliud, quam *hoc et hoc futurum est* »; atque iterum : « Haec eis futura praedixit, non quasi ut evenirent optavit. Quamquam et propheta in Spiritu Dei sic ea dicat, quomodo Deus illa facit, non perturbatus ira, non amaro zelo, non animo inimicitiarum exercendarum, sed iustitia vitiorum puniendorum : verum tamen prophetia est » ; et iterum : « in verbis quasi mala optantis intelligamus praedicta prophetantis »[10]. Quam Patrum doctrinam secutus optime *S. Thomas* : « Dicendum, quod in omnibus istis imprecationibus duplex est intellectus : unus quod dicantur per modum praenuntiationis, ut quum dicat *Iudica* quasi dicat *Iudicabit;* alter ut omnia intelligantur prolata non ex zelo vindictae propriae, sed divinae iustitiae, cui se conformant iusti ». Atque revera imprecationes illas vaticinia esse apparet ex eo, quod in *Ps.* 68. et 108. poenas Iudae proditoris Iudaeorumque sub imprecatoriis verbis S. Petrus vidit praedictas[11]. Ex zelo autem iustitiae divinae psalmistas imprecationes illas proferre potuisse docent similia N. T. exempla; quare *S. Hieronymus,* postquam quaedam Pauli verba ad Galatas (5,12) « non tam furoris in adversarios quam dilectionis in ecclesias Dei » esse dixit, « omnes » qui contra Vetus Testamentum latrant » rectissime admonet, « quidquid pro Apostolo excusationis afferatur, hoc pro Lege Veteri defendi posse »[12].

1. *Ps.* 34. 51. 53. 54. 57. 58. 68. 108. 136. et si qui sunt alii.

2. *Theodoret.* in Ps. 34. (M. 80,1117).

3. *Haneberg* Gesch. der Offenbarung. Ed. 4. Regensburg 1876. p. 356 : « Indessen scheint eine Classe von Psalmen, sowie eine Anzahl von einzelnen Stellen *jedenfalls unter die Antiquitaeten zu gehören, welche nie neu werden koennen,* nämlich die Fluchpsalmen... Bei diesen Liedern und Stellen mag man annehmen, dass sich der Psalmist lebendig in die göttliche Gerechtigkeit hineingedacht habe, gleichsam mit ihr und aus ihr rede, oder dass er mehr warne und mahne, als verwünsche; *immerhin widersprechen diese Stellen dem neuen Gesetze, das uns Christus gegeben hat,*

*sie bleiben in dem Psalter als Denkmaeler der alten Zeit stehen* ». Quomodo haec sententia cum doctrina de Psalmorum inspiratione concilietur, non videmus.

4. Cfr *Hupfeld Riehm* Die Psalmen 1867. I. p. 12 sq. : « Dass dergleichen auf christlichen Standpunkt und für uns nicht mehr erlaubt oder gar Muster sei, *dass wir es nicht mehr nachsprechen und nachsingen dürfen*, das kann dem unbefangenen und sich selbst klaren Christen nicht zweifelhaft sein » ; *Steiner* in Schenkel Bibellexicon 1875. V. p. 9. : « Es sind Ausbrüche einer natürlichen, ungezügelten Leidenschaft, wie wir sie bei jedem Volk finden und jedem Volk verzeihen können, wenn nur das menschlisch Mangelhafte, Beschränkte nicht zu einem Vollkommenen, Idealen umgestempelt werden will »; *Davidson* Introduction II. p. 294 sqq., qui p. 306 alios suae sententiae patronos allegat etc.

5. *S. Thom. Aq.* Summa theol. II. 1. qu. 107 a. 1. ad 2.

6. *Rom.* 12,10 et *Prov.* 25,21. Cfr etiam *Exod.* 23,4; *Lev.* 19,17. 18; *Prov.* 24,17. 29; 25,21 etc.

7. *S. Thom.* l. c. II. 1 qu. 108 a. 3 ad 2. — *Davidson* l. c. p. 305 aliique ad legem talionis (*Ex.* 21,24) provocant, ut antiqua Lege licentiam ulciscendi concessum esse demonstrent; at inter talionis legem, quae iustitiae per se non tantum non contradicit, sed consonat, eiusque abusum non distinguunt.

8. *S. Aster.* allegatus ab Agellio in Ps. 34,1; cfr *Calmet* in Ps. 34.

9. *S. Chrysost.* in Ps. 108. (M. 55,258 sqq.); *Euseb.* in Ps. 54,16; cfr in Ps. 34,4-8 (M. 23,481. 300); *Theodoret.* in Ps. 34. (M. 80,1120).

10. *S. August.* in Ps. 34. n. 8. 9; in Ps. 108. n. 7 (M. 36,328 sq.; 37,1435).

11. *S. Thom.* in Ps. 34. — *Act.* 1,20. — *Davidson* l. c. p. 294 sq. obiicit contra hanc explicationem « We hold its unphilosophical to say that the imperative and future are interchangeable... The imperatives in these imprecations can only be referred to the writers'desires, shewing what they are. Proper predictions are never made by imperatives; the future tense performs that office. Thus Hebrew grammar contradicts the offered explanation ». At Patres profecto non putaverunt, in his imprecationibus imperativum positum esse pro futuro, atque adversario nostro concedimus secundum *grammaticam* distinguendum esse inter futurum et imperativum. At nonne saepissime prophetae *figuris locutionis* utuntur, et nonne saepe per figuram quandam adhibetur imperativus pro futuro? Annon habemus « proper predictions », si *Is.* 23, 1 sqq. alloquitur Tyrios : « Ululate, naves maris... tacete qui habitatis in insula... erubesce, Sidon... Transite maria » etc. aut si 26,2 de nova Sion dicit « Aperite portas et ingrediatur gens iusta » etc.

12. 2 *Tim.* 4,14 (ubi longe plures codd. graeci cum melioribus Latinis *Amiat. Fuld. Tolet.* optativum ἀποδῴη « *reddat* » tuentur); *Gal.* 5,12. Cfr *S. Hier.* in Gal. 5,18 (M. 26,405).

## § 11. — *De praecipuis commentariis catholicis in Psalterium.*

196. — Innumeros fere esse Psalmorum commentarios non est mirum, quoniam inter omnes libros sacros nullus est, qui Psalterio frequentius evolvatur et adhibeatur. Inde enim a primis fidei temporibus Ecclesia ex illo maxime officium suum liturgicum composuit atque omnibus suis ministris certum Psalmorum numerum quotidie recitandum praescribens efficacissime omnes exhortata est, ut in divinis his

carminibus intelligendis operam suam diligentiamque ponerent. Saeculo 4. exeunte *S. Hieronymus* magnum commentatorum numerum iam recensuit multis aliis omissis, quos enumerare potuerat. « Psalterium, inquit, apud Graecos interpretati sunt multis voluminibus primus Origenes, secundus Eusebius Caesar., tertius Theodorus Heracl., quartus Asterius Scythopol., quintus Appollinaris Laodic., sextus Didymus Alex. Feruntur et diversorum in paucos Psalmos opuscula, sed nunc de integro Psalmorum corpore dicimus. Apud Latinos autem Hilarius Pictav. et Eusebius Vercell. Origenem et Eusebium transtulerunt, quorum priorem et noster Ambrosius in quibusdam secutus est ». Saeculo insequente Theodoretus excusatione se indigere iam arbitratus est, quod commentariorum numerum novo augere sit ausus. Ineunte saec. 18. *Calmetus* « omnibus collectis ultra mille in Psalmos scriptores in medium afferri posse » asseruit[1]. Quot novos autem duo ultima saecula produxerit, nemo facile dixerit; id unum satis constat, nostram aetatem in illustrandis Psalmis, si commentatorum numerus spectatur, a nulla praecedente superari. Pro more nos maiore cum diligentia opera patristica enumerabimus, aliarum autem aetatum illa sola, quae maiori utilitati interpretibus esse existimamus.

Plerorumque Patrum graecorum, quos nominat S. Hieronymus, haud multa, quae in Psalmos ediderunt, nobis sunt conservata, aliorum vero, quos omisit, plura. Ex « multis voluminibus » *Origenis* novem tantum homiliae (in *Ps.* 36.-38.) a Rufino latine redditae supersunt praeter nonnulla fragmenta de Psalmorum auctoribus et titulis et magnum numerum scholiorum ex catenis collectorum[2]. *Theodori Heracl.* et *Apollinarii Laod.* quoque nonnulla fragmenta exstant in catenis, *Asterii* septem homiliae in *Ps.* 5.-7., *Didymi Alex.* satis multa scholia, quae ex catenis vaticanis collegit Card. Mai[3]. Quae omnia mole longe superant *Eusebii Caes.* commentarii (quos « eruditissimos » appellat S. Hieronymus), quamvis ne ipsi quidem integri ad nos pervenerint; in parte superstite centum octodecim carmina diligenter quidem, sed plerumque allegorice illustrantur; fragmenta in Ps. 119.-150. iterum ex catenis Card. Mai congessit[4]. A S. Hieronymo omissus est aequalis Origenis *S. Hippolytus*, qui integrum Psalterium commentatus est, cuius tamen non restant nisi « argumentum enarrationis in Psalmos » et pauca scholia. Omissus quoque est *S. Athanasius M.*, licet unus sit ex Patribus, qui maiorem in Psalmis explicandis posuerint diligentiam. Praeprimis commendatione digna est eius epistola ad Marcellinum, in qua, ut Cassiodori verbis utar, « diversa commonens, virtutem Psalterii minutissima eius discussione patefecit, diversos hominum casus cum suis remediis suaviter introducens ». Duo ei attribuuntur commentarii; longior « Expositio in Psalmos », in qua

singulis carminibus praemittit argumentum et plerosque versus interdum literali interdum allegorico sensu explicat, et breviora scholia, quae inscripta « De titulis Psalmorum » titulos et singulos versus plerosque non tam explicat, quam aliis verbis repetit. Num uterque sit genuinus an neuter, non satis constat [5]. *S. Gregorius Nyss.* « in Psalmorum titulos » duos composuit tractatus, qui « in totam Psalmorum scriptionem introductio quaedam » sint, « ut accuratius latentis sententiae intelligentia percipiatur et tractatio quoque inscriptionibus clarior reddatur »; quare de fine, ordine, divisione Psalterii agit titulosque allegorice exponit. Fratris eius *S. Basilii M.* exstant tredecim homiliae, quibus *Ps.* 1. 7. 14. 28 sq. 32 sq. 44 sq. 48. 59. 61. 114. literali et allegorico modo explanat [6]. *S. Chrysostomus* omnes Psalmos homiliis illustrasse creditur; superest eius expositio in *Ps.* 3.-12. 41. 43.-49. 110.-117. 119.-150.; reliqua, quae sub eius nomine feruntur, dubia sunt aut spuria. S. Doctoris commentarii in Psalmos magnis laudibus ornantur atque a Photio et Suida tantum non omnibus aliis eius commentariis praeferuntur; at licet sublimitate sermonis haud raro atque accurata morum disciplinae tractatione insignes sint, cum homiliis eius in epistolas Paulinas comparari non possunt atque sensum literalem saepius negligunt [7]. *Theodoretus* suam « interpretationem in Psalmos », quae fere integra ad nos pervenit, eorum causa composuit, « qui monasticam vitam agentes dies noctesque versus davidicos in ore habent », « ut canentes simul et eorum, quae canuntur, sententiam inspicientes duplicem fructum perciperent ». Pro more suo brevis est, literali sensui ubique inhaeret atque ea, quae de Christo et Ecclesia intelligenda sunt, accurate explicare studet. Theodoretus in commentarii sui prologo et in explicatione interdum (tacito tamen eius nomine) magistrum suum *Theodorum Mopsuest.* carpit, qui ipse in quinque τόμοις, quos in Psalterium conscripserat, ea, quae literali sensu de Christo intelligenda erant (Ps. 15. 21. etc.), typico aut accommodato sensu explicaverat. Mopsuestani hodie non exstant nisi fragmenta ex catenis a Card. Mai collecta [8]. Eodem tempore, quo Theodoretus, magnus eius adversarius *S. Cyrillus Alex.* « Explanationem in Psalmos » composuit, cuius maior pars superest, quae plus centum Psalmos complectitur, atque alios integros, aliorum paucos tantum versus satis fuse explicat [9]. Ex antiquiorum Patrum graecorum operibus suum commentarium fere excerpsit *Euthymius Zigab.*; adscriptis Patrum nominibus eorum sententias exhibent *catenae* [10].

1. *S. Hieron.* ad August. ep. 112,20 (M. 22,929); *Theodoret.* in Psalm. Praef. (M. 80,860); *Calmet.* Diction. hist. critic. S. S. s. v. Psalmi. — Cfr etiam *Lelong* Biblioth. sacr. II. p. 1098-1108, qui plus mille ducentos enumerat, qui in omnes aut

aliquos Psalmos scripserunt; neque tamen eos nominat, qui integram S. S. aut integrum V. T. commentariis illustrarunt.

2. *Origenis* Selecta in Psalmos. M. 12,1053-1685, et supplementa M. 17,105-149. (Homiliae a Rufino translatae M. 12,1319-1410).

3. *Apollinar. Laod.* interpretatio metrica Psalm. M. 33,1313-1537; *Asterii Amas.* Homiliae. M. 40,389-477; *Didymi Alex.* fragmenta M. 39,1155-1615.

4. *Eusebii Caes.* Comment. in Psalm. M. 23,65-1396; fragmenta M. 24,9-76. Cfr *S. Hieron.* de vir illustr. 81. M. 23,728.

5. *S. Hippolyti* fragmenta. M. 10,607-615. 711-724. *S. Athan. M.* ad Marcellin. M. 27;11-46; Expositio M. 27,55-589; De titulis Psalm. M. 27,649-1344. Cfr *Cassiod.* Instit. div. lit. 4 (M. 70,1115).

6. *S. Gregor. Nyss.* Tract. in Psalm. inscript. M. 44,431-608; sequitur brevis eius homilia in Ps. 6. de Octava. — *S. Basilii M.* Homiliae M. 29,209-494. Pro dubiis vel spuriis habentur homiliae in *Ps.* 28,37. 115. 132. (M. 30,72-117).

7. *S. Chrysostomi* Comment. M. 55,35-527. — Multa alia, quae ab antiquioribus interpretibus sub Chrysostomi nomine allegantur, invenies in spuriis M. 55,527-784.

8. *Theodoreti* Comment. M. 80,857-1998. — *Theodori Mopsuest.* Fragmenta. M. 66, 647-696. Cfr de eius Psalmorum interpretatione Concil. oecum. V. act. 4. et 5. (Mansi Collectio Conc. IX. 211 sqq.).

9. *S. Cyrilli Alex.* Explanatio in Psalmos. M. 69,699-1274. Commentarius sese extendit usque ad *Ps.* 119., sed omittit Ps. 28. 53.-56. 84. 87. 89. 102. 105.-108. 110.-112. 115. 116.

10. *Euthymii Zigab.* Comment. in Psalm. M. 128,41-1326. — *Catena* in Psalmos ed. *B. Corderius* S. I. Antwerpiae 1643. 3 voll. fol.; aliae catenae in codicibus multis inveniuntur.

Inter Patres latinos teste S. Hieronymo primus *S. Hilarius Pictav.* « in Psalmos commentarios edidit, videlicet in 1. 2. et a 51. usque ad 62. et a 118. usque ad extremum; in quo opere imitatus Origenem nonnulla etiam de suo addidit ». Praeter enumeratos autem Pictaviensis Doctor alios quoque Psalmos commentariis illustravit, qui hodie adhuc exstant[11]. Duos alios Latinos, qui proxime secuti sunt, etiam a Graecis dependere iam monuit S. Hieronymus; ab *Eusebio Verc.* enim esse latine retractatos Eusebii Caes. commentarios in Psalmos saepius asserit, at latinum opus plane interiit. Exstant vero *S. Ambrosii* homiliae in duodecim Psalmos et « expositio in Ps. 118. », quae concionatoribus quam interpretibus utiliores sunt; in praefatione autem Mediolanensis Basilium, in expositione Origenem fere sequitur[12]. *S. Hieronymus* ipse sese et « commentariolos in Psalmos » et « in Psalmos a 10. usque ad 16. tractatus septem » scripsisse tradit; soli autem « commentarioli » nobis conservati et nuper iterum reperti sunt. « Breviarium in Psalmos » porro, quod inter eius opera edi solet, licet omnino non sit spernendum, recentiori scriptori deberi constat, qui ex Origene, Hilario, Eusebio multumque his recentiore Euchério nonnulla excerpsit, maiorem autem operis sui partem ex ipsius S. Doctoris commentariolis (i. q. scholiis) hausit; literali expositione post-

habita Breviarium allegorias fere et tropologias sectatur. Inter epistolas quoque hieronymianas aliquae sunt, quas hoc loco pretermittere non licet. Ep. 28. integra enumerat varias sententias de vocabulo *Selah;* epp. 30. 34. 65. 140. explicant Ps. 118. 126. 44. 89.; ep. 106. de differentiis agit, quae inter textum primigenium et vulgatam versionem intercedunt[13]. Magna semper celebritate gavisae sunt *S. Augustini* « Enarrationes in Psalmos centum quinquaginta », laudarique merentur ab omnibus, qui allegoricas et tropologicas carminum davidicorum amplificationes eorum literali explicationi praeferunt. Nam « quamvis amplissimum hoc opus haberi non possit accuratus commentarius literalis in Psalmos, eximia tamen est et prorsus insignis collectio moralium et christianarum cognitionum, quae proinde omnibus verbi divini praeconibus utilissima est lectuque dignissima. Etenim vere admirando ingenii acumine Christum et Ecclesiam in Psalmis praesignatam nec non doctrinae evangelicae mysteria et praecepta ibi latentia detegit »[14]. Ab Augustino omnino dependet *S. Prosper Aquit.*, ita ut eius « Expositio Psalmorum a 100. usque ad 150. » non sit nisi enarrationum Doctoris Hipponensis epitome. *Cassiodorus* quoque fatetur, se « Augustini mare quorumdam Psalmorum fontibus profusum in rivulos vadosos compendiosa brevitate deduxisse »; addit autem se « quaedam noviter inventa post tam mirabilem magistrum sola Domini praesumtione subiecisse, qui parvulis confidentiam praestet ». At non tam pauca sunt, quae adiecit; praeter introductionem enim in integrum Psalterium singulis quoque carminibus praemisit praefationem, in qua de Psalmi argumento et divisione disserit, atque singula terminat conclusione dogmatica et morali. Multo magis ab Augustino dependet commentarius ille in septuaginta quinque Psalmos, qui sub *Rufini* nomine olim allegabatur, sed iuniori auctori debetur[15].

11. *S. Hilarii Pictav.* Tractatus super Psalmos. M. 9,231-908. Cfr *S. Hieron.* de vir. ill. 100. (M. 23,738).

12. De *Eusebio Vercell.* cfr S. Hier. de vir. ill. 96; ad Aug. ep. 120,20 etc. — *S. Ambrosii* « Enarrationes in duodecim (1. 35.-40. 43. 45. 47. 48. 61.) Psalmos » et « Expositio in Ps. 118 ». M. 14,921-1526.

13. *S. Hier.* c. Rufin. I. 19; de vir. illustr. 135 (M. 23,439. 758). — Nuper *Germ. Morin*, O. S. Ben., commentariolos invenit et edidit (« *S. Hieronymi* qui deperditi putabantur Commentarioli in Psalmos » in Anecdotis Maredsolanis. III. 1. Maredsoli 1895). — *Pseudo-Hieronymi* Breviarium in Psalmos. (M. 26,863 sqq.).

14. *S. Augustini* Enarrationes in Psalmos (M. 37. 38); cfr *Fessler-Iungmann* Patrologia. Ed. 2. II. 1892. p. 458; *Bardenhewer* Patrologie. 1894. p. 458.

15. *S. Prosper. Aquit.* Exposit. in Ps. 100-150 (M. 51,277 sqq.). — *Cassiodori* Expositio in Psalterium (M. 70,9 sqq.). — *Ps. Rufini* Comment. in septuaginta quinque Psalmos (M. 31,645). — Etiam inter *Ven. Bedae* opera exstat « Exegesis in Psalmorum librum » (M. 93,483 sqq.), quae cuius sit ignoratur.

197. — Quemadmodum Euthymius catenarumque collectores sententias graecorum Patrum de Psalmis congerere studuerunt, ita **MEDIA AETATE** plerique quoque latini Psalmorum interpretes vix non in repetendis latinorum Patrum explicationibus versantur. *Alcuinus* iam in suo Enchiridio de Psalmis poenitentialibus et gradualibus et de Ps. 118. ex « SS. Patrum tractatibus, qui copiose de singulis in Psalmorum libro versibus scrutati sunt... flores colligere dulcissimos » studuit; *Walafridus Strabo* Glossam suam ordinariam maxime collegit ex Augustini, Cassiodori, (Ps.) Hieronymi operibus; ex iisdem auctoribus etiam glossatorum in modum hauserunt *S. Bruno Herbipol.* et *Petrus Lombardus*[1]. Commentatores magis egerunt *Haymo Halberst.*, qui id praesertim ostendere conatus est, « communem huius operis materiam Christum esse tripliciter acceptum, scilicet secundum deitatem, secundum humanitatem, secundum corpus », *Remigius Antissiod.*, qui etiam omnia ad Christum trahit, *SS. Bruno Colon.* et *Bruno Ast.*, qui moralem explicationem praediligunt, ac praesertim *Gerhohus Reichersperg.*, qui singularem interpretationis modum secutus Psalmos de suae aetatis rebus vaticinatos esse supponit[2].

Aliis, utpote minoris pretii, omissis ad scholasticos interpretes transimus, quorum etiam paucos tantum nominabimus. *Card. Hugo* Postillam in Psalmos satis diffusam sed parum accuratam reliquit, quae collectaneis quam commentario interdum est similior; *B. Albertus M.* sensu literali fere neglecto in allegoricis et tropologicis accommodationibus versatur; longissime eos superat *S. Thomas Aq.*, cuius « in quinquaginta (et unum priores) Psalmos expositio » non tantum literalem sensum sed etiam argumenti distributionem nexumque idearum diligentissime investigat; in eo tamen, ni fallor, iustos limites transgressus est S. Doctor, quod singulorum quoque carminum inter se nexum internum adesse supponens subtilius quàm verius de eo disserat. Ceterum « sic exponendos esse Psalmos censuit de rebus gestis, ut figurantibus aliquid de Christo et Ecclesia »[3]. Quibus tribus interpretibus ex ordine Praedicatorum addamus duos ex ordine S. Francisci. *S. Bonaventurae* « Summa expositionis in Psalterium » piissima est, sed tropologicis accommodationibus fere constat; longe utilior interpreti est *Nic. Lyrani* Postilla in Psalmos; simili enim modo, quo S. Thomas, literalem sensum et nexum idearum accurate solet indicare; de Psalmorum autem inter se nexu recte monet se non videre integri Psalterii « divisionem rationabilem, nisi quod quilibet Psalmus per se exponatur ». Quum hebraicam linguam calleret, primigenium textum consuluit et hebraicos interpretes adhibuit, quorum sententias haud raro fuse exposuit et refutavit. Commentarios R. Salomonis Iarchi Lyranus praesertim adhibuerat, Abenesrae et Nachmanidis commentarios

praetulit *Paulus Burg.* in suis Additionibus ad Lyrani Postillam, in quibus nonnullas sententias praedecessoris sui bene corrigit, multas iniuste carpit[4]. Lyrani aequalis fuit *Michael Ayguanus*, cuius commentarius saepius *Incogniti* titulo vulgatus moralem potius, quam literalem sensum explicat; non dissimilis est commentarius pius *Ludolfi de Saxonia*, qui ex Patribus latinis, maxime S. Augustino, fere dependet; ex eorundem quoque commentationibus « Catenam in universos Psalmos » collegit *Petrus de Herenthals; Dionysius Carth.* autem plerorumque Psalmorum quatuor interpretationes tradit, literalem, allegoricam, tropologicam, anagogicam, nonnullorum duas vel tres tantum, paucorum unam solam[5].

1. *Alcuini* Enchiridion seu expositio pia et brevis in Psalmos poenit., in Ps. 118. et in Psalmos graduales. M. 100,569-638. — *Walafr. Strab.* Glossa ordinaria in Ps. M. 113,841-1080; eiusdem etiam exstat « Expositio in septuaginta sex Psalmos », cuius pars tantum typis est edita (M. 114,751-794; de qua cfr *Pezii* monitum praevium). — *S. Brunonis Herbip.* Expositio in Psalmos. M. 142,49 sqq. — *Petri Lombardi* Commentaria. M. 191,55-1296.

2. *Haymon. Halberst.* Explanatio in Psalmos. M. 116,191-696. — *Remigii Antissiod.* Enarrationes. M. 131,133-844. — *S. Brunon. Carth.* Expositio in Psalmos. M. 152, 637-1420. — *S. Brunon. Ast.* Expositio. M. 164,695-1228; etiam Brunonis discipulus *Odo Ast.* composuit Expositionem in Psalmos centum novem, quae tamen meditationes potius simplices, quam explicationes continet. M. 165,1145-1298. — *Gerhohi Reichersp.* Comment. (cfr *Introd. gener.* 247. p. 655 sqq.).

3. De editionibus cfr *Introd. gener.* 248 n. 2. 3. p. 657 sqq.

4. *Bonaventurae* Summa expositionis in Psalterium. Operum (Romae 1588.) I. p. 77. sqq. — De Lyrani Postilla et Burgensis Additionibus cfr Introd. gener. 249 n. 7. p. 662.

5. *Ludolfi de Saxonia* Comment. in Psalm. Spirae 1491. etc. — *Incogniti* (s. Mich. Ayguani O. Carm.) Comment. Compluti 1524. etc. Parisiis 1652. etc. — *Petri de Herenthals* Catena. Coloniae 1483. etc. — *Dionysii Carth.* Opus commentariorum in Psalmos omnes davidicos. Coloniae 1533.

Media aetate igitur Psalmorum explicatio nequaquam erat neglecta; praeter Lyranum autem et Burgensem antiquiores interpretes omnes solam Vulgatam adhibuerunt; rarius nonnulla ex alexandrina aut aliis graecis versionibus attulerunt, quae in Patrum commentariis invenerant; novam vero viam INDE A SAEC. 16. monstravit *Aug. Iustinianus* O. Praed., qui in primis, quae edita sunt, Psalmorum Polyglottis non tantum cum textu hebraico alias versiones coniunxit, sed in additis adnotationibus, quae integrum quidem commentarium non constituunt, multa ex Iudaeorum commentariis attulit. Ab antiqua via quidem non recessit *Santes Pagninus* in sua Catena argentea, novam autem tenuerunt, qui proxime secuti sunt, *Iacobus Perez de Valentia*, *August. Steuchus Eugubinus*, *Franc. Titelmannus*, *Card. Caietanus*[6], qui hac ratione praeluserunt multis illis et magnis Psalmorum inter-

pretibus, quos aureum exegeseos catholicae saeculum protulit. In suo Nomenclat. literar. Hurter plus triginta commentatores enumerat, qui solis aut fere solis Psalmis operam studiumque impenderunt; ex illis autem sex tantum nominabimus, quos ceteris omnibus praestare atque hodie quoque interpreti utilissimos esse censemus. Laudatissimos commentarios ediderunt *Gilb. Genebrardus*, quem « inter primores Psalmorum commentatores merito habendum esse » iure censet Calmetus, qui tamen nimium videtur sequi vulgatum textum, et *Corn. Iansenius Gand.*, qui in « accuratissimis suis adnotationibus » (Calm.) saepius textum hebraicum sequitur[7]. Quibus praestant tres alii interpretes aliquantulum recentiores, *Ant. Agellius*, *Rob. Bellarminus*, *Simon de Muis*, quorum opera se invicem quasi complent. De Muis philologum fere agit textumque hebraicum diligenter exponit acriterque defendit; Agellius versionem alexandrinam cum textu primigenio accurate comparat eamque una cum vulgata lectione quantum eius fieri potest vindicare studet; uterque solum fere sensum literalem sectantur, Bellarminus autem non neglecto sensu literali addit allegoricas tropologicasque explicationes magisque pie Psalmos exponit. « Non criticum quidem admodum et eruditum, sed pietate et unctione eximium » Bellarmini commentarium recte dixit Calmetus, commentarium Simonis de Muis « criticum quidem, grammaticalem et literalem, sed Patrum aliorumque interpretum catholicorum explicationibus destitutum », Agellii opus, ex quo plurima desumsit, appellat « eximium »[8]. Tres istos commentarios simul sumtos mole et amplitudine superant *Ioan. Lorini* « commentariorum in librum Psalmorum » tria ingentia volumina, in quibus praeter bonam et criticam textus sacri explanationem multa ex Patrum operibus utiliter collecta invenies et satis multas quaestiones dogmaticas et morales, quae ad rem parum pertinent[9].

Saeculum, quod ab a. 1663. ad a. 1763. effluxit, praecedenti nihil cedit, si numerus interpretum Psalmorum solus consideratur, at inter illos nullum invenies, qui praedecessores suos superet, vix ullum, qui eos aequet eruditione et iudicio. Duos solos nominamus; omnes praecedentes commentarios mole longe superat *Thomae Le Blanc* Psalmorum Analysis; licet autem multa utilia doctus interpres congesserit, verbositati eius et amplitudini non par est doctrinarum copia. Prorsus oppositam viam tenuit *I. B. Bossuet*, qui brevissimis sed accuratis notis Psalterium illustravit editionique praemisit eximiam de Psalmis dissertationem eique postea addidit Supplenda, in quibus aliquorum carminum messianitatem egregie vindicat[10]. Quibus tertium eiusdem aetatis interpretem addere licet *Aug. Calmetum* O. S. Ben., quamvis primoribus accenseri nequeat.

6. *Aug. Iustiniani*, O. Praed., Psalterium hebr., graec., arab. et chald. cum tribus latinis interpretationibus et glossis. Genuae 1516. — *Iac. Perez* Comment. in omnes Psalmos Davidis. Parisiis 1518. etc. — *Aug. Steuchi* Enarrationes in Psalmos quadraginta priores et in Ps. 44. 67. 89. 90. 102. 103. 109. 138. Lugduni 1548. — *Fr. Titelmanni*, O. Min., Elucidationes in omnes davidicos Psalmos cum amplioribus adnotationibus, quibus quid in unoquoque Psalmo originalis lectio hebraica distet a nostra vulgata latina demonstratur, diversorum quoque ex hebraeo interpretum variae versiones explanantur. Antwerpiae 1531. etc. — *Card. Caietani* Psalmi Davidis ad hebraicam veritatem castigati et iuxta sensum literalem enarrati. Venetiis 1530. etc.

7. *Gilb. Genebrardi* Commentarii in Psalmos genuinum et plenarium Psalmorum sensum hebraismosque breviter aperientes. Parisiis 1577. (Optima editio Paris. 1588). — *Corn. Iansenii* Paraphrasis et adnotationes in omnes Psalmos. Editio aucta. Lugduni 1586.

8. *A. Agellii*, O. Theat., Commentarius in Psalmos et in Cantica. Romae 1606. etc. — *Rob. Bellarmini* S. I. Explanatio in Psalmos. Romae 1611. etc. — *Sim. de Muis* Commentarius in omnes Psalmos cum versione nova ex hebr. Parisiis 1630.

9. *Ioan. Lorini* S. I. Commentarii in Psalmos. Lugduni 1612-1616.

10. *Th. Le Blanc* S. I. Analysis Psalmorum davidicorum cum comment. amplissimo, in quo non tantum sensus literales, sed etiam omnes mystici exponuntur. Lugduni 1665-1677. 6 vol. fol. — *I. B. Bossuetii* Notae in Psalmos cum dissertatione in librum Psalm. Lugduni 1691. Supplenda in Psalmos. Parisiis 1693.

Inter illos, qui exeunte saeculo ultimo et nostro ineunte Psalmos explicare conati sunt, praeter integrarum Scripturarum glossatores alibi iam nominatos non arbitramur esse ullum, qui singulari mentione sit dignus; HAC NOSTRA AETATE autem nonnulli egregii commentarii prodierunt. *Fr. Xav. Patrizi* italica lingua centum Psalmos et *S. Minochi* omnes iuxta hebr. textum verterunt brevibusque scholiis criticis et exegeticis illustrarunt[11]. In Gallia *P. Tailhan* analysin a P. Kilber compositam diligentissima testimoniorum patristicorum, quibus explicantur, enumeratione ditavit; *Le Hir* novam latinam eorum versionem ex hebr. textu, brevibus scholiis adiectis, reliquit; *H. Lesètre* novae suae versioni gallicae ex hebr. textu adornatae et iuxta G. Bickellii principia metrice dispositae ampliorem commentarium addidit; *Emin. Meignan* de Psalmorum origine, ratione, argumento etc. fusius disseruit[12]. In Belgio *I. Th. Beelen* eos vlamice vertit et exposuit Vulgatam secutus ac similiter *I. Van Steenkiste* latinum textum latino commentario donavit longa introductione praemissa[13]. In Germania *P. Schegg, A. Rohling, Val. Thalhofer, I. Langer, G. Hoberg, M. Mlecoch* de totius Psalterii versione et interpretatione bene meriti sunt; *Fr. Raffl* ultima quinquaginta carmina ex hebr. textu ad literam et metrice vertit; *I. K. Zenner* mira cum sagacitate cantica, quae alternantibus choris cantanda sint, detexit eaque, quae ad hanc classem pertinere censuit, iuxta suum systema disposita germanice et hebraice edidit; Psalmos messianicos diligenter et accurate *L. Reinke* (qui etiam lectiones collegit et edidit, quibus Psalterium latin. et graec. a Massorethis discedit) ac brevius *I. Bade* interpretati

sunt; non neglecto literali sensu in sua Psalmorum explicatione *M. Wolter* mysticam potissimum interpretationem secutus est; de Psalmorum theologia *I. Koenig* erudite disseruit; in metricam autem eorum formam inquisiverunt praecipue *G. Bickell* et *G. Gietmann*[14].

Heterodoxorum interpretum opera nonnulla non parvae sunt utilitatis, si caute, uti decet, adhibeantur. Antiquiorum sententias tradit et discutit *Rosenmüller* in suis Scholiis (Ed. 2. Lipsiae 1821-1823. 3 voll.); philologicis suis explicationibus eminent inter rationalistas *I. Olshausen* (Leipzig 1853) et *Hupfeld Riehm* (Gotha 1867), at ne in his quidem, quum erroneis suis principiis occaecentur, semper eis debetur fides. Longe eis praeferendi sunt commentarii, quos ediderunt *Hengstenberg* (Ed. 2. Berlin 1849-1852) ac praesertim *Delitzsch* (Ed. 4. Leipzig 1883). Qui aliis indiget, eos enumeratos inveniet a *Zoeckler* Handbuch der theolog. Wissenschaften I. p. 196 et *Strack* Einl. Ed. 4. 1895. p. 211 sq.; antiquiores *Carpzovius* (Introd. II. p. 245 sqq.) diligentius recenset.

11. *Fr. X. Patrizi* S. I. Cento Salmi tradotti letteralmente dal testo ebraico e commentati. (Roma 1875); *S. Minocchi* I Salmi tradotti del testo ebraico con introduzione e note (Firenze 1895).

12. *H. Kilber* S. I. Analysis bibl. Ed. 2. curante *I. Tailhan* S. I. (Paris 1856. II. p. 1 sqq.); *Le Hir* Les Psaumes traduits de l'hébreu en latin (1878. Op. posth.); *H. Lesêtre* Le livre des Psaumes (Paris 1883); *Emin. Meignan* Les Psaumes : David, Roi, Psalmiste, Prophète, avec une introd. sur la nouvelle critique (Paris 1889).

13. *I. Th. Beelen* Het Boek d. Psalm. (Leuven 1878); *I. A. Van Steenkiste* Comment. in l. Psalmorum (Brugis 1870).

14. *Petr. Schegg* Die Psalmen (Ed. 2. München 1857); *A. Rohling* Die Psalmen (Münster 1871); *V. Thalhofer* Erklärg der Psalmen (Ed. 4. Regensburg 1880. — Brevis quidem sed egregius commentarius); *I. Langer* Das B. der Psalmen in neuer u. treuer Uebersetzg nach der Vulg. mit fortwährender Berücksichtigg des Urtextes (Ed. 3. Freiburg 1889), *Melch. Mlcoch* Psalterium s. liber Psalmorum etc. (Olomucii 1890), *G. Hoberg* Die Psalmen der Vulg. übersetzt u. nach dem Literalsinn erklärt (Freiburg 1892.). — *Frid. Raffl* O. S. Fr. Die Paalmen nach dem Urtext übersetzt u. erklärt. III. Ps. 107-150. Freiburg 1892). — *I. K. Zenner* S. I. Die Chorgesänge im Buche der Psalmen. Ihre Existenz u. ihre Form. (2 voll. Freiburg 1896). — *L. Reinke* Die messian. Psalmen (2 voll. Giessen 1857); *eiusdem* Zusammenstellg der Abweichgen vom hebr. Text in der Sept. u. Vulg. (Giessen 1858); *I. Bade* Christologie des A. T. II. (Münster 1851). — *Maur. Wolter* O. S. Ben. Psallite sapienter. Erklärung des Psalmen in Geiste des betrachtenden Gebetes u. der Liturgie (5 voll. Ed. 2. Freiburg 1891-94). — *I. Koenig* Theologie der Psalmen (Freiburg 1857). — *G. Bickell* Dichtungen der Hebr. nach dem Versmasse des Urtextes übersetzt. III. Der Psalter (Innsbr. 1884); *G. Gietmann* De re metrica Hebraeorum (Friburgi 1880).

# CAPUT IV.

## DE TRIBUS LIBRIS SALOMONICIS.

### I. De Proverbiorum libro.

### § 12. — *De Proverbiorum libri argumento, divisione, fine.*

**188.** — Davidicum Psalterium in Canone nostro sequuntur tres libri Salomoni auctori adscripti, inter quos primum locum semper Proverbiorum liber occupat. Cuius ordinis rationem nobis insinuat *S. Hieronymus,* « Salomon, inquiens, iuxta numerum vocabulorum (nominum suorum) tria volumina edidit, Proverbia, Ecclesiasten et Cantica Canticorum, in Proverbiis *parvulum* docens et quasi de officiis per sententias erudiens, unde et ad *filium* ei sermo crebro repetitur; in Ecclesiaste vero *maturae virum aetatis* instituens, ne quidquam in mundi rebus putet esse perpetuum, sed caduca et brevia universa quae cernimus; ad extremum iam *consummatum virum* et calcato saeculo praeparatum in Cantico canticorum sponsi iungit amplexibus. Nisi enim prius reliquerimus vitia (*Prov.*) et pompis saeculi renuntiantes expeditos nos ad adventum Christi praeparaverimus (*Eccle.*), non possumus dicere *Osculetur me osculo oris sui* (*Cant.* 1,1). Haud procul ab hoc ordine doctrinarum et philosophi sectatores suos erudiunt, ut primum ethicam doceant, deinde physicam interpretentur, et quem in his profecisse perspexerint, ad logicam (rectius alii codd. : theologiam) usque perducant »[1].

Proverbiorum librum S. Hieronymus in canone Iudaeorum recensendo *Misle*, Origenes *Misloth* appellant[2]. Nomen *Misle* autem non est nisi primum vocabulum inscriptionis hebraico libro praefixae מִשְׁלֵי שְׁלֹמֹה בֶן־דָּוִד מֶלֶךְ יִשְׂרָאֵל, quae a Graecis et Latinis redditur Παροιμίαι Σολομῶντος υἱοῦ Δαυίδ, ὃς ἐβασίλευσεν ἐν Ἰσραήλ, *Proverbia Salomonis, filii David, regis Israel.* Alio nomine in Thalmude opus interdum vocatur סֵפֶר חָכְמָה (*Liber Sapientiae*) atque eundem titulum frequentant antiquiores Patres, *SS. Melito* et *Iustinus*, *Clemens Alex.* et *Origenes*, *S. Cyprianus* etc.[3]. Quoniam in primis libri capitibus *Sapientia* loquens inducitur, aliquis facile crediderit, tituli rationem in eo esse quaerendam, quod divina Sapientia ipsa velut operis auctor designetur. Quam explicationem parum rectam esse duo similes tituli docent

a Patribus adhibiti. ἡ πανάρετος σοφία (*sapientia omnem virtutem docens*) et ἡ παιδαγωγικὴ σοφία (*sapientia iuvenes erudiens*). Ambo enim, quorum priorem a *S. Clemente Rom.* iam usurpatum teste *Eusebio* « non tantum Hegesippus et Irenaeus, sed totus antiquorum chorus » praediligebant[4], procul dubio operis argumentum et finem innuunt. Namque Proverbiorum liber, ut *S. Basilii* descriptione utar, « morum est institutio et correctio perturbationum animi, immo in universum disciplina vitae praeceptis multis et sapientissimis constans », vel complectens « exhortatorios sermones ad omne vitae genus et institutum utiles »[5]. Integer revera liber collectio quaedam est poematum et versiculorum didacticorum, quae omnia in vera ac divina sapientia docenda, commendanda, inculcanda versantur; latissimo autem sensu sapientia intelligitur, ut omnia fere hominum erga proximum et erga se ipsum officia comprehendat. Quare etiam in collectione nostra agitur « de probitate et improbitate, de administratione rerum privatarum et publicarum, de institutione puerorum, de gubernio, de officiis regum, magistratuum, iudicum, subditorum, parentum, liberorum, de bono et malo, de felicitate et infelicitate » (*Corn. a Lap.*). Neque tamen docte et fuse haec explicantur, sed brevibus plerumque gnomis, parabolis, aenigmatis, similitudinibus proponuntur, ut eadem fere sit carminum, quibus constat liber, quam argumentorum, quae tractat varietas; omnes enim poematum didacticorum species, quas supra (167 p. 27 sqq.) enumeravimus, in illo invenies.

1. *S. Hieron.* Comm. in Eccle. 1,1 (M. 23,1063).

2. *S. Hier.* Prol. gal.; *Orig.* in Ps. 1 (M. 12,1084; cfr. *Eus.* H. E. VI. 25. M. 20, 581). Forma מִשְׁלוֹת pro מְשָׁלִים etiam a rabbinis interdum adhibetur.

3. *S. Iustin. M.* c. Tryph. 129 (M. 6,771), *Melit. Sard.* (apud Euseb. H. E. IV. 26. M. 20,397); *Clem. Alex.* Paedag. II. 2 (M. 8,421), *Orig.* in Gen. hom. 14,2 (M. 12, 237); *Constit. Apost.* I. 7 (M. 1,576); *S. Cypr.* Testim. ad Quir. III. 1 (M. 4,761) etc.

4. *S. Clem. Rom.* 1 Cor. 57; *Euseb.* H. E. IV. 22 (M. 20,384); *S. Gregor. Naz.* Orat. 8,9 (M. 35,795). Animadvertas autem velim nomina σοφίας vel πανάρετου σοφίας non ita Proverbiis esse propria, ut aliis libris denegentur. Nam *Ecclesiasticus* quoque, qui argumento et forma Proverbiis est similis, et *l. Sapientiae* a non paucis Patribus vocantur σοφία (*S. Epiph.* de pond. et mens. 4. M. 43,244; *S. Gregor. Nyss.* c. Eunom. I. M. 45,289; *S. Isidor. Pelus.* Ep. III. 66. M. 78,777; *Ps. Athanas.* Synops. S. S. 46. M. 28,376 etc.) vel πανάρετος σοφία (*Euseb.* Dem. evang. VIII. M. 22, 616; *S. Isidor. Pelus.* Ep. III. 66. M. 78,776; *S. Hieron.* in Dan. 9,24. M. 25, 544 et in Praef. in libr. Salom.; *Cassiod.* Div. Instit. 5. M. 70,1117 etc.); plerumque tamen Ecclesiasticus addito nomine auctoris Iesu filii Sirach ab aliis libris sapientialibus distinguitur. *Sapientia Salomonis* autem (σοφία Σολομῶντος) plerumque a Patribus nominatur liber ille, qui eodem titulo in canone inscribitur (cfr *infra* 222). In Ecclesia usus invaluit, ut quinque libri (*Prov.*, *Eccle.*, *Cant.*, *Sap.*, *Eccli.*) et communi nomine *libri sapientiales* et singuli in Missali *liber Sapientiae* appellarentur.

5. *S. Basil.* Hom. 12,1. 2. (M. 31,388).

199. — Quemadmodum Psalterium collectio est carminum lyricorum, liber Proverbiorum igitur poematum didacticorum est collectio, quae singula absolutum completumque sensum exhibent et de rebus diversissimis agunt. Quapropter non magis, quam in Psalterio inter singulos Psalmos, in Proverbiis inter singulas parabolas aut gnomas internus nexus est quaerendus. Auctor enim (id quod rectissime monuit Bossuetius), ut lectoris animum frequentibus ictibus et stimulis excitaret et varietate delectaret, sententias varii argumenti permiscuit, ita ut in magna operis parte raro duae sententiae sese excipiant, quae de eadem re agunt. Unde evidens est, accuratam libri DIVISIONEM non posse tradi secundum internum idearum nexum. Psalterium autem nonnullorum Psalmorum subscriptionibus in quinque libros vel collectiones distribui vidimus, atque simili ratione liber noster variis inscriptionibus (1,1; 10,1; 24,23; 25,1; 30,1; 31,1) in varias partes distinguitur, quae num totidem sint diversae collectiones infra inquiremus. Singulas autem partes diligentius perlustrantem et inter se comparantem non effugiet, in nonnullis eiusdem formae carmina esse coniuncta : ex. gr. in novem primis capitibus longiora deprehendet carmina, quae argumento suo arctius cohaerent, quum in sapientia commendanda fere versentur; in tredecim insequentibus nihil inveniet praeter gnomas et vitae praecepta, quae unico disticho absolvuntur nec ullo inter se nexu interno colligantur; item capp. 25.-29. solis fere constant distichis, quae a prioribus diversae longe pleraeque ad parabolicum genus pertinent etc. Quibus attentis mere externam quandam operis divisionem indicare licet, eamque proponemus, quoniam singularum partium origini inquirendae nobis inserviet.

Tres praecipuas operis partes inscriptionibus (1,1; 10,1; 25,1) innui olim iam monuit Lyranus et censent plerique moderni; at simul adnotant secundae et tertiae parti velut appendices nonnulla esse addita, quae sive inscriptionibus suis (24,23; 30,1; 31,1) sive carminum a praecedentibus diverso genere (22,17-24,22 et 31,10-31) facile distinguantur. Itaque liber hac ratione a plerisque in tres partes dividitur : I. Exhortatio ad sectandam sapientiam 1,1-9,18; — II. Collectio Proverbiorum antiquior 10,1-22,16 cum duabus appendicibus 22,17-24,22 et 24,23-34; — III. Collectio Proverbiorum recentior 25,1-29,27 cum tribus appendicibus 30,1-31; 31,1-9; 31,10-31. Quae quamvis satis recte statui non negemus, duas tamen partes distinguere malumus; infra (201 sqq.) enim ostendemus primam illam partem et secundam cum suis appendicibus arctius cohaerere et genuinum opus salomonicum constituere, cui Ezechiae tempore altera collectio est addita; haec igitur erit universi operis ANALYSIS.

I. Collectio Proverbiorum Salomonis genuina (1,1-24,34).

1. Exordium (1,1-7) indicans operis titulum (1,1), finem (1,2-6), summum argumentum (1,8).

2. Pars prima (1,8-9,18) *in commendanda sapientia versatur* et hac ratione alteram praeparat, quae sapientiae praecepta tradit. Constat autem *undecim carminibus*, quorum haec sunt argumenta.

a.) In *primo* (1,8-33) post brevem exhortationem, ut parentum doctrinam sequatur (1,8. 9), monetur sapientiae studiosus, ut invitationem peccatorum proximis nocere volentium (1,10-14) respuat, quippe quae ad interitum ducat (1,15-19), audiat vero invitationem sapientiae, quae peccatores non adiuvabit sed perniciei in quam ruunt derelinquet (1,20-33).

b.) In tribus sequentibus carminibus (2,1-3,35) fructus, quos affert sapientia, commendantur. Nam

α.) in *secundo* (2,1-22) promittitur fore, ut is, qui sectatur sapientiam, eam consequatur (2,1-9) et per eam a peccatoribus (2,10-15) et maxime a pravarum mulierum consortio protegatur (2, 16-19), atque ita praemia iustorum adipiscatur (2,20-22);

β.) in *tertio* (3,1-20) ostenditur veram sapientiam, quae in subiectione plena sub manu Domini consistit, omnia bona afferre (3, 1-12) ideoque omnibus aliis bonis esse pretiosiorem (3,13-20);

γ.) *quartum* (3,21-35) sapienti protectionem divinam promittit (3, 21-26); abominatur enim Deus peccatores, diligit autem iustos (3,27-35).

c.) Ad quam exhortationem confirmandam in *quinto* carmine (4,1-27) affert auctor similia praecepta, quae ipse a patre suo accepit. Quum enim filius dilectus esset parentum suorum (4,1-3), monitus est a patre suo, ut sapientiam velut bonum pretiosissimum sibi acquirere studeret (4,4-9), viam pietatis persequens caveret a peccatorum consortio, quorum via ad interitum ducit (4,10-19), neve ad dexteram aut ad sinistram declinaret (4.20-27).

d.) Ad singula deinde descendens quatuor carminibus (5,1-7,27) docet ea, quae praecipue sunt vitanda, inter quae primum locum tenet impudicitia, de qua in tribus carminibus agit. Itaque

α.) in *sexto* (5,1-23) meretricum consortium vitandum docet; meretrices enim blandiuntur, ut ad perniciem hominem adducant (5,1-6), consortium earum aufert honorem, vires, opes (5,7-14); sua igitur uxore contentus sit vir (5,15-20), nam Dominus peccata novit et punit (5,21-23).

β.) In *septimo* (6,1-19) cavendum esse docet, ne quis levi animo pro alio spondeat (6,1-5), neve pigritiae sese dedat (6,6-11), neve fraudibus aut alio modo proximo noceat (6,12-19)[a].

γ.) In *octavo* (6,20-35) praecepta parentum esse audienda monet sa-

(a) Quoniam tria haec monita interno nexu colligari non videantur, alii tria esse carmina forte rectius statuunt.

pientia (6,20-23), quibus auditis homo vitabit luxuriam (6,24-28) et adulterium, cuius gravissimae sunt sequelae (6,29-35).

δ.) *Nonum* (7,1-27) quoque sapientiam esse acquirendam asserit, ut vitetur luxuria (7,1-5); iusta autem parabola proposita ostendit auctor, quibus artibus meretrices incautos seducant (7,6-23), atque gravissimo monito eam terminat (7,24-27).

e.) *Duobus ultimis carminibus* (8,1-9,18) iterum ad sapientiam sectandam auctor exhortatur, at longe altiore modo, quam in prioribus huius partis carminibus; ita enim eam describit, ut non sit dubium, quin Sapientiam hypostaticam, i. e. Verbum Dei, intelligat[a].

α.) *Carmen decimum* (8,1-36) inducit Sapientiam aeternam omnes ad suam sequelam invitantem. Praemisso prooemio, in quo magnam et veram esse suam doctrinam asserit(8,1-11), Sapientia describit bona quae secum affert (8,12-21), aeternam suam a Deo originem praedicat (8,22-31) beatosque dicit illos, qui se sint inventuri (8,32-36).

β.) *Undecimum* (9,1-18) demum sub allegoria invitationis ad duo convivia, ad convivium Sapientiae (9,1-12) et ad convivium insipientiae (9,13-18), ostendit hominem, si priorem invitationem sequatur, futurum esse felicem, sed infelicem, si alteri obsequatur.

3. Pars secunda (10,1-22,16) inscribitur *Proverbia Salomonis* continetque illa praecepta vitae, quae a viro sapiente observanda sunt. Unico disticho eoque plerumque (maxime capp. 10-15) antithetico proponuntur, de diversissimis autem rebus agunt, nec ullo certo ordine videntur esse dispositae; quare partis huius accuratior analysis tradi non potest, nisi enumeratis singulis praeceptis[b].

(a) Cfr praesertim *Klasen* Die alttestamentliche Weisheit. Freiburg 1878. p. 60 sqq.

(b) *Lesètre* (Le Livre des Proverbes. Paris 1879. p. 30) secundum *Zoeckler* (Die Sprüche Salomons. Bielefeld 1867. p. 29), has partes distinguit :

1. Distinction entre les hommes religieux et les impies; le sort réservé à chacun dans l'une et l'autre vie (10-15).
   A. Comparaison des justes et des impies, dans leur conduite générale (10).
   B. Comparaison entre les heureuses suites de la piété et les châtiments du vice :
      a.) Par rapport au juste et à l'injuste et à la conduite vis-à-vis du prochain (11);
      b.) Par rapport à la vie domestique et sociale (12);
      c.) Par rapport à l'usage des biens temporels, et de la parole de Dieu, considérée comme le plus grand bien (13);
      d.) Par rapport aux relations entre sages et insensés, riches et pauvres, maîtres et serviteurs (14);
      e.) Par rapport à diverses circonstances de la vie et au service de Dieu en particulier(15).
2. Exhortations à servir Dieu par la pratique des vertus :
   a.) La confiance en Dieu, sage ordonnateur et gouverneur du monde (16);
   b.) La frugalité et l'amour de la paix (17);
   c.) La concorde, la fidélité, et les vertus civiles (18);
   d.) L'humilité et la douceur (19);
   e.) La fuite des vices, ivresse, paresse, jalousie (20);
   f.) La justice, la miséricorde, et la docilité à la conduite de la patience (21);
   g.) L'acquisition et la conservation de la bonne renommée (22,1-16).

Dubito autem, an quis enumerationem hanc, si eam cum textu comparaverit, accuratam

4. PARS TERTIA (22,17-24,34) velut *epilogus primigenii operis est.* Simili fere modo, quo in prima parte ad sapientiam sectandam exhortatus praecepta sua praeparavit, auctor iterum sapientiam commendans praecepta sua inculcat. Neque distichis separatis, sicut secunda pars, sed sicut prima carminibus longioribus fere integra constat. Paucis igitur eius analysin indicare conabimur.

a.) *Incipit ab exhortatione*, ut sapientium verba audiantur (22,17-21), quae exhortatio non tam sequentia, quam praecedentia, praecepta videtur spectare.

b.) *Sequuntur nonnulla monita longiora, quae omnia de relatione hominis ad proximum agunt* (22,22-23,15) : malum non esse inferendum pauperi (22,22. 23), cavendum ab iracundis et ab iis, qui levi animo pro aliis spondent (22,24-28), caute agendum cum principibus nec quaerendas divitias (22,29-23,5), vitandam societatem invidorum et stultorum (23,6-9), curam habendam orphanorum atque filiorum (23,10-14)[a].

c.) *Longiore deinde carmine* (23,15-35), quod tribus strophis septenorum versuum constat, *commendatur sapientia vitandaque docetur ebrietas*. In prima stropha (23,15-21) in genere indicatur, quo sapientia hominem adducat, et quo ebrietas; altera (23,22-28) in laudanda sapientia versatur, atque tertia (23,29-35) ab ebrietate lectorem absterret.

d.) *Altero longiore carmine* (24,1-22) exhortationem terminat iterum monens sapientiam esse sectandam ideoque pravorum consortium vitandum. Praemisso monito, ut a peccatorum societate abstineatur (24,1.2), auctor lectorem docet, sapientiam omnia praestare bona atque virum tam fortem reddere, ut etiam proximum in maximo periculo constitutum liberare possit (24,3-12); quaerendam igitur esse sapientiam (24,13. 14), neque ulli malum esse inferendum, quoniam Deus omnes iudicaturus sit (24,15-22).

Velut APPENDIX operi huic accedunt Proverbia nonnulla inscripta : *haec quoque sunt sapientibus* (sapientium?), quae omnes iustitiam erga proximum commendant (24,23-29) et pigritiam vitandam monent (24,30-34).

II. COLLECTIONES PROVERBIORUM RECENTIORES (25,1-31,31).

1. *Proverbia Salomonis, quae transtulerunt viri Ezechiae regis* (25,1-29,27). Collectio haec parti secundae operis genuini omnino correspondet;

dicturus sit. Ceterum auctores ipsi non magnam illi auctoritatem deberi fatentur; cfr *Zoeckler* l. c. p. 95. et *Lesêtre* l. c. p. 31 : « Ce tableau ne peut que grouper sous des titres très généraux les proverbes multipliés que contient le livre et doit négliger bien des détails tout à fait rebelles aux exigences d'un plan quelconque ». *Hitzig* (Die Sprüche Salomons übers. u. ausgelegt. 1858.) capita 10-21 in quatuor sectiones distinguit, quae nonagenis versibus constent. Sed numerus hic versuum non efficitur nisi nonnullis versibus eiectis, aliis ex Alexandrina transumtis etc., nec quidquam iuvat interpretem, quum eadem remaneat argumentorum varietas in singulis sectionibus.

(a) Unum potest dici carmen simile *septimo* primae partis, licet varium sit eius argumentum.

variis enim constat praeceptis vitae, quae pleraque disticho proponuntur; dum autem in opere antiquiore praevaleant gnomae, in hac praevalent similitudines, ita ut sententiae huius partis ad parabolicum genus accedant. Ceterum certus ordo in praeceptis non videtur esse observatus, licet nonnullae series sententiarum inveniantur, quae de eodem aut de simili argumento agunt (ex. gr. 26,1-12 de insipientibus; 26,13-16 de pigris; 26,18-28 de peccatis linguae etc.); quare ab illis enumerandis abstinemus[a].

2. *Tres minores collectiones* velut appendices adduntur (30,1-31,31).
   a.) *Verba Congregantis, filii Vomentis* (Hebr. : Verba Agur, filii Iake, 30,1-31). Parva haec collectio post inscriptionem (41,1) opponit ignorantiae humanae divinam scientiam (31,2-6) ac dein tradit de rebus variis sententias quasdam, quae omnes fere numerorum artificio contextae sunt (31,7-31).
   b.) *Verba Lamuelis regis* (31,1-9) pauca praecepta regibus utilia tradunt.
   c.) *Carmen alphabeticum de muliere forti* (31,10-31), quae fidelis marito suo (31,10-12), domesticorum suorum et pauperum curam gerens, (31,13-23) digna est, quae ab externis, a filiis, a marito suo laudetur (31,24-31).

In hoc conspectu tradendo textum hebraicum et vulgatum secuti sumus, a quorum ordine in ultimis capitibus dissentit alexandrinus. Etenim terminato operi primigenio (1,1-24,22), in quo dumtaxat paucos versus transponit paucosque addit vel omittit[1], *ante* appendiculam (*Vulg.* 24,23-34) inserit *Vulg.* 29,27 (cum nonnullis versiculis propriis) et priorem partem verborum Agur (*Vulg.* 30,1-14); deinde insertae appendiculae isti (*Vulg.* 24,23-34) addit alteram partem verborum Agur (*Vulg.* 30,15-33) et verba Lamuelis (*Vulg.* 31,1-9); quibus adnectit secundam Proverbiorum collectionem (*Vulg.* 25,1-29,6), opusque terminat carmine de muliere forti (*Vulg.* 31,10-31). Differentia igitur, id quod probe est notandum, maior non habetur nisi in ordine *appendicum* duarum collectionum, ex quibus opus nostrum conflatum est; in collectionibus ipsis textus omnes consentiunt[2]. Quemadmodum ordinem, ita etiam inscriptiones (*Vulg.* 30,1; 31,1) Alexandrinus ita mutavit et obscuravit, ut pro inscriptionibus, quae partes separent, haberi iam non possint; consentiente autem Syro inscriptio-

(a) *Lesètre* (l. c.) et *Zoeckler* hanc proponunt distributionem :
La vraie sagesse proposée comme le plus grand bien des rois et des sujets (25-29).
1. Les rois et les sujets sont exhortés à la crainte de Dieu et à la justice (25).
2. Différentes recommandations :
   a.) Sur ceux qui ne méritent aucune estime, insensés, paresseux, méchants (26).
   b.) Sur la vanité et l'orgueil (27.) avec une exhortation à la prudence pour les agriculteurs (27,23-27);
   c.) Sur l'iniquité des grands envers les petits (28);
   d.) Sur l'opiniâtreté, provenant du manque de correction (29).

nem 10,1 omisit; ceterum Syrus et Chaldaeus in ordine et inscriptionibus cum Hebr. et Vulg. concordant.

1. In priore opere inter alia Alexandrinus addit 6,8; 9,12. 18; 16,5. 17; 17,6; 22, 14; 24,23 etc., in altero 25,10. 20; 27,20 etc. (quae addita partim in Vulgatam transierunt, sed facile dignoscuntur, quia numero versuum non sunt instructa). Mutata sunt plura : 1,11. 18 etc., omissa 1,16; 4,5. 7; 8,29. 33 etc., at licet omissa in cod. Vat., leguntur pleraque in cod. Alex.

2. *F. Q. Salazar* S. I. (Expositio in Prov. Salom. Parisiis 1619. Isag.), qui integrum opus inscribendum esse censet *Convivium Salomonis* (συμπόσιον), quoniam sermones a Salomone cum amicis in convivio habitos contineat, etiam cpp. 30. 31 transponere vult inter c. 24,34 et 25,1, ne Salomon solus per integrum convivium loqui videatur. Cui argumento similia sunt alia, quibus nixi nonnulli moderni rationalistae libri nostri ordinem pro libitu mutare conantur; iis autem immoremur necesse non est.

200. — Finem operis sui auctor ipso titulo vel exordio indicat. Parabolas enim suas inservire ait « ad sciendam sapientiam et disciplinam, ad intelligenda verba prudentiae, ad adipiscendam eruditionem doctrinae, iustitiam, iudicium et aequitatem, ad dandam parvulis astutiam, adolescenti scientiam et intellectum ». Immo opus suum aptum quoque censet « ad reddendum sapientem sapientiorem et prudentem capacem, ut intelligat parabolas et sermones obscuros et gnomas et aenigmata » (1,2-6). Praeprimis igitur auctor *sapientiam* docere vult, eamque, uti recte monuit *Ps. Athanasius*, « genuinam, ne quis falsae sapientiae specie in ethnicorum et haereticorum sophismata incidat. Ethnici enim se aliquos esse putantes et de sapientia sua gloriantes stulti facti sunt; haeretici autem sese eruditos esse rati a veritate aberraverunt et peccaverunt proprio iudicio condemnati, sapiens vero, si divina haec eloquia audierit, sapientior erit »[1]. Nam sapientia huius libri non est humanae originis, sed fundamentum eius est timor Domini et integra a Domino ipso procedit; complectitur autem omnes res divinas et humanas atque recte a *S. Basilio* definitur « scientia rerum divinarum et humanarum et causarum earundem » (τῶν τούτοις αἰτιῶν)[2]; neque tam speculativa, quam practica est, qua homo ad omnimodam exercendam virtutem et hac ratione ad adipiscendam perfectam beatitudinem adducitur. Unde finem praecipuum huius libri optime statuit *Corn. a Lapide* in eo esse, « ut unicuique aetati, sexui, statui, generi hominum in quovis rerum occursu leges recte agendi normamque honestae vitae praescribat, qua Deo placeant, ut ab illo post modicos brevis huius aevi labores aeterna felicitate donentur atque ad eandem sibi subditos perducant » (Prol. in l. Prov.). Atque aptissime Patres librum nostrum cum *Ethicis* scriptorum profanorum comparaverunt[3].

Quamvis vero omnes omnino homines auctor in suo libro prae oculis habeat, maxime tamen erudire vult adolescentes; quapropter iam

S. Hieronymus Laetam monuit, ut filiolam suam « in Proverbiis erudiret *ad vitam* »[4]. Adolescentes autem auctori nostro non sunt illi, qui aetate sunt minores paucosque numerant annos, sed illi, qui viam perfectionis vix ingressi in pietate nondum adoleverunt. Praeclare id docet *S. Isidorus Pelusiota*, ubi tres libros salomonicos, Proverbia, quibus virtus moralis proponatur, Ecclesiasten, qui rerum mundanarum vanitatem doceat, Canticum Cant., quo perfecta caritas insinuetur, cum tribus templi antiqui partibus comparat. « Quemadmodum enim, inquit, in templo atria quidem intrare omnibus licebat, a Sancto autem, quod velo circumdabatur, quamquam adiri poterat, vulgus tamen non sanctus et profanus prohibebatur, ad Sancta Sanctorum denique ne illis quidem patebat aditus, qui vitam agebant inculpatam, sed soli summo sacerdoti, qui nimirum se ipsum consecraverat et omnem moralem rugam deposuerat : sic etiam erga hosce Salomonis libros affecti simus oportet, et primum quidem omnium splendere morum virtute, deinde vero rerum ad hanc vitam pertinentium nullitatem atque vanitatem condemnare, et sic demum ea attingere, ad quae vulgus pervenire non potest »[5].

1. *Ps. Athanas.* Synops. S. S. 22 (M. 28,341).
2. *S. Basil.* in princip. Prov. hom. 12,3 (M. 31,389).
3. Cfr *Orig.* In Cant. Prol. (M. 13,74); *S. Basil.* In princip. Prov. hom. 12,1 (M. 31,383); *Theodoret.* In Cantic. Praef. (M. 81,45 sq.), *S. Hieron.* In Eccle. 1,1 (M. 23,1012) etc.
4. *S. Hier.* ad Laet. ep. 107,12 (M. 22,876).
5. *S. Isid. Pelus.* Epist. IV. 40 (M. 78,1092).

## § 13. — *De Proverbiorum libri origine et auctoritate.*

201. — Ex analysi proposita satis constat librum nostrum poematum didacticorum, maiorum et minorum, esse collectionem; quapropter in eius ORIGINEM inquirentibus duplex quaestio est solvenda : utrum unus tantum an complures carminum *auctores* sint statuendi, atque cuinam vel quibusnam eorum *collectionem* debeamus. Inscriptio enim, quae operi praefigitur (1,1 *Proverbia Salomonis filii David, regis Israel*), etsi Salomonem integri operis auctorem asserere videatur, neutram tamen quaestionem definit, quoniam ad totum librum eam non pertinere aliae inscriptiones partibus nonnullis praefixae docent. Profecto si 25,1 viri Ezechiae alteram Proverbiorum partem collegisse dicuntur, Salomon operi nostro hodiernam eius formam non dedit, atque inscriptiones 30,1 et 31,1 (*Verba Agur, Verba Lamuelis*) omnino insinuant, saltem duorum ultimorum capitum Salomo-

nem non esse auctorem. Dicemus igitur primum *de auctoribus*, deinde *de collectoribus* Proverbiorum.

Iam ad priorem quaestionem tractandam accedentes fateamur oportet, Patres omnes de integri operis origine salomonica non dubitasse, atque mediae quoque aetatis interpretes carmina omnia Salomoni attribuisse, etsi eorum collectionem alteri scriptori adiudicarent. Neque id mirabitur, quicunque consideraverit, in versione alexandrina, quam solam sequebantur Patres, inscriptiones **30,1** et **31,1** ita esse obscuratas, ut genuinus eorum sensus cognosci nequeat[1], atque S. Hieronymum, quum nomina propria (*Agur*, *Iake*) velut appellativa verteret, novae interpretationi ansam dedisse, quae nominibus symbolicis (*Congregans, filius Vomentis*) Salomonem sese ipsum designasse statuit. Quam ob causam inde a saec. **16.**, quando textus hebraicus accuratius comparari coeptus est, multi interpretes a tradita opinione recedere non dubitarunt, Salomonem longe maioris Proverbiorum partis auctorem esse concedentes, operis autem particulas nonnullas aliis scriptoribus attribuentes[2]; quae sententia modernis quoque interpretibus catholicis probatur, licet non plenus inter eos sit consensus de particulis Salomoni abiudicandis[3]. Aliter autem de hac quaestione sentiunt multi interpretes heterodoxi atque praesertim rationalistae. Olim Grotius Salomonem antiquiorum sapientium dicta collegisse suisque intermiscuisse suspicatus est; hodie autem rationalistae eo usque progressi sunt, ut non tantum Salomonem in Proverbiis colligendis et distribuendis ullam partem habuisse negent, sed etiam vix quidquam salomonici in integro opere inveniri contendant[4]. Ut quid de hac quaestione sentiendum sit, clarius appareat, in singularum partium originem seorsim inquirentes argumenta, quibus salomonicam Proverbiorum originem heterodoxi impugnant, examini subiiciemus.

1. *Alex.* 30,1 Τοὺς ἐμοὺς λόγους, υἱὲ, φοβήθητι καὶ δεξάμενος αὐτοὺς μετανόει, 31,1 Οἱ ἐμοὶ λόγοι εἴρηνται ὑπὸ θεοῦ. βασιλέως χρηματισμός κτλ.

2. Cfr *Corn. a Lap.* in Prov. 30,1, qui iam a Vatablo, Pagnino, Bayno, Iansenio ultima duo capita Salomoni abiudicata esse monet atque ipse habet probabile, « gryphos et aenigmata huius capitis dictata fuisse ab Agur, sed Salomonem ea recepisse et huc transcripsisse, immo ea confirmasse eisque suum dedisse calculum, pondus et auctoritatem ».

3. Cfr inter alios *Herbst-Welte* Einleitung III. p. 220 sqq.; *Scholz* Einl. III. p. 152 sqq.; *Haneberg* Gesch. des bibl. Offenb. p. 381 sqq.; *Vigouroux* Manuel bibl. II. p. 376 sqq. 387 sq.; *Lesêtre* Le livre des Proverbes p. 21. 24 etc.; *Kaulen* Einl. Ed. 3. p. 317 sq.; *Zschokke* Hist. sacr. A. T. p. 214; *Rohling* D. Salomon. Spruchb. p. 6 sqq. *Schuster-Holzammer* Handb. des bibl. Geschichte I. p. 582 etc. — Ex heterodoxis eandem sententiam tuentur *Haevernick* Einleitung III. p. 392 sqq.; *Keil* Einl. p. 373 sqq.; *Plumptree* in The Speaker's Comment. IV p. 515 sqq.

4. *Delitzsch* (Das Salomonische Spruchbuch p. 21 sqq. et Herzog P. R. E. Ed. 2. XIV. p. 562) maiorem duarum collectionum (10,1-22,16 et 25,1-29,27) partem Sa-

lomoni ita attribuit, ut sententias salomonicas aliis permixtas esse censeat; reliquum vero librum (1-9; 22,16-24,34; 30; 31) iunioribus auctoribus adscribit. A qua sententia parum recedit *Zoeckler* (Die Sprüche Salomonis p. 23), qui priorem collectionem (10,1-22,16) integram Salomoni deberi docet, de reliquis autem cum Delitzsch consentit. — Magnam tantum partem prioris collectionis (10-22) salomonicae originis, reliqua omnia recentiora esse docent *de Wette Schrader* (Einl. p. 537), *Bertheau* (Die Sprüche Salomo's p. XXXVII sqq.), *Davidson* (Introduction II. p. 325 sqq.) etc. — *Nihil* demum salomonici in toto libro esse conservatum asserit *Reuss* (Geschichte des A. T. p. 494 : « Aus allem bisherigen erhellt, dass das Spruchbuch wie es vorliegt nicht aus vorexilischer Zeit stammt. Aber auch die *einzelnen* Sprüche im Grossen und Ganzen genommen, wenn auch uralte darunter sein mögen, tragen gar nicht die Farbe der Prophetenzeit. Dass die Sprache oft dunkel ist, beweist nicht nothwendig ein höheres Alter » etc.); cfr etiam *Cornill* Einl. Ed. 3. p. 245 sqq.

1. — Longe maiorem operis partem Salomoni auctori deberi docent inscriptiones (1,1; 10,1; 25,1). Atque *prima* quidem inscriptio, quae cum toto exordio arctissime cohaeret nec ab illo avelli potest, ad novem prima capita (1,8-9,18) saltem sese extendit, idque eo magis, quia tanta est argumenti et styli similitudo istorum capitum, ut ab eodem auctore scripta dicenda sint. Quin *tertia* (25,1) quinque capita immediate sequentia (25,1-29,27) complectatur, nemo dubitat eamque a viris illis, qui Ezechiae tempore Proverbia collegerunt collectioni esse praefixam etiam omnes concedunt. *Secunda* demum inscriptio (10,1), si genuina est, priorem Proverbiorum collectionem (10,1-22,16) velut salomonicam tuetur; sin genuina non est, primam inscriptionem (1,1) non tantum novem priora capita sed integram priorem partem (1,1-24,22) respicere iure merito dicemus. Eam autem genuinam non esse arbitramur, praeprimis quoniam duo gravissimi et antiquissimi testes, versiones alexandrina et syriaca, eam non agnoscunt, deinde quia quid sibi isto in loco velit non satis apparet. Namque prima inscriptio 1,1), quum annuntiet « Proverbia Salomonis ad sciendam sapientiam et disciplinam, ad intelligenda verba prudentiae, quae datura sint parvulis astutiam, adolescentibus scientiam et intellectum » etc., ad sola priora novem capita restringi non potest, quae in commendanda quidem sed non in docenda sapientia versantur, ideoque necessario ad Proverbiorum collectionem (10,1 sqq.) extendenda est, ita ut secunda illa inscriptio (10,1) prorsus abundet. Sed quidquid de hac secunda inscriptione statuitur, illud certum est, inscriptionibus longe maiorem operis partem (1,1-9,18; 10,1-22,16 [aut 1,1-24,22] et 25,1-29,27) Salomoni auctori attribui. Iam vero inscriptiones illae utpote antiquissimae atque ab ipso auctore vel a collectoribus operi praefixae plenam fidem merentur, nisi aut externis testimoniis aut internis argumentis certis erroneae esse demonstrentur. Externa autem eiusmodi testimonia non haberi extra controversiam est, neque interna argu-

menta adsunt, quibus inscriptioni fidem denegare cogamur. Nulla enim in toto opere invenitur allusio historica vel alia, qua aetas Salomone recentior innuatur; lingua et stylus auream periodum literarum hebraicarum produnt atque pauci chaldaismi, qui inveniuntur, salomonicae origini non obstant, quum ex poetica dictione satis explicentur.

Sed accuratiori examini subiiciamus ea, quae nostro argumento opponuntur.

a.) *Grotius* primam inscriptionem designare dixit « ἐκλογὴν optimarum sententiarum ex pluribus, qui ante Salomonem fuerunt, scriptoribus, quales ἐκλογὰς multi imperatores constantinopolitani conscribi in suos usus fecerint »[5]. At quo cum iure haec tituli explicatio statuatur, nemo dixerit; quinam sunt multi illi scriptores Salomone antiquiores, ex quorum operibus collecta sunt nostra Proverbia? Annon verba « Parabolae Salomonis » (1,1) eadem ratione sunt explicanda, qua verba eadem 25,1? Iam isto in loco « viri Ezechiae » « parabolas Salomonis » i. e. proverbia, quorum Salomon est auctor, collegisse dicuntur. Prorsus inepte hoc loco induci morem imperatorum byzantinorum non indiget demonstratione; quis unquam byzantinam aetatem cum salomonica comparaverit?

b.) Neque opus est simili obiectioni immorari, quam olim movit *Eichhorn*[6], qui ne praestantissimum quidem ingenium sufficere putavit tot acutis subtilibusque sententiis inveniendis. At Salomonem « multas parabolas » (מְשָׁלִים הַרְבֵּה *Eccle.* 12,9), immo « tria millia proverbiorum » (3 *Reg.* 4,32) condidisse certa testimonia docent, ita ut in nostro libro vix sexta eorum pars nobis sit conservata. Quibus testimoniis omissis alii non minus recte quam facete monuerunt, Salomonem quadraginta annis regnasse ac proin si quadringenta vel quingenta proverbia in libro nostro contenta in singulos regni annos distribuantur, eum integrum mensem singulis sententiis inveniendis tribuere potuisse; cui negotio ingenium parum praestans par dicendum sit. Ceterum « sapientior erat cunctis hominibus » et propter sapientiam suam non tantum « nominatus in universis gentibus per circuitum », sed longinquis quoque in terris tam celeber, ut regina Saba veniret tentare eum in aenigmatis (3 *Reg.* 4,31; 10,1).

c.) « *A priore,* inquiunt *De Wette Schrader*, verisimillimum est Salomoni, utpote poetae didactico celeberrimo, multa aliena carmina immerito esse attributa, sicut Davidi carmina lyrica multa erronee sunt attributa. Magna quoque Proverbiorum multitudo et varietas satis docet ea integro potius populo, quam uni viro deberi; multa ex illis desumta sunt ex vita privata et rustica, quae Salomoni nec cognita erat nec eius attentionem attrahere potuit (cfr 12,10 sq.; 13,23; 14,4; 24,27. 30-34; 27,23 sqq.; 13,7. 11; 14,1; 15,15-17; 16,8. 26; 17,1 sq.; 18,9. 22 etc.). Prima novem capita quum ob docendi praecipiendique rationem tum ob severam suam de servanda castitate doctrinam paedagogum magis produnt vel prophetam vel sacerdotem, quam regem talem, qualis fuit Salomon. Capita 25.-29. autem non nisi

tribus saeculis post eius mortem collecta sunt; quo tempore sententiae alienae facillime ei attribui potuerunt »[7]. — Ultimae obiectioni iam dudum rectissime est responsum, tribus post Salomonis mortem saeculis viros Ezechiae multo melius scire potuisse, quaenam sententiae Salomonem auctorem habeant, quam nos post viginti octo saecula discernere possumus, quae ei non debeantur[8]. Neque enim magna « scientia diplomatico-critica » viri Ezechiae indiguerunt, ut collectionem suam concinnarent. Quamvis enim quibus fontibus sint usi prorsus ignoremus, illud tamen constat, eos non ex traditione orali sed ex libris scriptis sententias istas collegisse; id enim docet phrasis, qua laborem suum describunt[9]. — Cur vero priora novem capita, quae integra sapientiam commendant, regem illum dedecent, qui a Deo quidquid vellet petere iussus solam sapientiam et intelligentiam petiit, cuique Deus « dedit sapientiam et prudentiam multam nimis, quasi arenam, quae est in litore maris » (3*Reg.* 5-9; 2 *Paral.* 1,7-10)? Porro quid obstat, quominus Salomonem aut antequam adamare coepisset mulieres alienigenas, aut si mavis postquam pericula, quae consortium pravarum mulierum affert, versus vitae finem propria experientia didicisset, « severam de castitate servanda doctrinam » tradidisse dicamus? Neque exordii doctrina de castitate differt ab illa, quae in reliquis capitibus proponitur (cfr 11,22; 18,22; 22,11. 14; 27,28. 33 etc.), neque mirum est, quod in sequentibus capitibus castitas rarius commendetur, quoniam in prioribus impudicitia, utpote praecipuum sapientiae obstaculum, satis superque erat condemnata[10]. — Proverbia autem, quae vitam quotidianam et rusticam attingunt, legenda dumtaxat sunt, ut mireris, quod aliquis dubitaverit, an a Salomone conscribi potuerint. Num virum, qui disserebat « super lignis a cedro, quae est in Libano, usque ad hyssopum, quae egreditur de pariete, et de iumentis et volucribus et reptilibus et piscibus », agriculturam et res rusticas ita ignorasse dicemus, ut ex illis comparationem desumere non potuerit? — Illa demum, quae de « magna Proverbiorum multitudine et varietate » obiiciuntur, similia sunt eis, quae supra iam refutavimus; atque argumentum *a priore* eo infirmius est, quo infirmiore supposito nititur; Psalmorum enim inscriptionibus, quarum authentiam consensus textus primigenii et versionum antiquarum testatur, fidem esse adhibendam supra demonstravimus (184 p. 84 sqq.).

d.) Magnam difficultatem nonnulli inveniunt in earundem sententiarum repetitione. Etenim eadem sententia vocabulis vix mutatis interdum in eadem collectione (2,16 et 7,5; 3,15 et 8,11; 10,1 et 15,20; 14,12 et 16,25; 16,2 et 21,2; 19,5 et 19,9; 21,9 et 21,19 etc.), frequentius in diversis collectionibus repetitur (12,11 et 28,19; 18,8 et 26,22; 19,24 et 26,15; 21,9 et 25,24; 22,2 et 29,13); interdum sensu aliquantulum mutato sententiae repetuntur (10,2 et 11,14; 13,14 et 14,27; 26,12 et 29,20 etc.); interdum unus tantum stichus repetitur (15,18 et 29,22; 17,3 et 27,23; 19,13 et 27,15 etc.); interdum eadem sententia verbis similibus repetitur (10,4 et 12,24; 12,11 et 28,19; 15,8 et 21,13; 15,11 et 17,1; 15,20 et 17,21 etc.)[11]. — Quid vero ex istis repetitionibus, quas satis frequentes esse non negamus, contra sa-

lomonicam sententiarum originem deducatur, non intelligimus. *Eiusdem* enim sententiae, quae iisdem prorsus vocabulis exprimitur, repetitionem, sive in eadem parte sive in diversa inveniatur, aut collectoribus aut librariis adscribendam esse nec ullo modo salomonicae eius origini obstare in aperto est. *Similes* autem sententiae, sive similitudo sit in vocabulis, quae tamen alium sensum exprimunt, sive in idea ipsa sit, quae tamen aliis vocabulis exprimitur, sive in utroque ita sit, ut *similis* idea similibus vocabulis reddatur, cur eidem auctori Salomoni adscribi nequeunt? Namque si veritatem quandam inculcandam esse censuit, illam haud dubie modo iisdem modo similibus verbis repetiit; nec mirum est, quod idea aliqua mox elegantiore et acutiore, mox minus eleganti et minus acuto modo sit expressa. Si pro suo quisque animo et pro sua sapientia de libri alicuius vel sententiae authentia ita iudicare velit, ut omnia ea respuat, quae minus placent, eaque sola genuina censeat, quae placent, actum iam est de omnibus libris non tantum sacris sed etiam profanis. Eandem regulam criticam secuti ante aliquot lustra nonnulli philologi carmina poetarum graecorum et latinorum pro suo quisque iudicio sibi concinnaverunt integris versibus aut strophis aut canticis, utpote non satis elegantibus, eiectis; at quis hodie non ridet de doctis illis viris, qui Homerum, Virgilium, Horatium corrigere conati sunt? Quorum exemplo moniti caveamus, ne eidem, immo longe graviori periculo nos exponamus; neque enim de poetae qualiscunque, sed de poetae divinitus inspirati opere res agitur. Sed omissa hac consideratione nemo negabit, opinor, iudicia de maiore minoreve alicuius versus elegantia longe pleraque esse incerta ideoque inepta, quibus versus genuinus aut spurius demonstretur.

e.) Haud dissimilis quartae est quinta obiectio, quae prioris partis (10, 1-22,26) sententias ab illis, quae in secunda leguntur (25,1-29,27), tantopere differre asserit, ut utrarumque Salomon auctor esse non possit; priorem enim partem solas fere gnomas, alteram quam plurimas parabolas et similitudines continere. — Sed quid inde? Ad summum sequitur, prioris partis collectorem parabolas, quia eas forte fini suo minus aptas esse censuit, reliquisse; differentia autem haec contra salomonicam utrarumque originem urgeri non potest, nisi prius certis argumentis demonstretur, Salomonem aut solas gnomas aut solas parabolas condidisse.

5. *Grotius* In Prov. 1,1 (Opp. Basileae 1732. I. p. 247).

6. *Eichhorn* Einleitung V. p. 99 « Nun frage sich der munterste und witzigste und scharfsinnigste Kopf, ob er sich wohl Sprüche dieser Art in solcher Mannigfaltigkeit und Menge und in dem Wechsel abzufassen getraue? Müssten nicht bei der Voraussetzung eines einzigen Urhebers weit mehr nüchterne und platte Sittensprüche und *mehr Wiederholongen* vorkommen, als im Buche wirklich stehen? » E contrario *Driver Rothst.* (Einl. 1896. p. 438), *Cornill* (Einl. Ed. 3. 1896. p. 245) ex repetitionum quae adsunt *multitudine* plures esse auctores demonstrare volunt.

7. *De Wette Schrader* Einleitung p. 536 sq.

8. *Herbst-Welte* Einleitung III. p. 223.

9. Vocabulum, quo virorum Ezechiae labor exprimitur (הֶעְתִּיקוּ) *Alex.* vertit ἐξεγράψαντο, *Aq.* μετῆραν, *Hier.* transtulerunt; omnes igitur fontem scriptum suppo-

suerunt. *Syr.* et *Chald.* habent כתבו (*scripserunt*), fontem igitur non innuunt. Ceterum Thalmudistis הֶעְתִּיק est *transcripsit* vel *ex alia lingua transtulit*.

10. Eadem obiectio urgetur a *Davidson* (Introd. p. 325) et *Reuss* (Gesch. des A. T. p. 491), qui praeterea addit ea, quae de regibus dicantur, vera quidem esse ac bona, sed proferri non potuisse a rege, qui tyrannico et superbo suo regnandi modo suam ipsius domum regno privaverit. Videtur igitur contra historiae fidem supponere, Salomonem eandem semper regnandi rationem tenuisse, oblivisciturque alium fuisse Salomonem primis regni annis, quando a Deo donum sapientiae obtinuit, alium ultimis annis, postquam a mulieribus alienigenis ad idololatriam seductus erat.

11. Ita praesertim *Delitzsch* (Das Salomon. Spruchbuch p. 22 sqq. et Herzog P. R. E. XIV. p. 561 sqq.) et *Reuss* l. c. p. 490. Nonne mirum, quod *Eichhorn* (l. c. cfr. n. 6) ex *parvo* numero repetitionum argumentum contra salomonicam Proverbiorum originem desumat, atque alii repetitionum *multitudinem fere infinitam* (*Reuss* l. c. « unzählbare Wiederholungen ») contra eandem salomonicam originem urgeant?

202. — 2. Salomonicam igitur originem longe maioris partis Proverbiorum tuentur inscriptiones, nec quidquam hucusque allatum est, quo earum auctoritas sit infirmata nedum destructa. Iam ad illas particulas transeamus, quae inscriptionibus illis attingi non videntur.

a.) Sunt qui duo illa capita, quae priorem collectionem sequuntur (22,17-24,22) Salomoni abiudicent his praesertim argumentis nixi : α.) Particula haec suam habet inscriptionem, qua a praecedentibus Proverbiis salomonicis diserte distinguitur; sententiae enim, quae sequuntur, *verba sapientium* appellantur, atque expressio haec similem illam in memoriam revocat, qua in prooemio (1,6) praeter salomonica etiam aliorum virorum *sapientium verba* annuntiantur. β.) Porro inscriptio, quae immediate sequitur « haec *quoque* sapientibus » (vel potius *sapientium* גַּם־אֵלֶּה לַחֲכָמִים 24,23) satis clare demonstrat alia sapientium verba praecessisse. γ.) Accedit demum styli in hac particula diversitas. Parallelismus enim magis minusve est neglectus, neque sententiae singulae singulis distichis absolvuntur, sed per plures versus decurrunt[1].

Quae, etsi veritatis speciem quandam habeant nec omni probandi vi destituantur, rem tamen non evincunt. Nihil quidem obstare concedimus, quominus aliquis Salomonem aliorum quoque sapientium virorum sententias in suam collectionem recepisse suasque hac ratione fecisse dicat; quapropter non admodum refragamur illis, qui prooemium (1,1-7) Salomoni attribuentes in nostra particula velut secundam partem integri operis ibi descripti agnoscunt eaque sententias aliorum a Salomone approbatas contineri censent. Sed ad hanc sententiam stabiliendam argumenta allata non sufficiunt. Namque α.) si in priore sticho 22,17 discipulus « *audire verba sapientium* » iubetur, in altero magister verba sua explicans « appone, inquit, cor ad doctrinam *meam* »; *verba sapientium* igitur (1,6 et 22,17) idem si-

gnificare aptissime dicuntur, quod *verba sapientiae*. β.) Alteram inscriptionem (24,23) de aliorum sapientium verbis non esse intelligendam, statim dicemus. γ.) Stylum demum atque dicendi modum huius pericopes a proverbiis quidem immediate praecedentibus (10,1-22,16) satis differre clarum est, at non minus est clarum inter prima novem capita et inter nostram pericopen tantam intercedere similitudinem, ut eidem auctori deberi sint dicenda; qui igitur prima novem capita Salomoni attribuit, primae inscriptionis auctoritate coactus, is hanc pericopen Salomoni negare non potest. Utraque longioribus carminibus constat (cfr analysin), in utraque auctor discipulum suum frequenter velut *filium suum* alloquitur[2], a luxuria, commessationibus, peccatorum consortio, levitate in sponsionibus dehortatur[3], non tantum proponit, sed inculcat doctrinas ad easque observandas exhortatur[4] etc. Eodem igitur modo, quo primis novem capitibus monita sua praeparavit, hac pericopa velut peroratione quadam eadem commendasse est dicendus; neque mirum est, quod ex illis quoque, qui introductionem illam Salomoni abiudicant, nonnulli eundem tamen introductionis et perorationis huius auctorem esse statuant[5].

b.) Appendiculam (24,23-34) longe plerique moderni interpretes Salomoni deberi negant ob inscriptionis, quae ei praefigitur, auctoritatem. Verba enim גַּם־אֵלֶּה לַחֲכָמִים interpretantur « *etiam haec sunt sapientium* » verba. Quam interpretationem minus habemus probabilem quum ob antiquorum interpretum consensum, qui omnes (*Alex.*, *Syr.*, *Chald.*, *Vulg.*) verterunt « *etiam haec sapientibus* » (*Alex. Syr. Chald.* addunt : *dico*) sc. iis, qui ad sapientiam aspirant, sunt destinata, tum maxime ob auctoritatem sequentis inscriptionis : « hae *quoque* parabolae Salomonis » (25,1), quae omnino supponere videtur, eos, qui secundam collectionem priori adiecerunt, proverbia immediate praecedentia Salomoni ipsi auctori attribuisse ac proin eadem ratione, qua Alex., Syr., Chald., Vulg., verba illa esse interpretatos. In tota autem illa particula nihil legitur, quod a Salomone dici non potuit, quare nulla est ratio, cur a tradita interpretatione recedamus.

c.) Difficilior est quaestio de trium ultimarum appendicum (30,1-31,31) origine, quarum duae priores suis inscriptionibus sunt insignitae. — Quomodo prima (30,1) esset explicanda, antiqui interpretes iam ignoraverunt atque de eius sensu disputant moderni. Accuratiore explicatione interpreti relicta interpretationem praeferimus illam, quae sola priora verba דִּבְרֵי אָגוּר בִּן־יָקֶה הַמַּשָּׂא (*Verba Aguris, filii Iake, Massaensis*) pro inscriptione habet, reliqua autem initium verborum Aguris esse censet (« *Effatum viri : Laboravi, Deus; laboravi, Deus, et evanui* » etc)[6]. Qua interpretatione tamen integra difficultas non est

soluta; num enim nomina *Agur* et *Iake* sint propria virorum incognitorum, an symbolica, quibus Salomon se ipse designaverit, quaeritur. Antiqui rabbini eosque secutus S. Hieronymus ea pro symbolicis habent; Syrus et Chald. hebraica nomina retinent de eorum significatione nihil addentes; Alexandrinus, quem haec capita transposuisse diximus (199. p. 139), nullam inscriptionem agnoscit, sed alio modo vocabula separans totum versum in sententiam vertit. Hinc etiam a SS. Patribus difficultatis solutionem frustra quaesiveris; antiquiores autem interpretes multi et tantum non omnes moderni, licet Proverbiorum libri auctorem Salomonem esse teneant, nomina illa censent esse propria et ultima duo capita aliis scriptoribus inspiratis attribuunt[7], idque ut videtur recte. « Nam, inquit *Baynius*, quum nomen viri et nomen patris [immo etiam nomen patriae] ponantur, Scripturam nobis hominem aliquem insinuare voluisse credendum est, ut omittam vehementer duram esse metaphoram vocari Salomonem filium Vomentis ». Quisnam vero ille Agur fuerit et quodnam regnum Massa intelligatur, prorsus ignoramus; inutile autem est coniecturis indulgere, quae ne probabilibus quidem argumentis nituntur.

Altera appendix (31,1-9) inscriptione hebraica adscribitur *Lemueli regi Massaensi*, cuius etiam nudum nomen nobis est traditum. Num eidem carmen alphabeticum *de muliere forti* (31,10-31) debeatur, non liquet; nihil obstare arbitramur, quominus Salomonem eius auctorem esse dicamus.

1. Haec argumenta affert *Lesêtre* (l. c. p. 21), qui cum *Herbst Welte* (l. c. p. 221), *Scholz* (l. c. p. 155 sqq.) aliisque catholicis interpretibus et plerisque heterodoxis partem hanc aliis auctoribus attribuit.

2. *Prov.* 1,8. 10. 15; 2,1; 3,1. 11. 21; 4,10 etc.; 23,15. 19. 27; 24,13. 21. — In toto reliquo libro bis tantum (19,27; 27,11) appellatio haec (בְּנִי) legitur.

3. *Prov.* 2,12 sqq.; 5,3 sqq.; 6,24 sqq.; 7,4 sqq. et 23,26 sqq.; 23,33 sqq. — 4, 17 et 23,20 sq. 29 sqq. — 1,10 sqq.; 2,10 sqq.; 3,31 sqq. etc. et 22,24 sq.; 23,6 sqq. 17 sqq. etc. — 6,1 sqq. et 22,26 sq.

4. *Prov.* 1,8 sqq. 20 sqq. et passim; 22,17 sqq.; 23,15 sqq.; 24,13 sqq.

5. Ex. gr. *Delitzsch* Salomon. Spruchbuch p. 20 sq. et Herzog P. R. E. XIV. p. 563; *Zoeckler* Sprüche Salomonis p. 23 etc.

6. Cfr *Delitzsch* Salom. Spruchbuch p. 478-487.

7. Ex antiquioribus cfr. *R. Bayne* Comm. Paris. 1555. in 30,1; *Corn. a Lap.* Comm. in 30,1; *Bossuet.* in Prov. Praef. (« Cap. 30. et 31. memorantur alii sententiarum auctores, quas quidem, ut ab ipso Salomone mutuatas, certe eodem spiritu conscriptas, salomonicis addiderunt »), *Calmet.* In Prov. Prolegom. etc. — Recentiores nominati sunt 201 n. 3 p. 142.

203. — Sequitur altera quaestio de *Proverbiorum collectione*. Salomonem enim, quamquam duobus ultimis capitibus exceptis omnium, quae in libro leguntur, auctor iure asseri videtur, integro operi hodiernam

eius formam non dedisse, luce clarius ex inscriptione 25,1 apparet, quae varias collectiones esse admittendas docet. De earum autem numero et aetate magnus est interpretum dissensus; quoniam vero quaestio haec ad librum intelligendum parum confert, eam paucis absolvemus illa sola proposita sententia, quae magis nobis probatur[1].

Tres igitur statuimus collectiones, atque *primam* quidem maiore libri parte (1,1-24,22) constare ipsique *Salomoni auctori et collectori* deberi arbitramur. Absolutum enim et perfectum opus capita illa constituunt, cuius ea est unitas argumenti et doctrinae, is internus omnium partium nexus, ut si solum ad nos pervenisset, nemo prudens, opinor, illud in varias partes discerpere esset conatus. Etenim prooemium (1,1-6) non sola prima novem capita, sed maxime proverbia ipsa spectat, quae longa serie 10,1-22,16 proponuntur. Illa autem, quae 22,17-24,22 sequuntur, tantum habent cum primis novem capitibus affinitatem et similitudinem (202), ut aptissimum constituant epilogum operis, cuius illa sunt prologus et introductio. In prologo isto auctor *proponendorum* Proverbiorum utilitatem veritatemque commendat, eaque *ducalia* (נְגִידִים) i. e. ducibus digna appellat, in epilogo *propositorum* utilitatem veritatemque asserit eaque velut *principalia* (שָׁלִישִׁים) i. e. principibus digna celebrat[2]. Sicut in prologi initio (1,10-19) discipulum suum auctor a peccatorum societate deterret, quia in perniciem ruant, ita in epilogi fine (24,19-22) ab eadem societate ob eandem rationem eum absterret, ut ibidem terminetur oratio, unde exorsa est. Quod autem praeclara illa Proverbiorum collectio nec prologo nec epilogo, quibus commendetur, carere potuerit, id facile omnes concedent. Nec quisquam mirabitur, quod integrum istud opus Salomoni attribuere non dubitemus, siquidem recentioris aetatis ne minimum quidem vestigium reperitur; atque sane decuit sapientissimum illum regem, quem tria millia parabolarum condidisse testantur sacrae literae, ipsum quoque ex tanto numero illa eligere, quae docendis subditis suis utiliora habuit, illaque prologo et epilogo de sapientiae verae laudibus munire.

Aliqui SS. Patres cum *S. Cyrillo Ier.* et *S. Hieronymo*[3] Salomonem senem, quum post lapsum resipuisset et poenitentiam egisset, Proverbiorum librum collegisse et Ecclesiasten composuisse putarunt ea praesertim ratione commoti, quod in suis editionibus legerent : « *novissime ego egi poenitentiam* » (24,32); at infirmum est argumentum, siquidem eo in loco (quem longe alium exhibent *Hebr.*, *Vulg.*, *Syr.*, *Chald.*) auctor « loquitur in persona hominis, qui conspecto hominis pigri agro urticis repleto, eo exemplo se ad laborem strenue capessendum exhortatur »[4]. Quominus vero Salomonem senem et poenitentem nostram hanc collectionem edidisse dicamus, illud quam

maxime prohibet, quod inter tot de omnibus fere virtutibus praecepta ne unum quidem inveniatur, quod idololatriam condemnat; atqui vix credi potest, Salomonem sui ipsius experientia pericula idololatriae edoctum subditos, quos exemplo suo a Legis observantia abduxerat, praeceptis suis ad unius Dei cultum reducere neglexisse. Illo igitur tempore, quo insigni sapientiae dono praeditus totus in Dei cultu promovendo erat occupatus, eum hanc Parabolarum collectionem edidisse rectius dicemus.

*Altera* collectio (25,1-29,27) a « viris Ezechiae regis » facta esse dicitur ab inscriptione; quam fide indignam esse, nemo adhuc demonstravit aut demonstrare est conatus[5]. Salomon primam collectionem toti populo destinans parabolas illas similitudinesque, quae plebem minus attingebant aut intellectu erant difficiliores, videtur omisisse; at viri Ezechiae, si ex primis sententiis, quas collegerunt quaeque omnes de regum potius quam de plebis institutione agunt (25,2-7), ad eorum finem concludere licet, non tam totum populum quam viros eruditos ac maxime regem suum prae oculis habuisse recte dicuntur; quare facile explicatur, cur a difficilioribus illis recipiendis non abstinuerint. Sunt qui ex nonnullis secundae collectionis proverbiis colligi censeant, rerum statum eo tempore, quo conscripta sunt, infeliciorem fuisse, quam quo tempore composita sint priora; sermonem enim esse de crebris principum mutationibus, de crudelibus avidisque tyrannis, de iustis iniustisque inter se de regno concertantibus[6]. Quae recte quidem colligi non censemus, quoniam immerito supponitur, auctorem suae aetatis suique regni statum describere debuisse neque ex historia aut ex vicinorum regnorum statu quidquam potuisse haurire. Sin autem recte colliguntur, Salomonem ultimo regni sui tempore has sententias condidisse statuere nobis licebit, atque ita facilius explicabimus, cur eas in collectionem iam antea editam non receperit. Quinam « viri Ezechiae » fuerint, qui operam suam in illis colligendis posuerint, ignoramus; quodsi enim Thalmudistae Isaiae collectionem attribuant, asserti sui aliud fundamentum non habuerunt, nisi Isaiam Ezechiae tempore floruisse eiusque amicum fuisse.

Iisdem « viris Ezechiae » *appendiculam* quoque illam adscribendam esse, quae 24,23-34 inseritur, suadet quidem inscriptionis similitudo (24,23 et 25,1); at leve infirmumque est argumentum, quum nulla appareat ratio, propter quam sententias illas collectioni suae praemittere quam inserere maluerint; rectius igitur statuemus iam Salomonis tempore forte ab ipso rege illa libro esse addita atque viros Ezechiae integro operi novam suam collectionem adiecisse.

A quonam tandem et quo tempore duobus ultimis capitibus additis opus hodiernam suam formam acceperit, certis aut probabilibus

argumentis non definitur; alii Ezechiae, alii Esdrae aetate ultimam manum operi impositam esse censent; immo si genuinus esset ordo versionis alexandrinae, duo ultima capita (30,1-31,9) iam cum primitivo opere suo Salomonem ipsum coniunxisse liceret dicere, atque viros Ezechiae collectione sua et carmine alphabetico de muliere forti opus terminasse. Quidquid autem est, omni fundamento carent rationalistae illi, qui integrum librum Esdra dicunt esse recentiorem.

1. Eandem fere tuentur plerique interpretes catholici, quos iam laudavimus : *Herbst-Welte* (l. c. p. 220 sqq.), *Danko* (l. c. p. 310 sqq.), *Vigouroux* (l. c. p. 379), *Kaulen* (l. c. p. 318), *Zschokke* (l. c. p. 214), *Rohling* (l. c. p. 6 sqq.). At discedunt *Scholz* (l. c. p. 157), qui cpp. 1-9 et 22,17-24,22 satis diu post Salomonis aetatem composita, integrum tamen opus Ezechiae tempore terminatum putat, et *Lesêtre* (l. c. p. 21 sqq.), qui saltem 22,17-24,22 Salomone recentiora dicit. — Ex heterodoxis *Haevernick, Keil, Plumptree* (ll. cc.) etc. fere nobiscum consentiunt. Secundum *Ewald* (Poet. Bücher IV. p. 2 sqq.) exorta sunt 10,1-22,16 duobus saeculis post Salomonem, 25.-29. tempore Ezechiae, 1.-9. et 22,17-24,34 integro saeculo post Ezechiam, atque circa idem tempus brevi ante exsilium cpp. 30. et 31. Secundum *Bertheau* (l. c. p. XXIII sqq.) nihil aliud demonstrari potest, nisi omnia post Salomonem esse exorta. Secundum *Hitzig* (Comment. p. XVII sqq.) exorta sunt cpp. 1.-9. saec. 9. a. Chr., 10,1-22,16 ineunte saec. 8., 25.-29. exeunte saec. 8., 22,17-24,34 immediate post exsilium, 30. 31. recentiore aetate. Iuxta *Cornill* (Einl. Ed. 3. 1896. p. 246 nec collecta nec condita sunt ante finem persicae vel initium macedonicae aetatis!!!

2. *Prov.* 8,6 (*S. Hier.* parum accurate vertit : *res magnae*, melius *Alex.* σεμνά); 22, 20 (*Alex.* et *S. Hier.* minus recte τρισσῶς, *tripliciter*).

3. *S. Cyrill. Ier.* Cat. 2,13 (M. 33,400); *S. Hier.* in Ezech. 43,10 sqq. (M. 25,419).

4. *Toutt.* in S. Cyrilli. Cat. 2,13 (M. 33,399).

5. *Thalm.* Baba bathra 15 a. eumque secuti interpretes iudaici multi inscriptionem ita intelligunt, ut praecedentia quoque proverbia a viris Ezechiae collecta esse dicant (« Hae quoque sunt parabolae salomonicae a viris Ezechiae collectae »); at illud גַּם (*etiam*) ad phrasin relativam immerito trahitur; si integrum librum a se collectum designare voluissent, viri Ezechiae suum nomen (« quas transtulerunt viri Ezechiae ») iam primae inscriptioni (1,1) addidissent. — Disputatur, utrum viri Ezechiae priorem librum cognoverint necne, quando suam collectionem adornarunt. Verum inscriptio, si genuina est, dubitationi non relinquit locum, siquidem inscriptio « hae *quoque* parabolae » evidenter priorem collectionem supponit. At, inquiunt, in secunda collectione repetuntur multi versus, qui in priore iam leguntur et quos certe omisissent viri Ezechiae, si priorem complere tantum voluissent. Exaggerant autem repetitionum numerum adversarii; *integrae sententiae*, quae repetuntur, sunt quatuor vel quinque; at numerus multo maior esse deberet, si viri Ezechiae priorem collectionem ignorantes proverbia salomonica collegissent. Num vero repetitae illae sententiae collectorum an librariorum socordiae adscribantur oporteat, ignoramus.

6. *Scholz* Einl. III. p. 161; cfr *Prov.* 28,2 sq. 12. 15 sq.; 29,2. 16.

204. — Divina auctoritas Proverbiorum longa demonstratione non indiget. Olim quidem de ea dubitasse synagoga dicitur; quoniam enim sententias paucas (ex. gr. 26,4. 5) inter se pugnare atque descriptionem meretriculae (7,10 sqq.) libro sacro non convenire cense-

bant, rabbini nonnulli nodum secare quam solvere ideoque Proverbiorum librum inter aprocrypha relegare maluerunt. At « quod id facere cogitarunt, inquit *Huetius*, nec fecerunt tamen, indicio est, nefariam eorum voluntatem vi veritatis fuisse oppressam et utrimque pensitatis rationibus libri tandem sanctitatem eos agnovisse »[1]. Revera dubitationes illae mox videntur disparuisse; in canone enim Palaestinensium et Alexandrinorum Proverbia semper suum locum retinuerunt.

A Iudaeis Christiani ea cum reliquis libris protocanonicis receperunt tantoque maiore cum reverentia, quanto frequentius ea in Novi T. libris pro auctoritate adhibita viderunt. Etenim Apostoli ea non tantum aliquoties velut divina verba allegant (*Iac.* 4,6; *Hebr.* 12,5; *Rom.* 3,15) sed frequentius sine ulla allegationis formula ad praecepta moralia inculcanda usurpant (1 *Petr.* 2,17; 4,18; 5,5; 2 *Petr.* 2,22 etc.). Apostolorum exemplum secuti Patres omnes in libris suis frequentissime ea adhibent; velut divinam Scripturam ea iam allegant SS. *Barnabas, Clemens Rom.*, *Ignatius, Polycarpus*[2]; iuniorum vero testimonia adscribere superfluum est.

Nihilominus a Christianis quoque nonnullis divina Proverbiorum auctoritas impugnata est; modernis rationalistis praelusit *Theodorus Mopsuest.,* qui praeter l. Iob et Canticum Cant. etiam reliquis duobus libris salomonicis divinam inspirationem negavit : « his, inquiens, quae pro doctrina hominum scripta sunt, etiam Salomonis libri connumerandi sunt, i. e. Proverbia et Ecclesiastica (Ecclesiastes), quae ipse *ex sua persona* ad aliorum utilitatem composuit, quum prophetiae quidem gratiam non accepisset, prudentiae vero gratiam, quae evidenter altera est praeter illam secundum S. Pauli (1 *Cor.* 12,8) vocem »[3]. Quae Theodori doctrina a Conc. V. damnata meritae oblivioni erat data, usque dum eam recoxerunt *Bened. Spinoza* ac praesertim *I. Clericus*[4]. Quibus si crederemus, nullo argumento constaret Proverbia Salomonis esse inspirata more prophetico; « eiusmodi enim sententias, quales etiam in Ecclesiastico legantur, sine inspiratione a quovis homine proferri potuisse; quam plurima ibi deprehendi proverbia popularia, quae sensui quidem communi correspondeant, sed nihil habeant divini; multa legi monita oeconomica, quae mulierculae et rustici sine ulla revelatione discant (24,27; 27,3; 31,10 sqq.); ingenue esse fatendum, etiam meliora sine Spiritus gratia dici potuisse neque Spiritum prophetiae pro sua dignitate aestimari ab eo, qui talia illi attribuat; immo nonnulla cum caritate evangelica pugnare; nam praeceptum illud oeconomicum de non temere spondendo pro aliis (6,1; 22,26; 27,13) nostros mercatores aeque bene nosse atque Salomonis tempore Israelitas; fieri autem posse, ut caritas oeconomiae sit praeferenda, id quod ex parabola Samaritani constat, qui caritate

permotus pro Iudaeo in via vulnerato spoponderit ». Quibus optime iam respondit *R. Simon,* eadem argumentatione, si quid valeret, multorum aliorum librorum inspirationem destrui, quippe qui etiam quam plurima contineant, ad quae cognoscenda inspiratio non requiratur; aliud esse inspirationem, aliud revelationem, neque ex libri alicuius argumento inspirationem eius esse desumendam sed de illa constare ex ipsa divina revelatione nobis certo manifestata[5]. Quam leviter vero asseratur pugna inter praeceptum de non *temere* spondendo et inter praeceptum caritatis, nemo non videt; qui enim caritatem veram in agendo sequitur, non agit *temere.*

In versione alexandrina nonnullas sententias legi, quae in textu hebraico desiderentur, iam diximus (**199** p. **139**); quarum aliquae etiam in Vulg., Syro, atque ipso Chald. exhibentur, aliquae ex Ecclesiastico videntur esse transsumtae. Quin illae, quae in omnibus versionibus exstant, etsi in textu hebraico desint, pro canonicis sint agnoscendae, non opinor est dubium, quum unanimi et continuo Ecclesiae usu sint approbatae atque Chaldaei testimonio accedente ex primigenio textu casu excidisse demonstrentur; neque illas omnino esse reiiciendas arbitramur, quae in sola alexandrina versione leguntur, sed secundum criticos canones in eorum authentiam esse sedulo inquirendum, antequam repudientur.

1. Thalmudistarum dubitationes affert *Carpzov.* Introd. II. p. 184 sq. ex *Pirke Aboth* 1. et ex *Schabb.* f. 30. Cfr *Huet.* Demonstr. evang. Prop. 4. De Proverb. 4 (Ed. Venet. 1765. p. 257).

2. *S. Barnabae* Epist. 5.; *S. Clement. Rom.* 1 Cor. 14. 21. 30. 56. 57; *S. Ignat. M.* ad Ephes. 5; ad Magn. 12; *S. Polyc.* ad Philipp. 6.

3. Conc. V. Constant. II. coll. 4 n. 63 (Mansi Coll. Conc. IX. 223). — *Kihn* (Theodor von Mopsuestia. Freiburg 1880. p. 78) Theodorum non omnem, sed solam *propheticam* inspirationem Proverbiorum negasse censet et ex definitione Concilii colligi auctorem Proverbiorum spiritu prophetico fuisse inspiratum. Quae non satis recte dici videntur. Nam ex Theodori verbis a Concilio allegatis et damnatis nullatenus colligitur, secundum Theodori opinionem Salomonem dumtaxat « pro doctrina hominum » *suae aetatis* Proverbia edidisse, sed Theodorus opposuit ea, quae *ex spiritu prophetico* scribuntur, illis quae aliquis *ex sua persona* scribit sola *prudentiae* gratia instructus.

4. *Spinoza* Tractat. theologico polit. II. p. 15; (*I. le Clerc*) Sentiments de quelques théologiens de Hollande sur l'hist. crit. du V. T. Lettre 12.

5. *R. Simon* Reponse aux Sentiments etc. ch. 13. Rotterdam 1686. p. 138.

## II. De libro Ecclesiastae.

### § 14. — *De libri Ecclesiastae argumento, divisione, fine.*

205. — Alter liber Salomoni attributus est « *Ecclesiastes, qui ab Hebraeis Coheleth appellatur* », cuius autem completa hebraica inscriptio est : דִּבְרֵי קֹהֶלֶת בֶּן־דָּוִד מֶלֶךְ בִּירוּשָׁלִָם (ῥήματα ἐκκλησιαστοῦ υἱοῦ Δαυὶδ βασιλέως Ἰσραήλ, *Verba Ecclesiastae, filii David, regis Ierusalem*). De vocabuli קֹהֶלֶת etymologia et significatione moderni interpretes multa disputarunt; alii ex lingua arabica eius originem derivantes aut cum Schultens inscriptionem verterunt « liber *poenitentiae* filii Davidis », aut cum Doederlein « verba *senis* filii David » etc.; alii in linguae hebraicae ambitu remanentes *Coheleth* cum Grotio designare putarunt « collectorem », « ut intelligamus redactas in hunc librum varias sapientium opiniones de beatitudine[1]. Quibus explicationibus haud dubie erroneis opinio illorum modernorum aliquantum praestat, qui propter femineam nominis *Koheleth* formam substantivum aliquod (חכמה) supplendum putant, ut Salomo semet ipsum *sapientiam concionantem* appellet. Qua in interpretatione illud quidem rectum est, quod radici *Kahal* significatio *concionandi* attribuitur, at nomen *Koheleth*, quum in toto libro pro masculino adhibeatur, supplementum istud femineum non admittit[2]. Itaque communis et antiquitus tradita explicatio retinenda videtur : « ἐκλησιαστής, inquit *S. Hier.*, graeco sermone vocatur qui coetum i. e. ecclesiam congregat, quem nos nuncupare possumus *concionatorem*, eo quod loquatur ad populum »[3]. Probabilis quoque altera est sententia, quae radici *Kahal* sensum *clamandi* attribuens nec quidquam supplens Salomonem tenet semet ipsum, simili modo quo S. Ioannem B., *vocem clamantem* (cfr *Ioan.* 1,23) appellare[4].

Titulo igitur suo (*Verba concionatoris*) liber noster declaratur esse concio ad populum habita, atque titulo consentiunt libri stylus et indoles. Licet enim poeticis libris adnumerari soleat, Ecclesiastae tamen stylus prosaicus potius est et humilis, quam poeticus et sublimis; insertae autem sunt sententiae multae atque integrae quoque pericopae, quae parallelismo poetico conscriptae pro totidem carminibus didacticis iure habentur quibusque inter poeticos liber locum meretur. Integrum autem opus in exhortatione magis, quam in doctrinae expositione versatur. Quamvis enim forma exhortatoria non ubique praevaleat atque interdum meditationem piam vel soliloquium potius, quam concio

nem, legere tibi videaris, omnia tamen eo diriguntur, ut auditorum animi et voluntates ad certam tenendam et *sequendam* sententiam permoveantur, ideoque indole sua integrum opus oratorio generi addicitur.

Quodnam autem est concionis ARGUMENTUM? « Salomon, inquit *Olympiodorus*, quum a Deo certam rerum omnium (τῶν ὄντων) scientiam accepisset, in tres classes eas distribuit, in morales, naturales, intelligibiles (εἰς ἠθικὰ καὶ φυσικὰ καὶ νοητά), et morales quidem docuit in Proverbiis, *naturales in Ecclesiastae concionibus,* intelligibiles in Cantico Canticorum ». Simili ratione alii Patres Origenem secuti argumenta trium librorum salomonicorum distinguere solebant[5]. Erraret vero, qui eorum verba ita interpretaretur, ut Ecclesiasten scientiam physicam tradidisse putaretur. Etsi enim de coeli, solis, terrae, elementorum etc. mutationibus nonnulla tradat, recte tamen iam monuit *Olympiodorus,* ab eo « rerum naturalium ratione *obiter delibata* vanitates praesentis vitae ob oculos poni », atque *S. Basilius* « Ecclesiastes, inquit, physiologiam *attingit* (ἅπτεται) nobisque rerum mundanarum vanitatem patefacit, ne putemus res fluxas futilesque esse dignas, quae expetantur, quibusque animi curas impendamus »[6]. Profecto Ecclesiastes de rebus physicis agere eo sensu apte dicitur, quod intimam earum, ut ita dicamus, naturam, i. e. earum vanitatem et inanitatem, manifestat. At unam tantum eamque negativam argumenti partem describunt, quicunque de sola rerum vanitate loquuntur; totus enim liber completum quendam exhibet tractatum de summo bono, quo homo *hac in terra* frui potest. Omnibus enim illis, quas homines expetere solent, quoniam in iis beatitudinem suam sitam esse arbitrantur, reiectis ostendit concionator noster, felicitatem summam, qua *in hac terra* homines frui possunt, *praeprimis Dei timore mandatorumque eius observatione contineri atque bonorum illorum, quae Deus ipse (iustis velut praemia) secundum providentiae suae ordinem concedit, fruitione quieta et pia.* Inquietum igitur illud studium, quo homines iis quae possident non contenti semper maiores opes, voluptates, honores quaerunt, ac si in earum possessione sita esset beatitudo, improbat Ecclesiastes, *quietum et pium earum rerum, quas Deus ipse concedit, usum* non tantum permittit sed commendat. Quoniam enim secundum sapientissima sua consilia Deus iis, qui Legem erant observaturi, res externas, divitias scilicet aliaque ad corpus pertinentia promiserat, mirum non est, quod earum moderatum et pium usum Ecclesiastes a summae felicitatis, quam homo in hac terra adipisci queat, definitione non excluserit. Altior enim ille perfectionis gradus, qui omnibus omnino rebus externis, divitiis, voluptatibus, honoribus renuntiare nos docet, ut in Domini N. pauperis, despecti, dira patien-

tis sequela summam felicitatem iam hac in terra quaeramus, novo foederi erat reservatus (cfr *infra* n. 212,6 p. 181 sq.).

1. Arab. *kahala* i. q. aridus fuit, praesertim de cute senis vel ascetae, unde *koheleth* ab aliis *senex decrepitus*, ab aliis *poenitentia* explicatur. Ad alteram hanc significationem pervenit Cocceius vocabulo *koheleth* sensum passivum attribuens ὁ ἐπισυναγόμενος vel ἡ ψυχὴ ἡ ἐπισυναγομένη, ita ut Salomonis poenitentia eiusque cum Deo reconciliatio nominis sit ratio. At nec passivum sensum admittit forma vocabuli, nec radix ipsa unquam de *rebus* congregandis adhibetur; quare Grotii quoque explicatio (Opp. theolog. Basileae 1732. I. p. 258) et fundamento etymologico caret et indoli contradicit libri, qui sententiis undique collectis non constat.

2. *Graec. Venet.* (versio 9. saec.) femineam formam retinuit (ἡ ἐκκλησιάστρια, ἡ ἐκκλησιάζουσα sc. σοφία) contra reliquorum antiquorum interpretum sententiam. Cum Venet. Graec. ex modernis sentiunt *Ewald*, *Hitzig*, *Kuenen*, *Kleinert* (Herzog P. R. E. Ed. II. XII p. 17) etc.; at non attendunt, nomen *Koheleth* semper cum masculino construi (1,2. 12; 12,8. 9. 10) atque etiam 7,27, ubi levi literarum transpositione pro אמרה קהלת legendum est אמר הקהלת.

3. Cfr *S. Hier.* in Eccle. 1,1 (M. 23,1063). — In lingua hebr. interdum forma feminina ad munera permanentia designanda adhibetur, unde fit, ut nomina propria virorum aliquoties eandem formam habeant (cfr *Gesen. Kautzsch* Hebr. Gramm. Ed. 25. 1889. p. 380 sq.) : ספרת (i. q. scriba *Esdr.* 2,55; *Neh.* 7,57), פכרת (i. q. venator *Esdr.* 2,57), עלמת (1 *Par.* 7,8; 8,36; nomen viri iam ante Salomonem degentis) etc. Simili modo in lingua arabica feminina forma in munerum nominibus adhibetur (*Kalifaton* vicarius, *Chalikaton* creator etc.).

4. Primus eam proposuit *G. Gietmann* (Comment. in Eccle. et Cantic. Cant. Parisiis 1890. p. 62), qui fuse de nominis forma et sensu agit.

5. *Olympiod.* in Eccle. Prol. (M. 93,477); *Orig.* in Cant. Prol. (M. 13,74); *S. Basil.* in prooem. Prov. hom. 12 (M. 31,383); *S. Hieron.* ad Paulam ep. 30,1 (M. 22,441) : « Quomodo philosophi solent disputationes suas in physicam, ethicam, logicamque partiri, ita et eloquia divina aut de *natura* disputare (solent), ut in *Genesi* et in *Ecclesiaste*, aut de moribus, ut in Proverbiis et in omnibus sparsim libris, aut de logica, pro qua nostra theoricen sibi vindicant, ut in Cantico cant. et in Evangeliis ». In Eccle. 1,1 M. 23,1063) etc. (Cfr *supra* 198 p. 133).

6. *Olympiod.* in Prov. 1,1 (M. 93,469), *S. Basil.* l. c.; *S. Isid. Pelus.* Ep. IV. 40 (M. 78,1089) etc.

206. — Ordo autem, quo argumentum hoc exponitur, ille non est, quem in docta aliqua argumentatione aut in oratione ad omnes rhetoricae artis regulas composita sequi solemus; neque enim secundum graecorum latinorumque rhetorum praecepta diiudicanda et definienda sunt scriptorum hebraicorum opera. Namque sicuti carmina eorum didactica haud raro in singula fere disticha aut tristicha separata dissolvi possunt, ita etiam poeticae nostrae concionis sententiae arcto nexu logico non semper coniunguntur. Uti facere fere solet, qui de re aliqua ex tempore dicere iubetur, noster quoque concionator varias de felicitate in hac terra consequenda sententias illo proponit ordine, quo animo eius sese offerebant nonnullis interdum insertis,

quae etsi ad argumentum minus pertineant, illa tamen in occasione ei videbantur esse opportuna. Quin etiam nonnulla ita proponuntur, ut multi interpretes illa inter se pugnare censerent ac censeant. Inter Patres iam non defuerunt, qui « sapientem hunc Ecclesiasten modo e sua ipsius persona, modo ex alterius, qui res mundanas attonitus admiratur, persona loqui » dicerent, aut « Salomonem in libro nostro quasi tumultuantis turbae suscepisse sensum, ut ea per inquisitionem diceret, quae fortasse per tentationem imperita mens sentiret, atque tot quasi in se personas diversorum suscepisse, quot sententias quasi per inquisitionem moveret », aut eum « quasi errorem humanum et consuetudinem, qua se ad fruenda huius saeculi bona homines invicem hortentur, inducere atque προσωποποιΐαν facere more rhetorum et poetarum... et aliquem Epicurum inducere loquentem vel Aristippum et Cyrenaicos et ceteras pecudes philosophorum »[1]. Quibus exaggeratis nonnulli recentiores interpretes heterodoxi in nostro libro iustum dialogum viderunt aut inter iuvenem ingenii fervidioris acriterque continuo invehentis in vanitatem et perversitatem omnium rerum, quas explorando assecutus erat, interque doctorem prudentem, qui animam iuvenis mitigare praeceptisque salutaribus imbuere studet[2], aut inter Iudaeum sophistarum graecorum disserendi rationi addictum illorumque more fallacibus conclusiunculis utentem, qui sub Salomonis persona in scenam prodeat, interque alium Iudaeum de ratione vitae recte sentientem et antiquo gentis suae more per sententias docentem[3] etc. Omnes autem limites transgressi videntur interpretes illi, qui aut ordinem ullum in libro inveniri negarunt[4], aut ut ea, quae inter se pugnare putabant, explicarent, genuinum librum a iunioribus scriptoribus interpolatum dixerunt[5]. At quicunque librum vel obiter legerit, facile nobiscum fatebitur continuum in eo esse sermonem, qui etsi nonnullis, quae arcto logico nexu non adnectantur, interdum interrumpatur, nusquam tamen ab interlocutore intercipitur, ita ut ne minimum quidem dialogi vel dialogismi vestigium reperiatur. Quare illi quoque, qui verum dialogum in nostro libro vident aut sententiam illam antiquam de Salomone duplicem personam gerente admittunt, nullo modo ea, quae ab una persona proferuntur, ab alterius personae sermonibus secernere possunt, nisi arbitrariae interpretationi indulgere velint. Qui autem non obiter tantum librum legerit, sed diligens studium ei impenderit, certum quoque ordinem ei non deesse deprehendet, licet, uti iam diximus, accuratum illum contextum, quem ex. gr. in orationibus ciceronianis admiramur, frustra quaerat. Neque veras quoque in eo inveniet contradictiones, sed satis apte omnia, quae videntur pugnare, inter se conciliabit (212 p. 178 sqq.).

Inter varias, quae propositae sunt, huius libri DIVISIONES eam prae-

ferendam ducimus, quae duas praecipuas partes praeter epilogum (12,9-14) statuit[6]. Quarum *prior* (1,2-7,1), quamvis nonnulla praecepta tradat, integra fere in rerum humanarum vanitate *demonstranda* et inculcanda versatur, *altera* (7,2-12,8) autem, quid factu sit opus, si felix hac in terra agere velit, homini *praecipit,* licet ipsa quoque rerum vanitatem demonstrare non plane omittat. Quemadmodum S. Paulus in plerisque epistolis eum ordinem tenet, ut in priore parte doctrinam exponat, in altera praecepta tradat, neque tamen ordini isti ita inhaeret, ut data occasione expositioni doctrinarum praecepta inserere atque praeceptis immiscere doctrinas omittat, eadem fere ratione Ecclesiastes suam concionem distribuit, at pro severa argumentatione paulina solutam illam per sententias docendi et demonstrandi rationem adhibuit. Quare in analysi, quam pro more subiicimus, accuratum omnium sententiarum nexum indicare non potuimus.

1. *Olympiod.* in Eccle. Arg. (M. 93,480); *S. Gregor. M.* Dial. IV. 4 (77,324); a S. Gregorio eandem sententiam mutuati sunt iuniores latini interpretes *Alcuin., Walafr. Strabo, S. Bonav., Dionys. Carth.* alii. *S. Hieron.* quoque in Eccle. 9,7 (M. 23, 1128) alteram personam loquentem induci censet; in reliquo autem libro toto non agnoscit, nisi verba ipsius auctoris.

2. *Herder* Briefe über das Studium der Theologie I. p. 200; *Eichhorn* in prioribus Introductionis suae editionibus; in ultima autem (V. p. 268) sententiam suam ita temperat, ut auctorem sese ipsum sententiis insertis corrigere dicat. Sed sententiae illae (4,17-5,11; 7,1-14. 16-22; 8,1-8; 9,7-10; 10,1-4; 10,8-12,7) pleraeque ab argumento praecedente alienae sunt nec illud ullo modo corrigunt. Quo enim cum iure praecepta illa de votorum temeritate vitanda (4,17-5,11) vocantur « Besserungen der bisherigen Uebertreibungen » (l. c. p. 274), quum rerum vanitatem, quam Salomonem studiosissime exaggerasse (leidenschaftlich übertrieben) accusat, ne verbulo quidem attingant, ergo « exaggerationes » illas corrigere nequeant?

3. *Bergst* Der Prediger Salomo's. Hamburg 1799. Alias similes sententias refert *Rosenmüller* Scholia in Eccle. p. 12 sqq.; inter recentissimos dialogismum quendam admittit *Schenkel* (Bibellexicon 1871. III. p. 554).

4. Inter quos primus *Grotius* (In Eccle. 1,1. Opp. I. p. 258), qui « redactas in hunc librum varias hominum, qui apud suos quisque sapientes habebantur, opiniones περὶ τῆς εὐδαιμονίας esse » putavit; mirandum igitur non esse, si quaedam hic legantur non probanda. Secuti sunt *Nachtigall* (Das Buch Koheleth. Halle 1798.), qui octo vel novem collectiones variorum carminum, sententiarum, aenigmatum etc. detexit, *Stäudlin* (Gesch. der Sittenlehre Iesu I.), qui ex variis fragmentis salomonicis librum a iuniore scriptore conglutinatum dixit etc. Cfr *Zoeckler* Das Hohelied u. der Prediger. Bielefeld 1868. p. 110.

5. Ita *Palm, Doederlein, Bertholdt, Knobel, Umbreit* aliique, de quibus cfr *Zoeckler* l. c. p. 111. — Alio modo ordinis defectum, quem supponit, unus ex illustrioribus interpretibus catholicis explicare conatus est; *G. Bickell* (Der Prediger über den Werth des Daseins. Innsbruck 1884.) infelici quodam casu folia codicis illius, a quo textus massorethicus et omnes versiones dependent, esse permutata censet ideoque primitivum libri ordinem perturbatum. Iuniorem enim scriptorem pro suo ingenio folia disposuisse et, ut contextum quendam restitueret, nonnulla verba textus mutasse, alia inseruisse, immo totum epilogum (12,9-14) aliaque addidisse, ut lectoribus persua-

deret, Salomonem esse libri auctorem. Quibus nondum contentus in priore opusculi sui editione statuit, alterum interpolatorem zelotam, cui libri doctrina displicuisset, nonnulla verba sparsim inseruisse, quibus primo auctori contradiceret librumque eius contemtui et risui exponeret. At non tantum in Innsb. Theol. Zeitschrift 1886. p. 556 sq. sed maxime in altera versionis suae germanicae editione (cfr Innsbr. Theol. Zeitschrift 1887. p. 203) interpolationes has, quae revera cum inspirato libri charactere vix ac ne vix quidem conciliantur, plerasque retractavit atque sola foliorum permutatione ordinem restituendum esse tenuit. Sagacitatem et diligentiam, qua librum nostrum in novum ordinem redegit, admiramur quidem, sed novo ordini proposito praeferimus illum, quem Ecclesia per undeviginti fere saecula solum cognovit [a].

6. Divisionem nostrae similem iam indicavit *Lyranus*, qui 1,2-6,12 de falsa, 7, 1-12,8 de vera felicitate agi censet; *S. Bonav.* tres agnoscit partes : « 1. ostendit in rebus adesse vanitatem mutabilitatis (1,4-3,15), 2. vanitatem iniquitatis (3,16-7,22), 3. vanitatem poenalitatis (7,23-12,8) »; quae videntur iam agnosci a *Hugone a S. Vict.* (hom. 1. in Eccle.); — Lyranum fere sequitur *Pineda* (Comm. Praef. 6,6 qui tamen nusquam divisionem suam clare indicat); — secundum *Kilber* (Anal. bibl. I. p. 143) quatuor sunt partes, quatenus thesis de vanitate omnium rerum 1. probetur (generatim 1,3-11, speciatim 1,12-2,26), 2. confirmetur (generatim 3,1-5,8, speciatim 5,9-7,1), 3. amplificetur (universim 7,2-8,1, speciatim 8,2-9,18), 4. illustretur documentis (10,1-12,7); — sex partes facit *Goldhagen* (Introd. II. p. 283) quibus singulis attribuit bina capita; — *B. Schaefer* (Neue Untersuchungen über das Buch Koheleth. Freiburg 1870.) videtur tres partes distinguere (1,1-4,16; 4,17-10,4; 10,5-12,9); — *A. Motais* (L'Ecclésiaste. Paris 1877. p. 130 sq.) cum Lyrano duas agnoscit. — *G. Gietmann* (Comment. in Eccles. 1889. p. 5 sq.) praeter prooemium (de vanitate universali 1,1-11) et epilogum (de summa sapientia 12,9-14) tres statuit partes, quarum duae priores (1,12-3,13 et 3,16-6,6) de privatae ac civilis vitae vanitate agant et oratoria amplificatione (6,7-30) terminentur, tertia autem (8,1-12,8) sapientis responsa s. doctrinam praecipientis in modum repetitam exhibeat. — *Vigouroux*

(a) Foliorum ordinem in *nonnullis* codicibus antiquitus esse perturbatum iure colligi videtur ex diverso ordine, quo quorundam librorum (praesertim Ecclesiastici) capita in alexandrina versione sunt disposita; at *omnes* codices et versiones a corrupto aliquo exemplari ita derivari, ut primitivus ordo et contextus, a quo ipsa libri doctrina dependet, prorsus interierit, difficile aliquis sibi persuaserit. Secundum Bickell liber noster non est conscriptus nisi c. a. 205. (l. c. p. 98), at c. a. 130., quo anno translatus est Ecclesiasticus, Ecclesiastes graecus iam diu videtur fuisse in canone alexandrino (Eccl. Prol.); pauci igitur tantum anni inter libri compositionem et translationem interiacent (saltem secundum Bickell), atque paucis istis annis perturbatus est eius ordo, inepte restitutus atque multis glossis interpolatus! In aliis libris sacris, in quibus ordo alexandrinus a massorethico vel vulgato dissentit, vix quidquam ad contextum restituendum videmus mutatum, in nostro autem, etiamsi hostilem illum interpolatorem seponamus, tot sunt mutata et transposita, ut novum factum sit opus! Namque secundum Bickell hac ratione, si a minoribus nonnullis transpositionibus abstrahimus, textus est disponendus : 1,1-2,11; 5,9-6,7; 3,9. 12. 13. 10. 11. 14-22; 4,1-8; 2,12 b. 17-26. 12 a. 13-16; 3,1-8; 8,6-14. 16 a. 17 a. 16 b. 17 b; 9,1-3; 8,15; 9,11-18; 10,1; 6,8-12. Atque haec est prior libri pars, qua *eorum bonorum, quae absoluta esse putantur, inanitas demonstratur*. Sequitur altera pars, *qua bonum relativum commendatur* : 7,1-6; 6,9; 7,7-10. 13-19. 11. 12. 21. 20; 4,9-17; 5,1-8; 10,16-20; 11,1-3. 6. 4. 5; 7,23-29; 8,1-4; 10,2-14 a. 15. 14 b; 9,3-10; 11,7-10 a; 12,1 a; 11,10 b; 12,1 b-8. Evidens est, suppositam foliorum permutationem, praesertim si quaterniones admittuntur, novo ordini stabiliendo non sufficere, sed in singulis paginis istius codicis quam plurimas praeterea admitti transpositiones. Interpolationes hoc loco transcribere, quas in priore editione auctor statuit, opus non est, quoniam plerasque revocavit.

(Man. bibl. II. p. 108 sqq.) praeter prologum (1,2-11) et epilogum (12,8-14) quatuor sectiones distinguit (1,12-2,26 vanitas vitae; 3,1-5,19 homo non est suae sortis dominus; 6,1-8,15 beatitudo non est sita in divitiis et fama; 6,1-8,15 praecedentium inquisitionum summa et recapitulatio). Si vero hanc divisionem communiter hodie receptam dicit, a vero aberrat, quum neque inter catholicos, quos nominavimus, neque inter protestanticos multi eam teneant; ex his eam tenent *Haevernik, Keil, Vaihinger, Zoeckler, Koenig*; at quatuor quidem partes, sed alias (sc. 1,2-3,22; 4,1-6,12; 7,1-9,16; 9,17-12,8 aut 1,3-2,26; 3,1-5,19; 6,1-12,8; 12,9,14) *Koester, Hahn, Bernstein* etc. distinguunt; *Delitzsch, Schmidt, Starke, Stier* etc. tres, *Vilmar* septem, *Rosenmüller* tredecim faciunt. Cfr *Schaefer* l. c. p. 172; *Motais* l. c. p. 130; *Zoeckler* Das Hohelied u. der Prediger. p. 106 sq.

Analysis libri Ecclesiastae.

Post *libri inscriptionem* (1,1) Ecclesiastes

in priore parte (1,2-6,12 [7,1]) *vanitatem rerum mundanarum demonstrat, ut nimium earum studium reprimat hominemque ad quietum piumque earum rerum, quas Deus ei dedit, usum adducat.*

1. Praemissa *generali consideratione de rerum omnium vanitate* (1,2. 3), quae iam elucet ex mutabilitate et inconstantia quum creaturarum omnium (1,4-8) tum fatorum hominis (1,9-11),
2. praeprimis *ad suam ipsius experientiam provocat* (1,12-3,22), ut thesin suam demonstret.
   - a.) Etenim haec eum docuit
     - α.) vanam esse sapientem rerum humanarum investigationem, quia scientia ista, quum res, quas perversas esse cognovit, corrigere nequeat, auget dolorem (1,12-18),
     - β.) vanas esse delicias, quas omni modo quaesivit, etsi cum sapientia earum usus coniunctus sit[a], quia omnes sunt transitoriae et caducae (2,1-11).
   - b.) Accuratius dein inquirens, cur nec sapientia nec stultitia (i. e. deliciarum usus) hominem felicem reddant, invenit
     - α.) sapientiam quidem infinities praestare stultitiae, at quoniam tandem aliquando sapiens, sicut stultus, mori debet, eam quoque esse transitoriam (2,12-17),
     - β.) multo magis autem vanum esse, magno cum labore opes congregare in utilitatem haeredis, qui qualis futurus sit ignoratur (2, 18-23).
   - c.) Unde eius conclusio : melius est bonis a Deo concessis sapienter frui[b] (2,24-26). Quam conclusionem duplici consideratione confirmat :

(a) Non tria distinguenda sunt Ecclesiastae experimenta (sapientia, deliciae, sapientia cum deliciis coniuncta), sed duo tantum : sapientia et sapientia una cum deliciis. Sicut enim 1,12-14 experientiam priorem in genere proponit atque 15-18 accuratius explicat, ita etiam 2,1. 2. alteram prius proponit ac dein 3-11 explanat. In 2,3 relinquimus Vulgatam et sequimur textum hebraicum, quem S. Hieron. quoque in Commentario expressit cuiusque sensus est : Proposui corpus meum vino (synecdochice pro : deliciis) laetificare, ita tamen ut cor meum retineret sapientiam, et tradere me stultitiae (i. e. deliciarum fruitioni), donec viderem etc.

(b) In 2.25 Vulgata et textu massorethico relictis sequimur *Alex., Syr., Hieron.* (Comm.), qui pro מִמֶּנִּי legerunt מִמֶּנּוּ et vertimus : « quis enim comedit et fruitur sine eo (sc. Deo) »

α.) Omnibus hac in terra assignatum est certum tempus a Deo (3, 1-8); atqui hunc providentiae ordinem omni suo labore homo invertere non potest (3,9); ergo a curiosa eius pervestigatione homo abstineat, atque quiete et pie fruatur iis, quae a Deo ipsi concessa sunt (3,10-15);

β.) Deus de omnibus aliquando iudicabit (hinc inutile est homini in providentiae ordinem, quem non intelligit, curiose investigare); hac in terra differentia inter iustum et iniustum non apparet, immo vix inter hominem et bestiam[c]. Ideo sua sorte contentus fruatur bonis, quae Deus ei concessit, et omittat inquisitionem eorum, quae cognoscere non potest (3,16-22).

3. Hucusque Ecclesiastes ex inconstantia et futilitate rerum illarum, quae bonae putantur, argumentatus fere est; in altera hac sectione auditores suos ad eandem conclusionem practicam adducit *consideratis calamitatibus, quibus homines hac in terra subiecti sunt* (4,1-6,1).

a.) Varias igitur proponit calamitates (4,1-16) :

α.) inferiorum, qui a potentioribus opprimuntur (4,1-3),

β.) eorum, qui aut nimio labore aliorum invidiam provocant aut pigritia sua sibi ipsi nocent (4,4-6)[d],

γ.) eorum, qui ab aliorum societate se retrahunt, ut calamitates effugiant (4,7-12),

δ.) ipsorum regum, qui aut ab aemulo e throno deiiciuntur, aut etiamsi initio regni sui ab omnibus amentur, postea tamen gratiam populi amittunt (4,13-16).

b.) Ex abrupto in digressione quadam[e] Ecclesiastes nonnulla inserit de levitate in cultu divino vitanda (4,17-5,6), et de Deo timendo qui innocentium oppressores sit iudicaturus (5,7. 8).

c.) Atque ad thema reversus proponit calamitates, quas divitiae et opes ipsae praesertim avaris afferunt (5,9-16), nam

α.) eis non prosunt, sed curas eorum augent (5,9-11),

β.) subito interdum pereunt atque a moriente sunt relinquendae (5, 12-16).

d.) Hinc demum concludit,

(c) De 3,20. 21 cfr infra 212. 4 p. 179 sq.

(d) In fine 4,5 *Vulg.* immerito addit : « *dicens* », ac si v. 6. sequerentur verba stulti. Sunt enim, uti recte *S. Hieron.* (in Comment.) adnotat, auctoris ipsius verba; nam infelicitati quum illius, qui nimio suo labore invidiam provocat, tum stulti, qui se ipse perdit, opponit felicitatem sapientis, qui mediam viam tenet.

(e) Internus nexus digressionis cum praecedentibus in eo videtur esse, quod levitas illa, qua homines erga reges suos agunt, Ecclesiastae graviorem illam levitatem in mentem revocaverit, qua homines in cultu divino interdum duci se sinunt, quum victimas quidem offerant, sed Legem non observent (4,17), atque vota quidem faciant, sed vanis excusationibus a religiosa eorum impletione se liberare conentur (5,1-6). Ad thema autem revertitur praecepto addito de Deo velut summo rege et oppressorum iudice timendo (5,7. 8) : ita enim duos ultimos versus interpretandos censemus (גְּבֹהִים, *eminentissimus;* plur. maiest. sicut אלהים etc.).

α.) bonis a Deo concessis tamquam donis divinis esse utendum (5, 17-19),

β.) atque conclusionem confirmat infelicitate eius descripta, qui in aliorum tantum utilitatem laborat (6,1-7,1 [6,12])

In ALTERA PARTE (7,2 [1] — 12,7) *Ecclesiastes positiva tradit praecepta, quibus homo eo adducitur, ut sorte sua contentus iis, quae Deus dedit, quietus fruatur.* Quae praecepta aphoristico quodam modo pleraque proponuntur, ita ut accuratus nexus inter singulas gnomas et singula praecepta vix ac ne vix quidem inveniatur.

1. Prima praecepta docent *in omnibus rebus finem esse respiciendum et ex eo omnia diiudicanda*, ideoque ea non esse praeferenda, quae in praesenti iucundiora esse videantur (7,2-11).
2. A quibus transit *ad sapientiam commendandam* (7,12-8,1), quippe quae
   a.) omnibus aliis bonis praestet (7,12. 13),
   b.) omnia, adversa et prospera, velut dona Dei recipit (7,14. 15),
   c.) in omnibus extrema esse vitanda monet (7,16-19),
   d.) hominem etiam in adversis confortat; etenim si ex ipsius peccato exoriuntur, in sapientia invenit remedium; si alii eum persequuntur, sapientia eum verba illorum contemnere docet (7,20-23);
   e.) demum diligentius inquirentem (7,24. 25) docet etiam periculosum esse mulierum consortium (7,26-29),
   f.) quas ob causas celebrat sapientiam (7,30; 8,1).
3. Antequam sapientiam commendare pergat, *praeceptum suum de sapienti vitae usu et fructu duabus novis rationibus confirmat* (8,1-9,12).
   a.) Ab obedientia regi Deo[f] praestanda praeceptisque divinis implendis, ne quid mali patiatur homo in die mortis, qui non sit in eius potestate, initium sumens (8,1-8)
   b.) demonstrat non omnia quidem mala statim puniri nec omnia bona statim praemiari, ita ut eadem videatur esse sors iustorum et peccatorum, at certum esse futurum de omnibus iustum iudicium (8,9-14); quare melius esse concludit, sapientem hac de re securum frui bonis a Deo concessis, quoniam providentiae ordinem a Deo stabilitum *intelligere* nequeat (8,15-17).
   c.) Similis est altera ratio. Omnia incerta esse monet in hac vita; quare quum iustus et iniustus iisdem malis saepe in terra affligantur, eadem ratione moriantur, in altera autem vita homo operari non amplius possit (9,1-6), exhortatur lectores, ut bonis a Deo datis ita fruantur, ut bona opera non negligant (9,7-10), idque eo magis, quia

(f) Quisnam *rex* sit intelligendus dissentiunt interpretes; plerique moderni intelligunt regem hominem, at quid sibi velit in hoc contextu, non apparet; *S. Hieron.* intellexit regem Messiam, at suam sententiam nulla ratione probabilem reddidit; rectius intelligitur rex Deus, nam quin 8,5 sqq. de praecepto divino agatur, vix est dubium, quare de Deo praecipiente etiam praecedentia aptius explicantur. Ceterum adnota 8,2 vertendum esse : « Ego (dico) : os regis observa, idque propter iuramentum Dei » (sc. Deo praestitum). *S. Hieron.* hanc esse communiorem versionem concedit (in Comment.), sed novam suam praetulit, quia « *putavit* de illo rege nunc dici, de quo David ait : Domine, in virtute tua laetabitur rex » etc.

providentiae ordinem a Deo stabilitum *mutare* nequeant (9,11. 12).

4. Ne quis vero ex eo, quod sapiens ipse providentiae ordinem nec cognoscere nec mutare possit, sapientiam inutilem nec ullius pretii esse concludat, *ad sapientiam commendandam revertitur* (9,13-10,20).

a.) Atque primum quidem parabola quadam sapientiam praestare fortitudini docet (9,13-16), neque esse mirandum monet, quod in paupere non aestimetur, siquidem unus peccator[g] multa bona destruere possit atque stultitia parva (apud multitudinem) plus valeat, quam sapientia et honor (9,16-10,1).

b.) Deinde sapientiam cum stultitia comparans ostendit,

α.) sapientem aptum esse ad res agendas, dum stultus ubique suam stultitiam prodat[h] (10,2. 3.),

β.) sapientem nec ob superioris iram nec ob eius errores (si stultum praeferat) tranquillitatem animi amittere, quia scit mansuetudine[i] impediri multa peccata (10,4-7);

γ.) stultum, quia nihil praevideat, multis exponi periculis, sapientem autem omnia praevidentem sibi reddere omnem laborem faciliorem (10,8-11);

δ.) sapientis verba esse gratiosa, stulti verba insipientia (10,12-14);

ε.) stultos reges et principes terram suam perdere, dum beata sit terra, quae a sapientibus gubernetur (10,15-20).

5.) *Ad finem demum adducens concionem suam*

a.) omnibus praecipit sapientem rerum et temporis praesentis usum, ob incertitudinem temporis futuri et horae mortis (11,1-8),

b.) praesertim autem iuvenes exhortatur, ut vita quidem sua fruantur (11,9. 10), sed semper coram oculis habeant creatorem suum neve unquam senectutis et mortis venturae obliviscantur (12,1-7),

c.) atque concionem concludit denuo asserta rerum mundanarum vanitate (12,8).

In LIBRI EPILOGO concionem suam commendat praeceptaque, quae de rebus fruendis tradiderat, comprehendit et explicat hoc epiphonemate : « Deum time et mandata eius observa; hoc est enim omnis homo; et cuncta, quae fiunt, Deus adducit in iudicium » (12,8-14).

207. — Ex analysi tradita satis, opinor, elucet, in libro hoc nec dialogismum quendam, nedum iustum dialogum, inveniri nec de eadem re varias sententias contrarias proponi et refutari nec de ea in utramque partem disputari. Omnia enim, si ex ipsius auctoris persona dicta

(g) Rectius *S. Hieron.* in Comment 9,18 : « *unus peccans* », quam Vulg. « *qui in uno peccaverit* ».

(h) *S. Hier.* in Comm. 10,3 (cum plerisque modernis) « et dicit : omnis insipiens est », sed rectius, ni fallor, vertitur : « *et dicit omni, quod insipiens ipse sit* » (omnibus stultitiam suam manifestat).

(i) 10,4 מַרְפֵּא a *S. Hier.* vertitur hoc loco *curatio*, in Comm. *sanitas*, sed rectius *Prov.* 15,4 intellexit *mansuetudinem* (מַרְפֵּא לָשׁוֹן V. *lingua placabilis*).

supponantur, inter se apte cohaerent atque argumentum, quod sibi tractandum proposuerat auctor, clare explicant et explanant. Ex eadem autem analysi iam facile colligitur, quis fuerit AUCTORIS FINIS. Erroneas esse atque fundamento carere eorum modernorum interpretum sententias, qui auctorem dixerunt Iudaeos sub Persarum iugo degentes consolari voluisse atque a rebellione retinere, aut iis explicasse, quibusnam peccatis regnum iudaicum ad interitum sit adductum etc. [1], demonstratione non indiget. Quae enim auctor docet, omnibus temporibus omnibusque hominibus conveniunt, nec ullum in toto libro invenies vestigium, ex quo cum aliqua verisimilitudine definias, quis fuerit rerum iudaicarum status eo tempore, quo liber conscriptus est, nisi quatenus ex indiciis satis claris auctorem ipsum cognosci concedas; si vero Salomon libri est auctor, clarum est illos fines, quos moderni operi attribuunt, parum apte esse confictos. Erronea quoque est finis descriptio a *Pineda* indicata : « Finis Salomonis peculiaris, inquit, in hoc libro videtur esse aliorum peccatorum et potissimum impietatis et idololatriae supplex confessio et gravis detestatio, qua tum Deo quoad fieri posset verissima scelerum poenitentia satisfaceret, tum etiam populum, cui errandi et ad vanissimam idolorum superstitionem deficiendi auctor exstiterat, ad veram religionem verumque de rebus humanis et de voluptatibus sensum revocare conaretur » [2]. Peccatorum enim confessionem nemo facile in nostro libro invenerit, neque apparet, ubinam Salomon « potissimum impietatem et idololatriam » suam detestetur populumque « ad veram religionem » revocet.

Neque satis complete finem describere videntur SS. Patres iunioresque interpretes, qui cum *S. Augustino* « totum istum librum ad nihil aliud deputatum dicunt, nisi ut eam vitam desideremus, quae vanitatem non habet sub hoc sole, sed veritatem sub illo, qui fecit hunc solem », aut cum *S. Gregorio Nyss.* « eorum, quae hic dicuntur, finem esse putant, mentem supra sensum erigere et ut quiescat efficere, relictis omnibus, quae magna et praeclara videntur in rebus, ad ea porro assurgere eaque sola desiderare, quae sensus non possunt attingere ». Similis quidem etiam fuit sententia S. Hieronymi, qui « sanctae Blaesillae Ecclesiasten legit, ut eam ad contemptum istius saeculi provocaret », et Laetam monuit, ut filiola eius « in Ecclesiaste consuesceret ea, quae mundi sunt, calcare » [3]. At solam priorem libri partem prae oculis habuerunt, qui hac ratione eius finem describunt, neque ad conclusiones practicas attenderunt, quas auctor ipse quum in priore tum in altera parte ex sua doctrina deducit, neque distinxerunt inter finem auctoris, qui opus suum lectoribus sub vetere oeconomia constitutis proxime destinavit, et inter utilitatem, quam nos Novi Testamenti gratia ad maiorem perfectionem vocatis ex eius doctrina haurire possumus

ac debemus. Arctioribus quoque limitibus finem circumscribunt, qui putant auctorem « reprimere voluisse inquietam hominum contentionem, qua in corradendas divitias, conquirendas voluptates et adipiscendos plausus praecipites feruntur; monere tamen simul, ne innocua oblectamenta, etsi fluxa et fugacia, sibi prorsus denegent et vitam sibi molestiorem reddant », aut qui tenent eum docere voluisse, veram huius vitae felicitatem in moderato et pio rerum mundanarum usu inveniri[4]. Quae omnia, etsi ad finem auctoris pertineant, integrum non exprimunt, nisi coniungantur. Sicuti enim supra iam innuimus, consilium eius est docendi, *quomodo homo, ut ad eam beatitudinem, quae hac in terra obtineri potest, secure perveniat, vitam suam debeat ordinare*. Quam ob causam ostendit omnia huius terrae bona per se esse caduca et imperfecta nec eorum immoderato usu unquam hominem felicem reddi; nihilominus ad imperfectam illam huius vitae beatitudinem earum usum sapientem et moderatum conferre, dummodo homo illud semper bene teneat animo semperque intueatur, de omnium illarum rerum usu aliquando Deo iustissimo rationem esse reddendam ideoque virtutem pietatemque praeprimis esse sectandam. « Deum time et mandata eius observa; hoc est enim omnis homo »[5].

1. Modernorum praesertim heterodoxorum definitiones scopi auctoris enumerant *Rosenmüller* Scholia. p. 10 sqq., *Zoeckler* Hoheslied u. Prediger. p. 117 sqq.

2. *Pineda* Comm. in Eccle. Praef. 7. p. 24.

3. *S. August.* de Civ. Dei XX. 3 (M. 41,661); *S. Gregor. Nyss.* in Eccle. hom. 1 (M. 44,620); *S. Hieron.* in Eccle. Praef. et ad Lact. ep. 107,12 (M. 23,1061; 22,876). Eadem ratione *Hugo a S. Vict.* in Eccle. hom. 1 (M. 175,116), *S. Bonav.*, *Dionys. Carth.* etc. Inter recentissimos fere consentit *Kaulen* (Einl. p. 272) : « Die verständige Betrachtung des Irdischen leitet mit Nothwendigkeit zum Ueberirdischen, *das ganze Buch bedeutet : Sursum corda* ».

4. *Iahn* Einleitung II. p. 814; *Hardouin* Paraphrase de l'Ecclésiaste avec des remarques. Paris 1729 : « Le meilleur en cette vie est de jouir soi-même avec sa famille dans ses repas du bien qu'un travail légitime peut avoir acquis, et de reconnaître, que de le pouvoir faire c'est un don de Dieu, dont il faut par conséquent user avec action de grâces; qu'en cela enfin et en toutes autres choses, il ne faut pas oublier que nous serons tous cités au jugement de Dieu ».

5. Qui plura de variis finis descriptionibus desiderat, ea inveniet (licet non semper satis accurate exposita) in *B. Schaefer* Neue Untersuchungen etc. p. 187-206.

## § 15. — *De origine libri Ecclesiastae.*

208. — *Salomonem* esse concionatorem, qui in hoc sermone populum sibi subiectum doceat, omnes nullo excepto interpretes consentiunt; alteram vero quaestionem, num ipse quoque Salomon, Davidis filius et successor, librum hunc conscripserit, hodie unanimi fere consensu negant interpretes heterodoxi, quibus accedunt aliqui quoque catholici[1]; fictione enim quadam poetica auctorem aiunt personam

Salomonis assumsisse, eadem fere ratione, qua auctor libri Sapientiae Salomonem loquentem inducit, atque scriptores graeci et latini orationes a se compositas antiquis ducibus et regibus attribuerunt. Interpretes autem illi, quamvis in salomonica libri origine neganda consentiant, in tempore tamen, quo scriptus sit, definiendo quam maxime dissentiunt, ita ut a divisione regni davidici usque ad ipsius Christi aetatem vix saeculum invenias, cui unus alterve librum non attribuerit[2]. Neque id est mirum; quamprimum enim testimonia, quae sola ad historicas quaestiones diiudicandas certum momentum afferunt, negliguntur et spernuntur, arbitrariis coniecturis, praeiudicatis opinionibus, miris inventis campus latissimus patet. Antiquae igitur sententiae, a qua primus recessit Grotius, inhaerendum esse arbitramur, atque *pro certo asserimus Salomonem libri Ecclesiastae esse auctorem*[3].

1. Ex catholicis interpretibus salomonicam originem negant *Iahn* Einl. II. p. 849 sqq.; *Herbst* Einleitung III. p. 249 sqq. (sed contradicente editore operis *Welte* p. 252 sqq.); *Movers* in *Wetzer Welte* Kirchenlexicon. Ed. 1. I. p. 330; *Bickell* Der Prediger. ü. d. Werth des Daseins. p. 10 sqq. 98 etc. — Similiter *Kaulen* (Einl. Ed. 3. p. 322 sqq.), quamquam nihil in opere legi fateatur, quod a Salomone conscribi non potuerit, hodiernam saltem formam libri iuniori auctori deberi censet.

2. Ut quantus sit adversariorum in libri nostri aetate definienda dissensus perspiciatur, tabulam transcribimus, in qua *B. Schaefer* (Neue Untersuchungen etc. p. 163 sq.) modernorum sententias de tempore, quo exortus sit liber noster, chronologico ordine disposuit; recentissimorum nomina et sententias ipsi addidimus.

Librum igitur exortum dicunt

| | |
|---|---|
| *Nachtigall* tempore intermedio inter Salomonem et Ieremiam. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . | A. 975-588. a. Chr. |
| *Paulus, Schmidt, Iahn* inter Manasse et Sedeciam. . . . | 699-588 |
| *Grotius, Kaiser, Eichhorn* brevi post exsilium, tempore Zorobabelis. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . | 534-500 |
| *Herm. v. d. Hardt, Nachman, Krochmal, Umbreit, Bernstein, Hengstenberg* aetate Persarum . . . . . . . . . . | 538-333 |
| *Keil* tempore Artaxerxis I. . . . . . . . . . . . . . . . | 465-424 |
| *Haevernick, Weber, Zoeckler* post medium saec. 5 . . . . | 450-400 |
| *Rosenmüller* inter Nehemiae et Alexandri M. aetatem. . | 450-333 |
| *Ewald* centum circiter annis ante Alexandrum M. . . . . | 430. |
| *Staehelin, Davidson, Elster, Vaihinger* ultimo Persarum tempore. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . | 430-330 |
| *Gerlach* c. a. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . | 400. |
| *Delitzsch* Darii Codomanni aetate. . . . . . . . . . . . . | 335-333. |
| *Burger, Bergst* eo anno, quo Alexander Palaestinam occupavit . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . | 333 |
| *E. Maier* c. a. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . | 300 |
| *De Wette, Schrader, Knobel, Bleek, Cornill* ultimo Persarum aut prima Seleucidarum tempore . . . . . . | 350-280 |
| *Kleinert* primo tempore Ptolemaeorum. . . . . . . . . . | 305-247. |
| *Schenkel* ultimis annis Ptolemaei I. Lagi. . . . . . . . | 285-283 |
| *Boettcher* c. a. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . | 210 |

| | |
|---|---|
| *Hitzig, Bickell, Driver* sub initiis Ptolemaei V. Epiph. . . | 204 |
| *Reuss* tempore Antiochi IV. Epiph. . . . . . . . . . . | 176-163 |
| *Vatke, Hartmann* tempore bellorum machabaicorum . . . | 175-134 |
| *Leimdörfer, König* aetate Alexandri Iamnaei. . . . . . . | 104-78 |
| *Graetz* tempore Herodis Magni. . . . . . . . . . . | 40-4 |

3. Inter catholicos recentiores salomonicam originem erudite et fuse tuentur *B. Schaefer* Neue Untersuchungen etc. p. 11-165, *A. Motais* L'Ecclésiaste p. 1-66 et *eiusdem* Salomon et l'Ecclésiaste; pariter *L. v. Essen* Der Prediger Salomon's. Schaffhausen 1856, *Reusch* Die Frage über den Verfasser des Koheleth (Tüb. Quartalschr. 1860. p. 430-469), *Vegni* L'Ecclesiaste secondo il teste ebraico. Firenze 1871., ac prae ceteris egregie *Gietmann* Comment. in Eccles. et Cantic. p. 20-50. Ex recentibus introductoribus eandem tenent *Welte* (Herbst Welte Einl. II. p. 252 sqq.), *A. Scholz* Einl. III. p. 172 sqq. 181 sq.; *Danko* Hist. revel. p. 323 sq.; *Haneberg* Gesch. d. Offenb. p. 374; *Vigouroux* Manuel II. p. 398 sqq.; *Zschokke* Hist. A. T. p. 218 sq.; *Schenz* Einl. p. 191 sq. etc. Similiter ex acatholicis *Wangemann* Der Prediger Salomonis. Berlin 1856; *Boehl* De aramaismis libri Coheleth dissertatio. Erlangae 1860; *Taylor Lewis* in anglica translatione commentarii a Zoeckler editi. New York 1870; *Bullock* in The Speaker's Commentary. IV. p. 619 sqq.

Assertum autem nostrum unanimi et constanti antiquae synagogae et Ecclesiae catholicae traditione nititur atque claro libri de se ipso testimonio confirmatur.

1. Usque ad Grotium primum salomonicae originis impugnatorem Iudaeos et Christianos Salomonem auctorem libri nostri habuisse non negant quidem adversarii nostri, attamen plenum antiquorum testium consensum esse interdum addubitare conantur[4].

Qui ut clarius eluceat, monemus a.) librum nostrum in canone semper medium locum inter duos alios libros salomonicos antiquitus occupasse aut saltem cum iisdem fuisse coniunctum. A Iudaeis enim palaestinensibus eo in loco recensitum esse Ecclesiasten non tantum testantur doctores thalmudici, sed etiam Patres illi, qui Thalmude antiquiores inde a 2. saec. catalogum palaestinensem librorum V. T. retulerunt: *S. Melito Sard., Origenes, S. Epiphanius, S. Hieronymus*[5]. Eundem locum librum tenuisse in catalogo Iudaeorum alexandrinorum iure colligimus ex antiquorum Patrum testimoniis, qui una cum versione alexandrina etiam librorum ordinem ab Alexandrinis receperant, *SS. Athanasii, Cyrilli Ieros., Gregorii Naz.* et *Amphilochii, Augustini, Rufini, Innocentii I.*, Conciliorum *Laodiceni* (si genuinus est canon), *Hipponens., Carthag.* etc [6]. — Quibus nihil opponunt adversarii nisi *massorethicum* librorum ordinem, secundum quem liber Iob medius inter Proverbia et Canticum positus est, Ecclesiastes autem inter Threnos et l. Esther legitur. At liturgico usui hunc ordinem deberi nemo ignorat; Massorethae enim quinque libellos, quos solos ex tertia canonis sui parte (ex Hagiographis) quotannis statis diebus festis in coetibus suis sacris legere solent, in unum volumen coniunxerunt eoque ordine dis-

posuerunt, quo secundum festorum sese excipientium ordinem praelegi debent[7].

b.) Disertis quoque rabbinorum et SS. Patrum testimoniis constat, Salomonem semper libri auctorem esse habitum. Nam teste *S. Hieronymo* « Hebraei aiunt hunc librum Salomonis esse poenitentiam agentis »[8]; illa autem, quae antiquiores dixerant, repetierunt iuniores rabbini[9], qui licet aliquando de Ecclesiaste in canone retinendo dubitaverint, de salomonica eius origine nunquam dubitaverunt. Neve obiicias secundum thalmudicos doctores « viros Ezechiae » Proverbia, Ecclesiasten, Canticum una cum Isaiae vaticiniis « scripsisse »; nam alibi iam ostendimus vocabulum *scribendi* eo in loco non de libri origine sed de eius in canonem receptione esse intelligendum[10]. — SS. Patrum autem testimonia adscribere supersedemus, siquidem de eorum consensu nemo dubitat, et nonnulli catalogi supra laudati Salomonem diserte nominant libri auctorem.

2. Continua autem haec et constans traditio testimonio libri ipsius confirmatur. Etsi enim in eius inscriptione Salomonis nomen taceatur, eius persona tamen tam clare describitur (Ecclesiastes, *filius David, rex Ierusalem*), ut ante Grotium nemo alium auctorem designari sit suspicatus. Porro in reliquo libro eadem ratione auctor se Salomonem esse prodit; repetit enim regem se esse Israel in Ierusalem, sapientia se omnes superasse, qui antea fuerint in Ierusalem, se domos aedificasse, vineas plantasse, coacervasse aurum et argentum, divitiis opibusque insignem fuisse etc., quae omnia Salomoni ita convenire[11], ut de alio intelligi non possint, in aperto est.

Quapropter etiam adversarii auctorem personam Salomonis induisse concedunt, at aut « piam fraudem » hanc esse contendunt, quae scriptoribus sit licita, aut interpolatori una cum inscriptione et epilogo omnes istos textus attribuunt, quibus auctor se Salomonem esse significat. At eiusmodi « piam fraudem » nos saltem sacris scriptoribus non esse licitam arbitramur, idque eo minus, quo facilius lectores in errorem inducantur. Neque ad eam excusandam quidquam valent exempla ab adversariis allata. Libri enim Sapientiae auctor nusquam se Salomonem esse dicit, sed dumtaxat Salomonem loquentem inducit, atque tanta est Sapientiam inter et Ecclesiastem differentia, ut Ecclesiastem Patres omnes Salomoni attribuerint, plerique vero Sapientiam ei abiudicaverint. Multo minus autem inscriptionis auctoritati infirmandae Psalmi nonnulli inserviunt, quos Davidi non recte inscriptos esse censent. Nam si daremus Psalmorum nonnullorum inscriptiones esse erroneas, nondum staret adversariorum argumentum; demonstrandum enim antea est, erroneas illas inscriptiones a Psalmorum istorum auctoribus ipsis esse additas, ut habeant simile exemplum;

immo si id demonstraretur, nondum adesset similitudo requisita, quoniam non in sola inscriptione, sed etiam in reliquo libro Salomon auctor designatur. Quod si quis vero inscriptionem et omnes istos textus ab interpolatore additos esse ideoque nihil demonstrare asserit, validis argumentis assertionem suam confirmet oportet, antequam nostrum consensum obtinebit; secundum vetus enim adagium ea, quae gratis asseruntur, gratis negantur. Nullius demum valoris est tertium exemplum ex graecorum et latinorum scriptorum orationibus confictis desumtum; namque eundem morem scriptores sacros esse secutos nullo argumento probabile redditur, etsi omnino concedamus in orationibus, quas sacri scriptores referunt, ideas et sententias solas esse eorum, qui loquuntur, verba autem, quibus sententiae exprimuntur, auctoris esse ipsius. At quanta sit inter conciones in opere aliquo historico relatas et inter librum integrum confictum et ficto auctori attributum differentia, nemo non videt. Argumentum igitur nostrum ex inscriptione et indole libri desumtum manet integrum.

4. Cfr ex. gr. *Hengstenberg* Der Prediger Salomons. Berlin 1859. p. 8; *Zoeckler* l. c. p. 114. etc.

5. *S. Melit. Sard.* apud Eus. H. E. IV. 26 (M. 20,397); *Orig.* in Ps. 1. (M. 12,1084); *S. Epiph.* De pond. et mens. 4. 22 (M. 43,244. 273); *S. Hieron.* Prol. gal.

6. Cfr *Introd. gener.* Ed. 2. nn. 40-44. p. 89 sqq.

7. Cfr Introd gener. Ed. 2. n. 18. n. 9. p. 36

8. *S. Hieron.* in Eccle. 1,12 (M. 23,1073).

9. *Carpzov.* Introd. II. p. 175 allegat haec testimonia : Seder Olam Rabba XV. f. 41 « Salomon, quum ad senectutem vergeret, prope mortem suam, Spiritum S. habuit inhabitantem et dictavit istos libros : Proverbia, Ecclesiastem et Canticum »; Ialkut ad 1 Reg. 3; Zemach David p. 13 etc. Cfr etiam *Marx* Traditio rabbinorum veterrima de librorum V. T. origine. Lipsiae 1884. p. 51 : « Neque usquam in Thalmude alius Proverbiorum, Cantici, Ecclesiastae agnoscitur auctor praeter Salomonem ».

10. *Introd. gen.* Ed. 2. p. 48; cfr *Marx* l. c. p. 41; *Sin. Schiffer* Das Buch Koheleth nach der Auffassung der Weisen des Thalmud etc. Frankfurt (1886) p. 77 sqq.

11. *Eccle.* 1,1. 12. 16; 2,4 sqq.; 12,9 sqq.; cfr 3 *Reg.* 3,12; 7,1; 9,28; 10,12. 23. etc.

209. — Nostris autem argumentis et testimoniis historicis opponunt adversarii alia ex ipsius libri indole hausta, quibus constare putant, librum nostrum non posse Salomoni auctori attribui.

Atque 1. quidem contendunt auctorem libri, quamvis Salomonem se fingere voluerit, partes susceptas sustinere non potuisse, ita ut tamquam *Pseudo* Salomon satis facile dignoscatur. Namque a.) se *fuisse* (הָיִיתִי *fui* 1,12) regem in Ierusalem auctor ait; Salomon igitur, qui usque ad mortem thronum occupavit, haec scribere non potuit; b.) sapientia opibusque Ecclesiastes asserit se superasse *omnes*, qui ante ipsum fuerunt in Ierusalem (vel potius : *regnaverunt* in Ierusalem עַל יְרוּשָׁלִָם 1,16; 2,7); quae iterum non potuerunt scribi a Salomone, quippe qui solum patrem Davidem ha-

buit praedecessorem in Ierusalem; c.) quomodo porro Salomon, qui ipse erat rex, scribere potuit: « ego observo os regis » (8,2)? d.) Demum auctor ita loquitur, ac si stultum filium et successorem Salomonis iam regnare vidisset (2,12. 18 sq.), atque e.) tot et tanta de subditorum oppressione, iudicum iniustitia, insipientibus et servis ad dignitates evectis etc. conqueritur (3, 14; 4,1; 5,7; 10,5 sqq.), ut Salomon, si haec scripsisset, sese ipse contemptui exposuisset. Rectius igitur haec deceptori attribuimus inepto, qui Salomonem se fingere volens eius personam sustinere non potuit.

Quibus argutiolis nihil efficitur. Nam a.) quidquid dicunt, nunquam negare poterunt, hebraicum perfectum ita interdum adhiberi, ut praesens tempus non excludatur. Quod autem ad verbum nostrum הָיִיתִי attinet, illud non tantum significat *fui* (i. e. non amplius sum), sed etiam *factus sum et adhuc sum*. Num forte Psalmista, si conqueritur הָיִיתִי כְּגֶבֶר אֵין־אֱיָל, dicere vult, se *olim fuisse* virum viribus destitutum, an potius se *factum esse et nunc esse* virum debilem (*Ps.* 88 [87], 5; cfr *Gen.* 32,11)? Recte igitur etiam nostro in loco transtulit *Alex* : ἐγὼ Ἐκκλησιαστὴς ἐγενόμην βασιλεύς κτλ.; et quoniam prior haec phrasis arctissime cum sequente cohaeret, optime vertemus : « Ego Ecclesiastes, quum factus essem rex Israel, proposui etc. »

b.) Non approbamus quidem eorum sententiam, qui ut secundam difficultatem effugiant, Salomonem cum reliquis Ierosolymorum *incolis* sese comparare respondent; de iis enim loquitur, qui fuerunt *super* (עַל) Ierusalem i. e. qui regnaverunt in Ierusalem, nec ulla est ratio, cur praepositionem nativa sua vi spoliemus. Monemus autem auctorem ne minimo quidem verbulo indicare, se de solis regibus israeliticis loqui; ante Davidem vero multi Chananaeorum reges Ierosolymis sederant, nec quidquam obstat, quominus Salomonem, quem alius scriptor sacer « *omnes* reges *terrae* (utique ethnicos) divitiis et sapientia » superasse dixit (3 *Reg.* 20,23), sese ipsum regibus ethnicis, qui antea Ierosolymis regnaverant, eadem ratione praetulisse statuamus.

c.). Tertia difficultas prorsus disparet, sive admiseris nomine *regis* eo in loco designari Deum, sive cum Alex., Syr., Chald. et plerisque modernis interpretibus verteris : « Ego (dico) : observa os regis », quam interpretationem ipsa lectio mass. postulat[1].

Ultimae duae obiectiones (d) et (e) falso nituntur supposito, auctorem res suae aetatis describere. Neque enim de suo successore neque de regno suo speciatim loquitur Salomon, sed generali prorsus modo de rebus illis, quae sub sole fieri solent. Velut verus sapiens res praesentes, eas quae longinquis in terris aut in vicinis regnis aut in populo suo geruntur, omnes complectitur, ut ex eis salutarem doctrinam deducat; sed de his in secunda obiectione erit dicendum.

2. Nam multas asserunt adesse allusiones historicas, quae librum recentiore aetate exortum esse doceant. Singulos quidem textus, quibus assertum hoc confirmare conantur, enumerare et examini subiicere opus non est; id unum autem adversarios nostros interrogabimus, num ipsi allusiones illas credant esse idoneas, quibus libri aetas cum aliqua verisimilitudine definia-

tur, neque quemquam futurum esse arbitramur, qui id asserere audeat. Profecto si praetensae illae allusiones quidquam valerent, tantus non esset adversariorum nostrorum in aetate illa definienda dissensus; quot enim interpretes, tot fere sententiae diversae; alius ex illis concludit ad ultimum tempus regni Iuda, alius ad tempus exsilii, alius ad aetatem Zorobabelis, alius ad aetatem Esdrae vel Nehemiae, alii ad epocham Persarum, alii ad Macedonum, vel Seleucidarum, vel Ptolemaeorum regnum, alii ad Romanorum et Herodis M. aetatem; alii ex illis deducunt librum scriptum esse Ierosolymis vel saltem in Palaestina, alii eius originem quaerunt Alexandriae vel alibi in Aegypto[2]. Nonne multo maiore cum iure nos concludemus, Salomonem virum sapientissimum et a Deo edoctum res humanas eas describere, quae magis minusve omni tempore et omni in loco inveniuntur? « Nihil novi sub sole; nec valet quisquam dicere : ecce hoc recens est; iam enim praecessit in saeculis, quae fuerunt ante nos » (1,10). Quod si Salomon, ut sapientiam fortitudini praestare doceat aut populi levitatem depingat, parabolas proponit (9,13 sqq.; 4,13 sqq.), num inde licet concludere, eo tempore, quo liber est scriptus, illud quod in parabola narratur revera accidisse? Si defectus, quos Ecclesiastes reprobat, certo aliquo tempore in aliqua republica adfuisse probaretur, num ideo iam constaret, librum isti tempori esse attribuendum? Minime gentium, nisi simul probaretur, eos alio tempore alia in republica adesse non potuisse. Iam vero omnia, quae in Ecclesiaste leguntur, eiusmodi sunt, ut magis minusve omni aetati et omni reipublicae conveniant; omni enim aetati et omni populo primarius huius libri auctor concionem hanc destinavit, ut omnes erudiret.

3. Pro ariete autem ad salomonicam Ecclesiastae originem impugnandam et evertendam utuntur adversarii lingua, qua conscriptus est liber. « Si Ecclesiastes, inquiunt, Salomonem haberet auctorem, actum esset de historia linguae hebraicae. Exsilio babylonico historiam linguae hebraicae in duas periodos distribui atque librum Ecclesiastae ad secundam pertinere certum est ». Nullum esse dubium aiunt alii, quin Ecclesiastae lingua diversa sit ab ea, quae Davidis et Salomonis aetate floruit; colorem enim aramaicum prae se fert, simillima est linguae Esdrae et Nehemiae etc[3].

Obiectio haec nonnullis quoque catholicis interpretibus tam gravis visa est, ut Salomonem auctorem dicere haesitent atque saltem concedant Esdrae aetate librum salomonicum a iuniore scriptore esse retractatum[4]. Cum eiusmodi retractatione, quae solam externam libri formam eiusque linguam dictionemque attingit, optime quidem salomonica eius origo conciliatur, nec quidquam ex hac parte impedit, quin admittatur; at eam inutilem et superfluam esse arbitramur ad libri authentiam defendendam. Satis magnam quidem Proverbia inter et Ecclesiasten esse linguae differentiam negare in animo non est, quamvis eam non parum ab adversariis exaggerari putemus; quid quod aliqui eo usque progressi sunt, ut graecismos in libro nostro detegerent? At differentiae illius, quae revera adest, explicandae non desunt rationes probabiles.

Attamen antequam eas indicabimus, repudiemus oportet praeposteram adversariorum methodum, qua a priore, ut ita dicamus, historiam linguae

hebraicae quandam sibi effingunt atque secundum hanc suam fictionem aetatem librorum definiunt, haud raro tamen fictionis suae obliviscuntur, quamprimum eorum praeiudiciis contradicit. Recta enim ratio postulat, ut ante omnia historicis testimoniis originem et aetatem monumentorum alicuius linguae determinemus iisque cognitis in linguae ipsius fata inquirere incipiamus, quomodo paullatim sit exculta, quibus rationibus creverit vel decreverit, quasnam mutationes sive in grammaticis suis formis et constructionibus sive in vocabulorum usu et significationibus passa sit etc. At hac via nunquam ad completam hebraicae linguae scientiam nos esse perventuros nec unquam eius historiam accurate nos esse intellecturos alibi iam ostendimus[3], quoniam hebraica monumenta paucissima ad nos pervenerunt et dialectorum vicinarum, moabiticae, ammoniticae, punicae etc., monumenta, quae non parvae essent utilitatis in mutationibus linguae hebraicae explicandis, fere omnino desunt. Quam ob causam exilia et infirma esse argumenta ex linguae hebraicae historia petita evidens est. Nonne ipsi quoque nostri adversarii tota sua agendi ratione se nobiscum consentire demonstrant? Ob impuritatem scilicet linguae Ecclesiasten exsilio recentiorem esse proclamant; nonne igitur miraberis, quod eidem aetati recentissima « criticorum » schola integrum Pentateuchum una cum libris Iosue, Iudicum, Samuelis, Regum, secunda parte vaticiniorum Isaiae, maiore numero Psalmorum etc. attribuat, quamvis omnes isti libri puritate linguae emineant? Nonne igitur ipsi concedunt, ex linguae historia argumentum validum non desumi, eadem aetate libros posse conscribi puriore et impuriore stylo, ac proin aliis argumentis originem librorum esse demonstrandam?

Sed difficultatem ipsam aggrediamur. Omni in populo duplex quasi lingua vel potius duplex eiusdem linguae forma invenitur; alius est sermo, quo viri eruditi utuntur, alius est sermo quotidianus et popularis; prior in libris scriptis adhiberi solet, sed ubique decursu temporis paullatim sermonis quotidiani et vulgaris vocabula et formas in linguam scriptam recipi videmus. Idem etiam in populo hebraico obtinuisse nemo negabit, atque eas formas eaque vocabula, quae in iunioribus libris frequentiora sunt, dudum antea in sermone quotidiano esse usurpata verisimillimum est. Iam vero liber Ecclesiastae formam concionis ad populum habitae prae se fert; num igitur Salomon in ea linguam popularem adhibere non potuit? Quod si eam adhibuit, mirum iam non est, quod formas dictionesque in libro nostro inveniamus, quae quia dumtaxat in iunioribus libris frequentiores sunt a Chaldaeis transsumtae creduntur, quamvis chaldaicae non sint.

Porro Ecclesiastes philosophico quodam modo suum thema tractat; facile igitur intelligitur, eum multis vocabulis abstractis uti debuisse, quibus nec in poeticis nec in historicis nec in propheticis libris est locus, quibus autem iuniores rabbini uti potuerunt. Salomonis quoque aetate Israelitae expeditionibus mercatorum suorum cum populis etiam longe positis commercium quoddam habebant, cum vicinis autem, quorum dialecti hebraicae linguae satis erant similes, intimiorem quandam inierant societatem, quia a Davide subiecti ad Salomonis imperium pertinebant; non mirum igitur, quod popularis quoque sermo externis receptis vocabulis impurior sit factus

atque externa illa vocabula etiam a Salomone in concione sint adhibita. Quod vero « in Proverbiis stylus sit concisus et sententiosus, in Ecclesiaste autem dictio plerumque plana, humilis, laxa et dissoluta », aut quod in Ecclesiaste « longiores verborum comprehensiones periodique magis artificiosae, quam in libris historicis et poeticis » adhibeantur, id profecto difficultatem non creat consideranti, quam diversa sit nostri libri a reliquis indoles.

Magna cum diligentia moderni quidam interpretes omnia conquisiverunt vocabula, quae ab Ecclesiaste solo adhibentur vel ei cum iunioribus scriptoribus Daniele, Esdra, Nehemia et cum ipsis thalmudicis scriptoribus sunt communia[6]; quae omnia grato cum animo recipimus, ut antiquae linguae hebraicae copiam et ubertatem accuratius cognoscamus; ex illis vero recentiorem Ecclesiastae aetatem demonstrari negamus[7].

1. Cfr *supra* 206. n. 1. in Analysi. p. 163.

2. Cfr *supra* 208. n. 2. p. 167.

3. Cfr *Delitzsch* Hoheslied u. Koheleth p. 197 : « Wenn das Buch Koheleth altsalomonisch wäre, so gäbe es keine Geschichte der hebräischen Sprache. Bernstein aber (Quaestiones nonnullae Kohelethanae 1854.) hat darin Recht, dass die hebräische Sprach und Literaturgeschichte jedenfalls durch das babylonische Exil halbirt wird, und dass das B. Koheleth das Gepräge der nachexilischen Sprachzeit aufweist ». Eadem fere repetunt alii : *Zoeckler* l. c. p. 115 « Zu den sichersten Spuren der Entstehung unseres Buches in nachexilischer Zeit gehören die zahlreichen Aramaismen, deren fast jeder einzelne Vers einige darbietet (!?!)... Vergebens hat man das in den zahlreichen direkten und indirekten Berührungen mit den BB. Daniel Esra Nehemia Esther etc. enthaltene Zeugniss gegen die salomonische Abfassung abzuschwächen gesucht ».

4. Cfr *Kaulen* Einleitung. Ed. 3. 1893. p. 323 sq.

5. *Introd. general.* Ed. 2. n. 87. p. 255 sqq.

6. *Grotius* primus quaedam vocabula collegit, quibus recentiorem libri originem demonstraret; eorum copiam auxerunt eius sequaces haud paucis additis, quae in antiquioribus libris iam satis frequentia sunt. Has collectiones examini critico subiecerunt *Boehl* de aramaismis libri Koheleth Erlangae 1861, *Reusch* in Tüb. Quartalschr. 1860, p. 461 sqq., *B. Schaefer* Neue Untersuchungen, p. 151 sqq., *A. Motais* L'Ecclésiaste, p. 60 sqq. — Longum iterum catalogum idiomatum, quae Ecclesiastae sint propria composuit *Delitzsch* l. c. p. 197-206, at non admodum difficile est demonstrare, in illum satis multa esse recepta, quae Ecclesiastae nequaquam sunt propria.

7. Addi demum potest in Ecclesiaste haud pauca reperiri, quae affinitatem quandam ll. Proverbiorum et Iobi demonstrant; cfr *Schaefer* l. c. p. 136 sq., *A. Motais* l. c. p. 42 sq. Ceterum cfr *Gietmann* Comment. in Eccles. et Cantic. p. 23 sqq., qu diligenter et accurate de Ecclesiastae lingua disserens singulas quoque adversariorum obiectiones egregie refutat.

210. — Salomonem igitur libri nostri auctorem esse cum tota retro antiquitate tenemus, nec ullum arbitramur adhuc allatum esse argumentum, quo antiquae traditionis consensus infirmetur, nedum convellatur. At idem non est consensus, si *quo regni tempore Salomon composuerit opus* interrogatur. Post lapsum Salomonem poenitentiam egisse et velut poenitentiae documentum librum nostrum scripsisse

cum multis rabbinis tradit *S. Hieronymus* atque tenent nonnulli quoque moderni interpretes[1]. Praecipuum eorum argumentum illud videtur esse, quod de se ipso Ecclesiastes loquatur, quasi omnia iam expertus ad voluptatem nihil sibi reliqui fecerit nihilque non gustaverit ex omnibus, quae homines maxime exoptant. Addunt quoque reipublicae statum eo tempore, quo scriptus est liber, videri fuisse turbatum, populum ad obedientiam regi praestandam revocari, a rebellione deterreri; quae omnia necessaria non fuisse putant, antequam Salomon luxuriae et idololatriae deditus populum opprimere coepisset[2]. Aliis tamen interpretibus altera sententia praeplacet. « Neque enim video, inquit *Bonfrerius*, quo argumento ex Ecclesiaste probetur Salomonis poenitentia; nusquam enim de amorum impuritatibus et insana mollitie, ex qua ad idololatriam gradum fecit, nusquam idololatriae, nusquam peccati etiam in genere mentio; nusquam verbum quod de admissis verum in animo conceptum dolorem declaret. An forte satis est in omne flagitium immerso dicere : Vanitas vanitatum et omnia vanitas? Tantumdem vir quisque sanctissimus et qui citra culpam mundi voluptates degustavit, dicere etiam intimo animi sensu poterit. Itaque ante peccata scriptum Ecclesiasten haec argumenta iam ante ab aliis annotata mihi persuadent : Primum quod c. 2. studiose enumeret omnia, quae ad voluptates vanitatesque pertinent eademque a se degustata dicat : domos, vineas, hortos..., quae omnia si sobrie et moderate pro cuiusque statu et conditione usurpentur, inculpate usurpari possunt; at effusum in mulieres et libidines animum ne verbo quidem indicat, quod tamen maxime indicari oportuit, si non tantum a concessis voluptatibus, sed etiam a vetitis sibi in posterum temperandum decerneret, vel nimiae hactenus in eas effusionis poeniteret. Alterum argumentum est, quod cum omnibus illis voluptatibus eodem in loco (2,16) dicat sapientiam secum perseverasse; quod quomodo dici potuerit de eo, qui tam foede et insipienter per mollitiem et idololatriam deliquerat, non intelligo ». Quibus adde, Siraciden opera a Salomone conscripta ante eius flagitia enumerare (*Eccli.* 47, 17 sqq.), neque satis explicari, quomodo tot Patres de aeterna Salomonis salute dubitari potuissent, si poenitens tam insigne poenitentiae documentum reliquisset[3]. — Quod autem ad reipublicae statum perturbatum attinet, quem moderni quidam interpretes in nostro libro describi putant, nescio annon iure illud respondeatur, quod supra iam contra salomonicae originis adversarios statuimus, auctorem scilicet non suae aetatis statum describere sed a Deo illustratum praeterita et praesentia cogitatione et mente complecti, ut ex omnibus salutaria monita derivet. Ceterum etiam in regni sui principio Salomonem potuisse populum suum ad obedientiam exhortari et a rebellione revocare

satis constat ex iis, quae de regni initiis tradunt libri sacri; magis igitur nobis probatur eorum sententia, qui Ecclesiasten a Salomone nondum lapso conscriptum asserunt. Cum Bonfrerio autem etiam censemus, Ecclesiasten post salomonicam Proverbiorum collectionem esse compositum : « habet enim Proverbiorum liber lacteam magis sapientiam, sive rem ut plurimum sive modum proponendi spectes; at Ecclesiastes confirmatam magis et virilem, utpote quae iam voluptatum usum et experientiam supponat ».

1. Secundum Thalmudem Salomon versus finem vitae e throne deiectus poenitentiam agere coepit et libellum nostrum conscripsit; cfr *Sinai Schiffer* Das B. Koheleth nach der Auffassung des Thalmud, Midrasch u. der jüd. Erklärer des Mittelalters. Frankfurt (1886). p. 27. 43. 54. 126. Quae fabulae rabbinicae sine dubio sunt recentiores, saltem *S. Hieron.* (in Eccle. 1,12; 2,4 sqq. M. 23,1073. 1078) Ecclesiasten Salomoni poenitenti adscribens eas non videtur cognovisse. Prae reliquis *Pineda* (in Eccle. Praef. 3; de reb. salomon. VIII. 1), *A. Motais* (L'Ecclésiaste p. 25 et passim), *G. Gietmann* (Comment. in Eccle. et Cant. p. 45 sq.) poenitenti librum attribuunt.

2. Cfr *Pineda* et *A. Motais* l. l. c. c. — Rabbini suis fabulis illud היִיתִי (1,12) explicare voluerunt, de quo *supra* 209. 1 p. 171 egimus; cfr *Schiffer* l. c. p. 43.

3. Testimonia Patrum congessit *Pineda* de rebus salomonicis VIII. 1. s. 1. 2. eo quidem animo, ut nihil certi de salute regis traditum esse ostenderet; at, quidquid est de hac quaestione, quae ad nos non pertinet, id saltem ex Patrum dubitationibus et haesitationibus deducitur, eos nihil audivisse de libro nostro a *poenitente* rege conscripto.

211. — Quamvis in N. T. libris Ecclesiastes nec ullibi allegetur, neque certa ad illum allusio inveniatur, tamen DE EIUS INSPIRATIONE DIVINAQUE AUCTORITATE dubitari non licet, quippe quam et antiqua synagoga et Christi Ecclesia unanimi et constanti consensu testentur. Antiquitus quidem a paucis Iudaeis et paucioribus Christianis auctoritatem libri divinam addubitatam esse non diffitemur; at ipsae adversariorum difficultates, quum vix motae statim a legitima auctoritate suppressae sint, nobis sunt argumento, quam firmo fundamento innitatur antiqua traditio, quae illis labefactari non potuit. Nonnullos olim Hebraeorum doctores Ecclesiastem « obliterandum » et e numero sacrorum librorum expungendum duxisse refert *S. Hieronymus,* « eo quod vanas assereret Dei creaturas, et totum putaret esse pro nihilo, et cibum et potum et delicias praeferret omnibus », at « ex hoc uno capitulo librum meruisse auctoritatem, quod totam disputationem suam hac quasi ἀνακεφαλαιώσει coarctaverit et dixerit, finem sermonum suorum auditu esse promptissimum nec aliquid in se habere difficile, ut scilicet Deum timeamus et eius praecepta faciamus » [1]. Quibus verbis S. Doctor ea complectitur, quae 1. saec. christiano in synagoga de libro nostro acta sunt et quorum aliquoties mentio fit in Thalmude. Controversiis enim exortis de nonnullorum librorum sacrorum auctoritate

« quaesiverunt sapientes abscondere (i. e. inter apocrypha amandare) librum Koheleth, quia eius verba se invicem everterent » et « ad haeresin adducerent »; accuratius autem rem considerantes invenerunt « in principio eius et in fine tradi praecepta Legis », ideoque eum in canone suo retinuerunt[2]. Quotannis autem in festo Tabernaculorum eum in coetibus suis sacris praelegentes satis docent, quanto in honore eum habeant.

Teste *S. Philastrio* olim nonnulli « Salomonis Ecclesiasten paucis quidem conscriptum sententiis, omnem tamen thesaurum coelestis sapientiae continentem » reprobaverunt, quia « paganorum et Epicuraeorum haeresi » faveret, quatenus vanitatem omnium rerum praedicaret et delicias carnales commendaret; at num Christiani fuerint, non satis liquet[3]; Brixianus Doctor enim in tota illius haereseos descriptione iis utitur verbis, quae antiquam potius synagogae de hoc libro controversiam quam recentiorem Christianorum errorem videntur designare. Ceterum Philastrii aetate *Theodorus Mopsuest.* una cum reliquis libris salomonicis etiam Ecclesiasten reiecit utpote non inspiratum; at haeresin eius damnaverunt Patres Conc. V. oecumenici[4]. Eius igitur dissensus confirmat potius quam infirmat unanimitatem antiquae Ecclesiae in divina libri nostri auctoritate agnoscenda, neque opus est eam multis allatis testimoniis demonstrare. Id unum adnotasse sufficit, iam ineunte saec. 3. librum nostrum a SS. Patribus commentariis esse illustratum; Origenis enim amicus *S. Hippolytus* et duo discipuli *SS. Gregorius Neocaes.* et *Dionysius Alex.* operam suam Ecclesiastae explicando impenderunt eosque saec. 4. secuti sunt *S. Athanasius M.*, *S. Gregorius Nyss.* aliique. Ab illo tempore, quo Conc. V. oecum. contra Theodorum Mopsuest. divinam libri auctoritatem asseruit, nemo amplius de ea dubitavit[5], donec exortus rationalismus antiquas difficultates recoquere cœpit. Cui praeluserat quadam ratione Lutherus, quum vir sibi non constans aliquando quidem Ecclesiasten laudaret, aliquando vero eum diceret « sibi videri ocreis et calcaribus destitutum equitare tantum in soccis, quemadmodum ipse facere solitus esset, dum adhuc degeret in coenobio »[6]. Quae filii eius explicantes in libro nostro scepticismum, fatalismum, materialismum, epicuraeismum aliasque eiusmodi haereses doceri asseruerunt. Uti supra innuimus, interpretes antiqui et recentiores nonnulli difficultates, quas textus quidam obscuriores creant, ita solvere conati sunt, ut ea, quae impia esse videbantur, ab Ecclesiaste ex persona impii proferri et in reliquo libro refutari statuerent. Quae solutio, quamvis facilis esse videatur, fundamento caret, quia dialogismi vestigium nullum adest; gratuitis quoque arbitrariisque explicationibus viam sternit, quum omnia, quae minus placent, ex persona impii proferri ac proinde nul-

lius roboris esse dici queant. Quare praecipuas obiectiones, quae hodie quoque repeti solent, directe refutare malumus, ut nihil ab Ecclesiaste doceri ostendamus, quod veritati non sit consonum.

1. *S. Hieron.* In Eccle. 12,13 (M. 23,1172).

2. Textus ex Thalm. et Midraschim collectos habes a *Carpzov.* Introd. II. p. 222; cfr *Sinai Schiffer* Das B. Koheleth p. 77 sqq. A rabbinis isto tempore non disputatum esse de libris quibusdam in canonem recipiendis sed in canone retinendis deque eorum maiore minoreve dignitate diximus in *Introd. gener.* Ed. 2. n. 24 et nn. 5. 6. p. 56 sq. (Auctoribus ibi allegatis adde *Sinai Schiffer* l. c.).

3. *S. Philastr.* haer. 134. (M. 12,1265).

4. Cfr *supra* 204 n. 3. p. 154.

5. Solus *Greg. Barhebraeus* (Compend. dynastiarum ed. Pococke. Oxonii 1650. p. 33), Iacobitarum patriarcha († 1286), Salomonem dixit in Ecclesiaste sententiam Empedoclis Pythagoraei (quem Davidi coaevum fingit) secutum animorum immortalitatem et futuram resurrectionem negasse.

6. *Carpzov.* Introd. II. p. 229 contra *Bellarm.* (De verbo Dei I. 5) et *Pinedam* (in Eccle. Praef. 5,1) haec verba ita excusare conatur, ut non de Ecclesiaste sed de Ecclesiastico ea esse intelligenda et Convivales Lutheri sermones, ex quibus desumta sunt, « sublestae fidei » esse asserat. At recentiores interpretes verba ista Luthero attribuere et de Ecclesiaste intelligere non dubitant; cfr *Zoeckler* l. c. p. 114. 120. — Vehementius contra Ecclesiasten insurrexit *Clericus* (Sentiments de quelques théologiens de Hollande sur l'Hist. crit. de R. Simon. Lettre 12. p. 272 sqq.), qui auctorem cum Sadducaeis immortalitatem animi negasse contendit (cfr *R. Simon* Reponse aux sentiments etc. p. 138 sq.). De aliis protestanticis interpretibus, qui saec. praecedente Ecclesiasten scepticismi etc. accusarunt cfr *Carpzov.* l. c. p. 225 sqq., de recentioribus *Zoeckler* l. c. p. 120.

212. — 1. Antiquitus nonnulli Ecclesiasten Manichaeismo favisse censebant, siquidem creaturas omnes, quas Deus bonas esse dixerat, vanas esse assereret (1,2)[1]. Quam obiectionem hodie nemo facile repetierit, quum satis sit clarum, quonam sensu de rerum vanitate loquatur concionator noster. « Possumus, inquit *S. Hieronymus*, coelum, terram, maria et omnia, quae in hoc circulo continentur, bona quidem per se dicere, sed ad Deum comparata esse pro nihilo »; quare recte *Ps. Athanasius*: « Illud *vanitas vanitatum* non ad hoc dixit, ut creaturam criminaretur, sed ut aeterna contemplatus rerum temporalium *desiderium* moneret esse vanitatem »[2].

2. De Ecclesiastae scepticismo etiam moderni quidem interdum loquuntur interpretes, ac si vanam dicens esse scientiam (1,8-18; 6,8) atque ad certam rerum cognitionem nos pertingere posse negans (3,9-11; 8,16. 17), nos nihil scire aut scire posse asseruisset. Qui vero ad finem auctoris attenderit, eum nihil aliud docere videbit, nisi curiosa rerum investigatione hominem beatum non reddi, quoniam *plenam perfectamque* scientiam nunquam sit acquisiturus. Quam parum vero cognitiones nostras in dubium vocet, id integro suo libro demonstrat.

3. Neque maioris momenti est, quod Ecclesiastes aeternitatem mundi docuisse accusatur. Teste *S. Hieronymo* Origenes iam ex 1,9. 10. deduxit ante hunc nostrum mundum alios mundos exstitisse, *Caietanus* autem asserere non dubitavit « Salomonem concionando loqui de tempore mundi

secundum id quod probabilius apparet ex sensibilibus; rationes enim naturales suadere aeternitatem mundi, quod videlicet mundus nunquam inceperit, et hac opinione (quamvis falsa, probabili tamen) uti Salomonem hoc in libro, affirmando nihil esse sub sole novum; hoc enim esse, quod philosophi tradant, cuius tamen contrarium fides catholica sentiat »[3]. At in integro libro de mundi aeternitate non magis, quam de terrae stabilitate[4] agi, legenti librum non erit dubium. Mutabilitatem enim dumtaxat rerum mundanarum omnium describit, ut doceat in hac rerum continuo sibi succedentium vicissitudine nihil esse quod admirationem parere debeat. Hac ratione textus obiectos iam olim interpretati sunt SS. Hieronymus, Augustinus, Olympiodorus etc., idque rectissime, siquidem auctor non loquitur de prima rerum productione, sed de rebus suo tempore exsistentibus.

4. Maiorem veritatis speciem quarta accusatio prae se fert; materialismi scilicet accusatur Ecclesiastes eo quod animi immortalitatem diserte negaverit nec ullam bestiarum inter et hominum finem differentiam agnoverit[5]. Etenim « idcirco, inquit, unus est interitus hominis et iumentorum et aequa utriusque conditio : sicut moritur homo, sic et illa moriuntur. Similiter spirant omnia et nihil habet homo iumento amplius. Cuncta subiacent vanitati et omnia pergunt ad unum locum; de terra facta sunt et in terram pariter revertuntur. Quis novit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum et si spiritus iumentorum descendat deorsum? » מִי יוֹדֵעַ רוּחַ בְּנֵי הָאָדָם הָעֹלָה הִיא לְמָעְלָה וְרוּחַ הַבְּהֵמָה הַיֹּרֶדֶת הִיא לְמַטָּה לָאָרֶץ (3,19-21).

Miro modo *Caietanus* auctorem nostrum ab hac accusatione defendere conatur : « quamvis, inquit, argumentando loquitur, dicit tamen verum, negando *scientiam* immortalitatis nostrae. Nullus enim philosophorum hactenus demonstravit, animam hominis esse immortalem; nulla apparet demonstrativa ratio; sed fide hoc credimus et rationibus probabilibus consonat ». Quae explicatio, licet etiam modernis interpretibus nonnullis probetur[6], erronea tamen est; Ecclesiastae autem verba, dummodo recte explicentur, tantum abest, ut dubitationem quandam de immortalitate exprimant, ut eam diserte asserant. Namque duobus prioribus versibus, quippe qui de externa apparentia tantum agant, difficultatem non creari omnes concedunt; ultimi autem versus haec est explicatio. a.) Interrogatio *quis scit* non est viri sceptici, de re proposita dubitantis vel eam negantis, sed viri admirantis et difficultatem exaggerantis; *quis novit* igitur idem est quod *quotusquisque novit* vel *pauci norunt* (Cfr *Ps.* 14,1; 89,11 etc. *Prov.* 31, 10 etc.). « Pronomen *quis*, inquit S. Hieronymus cum aliqua exaggeratione, in Scripturis non pro impossibili sed pro difficili *semper* accipitur » (i. h. l.). b.) Verbum יָדַע (Vulg. *novit;* S. Hier. in Comm. *scit*) haud raro sensum et vim habet *attendendi* ad aliquid, *curandi* aliquid (*Prov.* 9,13; 27,23; *Iob.* 35,15 etc.), ita ut primum membrum rectissime vertamus : *paucissimi, proh dolor, considerant* vel *curant* (cfr *Ps.* 89,11). c.) Membrum vero, quod sequitur, non est interrogatio indirecta (*quis scit, si* vel *num hominis spiritus ascendat*), sed ad literam vertendum est ex textu hebr. : *Pauci considerant spiritum filiorum hominis ascendentem, spiritum autem bestiarum descenden-*

*tem.* Nulla enim ratione sive grammatica sive logica literam ה participiis עלה et ירדת praefixam pro particula interrogationis habere cogimur, contra cum Massorethis pro articulo illam habendam esse arbitramur. d.) Integri igitur loci sensus hic est : Quamvis hominibus et brutis, quod ad corpus attinet, idem sit exitus, et quamvis illis, si sola externa apparentia attenditur, idem inesse videatur spiritus vitalis, maximum tamen inter eos intercedit discrimen, quod proh dolor! pauci tantum curant non considerantes spiritum hominis post mortem sursum ad Deum ascendere ac proinde permanere, bruti vero animam una cum corpore in terram descendere et perire. e.) Hac sola explicatione aptus habetur nexus cum praecedente v. 17., in quo Deum iustum et iniustum iudicaturum asseruerat, atque hac sola Ecclesiasten non pugnantia docuisse apparet. Si enim 3,21 de immortalitate dubitasset ignorassetque an spiritus hominis ascenderet, in fine libri (12,7) docere non potuisset « corpus hominis in terram reverti, unde desumtum erat, spiritum autem hominis ad Deum redire, qui illum dederat ».

5. Alii interpretes, etsi immortalitatem aliquam ab Ecclesiaste doceri admittant, ita tamen animorum post mortem viventium statum describi asserunt, ut vix ulla sit inter eorum interitum et inter vitam, quae eis conceditur, differentia; in altera enim vita secundum Ecclesiastae doctrinam eos nihil scire, nihil agere contendunt : « nec opus, nec rationem, nec scientiam, nec sapientiam apud inferos fore » (9,5. 10.)[7]. — Praeprimis fateamur oportet, revelationem de statu post mortem futuro multo imperfectiorem in Vetere quam in Novo T. fuisse; neque enim peccatorum poenae aeternae nec iustorum praemia aeterna ab antiquis scriptoribus sacris ullibi tam clare, quam a Domino N. et ab Apostolis describuntur. Totam autem V. T. oeconomiam consideranti a priore, ni fallor, evidens erit, Iudaeis eam vitae futurae scientiam nec defuisse nec deesse potuisse, quae requirebatur, ut ad Legem divinitus datam observandam efficaciter excitarentur. Atque revera ex nostro ipso libro constat eos non dubitasse, quin status illorum, qui in gratia ex hac vita migrassent, utpote non infelix, infelici statui peccatorum mortuorum esset praeferendus atque omnibus viribus expetendus. Id enim velut corollarium necessarium profluit ex doctrina de iudicio post mortem futuro, quod ad omnes hominum actiones easque occultissimas sese extendat (12,14)[8] et ex quo futurus hominis status dependeat (3,16. 17; 11,9). Hinc etiam elucet, nec Ecclesiasten nec reliquos Iudaeos animis mortuorum aut conscientiam sui ipsius aut aliarum rerum scientiam omnem negasse; id quod abunde etiam eorum persuasione de mortuis consulendis confirmatur (*Deut.* 18,11; 1 *Reg.* 28,8 sqq.; *Is.* 14,9 etc.). Phrases igitur obiectae atque similes expressiones, quae in aliis V. T. libris inveniuntur (*Ps.* 6,6; 30,10; 113,17 etc.), non absolutae sunt, uti aiunt, sed relativae; eodemque modo explicentur oportet, quo illae, quibus in N. T. homo post mortem operari posse negatur (*Ioan.* 9,4; *Gal.* 6,10 etc.). Optime *S. Hieronymus* : « Viventes metu mortis possunt bona opera perpetrare; mortui vero nihil valent adiicere ad id, quod semel secum detulerunt de hac vita », et iterum : « Fac quodcunque nunc potes, et labora, quia quum ad infernum descenderis, locus non erit poenitentiae »[9].

1. Cfr de his obiectionibus praeter antiquos et modernos commentatores catholicos praesertim *A. Motais* l. c. p. 70 sqq. et *G. Gietmann* l. c. p. 9 sqq.

2. *S. Hieron.* in Eccle. 1,3; *Ps. Athan.* Synops. S. S. 23 (M. 28,349); cfr etiam *S. Greg. Nyss.* in Eccle. hom. 1. (M. 44,621); *S. Chrys.* in Ephes. hom. 12,1; in Matth. hom. 76,5 (M. 62,89; 58,700); *S. August.* De quant. anim. 33 (M.32,1076) etc.

3. *S. Hieron.* ad Avit. ep. 134,9 (M. 22,1067) et in Eccle. 1,9. 10; *Caiet* i. h. l.

4. Saec. 16. et 17. verba *Eccle.* 1,4 « terra autem in aeternum *stat* », quamvis eorum sensum Hieronymus iam accurate explanasset, unum ex praecipuis constituebant argumentis, quibus motus terrae impugnabatur contra Copernicum. Cfr *Pined.*, *a Lap.* etc. i. h. l.

5. Hanc obiectionem moderni rationalistae continuo recoquunt; inter recentissimos cfr ex. gr. *Reuss* Gesch. des A. T. (1881.) p. 545 : « Der Prediger legt sich ernstlich die Frage nach dem andern Leben vor; er schaut ihr in's Gesicht und findet sie sofort gelöst (3,21) im verneinenden Sinne ».

6. *Caiet.* i. h. l. Ex catholicis modernis cfr *Reischl* i. h. l., *Scholz* Einl. III. p. 179; ex acatholicis *Zoeckler* l. c. p. 149; *Delitzsch* l. c. p. 242.

7. Ex recentissimis cfr *Kleinert* in Herzog P. R. E. Ed. 2. (1883.) XII. p. 173 : « Koheleth führt immer wieder aus, dass der erkennbare Inhalt der Zukunft das Nichts sei (9,6. 10; 11,8) ».

8. Moderni rationaliste nonnulli epilogum (12,9-14) auctori libri abiudicant et a recentiore interpolatore ad doctrinam libri temperandam additum censent. Haec eorum sunt argumenta : a.) Epilogus est superfluus, quia liber 12,8 aptam suam clausulam habet; b.) in reliquo libro Ecclesiastes de se prima persona loquitur, in epilogo tertia persona de eo adhibetur; c.) epilogus docens futurum iudicium contradicit praecedentibus, in quibus immortalitas negatur; d.) ea, quae de timore Dei et Legis observantia dicuntur, pugnant cum iis, in quibus hilaris rerum mundanarum usus commendatur; e.) demum eo tempore, quo liber est scriptus, dici non potuit « faciendorum librorum non esse finem » (12,12). — Concedere possumus 12,8 aptam esse *concionis* clausulam, quatenus ab iisdem verbis inchoetur (1,2), at cur concioni suae, ut titulum praemittere (1,1), ita commendationem auctor ipse addere non potuerit non apparet, praesertim quum epilogus non nisi summam totius concionis exhibeat. Porro optime se habet, quod Ecclesiastes in *concione* sua plerumque (non tamen semper cfr 1,2; 7,27; 12,8) de se prima persona utatur, in *libri* autem titulo et epilogo tertia; neque quidquam miri habet, quod scriptor de se interdum primam, interdum tertiam personam adhibeat (cfr *supra* 121. n. 2. tom. I. p. 362). Porro immortalitatem non negari iam ostendimus, atque illum rerum usum, quem Ecclesiastes commendat, non pugnare cum timore Dei statim ostendemus. Demum Salomonis tempore literas in Palaestina floruisse certum est; Salomon ipse tria millia parabolarum et mille cantica composuit; disseruit quoque (probabiliter libris scriptis) de omnibus rebus naturalibus (3. *Reg.* 5,12 sq.); eius exemplo incitatos esse alios ad scribendum verisimile est; iam antea pater eius David Davidisque amici Asaph etc. multa cantica composuerant, prophetae Samuel, Gad, Nathan res gestas Israelitarum scripserant etc. In aliis terris ex. gr. in Aegypto, cuius regis filia uxor erat Salomonis, eodem tempore multos esse conscriptos libros etiam certum est; cur igitur Salomon non potuit conqueri, sicut nos, faciendorum librorum non esse finem? Levissima igitur sunt argumenta, quibus epilogi authentia impugnatur.

9. *S. Hieron.* in Eccle. 9,4. 10.

6. Epicuraeismum aperte docere Ecclesiasten aiunt summamque eius doctrinam esse, ut rebus mundanis pro viribus fruamur atque hanc vitam,

quum de altera nihil sciamus, cum ea qua possumus hilaritate peragamus; non enim esse homini sub sole bonum, nisi ut comedat et bibat et gaudeat (3,15; cfr 2,24; 3,12 sq., 22; 5,27; 9,7 etc.). — Si obiectio haec veritate niteretur, nemo non miraretur, quod liber qui hanc doctrinam tradat unquam in canonem sit admissus; at si textus obiectos accuratiori examini subiecerimus, eos voluptariorum gulae non patrocinari, sed *de legitimo et moderato rerum usu* agere, nos non fugiet. Verum quidem est, hosce textus ex iis esse, qui et antiquos Patres multos et recentiores interpretes permoverunt, ut dialogismum in libro nostro agnoscerent; ex Epicuraeorum enim persona voluerunt haec referri, ab auctore libri ipso autem damnari et refutari. Sed ad hanc explicationem confugere opus non est, quamprimum Ecclesiastae verba recte intelligamus neque Dominum N. novis suis praeceptis et consiliis antiquam Legem perfecisse et ad altiorem gradum evexisse negemus. Sicuti enim supra iam monuimus (205), sanctio Legi mosaicae addita fere temporalis erat, quapropter nihil obstabat, quominus Ecclesiastes eos, qui bona temporalia velut virtutis praemia acceperant, exhortaretur, ut illis secundum divinam voluntatem uterentur et fruerentur. Hanc autem eius esse mentem elucet a.) ex eo, quod semper addat, bona illa esse *de manu Dei* (2,24), *dona Dei* (3,13; 5,18), *partem a Deo concessam* (3,22), ideo data, *quia placeant Deo opera* eius, qui illa accepit (9,7). « Homini enim bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam et scientiam et *laetitiam*, peccatori autem dedit afflictionem et curam superfluam » (2,26). Neque minus id elucet b.) ex eo, quod nusquam commendet, ut quis bona illa sibi comparare studeat; contra vero studium illa acquirendi velut vanitatem et afflictionem animi reprimit (2,3 sqq.), atque illis dumtaxat frui hominem vult, quae Deus dedit. Quare etiam c.) non commendat fruitionem qualemcunque, sed eam solam, quae cum pietate coniuncta atque futuri iudicii memor sit; unde eius axioma « *laetari et facere bene* » (3,12)[10]. Quantopere vero hic rerum usus ab Epicuraeorum placitis dissentiat, facile apparet, si Ecclesiastae praecepta cum Epicuraeorum verbis (*Sap.* 2,1-20) comparantur. Demum d.) addamus oportet, in plerisque textibus obiectis Ecclesiasten non absolute praecipere, sed honestum hilaremque rerum usum praeferre vitae avari (2,24; 5,17), curiosisque et inutilibus sapientium investigationibus (3, 12. 22; 8,15 etc.).

7. Fatalismum quoque Ecclesiastes docere dicitur; omnia enim caecae cuidam necessitati esse subiecta (9,11) neque hominem ea, quae sibi sint destinata, sua sapientia (2,15. 16) aut pietate (9,12) posse mutare vel evitare vel avertere. — At num is fatalismum et caecam necessitatem docet, qui providentiam divinam disertis verbis celebrat (5,5 sqq.), qui omnes homines de omnibus actionibus rationem reddere debere monet (11,9; 12,14), qui hominem iustum praemiis, peccatorem autem poenis a Deo affici inculcat (2,26 etc.)? Errare igitur eos in aperto est, qui verbis obiectis sensum fatalisticum ingerunt; nihil aliud enim docent, nisi providentiae divinae ordinem hominibus esse incognitum et impervium ideoque cavendum illis esse, ne de rebus quae fiunt temere iudicent. Ubique enim Ecclesiastes Deum esse omnipotentem supponit, qui omnia quidem hominibus donat (2, 26 sqq.;

3,10 sqq.; 5,17-19; 9,1-3), sed qui etiam de omnibus secundum iustitiae rigorem iudicabit (3,17; 8,12 sqq.; 11,9); ideoque homini, quum vias rationesque divinas non intelligat, cum Deo non esse disputandum, sed fideliter in Dei timore permanendum (3,11 sqq.; 5,6. 17 sqq.; 8,16 sqq.).

8. Demum minores nonnullae contradictiones auctori nostro obiiciuntur; mox mortuos eosque, qui non sunt nati, viventibus praeferre dicitur, mox vitam prae morte celebrare (4,2 3; 9,4 sqq.; 11,7); mox quietem labori praeferre, mox laborem commendare (4,6; 9,10); mox de sua sapientia gloriari, mox sibi eam abiudicare (1,16; 2,3; 7,23 sq.) etc. At his non immorabimur, quum eiusmodi apparentes contradictiones seriam difficultatem non creent et attenta contextus consideratione facillime componantur.

10. Phrasin עֲשׂוֹת טוֹב, *facere bene*, ποιεῖν ἀγαθόν (3,12) moderni interpretes plerique Abenesram secuti explicant « *sibi* facere bene » (εὖ πράττειν); at omnino retinendus est sensus, quem omnes antiquae versiones exprimunt verba intelligentes de bona et honesta vita agenda; ad hunc enim sensum auctor ipse (7,20) phrasin addito opposito determinat : facere bene et *non peccare;* neque ullus ex tota Scriptura affertur textus, in quo de morali actione non adhibeatur (Cfr *Ps.* 33,15; 36,27 etc.).

---

## III. De Cantico Canticorum.

### § 16. — *De Cantici unitate, argumento, divisione.*

213. — « Moneo, inquit Origenes, et consilium do omni, qui nondum carnis et sanguinis molestiis caret neque ab affectu naturae materialis abscedit, ut a lectione libelli huius eorumque quae in eo dicentur penitus temperet. Aiunt enim observari etiam apud Hebraeos, quod nisi quis ad aetatem perfectam maturamque pervenerit, libellum hunc ne in manibus quidem tenere permittatur » [1]. Revera libellus noster quum propter suam sublimitatem difficultatemque, tum propter modum, quo argumentum suum tractat, singularem prorsus locum inter Scripturas occupat neque completa tradi potest in eum introductio, nisi simul tradatur maioris partis explicatio. Quapropter ne in interpretis munus nos ingeramus, quam maxime sobrii erimus eaque fere sola explicabimus quibus eius authentia et canonicitas ab adversariorum obiectionibus vindicantur.

Nomen *Cantici Canticorum* (שִׁיר הַשִּׁירִים, ᾆσμα ᾀσμάτων) ab aliquibus erronee ita explicatur, ut aliquod e numero carminum salomonicorum designet, aut carmen e variis carminibus congestum et conflatum [2]; ex Hebraeorum enim loquendi modo est *carmen praestantissimum,* id quod recte iam insinuat *Origenes :* « Quomodo per Moysen didicimus, quaedam non solum esse Sancta, sed et Sancta Sanctorum, et alia non tantum Sabbatha sed etiam Sabbatha Sabbathorum, sic nunc docemur scribente Salomone esse quaedam non solum Cantica sed et Cantica Canticorum. Beatus quidem is, qui ingreditur Sancta, sed beatior, qui ingreditur Sancta Sanctorum; beatus qui Sabbatha sabbathizat, sed beatior qui sabbathizat Sabbathorum Sabbatha. Beatus similiter et is, qui intelligit cantica et canit ea, sed multo beatior ille, qui canit Cantica Canticorum » [3].

Quin vero in libello nostro unum et continuum carmen contineretur, antiquitus nemo in dubium vocaverat; postquam autem Rich. Simon primus, ut videtur, variorum auctorum poemata in eo collecta esse supposuerat potius, quam docuerat [4], alii ulterius progressi libellum nostrum dixerunt esse anthologiam quandam carminum eroticorum eadem fere ratione concinnatam, qua in Psalterio multa carmina religiosa et in l. Proverbiorum multa carmina ethica et didactica sint collecta [5]. Quam longe a vero aberret haec sententia a.) ipsa iam innuit inscriptio, quae ab auctore ipso profecta et libello praefixa

(217) unitatem carminis supponit neque aliam explicationem admittit. Neque minus clare id docet b.) styli in toto carmine identitas; eaedem enim formulae loquendi, eaedem similitudines imaginesque in aliis libris parum usitatae etc. in omnibus Cantici partibus usque recurrunt[6]. Accedit c.) colloquentium in toto carmine identitas : eadem enim ubique apparet virgo sponsa idemque sponsus, licet interdum reginae et regis, interdum pastorum seu vinitorum personas induant, idem filiarum ierosolymitarum chorus etc.[7]. Demum d.) si libellus noster collectio esset carminum eroticorum, quae a variis auctoribus de variis argumentis essent composita, cum aliqua saltem verisimilitudine singula poemata distinguerentur, at ipsi huius sententiae patroni fateri coguntur « carminum principia et exitus difficillime distingui » ; immo etiam una cum integris poematis complura fragmenta in collectionem recepta esse sibi persuadent[8].

1. *Orig.* Comm. in Cant. Prol. (M. 13,63). Cfr quoque *S. Hieron.* (ad Laet. ep. 107,12. M. 22,876), qui « ad ultimum » discendum esse Canticum monet, ne quis « si in exordio legerit sub carnalibus verbis spiritualium nuptiarum epithalamium non intelligens vulneretur ».

2. Ac si legendum esset שִׁיר הַשִּׁירִים (vel שִׁירַת) « *catena* canticorum ».

3. *Orig.* In Cant. hom. 1 (M. 13,37).

4. *Rich. Simon* Hist. crit. du V. T. ch. 4. p. 30 « Il y a beaucoup de confusion dans *le livre des Cantiques* (sed haec inscriptio « *Liber canticorum* » nusquam legitur), où l'on a de la peine à distinguer *les auteurs*, parce qu'ils n'ont pas été marqués ». Si pro *auteurs* liceret legere *acteurs*, R. Simon ex adversariorum numero esset eximendus; nam in hoc solo loco de cantici origine loquitur.

5. *Herder* (Lieder der Liebe, die ältesten und schönsten aus dem Morgenlande. 1778.) secundum hanc sententiam carmina distinguere conatus est; satis multos exeunte saec. praecedente et nostro ineunte habuit sequaces (*Hufnagel* in Eichhorn's Repertorium VII. 1780. p. 199 etc.; *Paulus* ibid. XVII. 1786. p. 108; *Eichhorn* Einleitung V. p. 230 etc.; ex catholicis solum *Iahn* Einl. p. 816 sqq.); sed adhuc haec sententia suos habet patronos : *Lossner* Salomon u. Sulamith 1851; *Bleek-Wellhausen* Einl. 1878. p. 524; *Reuss* Gesch. des A. T. 1881. p. 223 etc.

6. In toto libro semper adhibetur pron. relat. ·שֶׁ; sponsus comparatur hinnulo cervorum (2,9. 17; 8,14), dicitur inter lilia versari (2,16; 4,5; 6,2) etc.; eaedem sententiae ad modum versus intercalaris recurrunt (2,7; 3,5; 8,3, ubi attendas ad adiurationem « per capreas cervosque agrorum »); eadem ratione chorus sponsam alloquitur velut « pulcherrimam inter mulieres » (1,8; 5,9; 6,1); eaedem formulae dicendi (3,6; 6,10; 8,5. — 2,17; 4,6; 8,14. — 2,6; 8,3; 1,2; 4,10) etc.

7. Eadem semper sponsa, cuius mater (1,6; 3,4; 8,2) et fratres (1,6; 8,8. 9) et vinea (1,6; 2,15; 8,13) commemorantur; idem sponsus, qui cum Salomone vel rege comparatur (1,6; 3,4; 8,2); eaedem filiae Ierusalem (1,5; 2,7; 3,5; 5,8. 16; 8,4).

8. Cfr *Iahn* Einleitung p. 817, qui 8,4-7. 8-12. 13-14 tria fragmenta esse censet; *Reuss* (l. c. p. 224) unum solum quidem fragmentum (6,11-7,1) diserte agnoscit, sed reliquum carmen in sedecim εἰδύλλια (1,2-8; 1,9-2,7; 2,8-17; 3,1-5; 3,6-11; 4,1-7; 4,8-11; 4,12-5,1; 5,2-6,3; 6,4-10; 7,2-10; 7,11-8,4; 8,5-7; 8.8-10; 8,11. 12; 8,13. 14) ita discerpit, ut quomodo eius εἰδύλλια a fragmentis distinguantur, difficile

sit dictu; pleraque enim argumentum completum non exhibent nec quid sibi velint apparet. Quis praeterea nos docebit, quid operae pretium fuerit eiusmodi fragmenta erotica, quae sola sumta sensu carent, colligere et conservare? Quod vero carminibus eroticis in canone Sacrarum Scripturarum locus non sit, demonstratione non indiget; recte iam monuit *Theodoretus* : τὰ τῆς ἀκολασίας συγγράμματα οὐ τοῦ Θείου Πνεύματος, ἀλλὰ τοῦ ἐναντίου πνεύματος (In Cant. Prol. M. 81,31).

214. — Priusquam Cantici argumentum definiamus, praevia quaestio DE EIUS INTERPRETATIONE est solvenda. Alii enim literae inhaerentes proprio et historico sensu, alii sensu translato vel allegorico illud exponendum esse censent; inter sensus proprii patronos autem alii in solo sensu literali consistunt, alii praeter literalem etiam typicum admittunt. Primi nudis Cantici verbis inhaerentes nihil aliud in eo deprehendunt nisi fervida colloquia, quibus sponsus quidam, quem plerique Salomonem esse vel fingi dicunt, eiusque sponsa (Sulamith) tenerrimum suum amorem exprimunt. Carmen igitur eroticum quoddam vel epithalamium asserunt esse Canticum ex eodem genere, cuius exempla satis multa in literis profanis nobis sunt conservata. Inter Iudaeos saec. 1. non defuerunt, qui hanc sententiam tenerent; indignum enim esse putarunt Canticum, quod in Canone retineretur, neque aliam potuerunt habere istius indignitatis rationem nisi eroticum et profanum sensum, quem libro attribuerunt. Eadem fuit in sententia Theodorus Mopsuest. hanc ob causam a Conc. V. oecum. (II. Constant.) damnatus, eademque saec. 16. ab Anabaptistis recocta hodie tenetur a rationalistis, licet inter eos de amantium personis, de carminis structura et indole non conveniat. Ab eadem autem non satis recedere videntur illi, qui aut cum Honorio Augustod. nonnullisque interpretibus catholicis (Bossuetio, Calmeto etc.) Canticum proprio quidem sensu de Salomonis filiaeque Pharaonis mutuis amoribus agere arbitrantur, typico autem sensu omnia de Christi Ecclesiaeque unione explicant, aut etiam cum modernis nonnullis (maxime acatholicis : Delitzsch, Zoeckler etc.) matrimonii mysterium velut typum coniunctionis Christi et Ecclesiae celebrari censent [1]. Contra quos omnes omnino tenendum esse asserimus, *Canticum Cant. mere esse allegoricum* omnique sensu proprio et historico carere, sicut eodem carent fabulae parabolaeque, quas metaphorico solo sensu exponendas esse nemo dubitat. Tribus autem argumentis nititur assertum nostrum.

Nam 1. solam allegoriam in Cantico agnoverunt antiqua synagoga [2], et integra antiqua Ecclesia, quae Theodorum Mopsuest., quum proprium sensum defendisset, sollemni suo iudicio damnavit [3].

2. Qui solum sensum proprium admittunt, nunquam Cantici admissionem inter libros sacros poterunt explicare aut excusare. Optime iam contra magistrum suum Theodorum eiusque asseclas *Theodoretus* « Debebant isti, inquit, scire longe ipsis sapientiores et spiritualiores esse

sanctos Patres, qui librum hunc inter divinas Scripturas collocarunt eumque velut Spiritu refertum et Ecclesia dignum approbarunt. Neque enim, si aliter sensissent, sanctarum Scripturarum numero addidissent librum, cuius argumentum esset intemperantia atque libido »[4].

3. Accedit demum ipsa libri indoles. Quicunque enim eius sensum proprium admittit, innumera simul, quae inter se pugnant et a Iudaeorum Orientaliumque moribus abhorrent, admittere cogitur. In scenam producitur puella in regium gynaeceum recepta, quae sese a rege amari gloriatur, atque statim eadem conspicitur rure, ubi una cum sponso suo greges pascit (1,3. 6. 7). Noctu in lecto decumbens, quum frustra dilectum quaerat, consurgit, urbis plateas perlustrat, custodes urbis de dilecto interrogat, immo altera vice eadem ratione dilectum quaerens a custodibus verberatur et vulneratur (3,1 sqq.; 5,1 sqq.). Quae et alia multa quam parum Salomoni, quem plerique sponsum esse volunt, et filiae Pharaonis, quam sponsam faciunt, conveniant et quantopere ab Orientalium moribus abhorreant, clarum, opinor, est. Ut ab hisce difficultatibus sese expedirent, iam Theodori Mopsuest. discipuli pro filia Pharaonis elegerunt Abisai Sunamitidem, moderni autem alia systemata excogitaverunt, quae in eo fere conveniunt, quod puellae sponsum statuant diversum a rege; fingunt enim Salomonem puellam illam ad se attrahere voluisse, sed quum conatus suos irritos esse vidisset, eam pristino amasio restituisse. At haec systemata quam plurima gratis supponere coguntur, quae ne verbulo quidem sunt indicata, et quum suum quisque ingenium secutus alia et alia supponant novasque fabulae suae romanensis personas etc. fingant, mirum non est, quod inter se quam maxime dissentiant[5]. At ne hac quidem ratione omnes difficultates solvunt; quid enim quod puella illa amores suos cuilibet manifestet, nunc in gynaeceo, nunc in domo matris suae, nunc in agro, nunc in urbe etc. versari dicatur etc.? Quare alii eo adducti sunt, ut aut omnia aut saltem aliqua in somnio agi et dici assererent; sed somniis istis immorari, quum nimis absurda esse videantur, operae pretium non est. Nescio enim annon severissimum illud iudicium, quod de Mopsuesteni explicatione tulit Theodoretus (l. c.), de omnibus modernis quoque ferre liceat, qui proprium quendam sensum admittunt atque historiam veram (aut fictam) in Cantico contineri asserunt : « fabulas, inquit, ne aniculis quidem delirantibus dignas contexunt, qui Salomonem sapientem de se ipso deque Pharaonis filia haec scripsisse dicunt aut pro Pharaonis filia Abisai Sunamitidem fingunt ».

1. De variis explicationis systematis cfr *B. Schaefer* (Das Hohelied Münster 1876. p. 78 sqq.) et *G. Gietmann* (Comment. in Eccles. et Cant. 1890. p. 354-385.), qui variis interpretationis speciminibus allatis rem magis dilucidat. Cfr etiam *Zoeckler* (Das

Hohelied u. der Prediger. Bielefeld 1868. p. 15 sqq.), qui de iisdem systematis agens singulorum praecipuos patronos recenset.

2. Cfr *Schaefer* p. 29 et *Zoeckler* p. 16 sq. — Conantibus nonnullis Canticum e canone expungere R. Akiba respondit, nullum diem eo esse sanctiorem, quo Israel illud acceperit nec quemquam de eius divinitate dubitare (tr. Iadaim 157 a). Aben Esra autem solam allegoricam libri explicationem a Iudaeis admitti asserit.

3. Theodori sententia nobis non innotuit nisi fragmentis in Actis Concilii V. oecum. conservatis (Mansi Coll. Concil. IX. 225 sq.; cfr M. 66,699 sqq.). Secundum Theodorum Salomon, ut populi invidiam, quam uxore alienigena (Pharaonis filia) ducta sibi attraxerat, a se repelleret, libellum nostrum conscripsit. Librum igitur non esse repudiandum, ac si ad libidinem incitaret, nec laudandum, ac si prophetiam de bonis Ecclesiae contineret, sed eum esse « aemulationis nuptialis mensale convivium, sicut et de amore postea Plato convivium scripsit ». Theodori sententiam a nonnullis esse receptam elucet ex eo, quod Theodoretus alteram systematis formam cognovit, quae pro Pharaonis filia substituit Abisai Sunamitidem. Num in Occidente similis explicatio antiquitus sit proposita, an *S. Philastrius Brix.* (haer. 135. M. 12,1267), quum haereticis eos adnumeraret, qui Canticum « non divino Spiritu sed humanarum voluptatum causa » scriptum dixerunt, Theodorum Mopsuest. notare voluerit, non liquet [a]. — Ceterum *Conc. V. Patres* his verbis damnarunt Theodori sententiam : « Despernit idem Theodorus Canticum Canticorum et sicut ad amatam sibi haec Salomonem scripsisse dicit, infanda Christianorum auribus de eo exponens ». Quae verba ita sunt comparata, ut a nonnullis illos quoque, qui cum proprio typicum sensum coniungunt, configere censeantur; nam illi quoque Salomonem haec de sua amata dixisse tenent. Ut allegoricum sensum defenderet, ad Patrum consensum iam provocavit Theodoretus In Cantic. Prol. M. 81,32 (Cfr *infra* 218). Eidem sententiae inhaesisse Patres occidentales docent *S. Hieronymus* (ad Paulin. ep. 53,7; ad Laet. ep. 107,12; c. Iovin. I. 30 etc. M. 22,547. 876; 23,263) et *S. Augustinus* (de Gen. ad lit. VIII. 2; Specul. S. Script. De Cant.; Civ. Dei XVII. 20 etc. M. 34,375. 925; 41,556), a quibus iuniores, uti solent, ita dependent, ut usque ad 12. saec. nullum catholicum interpretem inveniri arbitrer, qui sensum proprium admiserit. Saec. 12. quidem *Honorius Augustod.* Canticum « historice » de nuptiis Salomonis et filiae Pharaonis, « allegorice » (i. e. typice) de Christi unione cum Ecclesia et cum anima qualibet iusta explicavit (Comment. M. 173,359 sqq.), sed non videtur invenisse, qui eum sequeretur usque ad saec. 16., a quo tempore iterum aliqui, sed paucissimi, sensum proprium cum typico admiserunt; recte igitur monet *Sanctius* (In Cantic. Lugduni 1616. p. 2) : « *communem omnium paene doctorum et Sanctorum sententiam esse*, sermones haberi inter Christum et Ecclesiam ». Traditionem catholicam fuse (sed non semper satis accurate) exponit *Grandvaux* (Le Cantique des Cantiques par M. l'abbé Le Hir. Paris 1883. p. 13-43).

4. *Theodoret.* In Cantic. Prol. (M. 81,29).

5. *Reuss* (Gesch. des A. T. 221 sq.), licet ipse quoque Canticum in minuta fragmenta discerptum proprio sensu exponat, merito irridet et exagitat dissensum eorum, qui romanensem quandam fabulam in eo quaerunt : « Secundum alios argumentum est vera historia, secundum alios mera fictio; secundum alios res agitur Ierosolymis,

(a) Theodorus natus a. 350. episcopus Mopsuestenus creatus est a. 392.; sed diu antea presbyter antiochenus errores suos de S. Scripturis spargere coeperat. S. Philastrius opus suum scripsit, postquam a. 380. ad sedem Brixinensem erat evectus; immo forte non scripsit nisi post a. 390; S. Hieronymus enim in suo Catalogo virorum illustrium, quem a. 392. edidit, Philastrii mentionem nondum fecit. De anno, quo mortuus est S. Philastrius, non constat; secundum plerosque iam a. 386., secundum alios a. 396. vita functus est.

secundum alios in Baal Hermon, secundum alios Thecoae : brevi prout libet, aut in septemtrionalibus aut in meridionalibus terrae partibus; alii sponsam natam esse dicunt in Sunem, alii in suburbio quodam; sponsus habitat aut in Engaddi aut in monte Libano; secundum alios est rex, secundum alios pastor; secundum alios sponsa regem amat, secundum alios eum detestatur; secundum alios pastoris est uxor, secundum alios eiusdem amasia; secundum alios filiae Ierusalem sunt ex gynaeceo regio, secundum alios sunt virgines...; secundum alios sponsa a fratribus venditur, secundum alios ab aulicis regiis abripitur...; secundum alios e gynaeceo vi expellitur, secundum alios a magnanimo rege dimittitur, secundum alios fugit, secundum alios ab amasio abducitur. Omnia prout libet, nam textus de omnibus his non loquitur » etc.

215. — Proprio igitur qualicunque ac proinde etiam typico sensu, qui proprio innitatur, reiecto inquiramus oportet, quid auctor sub allegoriae suae tegumento repraesentare voluerit, vel quod sit Cantici Argumentum. Secundum paucos modernos auctor imagine sponsae populum decem tribuum significare voluit, cuius pars exigua post Samariae excidium iudaico regno eiusque regi Ezechiae (alteri Salomoni) adiungi cupiverit; non alienum ab ea re fuisse Ezechiam, sed opposuisse se regni iudaici cives eo quod Israelitas nondum dignos iudicassent, qui secum unum populum constituerent[1]; at haec sententia vix nacta laudatorem oblivioni iam tradita est. Neque maiore, sed minore attentione digna est altera sententia, quae cultus restaurationem ab Esdra et Nehemia factam celebrari putat[2]. Quod si utrique explicationi iam Cantici origo, quam salomonicam esse demonstrabimus, velut invictum argumentum opponitur, tertia quaedam minus displicet, quae « mutuos Salomonis et Sapientiae amores allegorice in Cantico sisti » tenet. Cuius fautores monent reliquos salomonicos libros de sapientia agere; in *Prov.* 9. sapientiam velut reginam sisti, quae omnes ad convivium a se praeparatum invitet eique opponi stultitiam sub figura meretricis illecebris suis iuvenes seducentis; in iunioribus quoque Sapientiae et Ecclesiastici libris vestigia huius interpretationis inveniri eique favere inscriptionem syriacam nostri libri : Sapientia Sapientiarum[3]. Quae licet omni probandi vi non destituantur, eiusmodi tamen non sunt, ut ullo modo veterem et communem sententiam relinquendam esse suadeant.

Frequentissime in integro V. T. unio, qua Iahve sibi populum Israel coniunxit, per allegoriam matrimonii exhibetur. Neque enim a solis prophetis imago haec continuo adhibetur[4], sed in mosaicis libris iam supponitur, quotiescunque idololatria cum fornicatione comparatur aut fornicatio appellatur[5]. Eandem imaginem ad Christi et Ecclesiae intimam unionem innuendam adhibuerunt N. T. scriptores[6], atque Dominus ipse sese appellat sponsum, hoc nomine a Ioanne B. appellatur, nuptiarumque imagine in suis parabolis frequenter utitur suumque regnum comparat nuptiis, ad quas omnes sunt invitati[7]. Iam

eandem allegoriam antiqua synagoga et Ecclesia in Cantico agnoverunt. Atque synagoga quidem sub allegorico involucro mutuos Dei et populi electi amores vel etiam desiderium, quo populus Messiam suum recipere cupiebat, describi censuit; hinc tota paraphrasis chaldaica libri nostri continua est descriptio relationis, quae inde ab exitu ex Aegypto inter Iahve interque filios Israel intercessit. SS. Patres vero Canticum de mystica Christi et Ecclesiae unione mutuaque caritate interpretati sunt. « Christum, inquit *Origenes*, sponsum intellige, Ecclesiam sponsam sine macula et ruga ». Atque *Theodoretus :* « A vetere igitur ad novam sponsam accedentes hac ratione Canticum interpretemur reiectisque falsis et perniciosis opinionibus sanctos imitemur Patres, atque unam sponsam cum uno sponso colloquentes gnoscamus, et qui sit sponsus et quae sit sponsa, a sanctis Apostolisa discamus. Id enim nos docet divus Paulus ita scribens : *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Sponsam autem ex multis congregatam dixit, nam *despondi*, inquit, non te, sed *vos,* i. e. animas pias et in virtute perfectas. Sponsam enim divina Scriptura Ecclesiam intelligit, sponsum autem Christum appellat »[8]. Eodem modo, si ad Occidentales accedimus, *S. Augustinus :* « Canticum spiritualis quaedam est voluptas mentium in coniugio illius regis et reginae civitatis, quod est Christus et Ecclesia. Sed haec voluptas allegoricis tegminibus involuta est, ut desideretur ardentius, nudeturque iucundius et appareat sponsus, cui dicitur in eodem Cantico : *aequitas dilexit te* (1,3), et sponsa, quae ibi audit : *caritas in deliciis tuis* (7,6) ». *S. Hieronymus* autem : « Salomon Ecclesiam iungit et Christum sanctarumque nuptiarum dulce canit epithalamium ». Quibus, ne longi simus, unum ex iunioribus addamus *Haymonem Halberst. :* « Salomon inspiratus S. Spiritu composuit hunc libellum de nuptiis Christi et Ecclesiae et quodam modo epithalamium fecit Christi et Ecclesiae »[9].

Antiquos autem interpretes unanimi consensu in Cantico mysticas Christi et Ecclesiae nuptias descriptas vidisse, nemo mirabitur, quamprimum consideraverit non tantum *in genere* relationem inter Deum et filios Israel, inter Christum et Ecclesiam imagine relationis sponsi et sponsae a sacris scriptoribus esse descriptam, sed ipsum *speciale Cantici argumentum* iam in alio carmine sacro esse tractatum. Nam Psalmum 44. (45.) Patres velut clavem habuerunt, quae reserandis Cantici mysteriis inserviret. « Arbitror, inquit *Theodoretus,* sapientem Salomonem a patre, utpote propheta et magno quidem propheta, edoctum haec conscripsisse. Audierat enim illum ita canentem : *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato,* et iterum : *Audi, filia, et vide et inclina aurem tuam et obliviscere populi tui et domus patris tui, et concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus*

*tuus* »[10]. Procul dubio non ignoramus hoc quoque carmen de Salomonis filiaeque Pharaonis aut nescio de cuius regis israelitici vel persici nuptiis a modernis interpretibus explicari; at Psalmum esse directe messianicum regemque illum formosissimum et fortissimum, de cuius nuptiis agitur, alium non esse quam regem Messiam, quem solum nomine *Dei* alloqui potuit poeta, diserte nos docet Apostolus (*Hebr.* 1,8. 9.). Iam tanta est inter psalmum istum et Canticum nostrum similitudo, ut genuino Psalmi sensu intellecto de sensu argumentoque Cantici non amplius sit dubitandi locus; sensus autem Psalmi clarus est, quamprimum regem sponsum esse Messiam constat[11].

1. Hanc explicationem proposuit *Hug* Das Hohelied in einer noch unversuchten Deutung. Freiburg 1813. et Schutzschrift für meine Deutung des hohen Liedes und desselben weitere Erläuterung. 1815. — Eam adoptavit *Herbst* Einleitung III. p. 234 sqq.; sed eam iam satis refutavit *Bertholdt* Einleitung p. 2587 sqq.

2. *Kaiser* Das Hohelied, ein Collectivgesang auf Serubabel, Esra u. Nehemia als die Wiederhersteller einer jüdischen Verfassung in der Provinz Iuda etc. Erlangen 1826.

3. Cfr *Rosenmueller* Scholia in Canticum. Lipsiae 1830. p. 271 sqq. Vestigia huius explicationis inveniri creduntur *Sap.* 8,2, ubi Salomon inducitur dicens : « hanc (sapientiam) amavi et exquisivi a iuventute mea, et quaesivi *sponsam* eam mihi assumere et amator factus sum formae (i. e. pulchritudinis) illius »; et iterum 8,9 : « Proposui ergo hanc adducere mihi ad convivendum »; cfr etiam 8,16. 18. In *Eccli.* 24,18. 19. sapientia sese comparat *rosae in Iericho, olivae amoenae in campo* (*Cant.* 2,1); *Eccli.* 24,20 loquitur de bonis odoribus, quos sapientia spargit (*Cant.* 1,12; 3,6; 4,11. 13), cfr etiam 24,23 et *Cant.* 2,13; 7,12; — 24,25-27 et *Cant* 4,11. 17; 5,1; — 24,40 sqq. et *Cant.* 4,12. 13. 15; 6,2. — Quae iuniores illos scriptores Canticum cognovisse et imitatos esse satis quidem demonstrant, at nondum probant, eos Canticum de mutuis Sapientiae et Salomonis amoribus intellexisse.

4. *Is.* 54,5; 62,5 etc.; *Ierem.* 2,2; 3,1 sqq. etc.; *Ezech.* 16; 23 etc.; *Os.* 1. 2. 3 etc.

5. *Exod.* 34,15. 16; *Levit.* 20,5. 6; 26,15 etc.

6. *Eph.* 5,23 sqq.; 2 *Cor.* 11,2; *Apoc.* 19,7 etc.

7. *Matth.* 9,15. — *Ioan.* 3,29. — *Matth.* 22,1 sqq.; 25,1 sqq. etc.

8. *Orig.* In Cant. hom. 1 (M. 13,38); *Theodoret.* In Cant. Prol. (M. 81,44).

9. *S. August.* Civ. Dei XVII. 20 (M. 41,556); *S. Hieron.* ad Paulin. ep. 53,7 (M. 22, 547); *Haym. Halberst.* Comm. in Cant. Praef. (M. 117,295).

10. *Theodoret.* In Cant. Prol. (M. 81,48).

11. De sensu *Ps.* 44. cfr interpretes catholicos.

Cum SS. Patribus igitur et omnibus fere catholicis interpretibus argumentum Cantici dicimus esse mysticas Christi et Ecclesiae nuptias. Neque ullo modo huic argumenti definitioni obest, quod inde a Patrum tempore Canticum interdum *de Christi unione cum sancta quavis anima* aut *de intima Christi cum Beatissima eius matre coniunctione* sit explicatum. Revera quidem iam *S. Gregorius Nyss.* in praeclaris suis de Cantico homiliis illud praesertim ostendere sibi proposuit, quomodo « per ea, quae in Cantico scripta sint, ornetur anima tam-

quam sponsa ad incorpoream et spiritualem cum Deo coniunctionem », atque dudum antea *Origenes*, postquam primum versum de Ecclesia exposuit, addendam censuit alteram explicationem de anima pia; etenim « tertio, inquit, expositionis loco introducamus animam, cuius omne studium sit coniungi et consociari Verbo Dei et intra mysteria sapientiae eius et scientiae velut in sponsi coelestis thalamos intrare, cuique praesentia quoque ipsius munera data sunt dotis scilicet nomine » [12]. At cuinam fundamento innitatur haec explicatio, ille nos docet sanctus Doctor, qui ceteros omnes in ea tradenda superavit. Haec enim *S. Bernardus* : « Et nemo nostrum sibi arrogare praesumat, ut animam suam quis audeat sponsam Domini appellare; *quia tamen de Ecclesia sumus, quae merito hoc nomine et re nominis gloriatur,* non immerito gloriae huius participium usurpamus. Quod enim sicut omnes plene integreque possidemus, hoc singuli sine contradictione participamus » [13]. S. Bernardus igitur octoginta sex homiliis duo priora Cantici capita ita explicans, ut Christi cum anima sancta coniunctionem unionisque huius immensa bona continuo celebraret, antiquam explicationem de Christi et Ecclesiae unione non negavit sed velut principium supposuit, ex quo suam doctrinam derivaret.

Inter omnes autem animas sanctas nulla est, cuius cum Christo unio necessitudini illi comparari, nedum adaequari possit, qua B. Virgo cum divino suo Filio coniuncta est. Quare mirum non est, quod inter Patres iam non defuerint, qui ea, quae de sponsa dicta sunt, ad B. Virginem adhiberent; praeeunte autem Ecclesia, quae in sua liturgia nomine sponsae frequentissime purissimam Dei Genitricem intelligit verbaque sponsae Cantici ei attribuit, iuniores interpretes integrum Canticum de eius cum Filio unione explicarunt [14]. Cuinam autem fundamento innitantur, docent S. Bernardi verba mox allata.

Recte igitur monet quidem *Goldhagen*, Canticum de Ecclesia non ita esse intelligendum, ut vel B. Virgo vel quaevis anima sancta excludatur; erraret autem, qui triplex Canticum argumentum ideo statuendum esse arbitraretur. Unicum et adaequatum eius argumentum est mystica Christi et Ecclesiae unio mutuorumque amorum Christi et Ecclesiae descriptio; at haec ipsa Christi et Ecclesiae coniunctio *fundamentum* est et *imago* unionis Christi cum purissima eius matre atque imperfectioris quoque unionis Christi cum quavis anima iusta. Quare velut arbitrariam non licet repudiare eorum explicationem, qui Canticum ad B. Virginem vel ad animam piam *accommodant;* verum enim adest solidumque, uti iam monuit S. Bernardus, accommodationis fundamentum. Immo explicatio haec ad « sensum consequentem » rectius, opinor, quam ad accommodationem trahitur [15].

Quod si Christi et Ecclesiae unionem in Cantico celebrari asserimus,

evidens est nos antiquae synagogae de Cantici argumento traditionem non reiicere, siquidem Ecclesia non est nisi antiquae synagogae perfectior continuatio. Neque tamen scio, annon rectius et accuratius illi loquantur, qui duplicem libelli sensum, literalem et typicum, distinguunt. Sensu autem literali (sed metaphorico) Salomon Dei et populi electi unionem mutuosque amores cecinisse dicendus est; at sicut integrum Vetus Testamentum cum omnibus suis privilegiis imperfectus typus est novae oeconomiae, ita etiam unio, qua Iahve sibi populum Israel coniunxit, typus erat et umbra perfectioris illius et arctioris unionis, qua Christus Ecclesiam, quam sanguine suo sibi emit mundavitque lavacro aquae in verbo vitae, secum coniungi voluit.

Priusquam disputationi nostrae de Cantici argumento finem imponamus, unum moneamus oportet, ad quod non satis attendentes non pauci antiqui interpretes allegoricam libelli nostri interpretationem risui fere et despectui exposuerunt. Cavendum enim quam maxime est, ne omnia, quae a sponso vel a sponsa dicuntur, velut directe et immediate a Deo et synagoga vel a Christo et Ecclesia dicta esse existimemus, neve omnes omnino imagines similitudinesque urgeamus omnibusve phrasibus vocabulisque mysteria abscondi putemus. Quemadmodum enim in allegoriis poeticis fieri fere solet, ita etiam in Cantico multa soli ornatui poetico videntur inservire, atque otiosum, quin etiam periculis plenum est, in singulis sententiis, descriptionibus, vocabulis mysteria quaerere. Neque ullo modo putandum est, Salomonem et Sulamithem non esse nisi alia nomina adhibita pro Iahve et synagoga, Christo et Ecclesia, sed humani illi affectus, quos sponsus et sponsa exprimunt, repraesentant tantum altiores et sublimiores Christi et Ecclesiae affectus, atque in externae illius pulchritudinis descriptionibus ad singula quoque et minuta descendit oratio, ut clarior reddatur eius imago, atque interna et spiritualis pulchritudo, quam indicare vult auctor, perfectius exprimatur [16].

12. *S. Gregor. Nyss.* In Cant. hom. 1 (M. 44,765); *Orig.* In Cant. 1,1 (M. 13,85). Cfr etiam, quomodo *S. Hieron.* c. Iovin. I. 30 (M. 23,263) nonnulla ad virginitatem accommodet, et ad Eustoch. ep. 22,1 (M. 22,394) *Ps.* 44,11 accommodato sensu de anima pia explicet etc.

13. *S. Bernardi* In Cant. hom. 12,1 (M. 183,833).

14. *S. Ambrosius* iam multos textus de B. Virgine explicavit; cfr commentarium a Gulielmo Abb. ex eius operibus collectum *passim* (M. 15,1851 sqq.); *Rupertus Tuit.*, *Dionysius Carth.* aliique multi integrum Canticum aut de sola B. Virgine aut de Ecclesia, de B. Virg. et de quavis anima pia exposuerunt.

15. Cfr quae de sensu consequente et de accommodatione disseruimus in *Introd. gen.* Ed. 2. 1894. nn. 199. 206 p. 549 sqq. 566 sqq. Saepissime acatholici et aliquoties etiam nonnulli catholici interpretes, ubi de explicatione Cantici disserunt, nec inter sensum literalem proprium et literalem metaphoricum (allegoricum), nec inter allegoricum et typicum, nec inter typicum et accommodatum satis accurate distinguunt.

16. Optime *Mart. del Rio* (In Cant. Comment. literalis et catena mystica. Lugd. 1611. Isagoge p. XXXIV) : « Notanda deinde est regula verissima, non quaecumque in parabola commemorantur, ea ad historicum vel allegoricum sensum pertinere vel eo explicari debere; sed ornatus dumtaxat et decoris gratia, non ut membra sed ut emblemata, non quia necessaria sed quia sic fieri solita inseri solere; atque ideo non omnia bonum interpretem, quae in ipso literae cortice occurrunt, ad medullam literae transferre et accommodare debere, sed ea dumtaxat, quae ad essentiam, ut sic dicam, medullae et scopum auctoris finemque parabolae spectare videbuntur : quae autem sunt talia, id ex fine parabolae intelligendum. Nec semper personae personis, nec partes partibus per omnia scrupulose sunt conferendae; sed totum negotium toti negotio comparandum et totum sententiae corpus intuendum, et integrum ex integra parabola tractandum, ut optime adnotavit Ioan. Maldonatus in Matth. 11,16 et passim ». Dolendum tantum, quod nec Del Rio nec alii interpretes Cantici plerique verissimam hanc et sapientissimam regulam observarint.

216. — Argumentum hoc de mysticis Christi et Ecclesiae nuptiis proponitur et explicatur continuis sponsi sponsaeque colloquiis; unde factum est, ut inde ab Origenis aetate interpretes non pauci libellum drama esse iudicaverint. « Epithalamium libellus hic, inquit *Origenes*, dramatis in modum mihi videtur a Salomone conscriptus... Fit (enim) sermo ab ipsa sponsa non solum ad sponsum sed etiam ad adolescentulas, et rursum sponsi sermo non tantummodo ad sponsam, sed etiam ad amicos dirigitur sponsi. Et hoc est, quod supra diximus, carmen nuptiale in modum dramatis esse conscriptum. Drama enim dicitur, ut in scenis fabula agi solet, ubi diversae personae introducuntur et aliis accedentibus, aliis etiam discedentibus a diversis et ad diversos textus narrationis expletur »[1]. Latiore hoc sensu Canticum procul dubio, sicuti etiam Psalmi nonnulli (2. 23 etc.) et pericopae quaedam prophetarum (Is. 63,1-6), generi dramatico adscribi potest, at iustum drama non est (165), siquidem nihil in eo invenitur, quod fabulae dramaticae argumentum exhibeat; idem fere a principio usque ad finem manet rerum status, nisi quod colloquentium affectus variantur, qui nunc separati languent, nunc coniuncti mutuo consortio fruuntur[2]. Modernorum autem conatus, qui fabulam dramaticam in eo quaerebant et ad modum dramatis in Actus scenasque distribuerunt, omnes fuisse irritos, dissensu eorum satis demonstratur; nam pro suo quisque ingenio sibi fabulam quandam fingunt et pro suo quisque gustatu libellum in tres, quatuor, quinque, sex, septem Actus et in quinque, septem, decem, quindecim etc. scenas distribuunt[3].

Alii quoque interpretes in CANTICI DIVISIONE in diversissimas abeunt sententias; neque id mirum. Quamquam enim inter eos de universo argumento convenit, quod omnes fere catholici dicunt esse mysticas Christi nuptias, quam maxime tamen dissentiunt, si accuratius iam definiendum est argumentum; ab argumenti autem descriptione analysis libri dependet[4]. Ideo nos quoque, quum hoc in opere munere

interpretis fungi nobis non liceat, sine interpretatione autem argumentum genuinis suis limitibus circumscribi non possit, a tradenda libelli analysi abstinebimus.

1. *Orig.* Comm. in Cant. Prol. (M. 13,61).

2. Cfr *Lowth* De sacra poesi. Prael. 30. p. 344, qui recte addit : « Nihil heic iustae actionis simile, nec quod magis accedat ad naturam legitimae fabulae, quam quodvis habet e Theocriti aut Virgilii bucolicis dramaticis ». Similiter *G. Gietmann* (l. c. p. 482 sqq.) « Canticum *simpliciter lyricum* dicendum censet,... quod tamen *formam quasi scenicam* habeat, maxime quia *plures* personae loquantur et quidam efficiatur *progressus actionis* ac paucis locis *apparatus quasi scenicus* adhibeatur ».

3. *I. B. Bossuetius* (Comm. in Cant. Paris. 1693. Praef.) pro septem diebus, quibus Hebraei nuptias celebrare solebant, Canticum in *septem* partes distribuit, quas singulis diebus assignat (I. 1,1-2,6; II. 2,7-17; III. 3,1-5,1; IV. 5,2-6,9; V. 6,10-7,11; VI. 7,12-8,3; VII. 8,4-14); simili modo *Kilber* Analysis bibl. II. p. 149 sqq., sed in nonnullis partibus definiendis a Bossuetio recedit (II. 2,7-3,4; III. 3,5-5,6; IV. 5,7-6,3; V. 6,9-7,11) singulisque diebus varia tempora (« sub auroram », « sub solem iam ortum », « sub reliquam lucem » etc.) assignat atque ita ad viginti quattor scenas pervenit. — Inter modernos protestanticos *Hitzig* statuit novem scenas, *Delitzsch, Hahn*, etc. sex actus, qui singuli binis scenis constant, *Ewald, Boettcher, Renan* etc. quinque actus et tredecim vel quindecim scenas, *Friedrich* quatuor actus et decem scenas, *Hofmann* tres actus etc. Accuratiora tradit *Zoeckler* l. c. p. 7. Cfr de hac quaestione *Reuss* l. c. p. 221 : « Ich habe in meiner Auslegung des Hohenliedes (Franz. Bibelwerk V. 3) eine ausführliche Kritik dieser dramatischen, und somit überhaupt jeder verwandten Erklärung versucht, namentlich durch eine synoptische Zusammenstellung der Commentare von *Iacobi, Stäudlin, Ewald, Boettcher, Hitzig* und *Renan*, welche Scene für Scene, fast Zeile für Zeile einander verglichen werden um *die alle Begriffe übersteigende Willkür der Exegese* jedem Leser zum Bewusstsein zu bringen, und zu zeigen, dass dessen, was sie zwischen die Zeilen einschieben ohne alle Veranlassung im Texte, *viel mehr* ist, als das in diesem Texte wirklich Gegebene. Die Sache läuft wirklich auf ein *Risum teneatis* hinaus ».

4. Quantopere analysis ab accuratiore argumenti definitione ac proin ab ipsa interpretatione dependeat, pauca exempla demonstrabunt. *S. Thom. Aquin.* hanc divisionem indicat : Describuntur mutua desideria inter Christum et Ecclesiam 1. secundum quod Ecclesia fuit in statu primitivo, in quo fracti sunt rami *Iudaeis* Ecclesiam intrare renuentibus (1,1-3,6), 2. relate ad statum intermedium Ecclesiae, in quo profecit et fere omnes *gentes* recepit (3,7-6,9), 3. secundum statum ultimum, quando omnis *Israel* salutem inveniet (6,10-8,13). — *Nic. Lyranus* duas partes statuit, cuius prior agit de amore Dei erga populum V. T. (1,1-6,12 : a.) tempore egressus ex terra Aegypti (1,1-11; b.) progressus per desertum (1,12-4,7; c.) ingressus in Iudaeam 4,8-6,12); altera de amore Dei erga Ecclesiam N. T (7,1-8; a.) tempore inchoationis 7,1-10 b.) dilatationis 7,11-13, c.) quietationis 8,1-13). — *Corn. a Lapide* quinque partes facit : 1. nuptiae Christi cum humanitate per incarnationem · infantia Ecclesiae 1,1-2,7; Ecclesiae propagatio et incrementa 2,8-3,5; 3. Ecclesiae plenitudo 3,6-5,1; 4. Ecclesiae veterascentis in senium inclinatio 5,2-6,2; 5. Ecclesiae renovatio et ad summam perfectionem restitutio 6,3-8,17. — *B. Schaefer* (Das Hohe Lied Münster 1876.) tres iterum partes agnoscit : 1. Nuptiae Christi cum natura humana 1,1-2,7; 2. Nuptiae Christi cum Ecclesia 2,8-5,1; 3. Nuptiae Christi cum singulis animis 5,2-8,5. Alii aliter.

## § 17. — *De Cantici origine et auctoritate*

217. — Salomoni auctori Canticum attribuit inscriptio, quam alexandrini iam interpretes ad s. textum pertinere ac proin ab auctore ipso profectam esse iure merito censuerunt; inscriptione enim libellus carere non potuit et moris fuisse poetis hebraeis, ut carminibus nomina sua praefigerent, alibi iam monuimus[1]. Cum inscriptione autem unanimis et constans synagogae et Ecclesiae traditio consentit, quae tantum abfuit, ut alium auctorem praeter Salomonem cognosceret, ut pauci illi antiqui rabbini et haeretici, qui libri divinitatem addubitabant aut negabant, salomonicam eius originem profiterentur neque ante exortum rationalismum quisquam sit inventus, qui eum Salomoni abiudicaret. Duplex demum inscriptionis et traditionis testimonium indole Cantici non parum confirmatur. Nonnulli quidem rationalistae historicas allusiones conquisiverunt, quae recentioris originis essent vestigia; at vanos fuisse eorum conatus, inter omnes hodie constat et satis eorum dissensus docet, aliis persicam, aliis macedonicam, aliis nescio quam aetatem indicatam videntibus. Revera autem salomonicam aetatem libellus clare prodit; ubique enim res salomonicae cognitae supponuntur (1,5. 9; 3,7 sqq.; 4,4 etc.) eaeque velut praesentes potius describuntur, quam velut praeteritae commemorantur. Fieri autem vix potuisse recte monent interpretes, ut recentior poeta in salomonicam aetatem animo sese ita transferret, ut eam tam vividis coloribus describeret[2]. Quare etiam ex interpretibus illis, qui Salomonem auctorem esse negant, non pauci salomonicae aut proxime insequenti aetati poema attribuunt. At Salomonem ipsum auctorem esse suadet singularis illa rerum naturalium scientia, quae in toto carmine apparet. Licet centum sedecim tantum versus (inter quos multi uno disticho absolvuntur) libellus complectatur, circiter viginti tamen plantarum totidemque animalium nomina leguntur, quibus poeta in suis descriptionibus ita utitur, ut non una tantum sed varia ratione plerarumque similitudines persequatur. Cui autem tam frequentes similitudines ex rebus naturalibus desumtas aptius adscribemus, quam regi illi, quem rerum naturalium studiosissimum et peritissimum fuisse docet Scriptura (3 *Reg.* 5,12)? Regem quoque fuisse auctorem innuere videtur accurata totius terrae palaestinensis notitia; ex turre Libani depromit similitudines, sicut ex piscinis Hesebon, ex tabernaculis Cedar, sicut ex montibus Galaad, ex silvis Carmeli sicut ex floribus campi Saron, ex amoenitate oppidi Thersa sicut ex pulchritudine Ierusalem; montes Libani, Amana, Sanir, Hermon ei cogniti sunt, sicut vineae Engaddi et Baal Hermon etc. Absit quidem, ut alium poetam iisdem similitudinibus uti potuisse

negemus; facilius autem explicantur, si regem, quem integrum regnum suum non semel perlustrasse probabile est, quam privatum virum poematis auctorem esse statuimus. Summum demum poetam fuisse auctorem manifestat exquisita descriptionum venustas floridaque elocutio et dictio; summum autem poetam, qui descriptionibus et dictionis ubertate eminuit, Salomon etiam in Proverbiis sese exhibet; iam vero in non paucis textibus tanta est Proverbiorum et Cantici affinitas, ut eidem auctori utrumque opus iure attribuamus[3].

1. Sunt qui inscriptionem ab auctore ipso praefixam esse negent, quia in reliquo libro semper adhibetur relativum שֶׁ, in inscriptione autem אֲשֶׁר; at prior forma magis est poetica (quare etiam a Ieremia in solis Threnis [non in vaticiniis] adhibetur) ideoque in inscriptione usurpari vix potuit. Alii censent praepositionem ל (לִשְׁלֹמֹה) argumentum carminis indicare (« *de* Salomone ») non vero auctorem; (cfr *Is.* 5,1 לְכַרְמוֹ, *de* vinea eius); sed Salomon argumentum Cantici non est, nec ulla est ratio, cur omnium antiquarum versionum, quae auctorem designari tenent, interpretationem relinquamus.

2. Ita ipse *Ewald*, quamquam salomonicam originem non agnoscat : « Ein späterer Dichter könnte nicht so genau und getreu bis in's Einzelste Salomons Zeit schildern; er würde anstatt eines jüdischen einen persischen König geschildert haben ». Atque De *Wette* (Einl. Ed. 7. p. 372) : « Der ganze Kreis der Bilder und Beziehungen und die Frischheit des Lebens eigenen sie dem salomonischen Zeitalter zu ». Non pauci rationalistae eadem ratione loquuntur.

3. *B. Schaefer* l. c. p. 89 haec exempla affert : *Cant.* 3,1; 5,2 et *Prov.* 7,9. — 3,2; 5,4 et *Prov.* 7,11. 12. — 3,4 et *Prov.* 8,1. — 4,11 et *Prov.* 5,3. — 4,14; 5,5 et *Prov.* 7,17. — 4,15 et *Prov.* 5,15. — 5,4; 2,9 et *Prov.* 7,4. — 5,7 et *Prov.* 7,10. — 6,4. 10 et *Prov.* 7,23. 16. — 6,9 et *Prov.* 31,28. — 7,10 et *Prov.* 23,31. — 8,6. 7. et *Prov.* 6,30. 21. — 7,6 et *Prov.* 6,25. Etsi ex hoc numero nonnulla utpote parum apta auferenda sint, sufficientia remanent, quae affinitatem demonstrant. Ceterum cfr etiam *Haevernick* Einl. Ed. 2. I. 1 p. 214; *Keil* Einl. p. 395 sq.

Quae contra sententiam traditam a modernis adversariis obiiciuntur, nec sunt multa nec videntur esse gravia. Primo loco pro more in aciem producunt chaldaismos, quos in Cantico investigarunt; at quid argumentum istud valeat, toties iam diximus, ut ea repetere taedeat. Accedit autem, quod in nostro libro rari sint; praeter relativum שֶׁ enim, quod quum in antiquissimis libris hebraicis iam reperiatur (*Gen.* 6,3; 49,10; *Iudic.* 5,7 etc.), chaldaismis sine ullo iure adnumeratur, sex septemve tantum vocabula vel formae in medium afferuntur, ex quibus aptum argumentum desumi non posse, plerique moderni interpretes concedunt, licet eodem chaldaismorum argumento velut ariete suo ad convellendam salomonicam Ecclesiastae originem utantur[4]. At non tantum chaldaismos, sed etiam parsismum (פַּרְדֵּס *zend.* pairidaêza : hortus sepibus inclusus 4,13) et graecismum (אַפִּרְיוֹן *graec.* φορεῖον, ferculum 3,9) invenerunt ideoque macedonicae aetati nonnulli Canticum adscripserunt, non satis inquirentes, num vocabula illa non sint semiticae originis atque a Salomone adhiberi potuerint. Iam Salomonem

multas res externas in suum regnum introduxisse scimus; rerum autem illarum nomina simul introducta esse nemo mirabitur; quod si ei ex India allatum est ferculum (lectica), num indicum eius nomen *paryang* afferri non potuit? Et si hortum sibi fecit Persarum vel potius Assyriorum more descriptum, num nomen extraneum retinere ei non licuit? Ceterum alii interpretes multi hodie utriusque vocabuli semiticam radicem esse statuunt[5].

Alterum argumentum eis praebet nomen oppidi *Thersa* (6,4 *hebr.*; *Alex.* et *Vulg.* nomen proprium non retinuerunt); « Thersa, inquiunt, ante Ierusalem nominatur ac proin civitas regia fuisse videtur; sedes regum autem facta est dumtaxat post regni scissionem (3 *Reg.* 14,17; 15,33 etc.); post regni scissionem igitur scriptum est carmen ». Mirum sane argumentum, quoniam non ob dignitatem, sed ob amoenitatem suam duo illa oppida nominantur; Thersam autem non a Ieroboamo I. fundatam, sed antiquissimam esse docet *Ios.* 12,24.

At, inquiunt, Salomon, si libelli esset auctor, se ipse suamque sponsam risui et despectui exposuisset ea ratione de mutuis suis amoribus loquens eiusque et suam pulchritudinem celebrans; quin etiam de rebus salomonicis ita sermo est, ut earum sola memoria reliqua fuisse videatur (3,6-11). Quae obiectio iis, quae supra de libri argumento tradidimus, satis refutatur; procul dubio libellus, si proprio sensu explicandus esset, Salomoni esset abiudicandus; at nec de Salomone in eo agitur nec de filia Pharaonis aut de alia ex eius uxoribus et concubinis. Nullibi enim rex sponsus ille, de quo agitur, Salomon appellatur (etiam non 3,6 sqq.); similitudinibus tantum comparationibusque res salomonicas inservire, neque velut praeteritas commemorari, sed velut praesentes describi, atque lectoribus non minus quam auctori cognitas supponi tam manifestum est, ut a longe plerisque « criticis » concedatur.

Nihil ergo ab adversariis affertur, quo inscriptionis et traditionis testimonium infirmetur, neque igitur est cur dubitemus, quin Salomon Canticum composuerit. De tempore autem, quo illud scripsit, nihil certi statui potest. Alii libellum ipso regni eius initio, vivente matre eius Bethsabee, quam 3,11 indicatam vident, scriptum dicunt; alii eo tempore, quo Pharaonis filiam duxit atque provocant ad Pharaonis commemorationem (1,8 currus Pharaonis!); alii, qui libri canonicitatem allegoricamque eius interpretationem negant, Salomoni lapso illum attribuunt ob liberiores et lasciviores, quas inveniunt, descriptiones; alii demum Salomoni resipiscenti. Certis quidem argumentis quaestionem definiri non posse, sed rectius sentire illos arbitramur, qui Salomoni iuveni Canticum attribuunt. Tota enim eius elocutio et dictio iuveni magis quam viro aut seni convenire videtur[6], neque immerito addit Bonfrerius « parum videri idoneum fuisse hominem tam parum sobrium, tam mulierosum, qui castissimos Christi et Ecclesiae amores concineret ».

4. *De Wette Schrader* Einleitung p. 561 *sex* enumerat בְּרוֹת (1,17) כִּפֵּץ (2,8) כֹּתֶל (2,9) סְתָו (2,11) חִנֵּט (5,3) לְכִי (pro לְךָ 2,13). Omnia exempla recte allegari demus, nihilominus autem iis nihil demonstrari censemus, quia omnia eiusmodi sunt, quae facile in dialecto quadam hebraica adhiberi potuerint. Recte ipse *Reuss* (Gesch. des A. T. p. 225), qui aliis in libris argumentum aramaismorum urgere amat : « Sollte nun dagegen der Gebrauch einiger Wörter aufkommen, die man in der alten Literatur nicht nachweisen kann, oder die gar nur aus Persien oder Griechenland sollen kommen können? ».

5. Vocabuli *Pardes* radicem semiticam suspicatur *Friedr. Delitzsch* Wo lag das Paradies p. 95 sqq.; cfr etiam *Meier* Hebr. Wurzelwörterbuch 1845. p. 679 sqq. — De vocabulo *Appirjon* cfr *Delitzsch* Hoheslied p. 58 sqq., qui merito sagacitatem irridet eorum, qui ex externa quadam vocabulorum similitudine statim ad eorum identitatem concludunt; cfr p. 13 : « Mit ebendiesem Scharfsinn liesse sich beweisen, dass die babylonisch-assyrische Syllabare Asurbanipal's aus griechischer Zeit stammen, weil darin *Azamilluv* (אזמל, *culter*) vorkomme und dies das gr. σμίλη sei, oder dass der Verf. von Prov. 1-9 in 7,23 auf Eros und seinen Köcher anspiele und in 9,1 Kenntniss der sieben *artes liberales* verrathe ». Id unum mirum est, quod *Reuss*, *Delitzsch*, *Ewald*, *Doepke* aliique bene multi, qui in Cantico nobiscum tenent ex aramaismis paucisque vocabulis, quorum origo semitica exemplis certis demonstrari non potest, certi nihil de libri antiquitate desumi, nihilominus in aliis libris idem argumentum, quod nihil valere concedunt, contra nos urgeant.

6. Nihilominus *Gietmann* (l. c. p. 340 sqq.) Canticum extremae Salomonis aetati assignare mavult; illud quippe pro libro consolatorio habet, quo S. Spiritus, ipsa imminente regni salomonici ruina, Israeli ostenderit spem gloriosae reparationis. Ceterum ibidem Salomonem esse carminis auctorem egregie ostendit et vindicat.

218. — Cantici divinam auctoritatem inter Iudaeos negaverunt antiquitus pauci rabbini illa sola, uti iam diximus, ratione permoti, quod sensu proprio de amoribus Salomonis intellectum indignum videbatur, quod inter divinas Scripturas referretur; at iam ante saec. 1. finem controversia haec, si qua fuit, composita est R. Akiba sententiam ferente : « Absit ne controvertat ullus Israelita de Cantico, quasi non possit inquinare manus (i. e. libris sacris adnumerari); universus enim mundus dignus non est eo die, quo Canticum Israeli traditum est; nam omnia hagiographa sunt sancta, sed Canticum est Sanctum Sanctorum »[1]. Eadem ratione, qua rabbini illi Cantici adversarii, permotus *Theodorus Mopsuest.* quoque « se piguisse aiebat Cantica Canticorum perlegere, quoniam neque secundum propheticum spiritum composita essent, neque secundum historiarum traditionem, sicut scriptura regnorum (ll. Regum), neque demonstrativa admonitione studii uterentur »; atque haeretici, quorum meminit *S. Philastrius*, « Cantica aestimabant non Spiritu divino, sed humanarum rerum causa ac voluptatum hominibus a Salomone praedicata »[2]. Postquam Theodorus Mopsuest. a Conc. V. Patribus damnatus est, dubitationes hae de libri nostri divinitate in Ecclesia plane evanuerunt, usque dum post exortum protestantismum Genevae *Seb. Castalio* et in Hollandia

*Ioan. Clericus* atque demum nostra aetate rationalistae eas renovarunt proprium libri sensum velut genuinum stabilire conati [3].

At Cantici divinitatem unanimi et constanti sua traditione demonstrat Ecclesia; ad hanc traditionem contra magistrum suum Mopsuestenum iam provocavit *Theodoretus* libri canonicitatem et allegoricam interpretationem, quae intimo vinculo connexa sunt, simul defendens : « Beati Patres, inquit, Canticum in sacrarum Scripturarum numerum retulerunt; quin etiam multi ex veteribus illud commentariis et interpretationibus illustrarunt, et qui illud integrum ex ordine non sunt interpretati, eius tamen sententiis libros suos decorarunt. Nec solum *Eusebius Palaest.* et *Origenes Aegypt.* et martyr *Cyprianus Carthag.* et *his antiquiores Apostolisque propinquiores,* sed etiam ii, qui postea in ecclesiis eminuerunt, magnus ille *Basilius* (*Caes.*) Proverbiorum principium exponens et uterque *Gregorius,* quorum alter sanguine (*Nyss.*), alter amicitia (*Nazianz.*) Basilio coniunctus fuit, et fortis ille veritatis propugnator *Diodorus* (*Tars.*) et *Ioannes* (*Chrysost.*), qui ad hunc usque diem doctrinae fluminibus irrigat universum orbem terrarum, et ut uno verbo dicam, *omnes* cum illis librum hunc spiritualem (πνευματικόν i. e. allegorice explicandum) esse dixerunt » [4]. Revera nullus invenitur sacrorum librorum catalogus, quin Canticum contineat, praeter Theodorum nullus antiquus scriptor alicuius famae, quin pro divino eum adhibuerit : quae quum ab adversariis non negentur, testimoniis allatis confirmare opus non est. Quamvis enim nec in Novo T. nec in apostolicorum Patrum operibus unquam diserte allegetur, innumera tamen inde a saec. 2. exstant canonicitatis eius documenta, atque ea est omnium ecclesiarum in illa agnoscenda unanimitas, quae explicari plane non possit, nisi apostolicae traditioni innitatur.

Aliud autem argumentum ad eam impugnandam adversarii non habent nisi erroneam et plane absurdam, quam sibi ipsi effingunt, libri explicationem, quem contra antiquae synagogae et Ecclesiae fidem de impuris Salomonis amoribus agere definiunt. Commemoratione enim vix dignum est, quod aliqui ne semel quidem Dei nomen ullum in toto libro inveniri obiiciant; ex maiore enim minoreve divinorum nominum frequentia profecto libri divinitas non dependet; atque sensu allegorico admisso Dei continua fit mentio. Non immerito contra istos pietatis simulatores exclamat *Del Rio :* « O malevolos rerum aestimatores! cur non potius, quod res est, asseritis materiam et stylum, qui floret deliciis, mel spirat et amores puros, iuxta pastoritii et nuptialis carminis legem gravioribus illis teneriora nomina praetulisse, quibus non Dei maiestas metuenda, sed in Ecclesiam amor benignitas clementia denotantur? *Dominum* quaeris? *fratrem* audi, *sponsum*, *amicum*, *dilectum*. *Bellipotentem* quaeris? alibi licet, hic cerne

*pacificum*, cerne *pastorem*. *Fortis* tibi cordi est? *saucius* et *eadem traiectus penna* potior amanti. Pro *ineffabili* accipe *unguentum effusum*, *myrrhae colligamentum*, *hinnulum*, *botrum Cypri* et quae talia passim. Quid tu Ecclesiae obstrepis universae, cui liber ille semper canonicus habitus est et divinorum mysteriorum thesaurus? »[5].

1 *Tr. Iadain* 3,5. Cfr *Carpzov*. Introd. II. p. 264. *Abarbanel* ista R. Akibae verba explicat : « quia reliqua carmina sua Salomon fecit pro sanctis angelis, sed Canticum Canticorum Deo benedicto est appropriatum, qui est Sanctus Sanctorum ». R. Iosue Aben Sueb autem : « omnia codicis sacri scripta sunt velut sanctuarium, sed Canticum est Sanctum Sanctorum (adytum templi) ». Alii alias rationes afferunt, quae omnes, licet per se ineptae sint, fidem synagogae demonstrant.

2. Cfr *Mansi* Coll. Concil. IX. 225 et M. 66,699. — *S. Philastr.* haer. 135 (M. 12, 1267).

3. De *Seb. Castalionis* sententia, qui Calvinianis Genevensibus persuadere voluit, ut Canticum e canone eiicerent, sed ipse ex civitate eiectus est cfr *Sixt. Senens* Biblioth. sacr. VIII haer. 8 ed. Milante II. p. 1074; *Del Rio* l. c. p. II etc. — *I. Le Clerc* Sentiments de quelques théolog. de Hollande etc. l. 12. p. 573 sq. (cfr *Carpzov*. l. c. p. 264).

4. *Theodoret*. In Cantic. Prol. (M. 81,32).

5. *Del Rio* In Cant. Comm. Isag. p. III.

## § 18. — *De praecipuis catholicis commentariis in libros Salomonicos.*

219. — I. Interpretatio SS. Patrum. — Quum diligentiores in sapientialibus, quam in historicis V. T. libris exponendis essent Patres, maior quoque commentariorum eorum copia nobis est conservata; at non omnibus libris eandem diligentiam impendendam censuerunt, atque inter salomonicos Proverbia, quamvis in omnibus suis scriptis frequentissimum eorum facerent usum, rarius tamen integra ab eis sunt explanata; paucorum vero, quos composuerunt, commentariorum maior numerus per temporis iniuriam ad nos non pervenit. Inter graecos Patres *Origenem*, *S. Hippolytum*, *Didymum Alex.*, *Olympiodorum* integrum Proverbiorum librum commentariis illustrasse scimus, sed operum istorum non exstant nisi fragmenta, quae pleraque Card. Maius ex catenis manuscriptis collegit et edidit[1]. Ita factum est, ut sex primorum saeculorum duo sola opera de Proverbiis vel eorum parte conscripta integra nobis sint cognita : *S. Basilii M.* praeclara homilia in principium Proverbiorum, quam saepius iam allegavimus, et *Procopii Gaz.* commentarius satis diffusus quidem, sed parum accuratus[2]. Quae alii nobis reliquerunt, collecta habes in « Catena graecorum (quindecim) Patrum in Proverbia », quam edidit *Theodorus Peltanus* S. I. (Antwerpiae 1614).

Neque Patrum latinorum in totum Proverbiorum librum exstat commentarius, qui speciali commendatione sit dignus. *S. Augustinus* tribus homiliis praeter nonnullos versiculos egregie explicavit pericopen

de muliere forti (*Prov.* 31); *Salonius Vienn.* « mysticam in Parabolas Salomonis expositionem satis ieiunam dialogica forma conscripsit; ea quae *S. Gregorius* M. in sermonibus suis de Proverbiis exposuit, eius discipulus *S. Paterius* paucis paginis comprehendit[3]. Inter opera *Ven. Bedae* legitur quidem commentarius tribus libris constans in Prov., at S. Doctoris non est, sed *Rhabano Mauro* rectius attribuitur; habentur autem Ven. Bedae « libellus de muliere forti » et fragmenta pauca deperditi commentarii. Haec omnia sunt, quae de Proverbiis antiquitas christiana nobis transmisit; quare *Walafr. Strabo*, quum Glossam ordinariam concinnaret, solum magistrum suum Rhabanum Maurum sequi coactus erat[4].

1. *Origenis* fragmenta in Prov. M. 13,15-34 et 17,161-152. — *S. Hippolyti* fragmenta. M. 10,615-628. — *Didymi Alex.* fragmenta M. 39,1621-1646. — *Olympiodori* fragmenta (ex catena Peltani). M. 93,469-478.

2. *S. Basilii M.* homilia in princ. Proverb. M. 31,386-424. — *Procopii Gaz.* Commentarius M. 87,1221-1544. « Pulcherrimum et χριστιανικώτατον » eum vocat Card. Malus, sed nescio an tanta laude sit dignus.

3. *S. Augustini* Serm. 35-37. M. 38,213-235. — *S. Salonii Vienn.* Expositio myst. M. 53,967-994; *S. Paterii* De testimoniis in Prov. M. 79,895-905.

4. Commentarius, qui sub nomine *Ven. Bedae* habetur (« Super Parabolas Salomonis allegorica expositio M. 91,937-1040) etiam legitur inter opera *Rhabani Mauri* (M. 111, 679-792), sed quia a Walafr. Strabone, Rhabani discipulo, semper sub magistri nomine allegatur, ei omnino attribuendus est. Antiquitus etiam sub S. Hieronymi nomine allegari solebat. — *Ven. Bedae* libellus de muliere forti. M. 91,1039-1052; fragmenta (allegorica) in Prov. M. 91,1051-1066. — *Walafr. Strabon.* Glossa ordinaria in Prov. M. 113,1079-1116.

Non multo plura de Ecclesiaste, quam de Proverbiis, nobis reliquerunt Patres graeci, quamvis ex antiquioribus non pauci eum commentati sint. *S. Hippolyti* et *S. Athanasii M.* commentarii, quos S. Hieronymus et Photius commemorant, plane interierunt, nec quidquam quoque superest scholiorum et homiliarum *Origenis*, quem omnes libros sacros explicasse satis constat. Duorum autem discipulorum Origenis quaedam nobis sunt reliqua. *S. Dionysii* M. enim « commentarius brevis in principium Eccle. » (1,1-3,11) vel potius brevia scholia difficiliores quosdam trium priorum capitum versiculos paucis verbis explicant; *S. Gregorius Neocaes.* « Metaphrasin in Ecclesiasten » edidit, quam « brevem quidem sed valde utilem » S. Hieronymus non immerito dixit[5]. Quos secutus est *S. Gregorius Nyss.*, qui octo homiliis trium priorum capitum verba omnia ita ad spiritualem vitam transfert, ut praeclaram ex iis deducat morum institutionem. Integrum demum librum continuo commentario instruxit *Olympiodorus*, quem, ut apparentes contradictiones conciliaret, dialogismum quendam admisisse diximus[6]. Sub *Oecumenii* nomine edita est graecorum Patrum *catena* (Veronae 1552).

Inter LATINOS PATRES primus *Victorinus Petav.* (vel *Afer?*) Ecclesiasten explicavit, sed illius explicationis nihil superest [7]; id quod minus dolendum, quum egregium commentarium possideamus *S. Hieronymi*, qui « nullius auctoritatem secutus sed de hebraeo transferens magis se septuaginta interpretum consuetudini coaptavit, in his dumtaxat, quae non multum ab hebraeis discrepabant », atque hac ratione opus confecit, quod reliquas patristicas nostri libri explicationes facile superat. *Salonius* in sua expositione mystica pauca tantum attingit; *Alcuinus* autem « ex opusculis Patrum ac maxime de B. Hieronymi commentario parvum composuit breviarium », sed non inutile. A S. Hieronymi commentario et Alcuini breviario tota dependet *Walafr. Strabonis* Glossa in Ecclesiasten [8].

5. De SS. Hippolyto et Athanasio commentatoribus Ecclesiastae cfr *S. Hieron.* de vir. ill. 61 (M. 23,707) et *Photii* Biblioth. cod. 139 (M. 103,420). — *S. Dionysii Alex.* Comm. in principium Eccle. M. 10,1577-1588. — *S. Gregorii Neocaes.* (Thaumat.) Metaphrasis in Eccle. M. 10,987-1018 (cfr *S. Hier.* de vir. ill. 65).

6. *S. Gregorii Nyss.* Accurata expositio in Eccle. M. 44,615-754. — *Olympiodori* Commentarius. M. 93,477-628.

7. Secundum *S. Hieron.* de vir. ill. 74 (M. 23,722) Victorinus *Petavionensis* episcopus in Eccle. scripsit, sed secundum *Cassiod.* De institut. div. liter. 5 (M. 70,1117) « Victorinus ex oratore episcopus » i. e. Victorinus *Afer* (cfr S. Hier. de vir. ill. 101).

8. *S. Hieronymi* Comment. in Eccle. M. 23,1061-1174. — *S. Salonii* Expositio mystica. M. 53,993-1012. — *Alcuini* Comment. in Eccl. M. 100,667-720. — *Walafr. Strab.* Glossa ordin. in Eccle. M. 113,1115-1126.

Inter CANTICI CANTICORUM expositores ex PATRIBUS GRAECIS primo loco nominandus est *Origenes*, qui teste S. Hieronymo, « quum in ceteris libris omnes vicerit, in Cantico ipse se vicit. Nam decem voluminibus explicitis, quae ad viginti usque versuum millia perveniunt, primum septuaginta interpretes, deinde Aquilam et Symmachum et ad extremum quintam editionem ita magnifice aperteque disseruit, ut inde mihi videatur in eo completum esse quod dicitur : Introduxit me rex in cubiculum suum ». Ter Canticum exposuit Origenes : brevibus scholiis, quorum nobis reliqua sunt pauca tantum fragmenta, homiliis, quarum duae a S. Hieronymo latine redditae (in 1,1-2,14) ad nos pervenerunt, et longiore illo commentario, quem describit S. Hieronymus, cuiusque prologus et quatuor priores libri (in 1,1-2,15) a Rufino versi adhuc exstant. In commentario praesertim omnia de unione Christi Ecclesiaeque et de unione Christi et animae pie interpretatur [9]. *SS. Hippolyti* et *Athanasii M.* atque *Diodori Tarsens.* commentarii, quorum meminit Theodoretus, interierunt [10]; possidemus vero *S. Gregorii Nyss.* homilias quindecim, in quibus priora capita (1,1-6,8) ex ordine de Christi cum anima coniunctione explicat; *Theodoretus* quoque in suo commentario hanc explicationem moralem potissimum tra-

dit; sed « profundos, quos sancta sponsa Ecclesia cum suo sponso confert sermones » praefert *Philo Carpathius,* cuius commentarius olim S. Epiphanio inscribi solebat [11]. *Catenam* demum quandam maxime ex Origenis, Nysseni, Cyrilli Alex., Philonis, Nili aliorumque operibus composuit *Procopius Gazaeus* paucis propriis additis [12].

PATRUM LATINORUM primus nominandus est *S. Ambrosius,* qui, quamvis ex proposito de Cantico non scripserit, tam multos tamen eius textus et pericopas in suis operibus attigit et explicavit, ut saec. 12. Gulielmus, S. Theoderici abbas, ex illis integrum commentarium composuerit; utramque vero unionem Christi cum Ecclesia et cum anima explicat atque nonnulla ad B. Virginem accommodat. Similibus commentariis originem dederunt *S. Gregorii M.* opera; etenim non tantum *S. Paterius* ex magistri sui scriptis sua « testimonia in Cant. » collegit, sed alius ex eius discipulis, *Claudius* ut videtur, ex homiliis, quas de Cantico S. Doctor habuerat, integram expositionem composuit, atque demum Gulielmus S. Theoderici eodem modo, quo ex Ambrosii, etiam ex Gregorii libris commentarium collegit [13]. Moralem accommodationem in illis praevalere, ex modo quo exorta sunt compendia illa, facile concipitur; commentarius autem, quem paullo ante S. Gregorii aetatem *S. Iustus Urgell.* conscripserat, integer in Christi et Ecclesiae unione describenda versatur [14]. Inter opera *Cassiodori* quoque legitur Cantici expositio, quae, quum S. Gregorii M. homilias in Evangelia post Cassiodori mortem habitas alleget, rectius *Haymoni Halberst.* in aliis codicibus inscribitur; brevis quoque expositio, quae inter *S. Isidori Hisp.* opera editur et cum Haymonis commentario arcte cohaeret, genuina non est [15]. Melioribus latinis commentariis iure adnumeratur *Ven. Bedae* « expositio allegorica Cantici, in quo sapientissimus ille regum Salomon mysteria Christi et Ecclesiae, Regis videlicet aeterni et Civitatis eius, sub figura sponsi et sponsae descripsit ». Ex Bedae opere autem excerpta sunt *Alcuini* « compendium in Cant. » et *Angelomi* « enarrationes »; a Beda vero et Alcuino dependet *Wal. Strabonis* Glossa ordinaria in Cant. [16].

9. *Origenis* Scholia M. 13,36; 17,253-288; Homiliae duae interprete Hieronymo M. 13,37-58; (et Patr. lat. 23,1175-1196); Comment. interprete Rufino M. 13,61-197; addita quaedam ex Procopii catena 197-216.

10. De Hippolyti, Athanasii M., Diodori Tars. commentariis cfr *Theodoret.* in Cant. Prol. M. 81,32; *Photii* Biblioth. cod. 139 (M. 103,420); *S. Hieron.* de vir. ill. 61. etc.

11. *S. Gregor. Nyss.* Comment. (Homil.) in Cant. M. 44,755-1120. — *Theodoreti* Explanatio M. 81,27-214. — *Philonis Carpathii* (vel Carpasii) Comment. M. 40,27-151. — S. Epiphanium quoque Canticum exposuisse tradit *Cassiodorus* (De instit. div. lit. 5. M. 70,1117), qui eius opus per alterum Epiphanium, amicum suum, latine vertendum curavit.

12. *Procopii Gaz.* Comment. M. 87,1545-1754; addita sunt fragmenta quaedam 1755-1780.

13. Comment. in Cant. ex *S. Ambrosii* scriptis collectus a Gulielmo S. Theoderici abbate. M. 15,1851-1962. — *S. Gregorii M.* Expositio super Cant. M. 79,471-548 (de eius origine cfr Monitum Edit. M. 79,476 sqq.); *S. Paterii* Testimonia in Cant. M. 79,905-916; Commentarius ex S. Gregorii scriptis a Gulielmo abbate collectus M. 180,441-474.

14. *S. Iusti Urgell.* In Cant. explicatio mystica M. 67,963-994.

15. *(Ps.) Cassiodori* Expositio in Cant. M. 70,1057-1106; eadem *Haymonis Halberst.* nomine inscripta M. 117,295-358 (Cassiodorum non esse auctorem demonstrat operum eius editor M. 69,433). — *(Ps.) Isidori Hisp.* Expositio. M. 83,1119-1131 (de qua cfr Editoris sententiam M. 81,427 sq.).

16. *Ven. Bedae* Allegorica expositio. M. 91,1065-1236. — *Alcuini* Compendium. M. 100,639-664. — *Angelomi* Enarrationes. M. 115,551 sqq. — *Walafr. Strab.* Glossa. M. 113,1125-1168.

220. — II. Nullum arbitramur V. T. esse librum, qui Cantico frequentius MEDIA AETATE theologorum ingenia exercuerit, neque duobus aliis libris salomonicis sui defuerunt interpretes. *Saecula 11. et 12.* plus duodecim nobis transmiserunt Cantici explicationes, inter quas nonnullae ob magnam quam spirant pietatem semper in honore habebuntur, etsi forte minus accurate textui sacro inhaereant. Exeunte saec. 11. *Robertus Tumbalenus* († 1090), *Anselmus Laudunensis, Bruno Astiensis* Canticum de Christi et Ecclesiae unione exposuerunt, sed inde ab ineunte saec. 12. moralis explicatio praevalere coepit. *Rupertus Tuit.* enim integrum B. Virgini et incarnationis mysterio accommodare conatus est, *Honorius Augustodun.* proprio et historico sensu non excluso explicationes de Ecclesia et de anima qualibet cum Christo coniunctis tradit [1]. *S. Bernardus* autem octoginta sex sermonibus duo priora capita ad unionem Christum inter et animam tam pie et copiose accommodavit, ut mirum non sit, quod multi eum imitari sint conati. Opus a S. Bernardo non terminatum continuavit *Gilbertus de Hoylandia* additis aliis quadraginta octo sermonibus (minoris pretii et auctoritatis), quibus explicatio usque ad medium c. 5. perducitur; atque *Gulielmus S. Theoderici abbas,* qui ex S. Ambrosii et S. Gregorii scriptis duos commentarios iam collegerat, tertium ex S. Bernardi sermonibus excerpsit; quibus nondum contentus quartum de variis orantium statibus proprio Marte elaborare coepit sed non terminavit controversiis suis cum Abaelardo distentus [2]. *Wolbero* Abb. quoque, *Richardus a S. Vict., Gilbertus Foliotus* episcopus Londinensis, *Thomas Cisterciensis* simili ratione Canticum ad sensum moralem fere trahunt, licet unionem Christi et Ecclesiae non plane omittant [3]. Ad Thomae Cist. commentarium *Card. Algrinus ab Abbatisvilla* satis multa scholia adiecit, quae Christi et B. Virginis unionem urgent, atque eandem solam fere in suis commentariis tractant *Philippus de Harveng* et *Alanus de Insulis* [4].

Ex illis, quos nominavimus, *Bruno Ast.* etiam pericopen de mulieri forti (*Prov.* 31) explicavit, *Rupertus Tuit.* Ecclesiasten interpretatus est ita S. Hieronymum secutus ut non pauca propria adderet, *Honorius Augustodun.* Proverbia et Ecclesiasten « quaestionibus et responsionibus » brevibus et satis ieiunis elucidare conatus est; quibus longe praestat *Hugo a S. Vict.*, cuius exstant homiliae undeviginti in Eccle. 1,1-4,5 [5].

1. *Roberti a Tumbalena* Comment. in Cant. libri duo. M. 150,1359 (Inde ab 1,12 ad verbum consonat cum comm., qui inter opera S. Gregorii M. 79,471 sqq. legitur et Claudio, S. Gregorii discipulo adscribi solet). — *Anselmi Laudun.* Enarrationes. M. 162,1187-1228. — *Brunonis Ast.* Expositio. M. 164,1233-1288. — *Ruperti Tuit.* In Cant. de incarnatione Domini libri septem. M. 168,839-962. — *Honorii Augustod.* Expositio. M. 172,347-548. — Additur ibidem Anonymi cuiusdam expositio (M. 172, 519-542), quam recentiori scholastico (forte saec. 14.) adscribendum esse censeo ob rationes, quas explicare huius loci non est.

2. *S. Bernardi* sermones in Cantica. M. 183,779 sqq.; *Gilberti de Hoylandia* Sermones. M. 184,11-252. — *Gulielmi S. Theodorici abb.* In Cantici duo priora capita brevis commentatio ex S. Bern. serm. excerpta. M. 184,407-436. *Eiusdem* Excerpta et S. Ambr. et S. Gregor. cfr 219 n. 13; *Eiusdem* Expositio. M. 180,473-546.

3. *Wolberonis Abb.* In Cant. libri quatuor M. 195,1017-1278. — *Richardi a S. Vict.* In Cant. explicatio. M. 196,405-524 (Prologus fere ad verbum consonat cum eo, qui praefigitur S. Gregorii Comment., quem Claudio attribui diximus; commentarius est diversus). — *Gilberti Folioti* Expositio. M. 202,1147-1304. — *Thomae Cisterc.* et *Ioannis Algrini* (ab Abbatisvilla) In Cant. eruditissimi commentarii. M. 206,21-862.

4. *Philippi de Harveng* Commentaria in Cant. M. 203,181-584. — *Alani de Insulis* Compendiosa in Canticum ad laudem Deiparae V. Mariae elucidatio. M. 210,51-110.

5. *Brunonis Ast.* Expositio de muliere forti. M. 164,1229-1234. — *Ruperti Tuit.* Comm. in Ecclesiasten M. 168,1195-1306. — *Honorii Augustod.* Quaestiones et ad easdem responsiones in Prov. et Eccle. M. 172,311-348. — *Hugonis a S. Vict.* in Ecclesiasten homiliae undeviginti. M. 175,113-256. (« In hoc opere non multum ego laborandum existimo tropologiis sive mysticis allegoriarum sensibus por totam narrationis seriem exquirendis... sed narrationis superficiem, quae tanta eloquii ac sententiarum venustate pollet, explanandam suscipimus ».)

Non minore cum diligentia, quam eorum praedecessores, scholastici theologi *saec. 13. 14. 15.* libros salomonicos interpretati sunt; quoniam vero eorum opera pleraque typis non sunt exscripta, paucos tantum nominabimus. Atque primo quidem loco recensemus eos, qui una cum reliquis Scripturis etiam salomonicos libros commentariis instruxerunt, saec. 13. *Card. Hugonem,* saec. 14. *Nicolaum Lyranum,* saec. 15. *Dionysium Carth.* Quomodo Lyranus explicet Canticum, supra iam diximus; *Card. Hugo* tres expositiones de Ecclesia, anima pia, B. Virgine ita permiscet atque tot singularum phrasium explicationes affert, ut quid ipse senserit percipi vix aut ne vix quidem possit; Dionysius tres illas expositiones ita proponit, ut opus eius pro tribus commentariis haberi debeat [6]. In Prov. et Eccle. explicandis consuetum suum modum

tenet. De Proverbiis praeter eos optime sunt meriti *B. Albertus M.* qui « in *Prov.* 31. de muliere forti ingens volumen scripsit, in quo totum illud caput partim physice, partim mystice explicat » (*a Lap.*) et *Robertus Holkot,* O. Praed., cuius commentarius in Prov. « miscellanea continet ex varia doctrina, quae concionatoribus utilia sunt », quare saepius typis est excusus [7]. Inter Ecclesiastae interpretes eminet *S. Bonaventura,* qui scholastico modo in libro explicando procedit atque continuum fere dialogismum admittit, ut non nisi « in fine libri omnes sententias fatuorum et carnalium ac mundanorum damnari » supponat [8]. Duo commentarii in Canticum inter *S. Thomae Aq.* opera eduntur, quorum prior, quum nihil prorsus habeat methodi, quam S. Doctor tenere solet, atque cum commentariis sub nomine Cassiodori et Haymonis Halberstad. editis ad verbum saepe consentiat, sine ullo dubio spurius est, alter autem tanto doctore non est indignus. Ex eius sententia « principalis intentio huius operis est exprimere mutua desideria inter sponsum et sponsam, sive inter Christum et Ecclesiam; et quia secundum alium statum alia et alia sunt desideria, ideo secundum (tres) diversos status Ecclesiae oportet nos hunc librum (in tres partes) dividere » (cfr 216 n. 4. p. 195). Demum *Ioan. Gerson* paucis diebus ante mortem suum absolvit tractatum, in quo libellum « de amore seraphico, quo anima erga Deum ardet » explicare conatus est.

6. Quae sit *Dionysii Carth.* de hoc libro sententia, clare docet : « Tot et tantorum Patrum catholicorum testimoniis illucescit, quod liber hic tractet de Christo et Ecclesia, non prout Ecclesia contra synagogam dividitur, sed prout synagogam includit, et non synagogam dumtaxat, sed etiam sanctos, qui ab exordio mundi fuerunt ante legem scriptam ». Nihilominus monet « communiter ferri, quod triplex sit sponsa Christi : videlicet tota universalis Ecclesia militans, quae vocatur sponsa Domini Iesu Christi *generalis*, et quaelibet anima fidelis et amorosa, quae dicitur Christi sponsa *particularis*, itemque beatissima Virgo Maria Christifera, quae Christi sponsa *singularis* censetur », atque hanc sequitur normam, ut singula capita integra primum de Ecclesia exponat, deinde distinctis articulis de anima et de B. Virgine.

7. *Rob. Holcot* Comment. in Prov. Salomonis. Parisiis 1510. et saepissime. Eiusdem in Canticum Cant. et in septem priora capita Ecclesiastici Com. Venetiis 1509. (Utrum opera haec ei revera debeantur necne, incertum est).

8. *S. Bonaventurae* Operum Vol. I. Romae 1586. p. 309.

221. — III. Saecula 16. et 17. « non exiguam manum, sed integrum exercitum interpretum » libris salomonicis et maxime Cantico dederunt. Paucos tantum ex praeclarioribus nominabimus.

Inter Proverbiorum interpretes ista aetate duo eminent, *Rudolphus Baynius,* Prof. Paris., et *Ferd. Quir. de Salazar* S. I.; prior teste Calmeto « sensum literalem tanta perspicuitate exponere aggressus est, ut nemini esset obscurus, nec a scopo suo aberravit », alter teste Corn. a Lap. in commentario suo non minus erudito quam diffuso « multam

non solum sacram, sed etiam profanam eruditionem tradit, atque liberalius ad conceptus elegantes moralesque etiam a gentilibus petitos digreditur »[1]. Secundo vel tertio ordini adnumerari merentur *Cornelius Iansenius Gandav.*, qui « more suo solide et profunde » Proverbia explicavit, *Hieron. Osorius* (senior), quem « totum in indagando sensu et nexu esse proclamat Calmetus, *Ant. Giggeius,* qui Iarchii, Abenesrae, L. Ben Gersonis commentarios vertit suisque auxit, *Antonius Agellius, Petrus Gorse, I. B. Bossuet,* quorum opera, licet breviora sint, utilioribus tamen iure accensentur, *Corn. a Lapide,* qui quam plurima congessit divini verbi concionatoribus utilissima[2].

Inter Ecclesiastae interpretes principatum tenet *I. Pineda,* de quo haec censet Calmetus: « Ioan. Pineda eximium commentarium in Eccle. vulgavit, eximiis prolegomenis instructum, ubi quaestiones omnes in idem opus resolvuntur. Neque merum tantummodo commentarium exhibet; post textum enim Vulgatae versio, quam appellat Venetam, succedit, sicut et altera Roberti Sherwod, deinde variantes ex Hebraeo ex optimis interpretibus derivatae, versio paraphraseos chaldaicae per Cirvellum et Zamoram sicut et alterius paraphraseos chaldaicae per P. Costam, quibus accedit versio syriaca et arabica ac tandem Catena Patrum graecorum, latine omnia. Excipit totum opus amplissimus auctoris commentarius, *qui sane omnium loco haberi commode potest* »[3]. Satis magnus est aliorum numerus, quos ex temporis, quo opera eorum prodierunt, ordine nominamus: *Ioannes Campensis,* Prof. Lovan., *Ioan. Arboreus,* Sorbonicus, *Ioan. Ferus,* O. Min., *Vinc. Manso,* O. S. Bened., *Corn. Iansenius Gand., Hieron. Osorius, Franc. Sanchez,* O. S. Ben., *Ioan. Lorinus* S. I., *Ferd. Quir. de Salazar* S. I., *Ioan. Fernandez,* O. Praed., *Ioan. Tollenaer* S. I., *Petr. Gorse* S. I., *I. B. Bossuet*[4] etc.

In Cantico explicando plerique huius aetatis interpretes triplicem unionem, de qua locuti sumus, ita admiserunt, ut alii primam, alii secundam, alii tertiam magis urgerent; pauci ad Lyrani vel S. Thomae exemplum simul historicam quandam rationem in libello invenerunt, paucissimi praeter sensum hunc allegoricum etiam proprium quendam de Salomonis et filiae Pharaonis amoribus tradiderunt. Integrum omnium interpretum istius aetatis catalogum adscribere nec vacat nec iuvat, quum certum de iis iudicium ferre nec audeamus nec possimus. Unum tamen ante reliquos nominamus *Mich. Ghislierium,* O. Cler. reg,. Agellii discipulum, qui quadruplicem vel quintuplicem commentarium Cantici dedit; singulos enim versus primum « secundum sonum literae » explicat ad nexum accurate attendens, deinde eosdem distinctis articulis de prima, secunda, tertia sponsa (Ecclesia, anima pia, B. Virgine) exponit, atque quinto articulo catenae in modum antiquiorum

Patrum sententias addit. Speciali memoria dignus quoque est *Gilb. Genebrardus*, qui trium rabbinorum (Iarchi, Abenesra, Anonymi) commentarios latine vertit suisque adnotationibus auxit [5]. Praecipuos ex reliquis iterum secundum temporis rationem enumeramus. Sunt autem *Franc. Titelmannus*, O. Cap., *Damianus Hortulanus*, O. S. Aug., *Hieron. Almonazir*, O. Praed., *Ludov. Sotomaior* S. I., *Ioan. de Pineda*, *M. Ant. Del Rio* S. I., *Tucc. Tuccius*, *Casp. Sanctius* S. I., *Lud. ab Alcasar* S. I., *Paul. Aresius*, *I. B. Bossuet* etc. [6].

1. ***Rud. Baynii*** Comment. in Prov. Salomon. Parisiis 1555. (Receptus inter Critic. sacr. et in Migne Curs. compl. S. S.). — ***Ferd. Quir. de Salazar*** Expositio in Prov. Salomonis. Paris. 1621.

2. ***Corn. Iansenii Gandav.*** Comment. in Proverbia. Lovanii 1569 (Meliores editiones Lov. 1586. 1592. etc.). — ***Hier. Osorii*** Comm. Antwerpiae 1569. — ***Ant. Giggeii*** In Prov. commentarii trium rabbinorum cum variis lectionibus chald. et syr. etc. Mediolani 1620. — ***Ant. Agellii*** Comm. (inter Aloysii Novarini opuscula. Veronae 1649). — ***P. Gorse*** Explicatio compendiaria Parabolarum Salom. cum notis in loca difficiliora. Parisiis 1654. (Gallice). — ***I. B. Bossuet*** Notae in quinque libros sapientiales. Parisiis 1693.

3. ***I. de Pineda*** Commentarii in Ecclesiasten. Hispali 1619. Parisiis 1620. etc.

4. ***Ioan. Campensis*** Psalmorum et Ecclesiastae paraphrastica interpretatio. Parisiis 1533 (et saepissime). — ***Ioan. Arborei*** Comment. in Eccle. et in Cantic. Parisiis 1531 (una cum Comm. in Prov. Paris. 1553). — ***Ioan. Feri*** Sermones in Eccle. iuxta literam. Moguntiae 1550 (et saepius). — ***Vinc. Mansi*** Paraphrastica expositio. Florentiae 1580. — ***Corn. Iansenii Gand.*** Comm. Antw. 1589. (Etiam nepotis eius ***Iansenii Yprensis*** exstant Analecta in Prov., Eccle. etc Lovanii 1644). — ***Hier. Osorii*** Comment. et Paraphr. in Eccle. et Cant. Lugduni 1611. — ***Franc. Sanchez*** Comm. Barcinonae 1619. — ***I. Lorini*** Comm. Lugduni 1606. — ***I. Fernandez*** Comm. Romae 1621. — ***I. Tollenaer*** Speculum vanitatis s. Ecclesiastes soluta ligataque oratione dilucidatus Antw. 1635. — ***F. Q. de Salazar*** Expositio in Eccle. Lugduni 1651. — ***Petr. Gorse*** Explicatio compendiaria Ecclesiastae. Paris 1653 (gallice). — ***I. B. Bossuet*** cfr n. 2.

5. ***Mich. Ghislierii***, Ord. Cler. Reg., Cant. Salomonis iuxta lectiones Vulg. Hebr. Graec. Romae 1609. Venetiis 1613. Antw. 1614. etc. — ***G. Genebrardi*** Trium rabbinorum... comment. in Canticum latine versa cum eius comment. Paris 1570; ***Eiusdem*** Cant. versibus iambicis et commentariis explicatum adversus trochaicam Bezae paraphrasin. Parisiis 1585.

6. ***Fr. Titelmanni***, O. Cap., Comm. in Cant. cum adnotationibus ex Hebr. Chald. Graec. Antwerpiae 1547. (et saepius). — ***Dam. Hortulani***, O. S. Aug., In Cant. dilucidissima explanatio etc. Venetiis 1585. — ***Hier. Almonazir***, O. Praed., Comment. (erronee Lud. Legionensi tributus) Compluti 1588. — ***Lud. Sotomaior*** S. I. Interpretatio Olyssipone 1599. ***Eiusdem*** Notae posteriores et breviores. Ibid 1611. — ***I. de Pineda*** S. I. Praelectio sacra in Cant. Hispali 1602. — ***Tucc. Tuccii*** Annotationes. Lugd. 1606. — ***A. Del Rio*** S. I. Comm. liter. et catena myst. Lugduni 1611. — ***C. Sanctii*** S. I. Comm. Lugd. 1616. — ***Lud. ab Alcasar*** S. I. In eas V. T. partes, quas respicit Apoc., libri quinque. III. Paraphr. et Comm. in Cant. Lugd. 1632. — ***Pauli Aresii*** De vero Cantici tum historico tum spirituali sensu. Mediolani 1640. — ***Bossuet*** cfr n. 2.

Saeculum 18., licet non plane fuerit sterile [7], nullum tamen com-

mentarium magni pretii in libros Salomonis produxit; NOSTRA autem AETATE de omnibus tribus libris egregie disseruit *Emin. Meignan;* duos ultimos *G. Gietmann* accurate commentatus est uberrimis introductionibus praemissis[8]; solum *Proverbiorum* librum *A. Rohling* et *H. Lesètre* explanarunt[9]; *Ecclesiastae* defendendo aut explicando operam impenderunt *L. v. Essen, F. I. Reusch, B. Schaefer, Gilly, Rambouillet, A. Motais, A. Vegni, G. Bickell*[10]; *Canticum* interpretari conati sunt *I. L. Hug, I. H. Kistemaker, A. Schuler, B. Schaefer, Le Hir* et *Grandvaux, Petr. Schegg, Fr. S. Tiefenthal, I. Langer, Fr. I. Kortleitner*[11].

Inter acatholicorum quoque commentarios in Prov. et Eccle. non desunt, qui a catholicis, dummodo debita adsit cautio, cum fructu consulantur; minus autem valent eorum commentarii in Canticum, quum traditione christiana despecta historicum propriumque sensum ei attribuere conentur; nihilominus ex his quoque nonnulli philologicis suis notis interpreti utiles sunt. Reliquis praestant *Fr. Delitzsch* (Das Salomon. Spruchbuch. Leipzig 1873; Hohes Lied u. Koheleth. 1875) et *O. Zoeckler* (Die Sprüche Salom. Bielefeld 1867; Hohes Lied u. Prediger. 1868). Alios antiquiores enumerat *Rosenmüller* (Scholia in V. T. IX. 1. p. 9 sqq.; 2. p. 24 sqq. 280 sqq.), recentiores *H. L. Strack* (Einl. Ed. 4. 1895. p. 212. 213).

7. Paucos illos, qui nobis innotuerunt, nominabimus : *J. Hardouin* S. I. Paraphrase de l'Ecclésiaste. Paris 1729. — *Vict. Zink*, O. S. Franc., Comm. in tres libros salomonicos. Augustae Vindel. 1780. — *L. de Poix*, O. Cap., L'Ecclésiaste. Paris 1778. — *A. A. Bauduer* Version de l'Ecclésiaste avec des notes morales. Paris 1783. — *J. Ansart*, O. S. Ben., Expositio in Cant. Paris 1771. etc.

8. *Emin. Meignan* Salomon, son règne, ses écrits. Paris 1890. — *G. Gietmann* S. I. Commentarius in Ecclesiasten et Canticum Canticorum. Parisiis 1890.

9. *A. Rohling* Das Salomonische Spruchbuch. Mainz, 1879. — *H. Lesètre* Le livre des Proverbes. Paris 1879.

10. *L. von Essen* Der Prediger Salomon's. Schaffhausen 1856. — *F. I. Reusch* Ueber den Verfasser des Koheleth. Tüb. Quartalschr. 1860. — *B. Schaefer* Neue Untersuchungen über d. B. Koheleth. Freiburg 1870. — *Gilly* L'Ecclésiaste de Salomon. Paris 1863. — *Rambouillet* L'Ecclésiaste. Paris 1879. — *A. Motais* Salomon et l'Ecclésiaste. Paris 1876. *Eiusdem* L'Ecclésiaste 1877. — *Vegni* Il Ecclesiaste secondo il testo ebraico etc. Firenze 1871. — *G. Bickell* Der Prediger. Innsbruk 1885.

11. *I. L. Hug* Das Hohelied in einer unversuchten Deutung. Freiburg 1813; Schutzschrift für s. Deutg. 1816. — *I. H. Kistemaker* Canticum illustratum ex hierographia Orientalium. Monasterii 1818. — *A. Schuler* Das Hohe Lied. Würzbg 1858. — *B. Schaefer* Das Hohe Lied. Monasterii 1876. — *Le Hir* Le Cantique des Cant. Précédé d'une étude sur le vrai sens du Cantique par l'abbé *Grandvaux*. Paris 1883. — *Fr. Sal. Tiefenthal* O. S. Ben. Das Hohe Lied. Kempten 1889. — *Petr. Schegg* Das Hohe Lied Salomo's von der heil. Liebe. München 1885. — *I. Langer* Das Hohelied nach seiner myst. Erklärg. Ed. 2. Freiburg 1889. — *Fr. H. Kornleitner* Can. Reg. Canticum Cant. explicatum et praecipue ad historiam Ecclesiae applicatum. Oeniponte 1892.

## CAPUT V.

### DE DUOBUS LIBRIS PSEUDOSALOMONICIS.

#### I. De libro Sapientiae.

§ 19. — *De libri Sapientiae argumento, divisione, fine.*

222. — Tres libros, quos Salomoni auctori recte attribui ostendimus, in canone Tridentino sequitur quartus, quem inscriptiones editionis alexandrinae (Σοφία Σαλομῶντος) versionumque italae (*Sapientia Salomonis*), syriacae (*Liber magnae Sapientiae Salomonis, filii David*), arabicae (*Liber Sapientiae Salomonis filii David, qui regnavit super filios Israel*) etc. eidem videntur attribuere. Immo ab exeunte saeculo 4. in Ecclesia occidentali usus invaluit Conciliorum et SS. Pontificum auctoritate approbatus, ut *quinque libri Salomonis* in Scripturarum canone recenserentur Ecclesiastico reliquis quatuor addito[1]. Attamen Patres non latuit « duos illos libros, qui Sapientia et Ecclesiasticus inscribuntur », a Salomone non esse conscriptos, sed « de quadam similitudine *Salomonis* dici »; quare iidem iuniores scriptores latini, qui quinque libros Salomonis in canone recensent, S. Hieronymum secuti librum Sapientiae ψευδεπίγραφον vocare non dubitant et Ecclesiasticum Siracidae auctori attribuunt[2]. Nos *pseudosalomonicorum* nomine ideo illos comprehendimus, ut antiquorum usui aliqua ratione nos accommodemus atque salomonicis eos vere similes esse significemus; ceterum quaenam Salomonis in priore componendo fuerint partes, infra (228. p. 223 sqq.) inquiremus.

*Liber Sapientiae*, qui ab antiquis Patribus graecis interdum eodem modo, quo Proverbiorum liber, ἡ πανάρετος σοφία vel ἡ θεία σοφία appellatur[3], titulo ARGUMENTUM suum indicat; integer enim de verae sapientiae origine, effectibus, praemiis agit. Auctori autem sapientia est practica illa Dei divinaeque voluntatis cognitio, qua homo quid Deo acceptum sit edoctus in operibus suis ita dirigitur, ut amicitiae divinae aeternaeque salutis particeps fiat (9,10. 13; 7,14 etc.). In hac sapientia practica, quam etiam *iustitiam* appellat (1,1 etc), commendanda et in insipientia s. iniustitia vituperanda potissimum quidem versatur, neque tamen speculativam plane negligit, quae proxime in divinorum cognitione consistit, sed ad creatas quoque res sese extendit,

quatenus ipsae hominem ad Deum adducunt (7,15 sqq.; 8,8 etc). Utraque autem haec sapientia, sive practica sive speculativa, Dei est donum, a quo eam expetere et efflagitare debemus; vera enim est participatio increatae sapientiae, qua Deus omnes res condidit et gubernat. Hinc fit, ut etiam de increata sapientia auctor agat, nonnullis autem in locis eam describens illis utitur vocabulis, quae nisi de notionali sapientia i. e. de Verbo Dei intelligantur, apte non explicantur (7,22 sqq.; 9,1 sqq.). Ex dictis satis elucet libro huic nomen *Sapientiae* aptissime esse inditum, quia de omni fere sapientia agit, vel ut habet *Dionysius Carth.* « quia de sapientiae nomine, origine, dignitate, actibus et differentiis, potestate et efficaciis eius tractat diffuse ».

Sed accuratius in sequenti analysi describemus argumentum; distribuemus autem librum ad externam eius formam potissimum attendentes[4] cum P. Kilber in duas partes, in quarum priore (1,1-6,23) auctor ipse exhortatur principes ad veram sapientiam practicam sectandam, in altera vero (6,24-19,20) Salomon, qui loquens inducitur, sapientiae laudes quum ob divinam eius originem tum ob mirabiles eius fructus commendat.

1. *Conc. Hipp.* (a. 393) et *Carthag.* (a. 397), quibus interfuit S. Augustinus, enumerant « Salomonis libros *quinque* » (Mansi Coll. Conc. III. 924); item *S. Innoc. I* ad Exsuper. Tolos. (Mansi coll. Conc. III. 1040) : « Salomonis libri quinque »; quae definitiones a iunioribus repetuntur. Cfr *Introd. gener.* Ed. 2. d. 48 p. 132 sqq.

2. *S. August.* Doctr. christ. II. 8 (M. 34,41) : « Salomonis libri *tres* : Proverbiorum, Cantica Cant. et Ecclesiastes; *nam* illi duo libri... Sapientia... et Ecclesiasticus de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur »; *S. Hieron.* Praef. in ll. Salomonis.

3. *S. Epiph.* de pond. et mens. 4 (M. 43,244); *Ps. Athanas.* Synops. SS. 45 (M. 28, 376); *Clem. Alex.* Strom. IV. 16 (M. 8,1309). Cfr *supra* 198 n. 4 p. 134.

4. *Lyranus* (in Sap. 1,1) *duas* partes distinguit : « nam primo inducit auctor ad sapientiam desiderandam et habendam *ratiocinando* (1-9), secundo ad idem inducit *exemplificando* (10-19) ». Simili modo *Rob. Holcot* (Comm. Lect. 125) : « Postquam Salomon in priore parte multipliciter declaravit sapientiae nobilitatem et magnam fecit de ea commendationem secundum ipsius effectus *generales* (1-9), in ista parte prosequitur sapientiae utilitatem, quantum ad quosdam effectus *speciales*... unde ponitur *exemplificatio* in particularibus gestis et historiis ». Ex modernis eadem ratione dividunt *Lesêtre* (Le livre de la Sagesse Paris 1880. p. 3 sq.). *Vigouroux* (Manuel II. p. 436 : Il renferme deux parties, l'une purement *théorique* 1-9, et l'autre *historique* 10-19. La première partie du livre de la Sagesse nous montre en elle la source du bonheur et de l'immortalité 1-5 et le guide de la vie 6-9); *Gutberlet* (Das B. der Weisheit. Münster 1874. p. 5 : 1. Rein *speculative* Behandlung der Weisheit, Darlegung ihres Wesens, ihres Ursprungs, ihrer Früchte und daraus abgeleitete Ermahnung zum Streben nach Weisheit 1-10; 2. *Historische* Behandlung der Weisheit, Nachweis der göttl. Weisheit als Vorsehung im Leben der Väter etc. 10-19). — Alii *tres* partes facere malunt; inter quos *Corn. a Lapide* : « prima *elogium* sapientiae continet et paraenesin ad eius amorem, studium et zelum 1-6; secunda *originem* sapientiae, sc. quod a Deo sit orta 7-9, tertia eius *effectus et commoda* per patriarcharum exempla enarrat 10-19 ». Parum dissentiunt *Welte* (Einl. II. 3. p. 161 : prima

pars exhortatur ad sapientiam sectandam eaque vitanda, quae ei contradicunt 1-5; secunda modum, quo eam adipisci possumus, eiusque rationem et effectus explicat 6-9, tertia eam commendat exemplis ex historia israelitica desumtis 10-19), *Kaulen* (Einl. Ed. 3 p. 331), *Zschokke* (Hist. sacra A. T. p. 354) etc. Similiter recentiores protestantici interpretes *Grimm* Das B. der Weisheit. Leipzig 1860. p. 4, *Davidson* Introd. III. p. 396, *Keil* Einl. p. 745... At omnes hae divisiones illo laborant incommodo, quod in integro libro de utilitatibus et effectibus sapientiae sermo fiat: quare ex argumento solo parum apte desumi videtur divisionis ratio.

### 223. — ANALYSIS LIBRI SAPIENTIAE.

IN PRIORE PARTE (1,1-6,23) *auctor ipse principes ad sectandam sapientiam exhortatur.*

*Proposito themate* (1,1), quaerendam esse iustitiam (i. e. sapientiam practicam) moniturus

1. *describit dispositionem,* quae ad eam accipiendam requiritur (1,2-2,25). Quoniam enim non nisi in pium animum intrat (1,2),
   a.) abstinendum est a pravis cogitationibus, quae Spiritum fugant (1, 3-5),
   b.) a perversis sermonibus, qui, quum Spiritum non lateant, mortem adducunt (1,6-11),
   c.) ab errore vitae, i. e. a malis operibus, quibus mors a Deo quidem non intenta, sed a peccatoribus ipsis accersita acceleratur (1,12-16).
   d.) Etenim peccatores, qui immortalitate negata omnibus vitiis se dedunt (2,1-9) iustumque opprimunt vilissimaeque morti, ut eum tentent, tradere volunt (2,10-20), vehementer errant ignorantes hominem ad beatitudinem aeternam esse creatum, mortem autem (secundam) per diaboli invidiam esse invectam (2,21-25).
2. *Commendat sapientiam* comparatione inter iustorum sortem sortemque peccatorum instituta (3,1-5,24).
   a.) Iusti, quamquam a peccatoribus affliguntur, felices sunt praedicandi, quia eorum mors non est nisi transitus ad beatam vitam, impii autem punientur (3,1-10).
   b.) Immo in hac quoque vita impii punientur, quum fructibus careant eorum labores et eorum familia sit maledicta, dum pii, etiamsi forte posteris careant, felices sint et fructibus onusti (3,11-4,6).
   c.) Ne quis vero piorum in iuventute decedentium mortem obiiciat, ostendit auctor hanc mortem esse beatam, nullo autem modo praematuram aut importunam aut contemptibilem, mortem vero peccatorum omni ex parte esse infelicem (4,7-20).
   d.) Mortuorum demum iustorum sors erit gloriosa, funesta vero sors impiorum, quippe qui fateri cogantur se in vita iustorum diiudicanda et in aestimando rerum humanarum pretio errasse (5,1-15). Dum enim iusti praemium virtutis accipient, ira Dei in impios exardescet (5,16-24).
   e.) Quae omnia ad reges principesque speciali modo pertinere monens eos praesertim exhortatur, ut sapientiam sectentur (6,1-23).

In altera parte (6,24-19,20) *Salomon*, qui loquens introducitur, *sapientiae laudes celebrat.*

*Proposito huius partis themate* (6,24-27), se nimirum velle enarrare, quid sit sapientia, quis eius ortus, quae eius mysteria,

1. *docet, quomodo ipse eam sit assecutus* (7,1-9,19).
   a.) Quum enim homo sit reliquis similis, eam non a natura habet (7,1-6), sed eam utpote rem prae omnibus desiderabilem a Deo efflagitavit atque cum ea accepit omnia (7,7-10).
   b.) Postquam deinde gratiam, ut de sapientia pro eius dignitate dicere posset, a Deo, qui ipsam dedit, humiliter petiit[a] (7,15-21), illam per eius attributa, qualitates, fructus, describit (7,22-8,1),
   c.) atque accuratius docet, quomodo permotus sit, ut eam a Deo efflagitaret. Edoctus enim, quod intime cum Deo sit connexa (8,2-4), alia bona vel contineat vel superet (8,5-8), maximae praesertim utilitatis sit regibus (8,9-16), eam desideravit et cognoscens eam a Deo solo dari posse, eam ab illo expetiit (8,17-21).
   d.) Precationem repetit, qua eam a Deo impetravit (9,1-19).
2. *Ex historia utilitas demonstratur sapientiae* (10,1-19,20), quippe quae non tantum patriarchas ad beatum finem perduxerit, sed integrum quoque populum direxerit, ab idololatria custodiverit, in terram promissam introduxerit.
   a.) Quomodo sapientia iustos reddat beatos, insipientia autem poenas attrahat, exempla docent Adami et Caini, Noe ex diluvio servati, Abrahae ab idololatris segregati, Loth ex Sodomae interitu erepti, Iacobi contra Esau et Laban defensi, Iosephi e carcere ad dignitates elevati (10,1-14).
   b.) Idem docent liberatio populi electi ex servitute aegyptiaca et miracula in eius gratiam in deserto perpetrata (10,15-11,4), praesertim si comparantur
      α.) Aegyptiorum poenae, in quibus Dei iustitia simul eiusque misericordia sese manifestarunt (11,5-12,2),
      β.) et Chananaeorum interitus, in quo iterum sese misericordia divina manifestavit, ut tempus poenitentiae illis concederet omnesque ad unius veri Dei cognitionem adduceret (12,3-27).
   c.) Ex idololatriae aegyptiacae et chanaaniticae commemoratione occasionem arripit auctor, ut de origine, natura, stultitia, poena idololatriae digressionem longiorem inserat (13,1-15,19).
      α.) Species idololatriae prima, quae elementis et astris cultum exhibet (13,1-9), et altera, quae manuum figmenta colit (13,10-14,7), ita describuntur, ut earum stultitia et malitia innotescant, eisque futurae poenae indicuntur (14,8-11).
      β.) Origo idololatriae, quae hominum imagines colit, exemplis illustratur (14,12-20), quantopere moribus noceat describitur (14,

(a) Pro « Mihi autem *dedit* Deus dicere » etc. (7,15) lege : « mihi autem *det* Deus » (Ἐμοὶ δὲ δώη ὁ Θεός).

21-31), et exaggeratur indicatis bonis effectibus, quos veri Dei cognitio producit (15,1-6).

γ.) Terminat autem digressionem denuo idololatriae stultitia descripta (15,7-19).

d.) Ad thema suum reversus ex diversa Israelitarum et Aegyptiorum sorte ostendit, quinam sint sapientiae et insipientiae fructus (16, 1-19,20).

α.) Aegyptii, qui bestias adorabant, puniuntur; filiis Israel animalia erant utilia, et quum a serpentibus vulnerarentur, Dei ope sanati sunt (16,1-14);

β.) Aegyptii pluviis et grandinibus puniti sunt, Israelitis autem manna e coelo pluit (16,15-29);

γ.) Aegyptii, qui peccata sua occultare se posse putabant, tenebris puniti sunt, dum Israelitis lux splendidissima affulsit (17,1-18,4);

δ.) Aegyptii, quia Israelitarum pueros occidere voluerant, primigenitos suos amiserunt, Israelitarum autem pueri servati sunt (18, 5-19), et quamquam in deserto Israelitae quoque ob Core seditionem cladem quandam passi sunt, brevis tamen fuit ira divina (18,20-25).

ε.) Dum Israelitae mare rubrum siccis pedibus transierunt, Aegyptii in eo perierunt, atque Aegyptii animalibus ex aqua venientibus cruciati sunt, Israelitis autem a mari aves venerunt, qui eis cibo essent (19,1-12).

ζ.) Atque Aegyptii quidem haec omnia passi sunt, quia Sodomitis erant inhumaniores eademque, qua illi, caecitate perculsi; Israelitis autem (quia et quamdiu verum Deum colebant) omnia cedebant in bonum (19,13-20).

224. — De fine consilioque auctoris interpretes satis consentiunt. Ex argumento enim, quod in practicae sapientiae vel iustitiae fructibus pessimisque impietatis atque maxime idololatriae sequelis enumerandis et describendis fere versatur, auctorem illud praecipue intendisse elucet, ut contribules suos ad priorem sectandam alteramque vitandam exhortaretur. Quamquam enim in priore parte non semel *iudices terrae* (οἱ κρίνοντες τὴν γῆν), *reges* et *principes* (βασιλεῖς et τύραννοι) alloquitur (1,1; 6,1. 9), atque sapientiam in regendis subditis necessariam esse demonstrat (6,1 sqq; 8,9 sqq. etc.), erraret tamen, qui librum regibus principibusque potissimum destinatum esse putaret regumque et principum nomine illos designatos videret, qui tunc temporis, quando scriptus est liber, regna provinciasque gubernabant. Etenim longe maior libri pars, quippe quae antiquam historiam iudaicam *accurate* cognitam supponat, a solis Iudaeis intelligi potuit, Iudaeis autem tunc temporis nec reges erant nec principes nec iudices terrae. Quapropter admittamus necesse est, auctorem aut latiore sensu vocabulis illis attributo omnes designasse, qui auctoritate quacunque in subditas fami-

lias vel domos pollebant, aut potius compellationibus illis pro ornatu quodam sermonis esse usum. Quemadmodum enim antiqui prophetae in suis vaticiniis non raro exteras nationes compellant, immo integra vaticinia ad eas interdum dirigunt, quamquam solis filiis Israel consolandis et exhortandis erant destinata nec unquam ab illis exteris nationibus legebantur, ita auctor noster quoque sermonem quidem suum ad reges principesque dirigit illosque alloquitur, sed eum contribulibus suis destinat fratresque suos ad sectandam sapientiam exhortatur[1]. Illo autem tempore Iudaeos ab ethnicis principibus et regibus (Ptolemaeis) oppressos vexatosque fuisse, ex tota fere secunda operis parte (11. 12. 16-19) non immerito colligunt interpretes; longam enim beneficiorum Israelitis in Aegypto degentibus collatorum cum Aegyptiorum plagis comparationem eo potissimum spectare censent, ut Iudaeorum simili modo iterum ab Aegyptiis oppressorum animi ad spem liberationis erigerentur, ne vexationibus victi a veri Dei cultu ad idololatriam deficerent. Quibus omnibus consideratis iure statuimus paraeneticum esse primarium operis finem.

Attamen si ad arctum nexum, quo duo priora capita inter se colligantur, animos adverterimus atque in secundo capite atheos religionisque contemtores perversa sua principia praedicare hominique iusto insidias interitumque moliri audiverimus, vix licebit dubitare, nomine *iudicum terrae* (1,1) illos simul (quin etiam praecipue) intelligi Israelitas, qui ethnicorum erroribus imbuti cultum veri Dei abiicere coeperant suisque exemplis, opibus, auctoritate etiam contribules suos ad eandem apostasiam seducere conabantur. Quos ut impugnet repellatque, auctor non tantum laetos verae sapientiae fructus describit, sed iis tristes quoque insipientiae et impietatis sequelas continuo opponit. Immo quoniam nonnulli Iudaei ad idololatriam iam transierant ad eamque fratres suos allicere voluisse videntur, auctor eam quoque impugnare ab eaque lectores absterrere est coactus. Unde factum est, ut cum paraenetico fine polemicum coniungeret. Sed de his infra (228) accuratius disseremus; interea autem recte asserimus auctorem opus suum ideo exarasse, « ut suos ad amorem sapientiae et perseverantiam in fide exhortaretur, contra infidelitatem et idololatriam praemuniret, in rebus adversis consolaretur, ad spem libertatis excitaret »[2].

1. Cfr *Grimm* l. c. p. 27 : « Mit 6,1 sqq. (atque etiam 1,1 sqq.) verhält es sich gerade so, wie mit den altprophetischen Strafreden, Drohungen und Weissagungen gegen abwesende fremde Völker und Fürsten, welche auch in Form der Anrede an diese gegeben werden, während sie doch nur zum Troste und zur Ermuthigung Israel's dienen sollen ».

2. *Zschokke* Historia sacra A. T. p. 355.

## § 20. — *De libri Sapientiae unitate, integritate, origine.*

225. — In libri Sapientiae originem inquisituris praeviae duae quaestiones solvendae sunt, num scilicet unum sit opus illudque integrum atque completum, an ex variis libris ita conflatum, ut complures eius auctores admitti oporteat. Medio enim saeculo 18. *C. F. Houbigant,* Congr. Orat., primus libri UNITATEM impugnavit : « Nec tamen putandum est, inquit, librum Sapientiae totum esse unius eiusdemque auctoris, sed potius partem priorem (1-9), in qua exstant et vaticinia et sententiae Salomonis Proverbiis fere similes, esse ipsius (Salomonis), partem posteriorem vero alterius scriptoris, forte eius, qui priorem graece verterat quique addiderit de suo partem posteriorem ». Prioris enim partis stylum pristinam simplicitatem hebraicam redolere censet, in altera autem aliquid tumidi, inflati, obscuri inveniri [1]. Ulterius progressi rationalistae quidam etiam ideas sententiasque in variis libri partibus inter se pugnare asseruerunt, quare alii cum Houbigant duas quidem partes distinxerunt, sed alteram aut ab 11,2 aut a 13,1 inceperunt, alii tres esse voluerunt auctores, quorum opuscula (1,1-6,8; 6,9-10,21 ; 12,1-19,20) quartus inserto novo capite 11. in unum librum compegerit, alii demum totum opus anthologiam quandam esse dixerunt e variis dissertationibus conflatam [2].

Quae sententiae haud difficile refutantur. Unitas enim libri non tantum ex interno idearum nexu, sed etiam ex extrinseca omnium partium coniunctione, quae constructione grammatica indicatur, tam clare elucet, ut hodie vix quisquam in dubium eam vocare audeat. Quam arbitrariae vero sint rationes, quibus innixi adversarii librum discerpseruntt, ipse eorum dissensus manifestat; neque enim de partium distinguendarum numero neque de earum principiis et clausulis inter eos convenit [3]. Porro ad eorum argumenta quod attinet, adnotemus, styli varietatem, ad quam provocant, si quae in variis partibus concedi potest, ex rerum, quae tractantur, varietate optime explicatur. Rarius quidem in posterioribus, quam in prioribus partibus sunt hebraismi. At quis in historicis alterius partis argumentis parallelismum ubique exspectabit? Frequentior autem parallelismus sua quasi sponte frequentiores hebraismos provocavit, siquidem hoc dicendi genus accuratiorem hebraicorum poematum imitationem postulat. Ceterum mirum in modum varietas styli exaggeratur, atque plerique moderni interpretes multo maiore cum iure ex styli in toto libro identitate unum esse auctorem concludunt, quam ob leves quasdam differentias, quae in omni fere opere inveniuntur, pauci illi adversarii complures esse auctores statuunt. Idem enim in toto libro vere graecus

color, quo reliquos alexandrinae editionis libros longe superat, et propter quem S. Hieronymus iam « librum Sapientiae graecam redolere eloquentiam » asseruit; idem ubique homoeoptotorum et paronomasiarum studium; eaedem in omnibus partibus voces constructionesque, quae aliis in libris sacris rarius adhibentur etc[4].

Quid vero de his argumentis dicemus, quibus Eichhorn suam sententiam stabilire conatus est? Alteram partem Salomoni non convenire, quoniam idololatria vituperetur, Salomonem enim senem idololatriae fuisse deditum; in priore parte historiam iudaicam raro adhiberi (10), alteram vero integram historicis narrationibus constare (11; 16-19); in priore parte atheismum et religionis contemtum, in altera idololatriam dici fontem omnium vitiorum (2,1 sqq.; 14,12); in priore virtutem, in altera scientiam Dei appellari radicem immortalitatis (1,12; 15,5); in priore sapientiam commendari, in altera eam, si 14,4 exceperis, non amplius commemorari[5]. — At doctus vir animadvertisse non videtur Salomonem, qui in libro nostro loquitur, esse *iuvenem* (8,10), nihil igitur obstare, quominus idololatriam condemnet, quamvis senex ei fuerit deditus. Procul dubio integra fere secunda pars est historica; sed num forte auctori non licuit sapientiam, quam, ut habet Lyranus, « ratiocinando » in priore parte commendaverat, in altera « exemplificando » celebrare? Porro quo cum iure reliqua, quae affert inter se pugnare dicat, nemo intelliget. Etenim atheismus religionisque contemtus non minus quam idololatria, quum utraque verum Deum negent, fontes vitiorum sunt, atque vera sapientia tum speculativa, quae in Dei rerumque divinarum cognitione proxime consistit, tum practica, quae a pietate et iustitia solo nomine differt, radix est beatae immortalitatis. Practicam vero sapientiam, quam auctor praesertim commendat, a speculativa nusquam separat; statim enim a principio (1,4. 6; 3,11 etc.) σοφία, quae commendatur, practica est, atque eadem, etsi postea rarius nominetur (14,2. 5), in tota altera parte velut argumentationis fundamentum supponitur.

Haec exempli gratia afferre voluimus, ut quanta cum levitate libri sacri tractentur evidentius appareat; reliquorum autem argumenta, quae non graviora sed leviora sunt erroneaeque textuum nonnullorum interpretationi innituntur, afferre superfluum est[6].

1. *Houbigant* Biblia hebr. cum notis criticis. Accedunt libri graeci, qui deuterocanonici vocantur. Parisiis 1754. III. p. 1 sqq.

2. *Eichhorn* (Einl. in die apocr. BB. des A. Test. Leipzig 1795. p. 142 sq., et *Bertholdt* (Einleitung p. 2276 sqq.) duas partes, sed non eadem ratione distinguunt; *Bretschneider* (De libri Sap. parte priore cpp. 1-11 e duobus libellis diversis conflata. Wittenberg 1884. p. 9 sqq.) quatuor statuit auctores, *Nachtigall* (Das B. der Weisheit. Halle 1799 p. 1 sqq.) librum dicit anthologiam, *Engelbreth* (Libri Sap. interpretandi specimina. Havniae 1816. p. 4 sqq.) cum Bretschneider fere consentit.

3. Non inepte monet *Reuss*, qui ipse quoque ab aliis libris discerpendis et dilacerandis nequaquam abhorret, doctos illos viros nihil aliud sua agendi ratione voluisse demonstrare, nisi se melius quam auctorem librum conscribere potuisse (Gesch. des A. T. p. 642 : Diese Divergenzen beweisen, dass die Trennung sich dem kritischen Gefühl nicht imponirt und dass wir hier nur einen neuen Beleg für den mehrfach schon erkannten Kanon der exegetischen Scheidekünstler haben : Wenn ich das Buch zu schreiben gehabt hätte, ich hätte es anders — und besser — gemacht »). Ceterum recentissimi rationalistae omnes, quos vidi, unitatem libri admittunt : *Grimm* l. c. p. 9 sqq., *Davidson* Introd. III. p. 397, *Fritzsche* in Schenkel Bibellexicon V. p. 648, *De Wette Schrader* Einl. p. 587 sqq., *Schürer* Gesch des jüd. Volkes (1886) II. p. 755 sqq., *Cornill* Einl. Ed. 3. 1896. p. 278.

4. Non inutile forte est paucis exemplis assertum confirmare; in altera parte habes *parallelismum poeticum* 12,12. 18; 13,1. 3 sq. 18 sq; 14,2. 12; 15,11 etc; *homoeoptota* et *paronomasias* : 11,1 εὐώδωσε — διώδευσεν, 12,6 ἐκ μέσου μυσταθείας σου (ἐκ μύσους μύστου θιάσου?), 12,12 ἔκδικος κατὰ ἀδίκων. 12,15 δίκαιος — δικαίως — καταδικάσαι. 12, 25 sq. παισίν — ἐμπαιγμὸν — παιγνίοις, 13,11 εὐμαθῶς — εὐπρεπῶς, 13,19 ἀδρανέστατον — εὐδρανείαν; 14,5 ἀργά — ἔργα etc; eadem vocabula rariora, quae in priore parte : παντόδυναμος, κακότεχνος, ἀπότομος, γενέσεις (genera), συγγνωστός, παροδεύειν, καταδυναστεύειν etc etc.

5. *Eichhorn* l. c. p. 142 sqq.

6. Qui reliqua cognoscere desiderat, ea refutata inveniet a *Welte* Einleitung II. 3. p. 172 sqq. et ipso *Grimm* l. c. p. 9 sqq.

226. — Integritatem quoque libri Sapientiae primus addubitavit *C. F. Houbigant;* genuinum enim eius titulum deperditum esse coniecit; operi enim, quod vaticinia contineat, auctorem nomen praefigere debuisse[1]. At librum nostrum, etsi *S. Augustinus* quoque eum propheticis accenseat[2], proprio et stricto sensu non esse propheticum evidens est; vaticinia vero etiam in anonymis V. T. libris historicis et in nonnullis anonymis Psalmis continentur. Demum animadvertas velim opus nostrum secundum probabiliorem sententiam ex salomonicis scriptis esse compilatum (228), compilatorem igitur titulo illo praefixo, quem alexandrina editio eiusque antiquiores versiones exhibent (Σοφία Σαλομῶντος), originem vaticiniorum satis manifestasse.

Clausulam libri deesse putavit *Calmetus,* « sive quod ab auctore ad calcem deductus non sit, sive quod absolutus ab ipso ad posteros mutilus pervenerit; neque enim incepta et ad calcem usque libri deducta oratio suo termino clauditur, quo claudendam esse consilium auctoris exigeret »[3]. Quam clausulam desideret, in commentario indicat eruditus interpres : « Si totum atque universale libri propositum inspicias, rogandus ab auctore videbatur Deus, ut sapientiam, praecipuum suae orationis finem, sibi largiretur, vel ita claudendus liber, ut diceret sapientiam fontem esse illius amicitiae, qua Deus populum prosecutus est, vel denique narranda Dei responsio ad Salomonis orationem » (in 19,20). Post Calmetum autem alii coniecerunt auctorem etiam ex historia illius aetatis, quae ab ingressu populi in Palaestinam usque

ad Salomonem effluxit demonstrare debuisse, quantae utilitati sapientia populo fuerit; quoniam vero narratio populo terram promissam ingresso abrumpatur, librum aut ab auctore non esse terminatum, aut mutilum ad nos pervenisse [4]. — Ingenuus fateor me risum continere non posse, quotiescunque video viros graves et eruditos scriptoribus sacris praescribere, quid dicere, quid omittere, quomodo opus inchoare, quomodo illud terminare debuerint. Tres clausulas diversas, quas omnes aptas esse censet, proponit Calmetus, alii quartam proponunt, nonne auctori quintam praeferre licuit? Quid quod Calmeti tres clausulae omnes debilissimo innituntur fundamento; etenim *precationen* Salomonis, quae 9,1 inchoatur, usque ad libri finem continuari supponit; rectius autem dicemus eam c. 9. iam terminari atque a 10,1 novam particulam inchoari, in qua Salomon, qui inde a 7,1 loqui supponitur, interdum quidem Deum alloquitur, saepius autem de Deo loquens tertiam personam adhibet (10,5. 10; 11,13; 12,26 sq.; 13,5. 9; 14,9. 22 etc.), id quod in precatione fieri non solet. Ad quartam vero clausulam ab aliis propositam quod attinet, ultimus versus, quo Deus semper et ubique populum suum magnificasse asseritur, longiorem historiae narrationem reddit inutilem, atque totius historiae israeliticae veluti summam proponens aptissima est libri clausula.

Si *Grotio* fidem adhiberemus, « Christianum aliquem graece non indoctum in graecum vertisse opus nostrum diceremus et *christiana quaedam commodis locis addidisse* », nam « locutiones quasdam magis Evangelium sapere, quam vetustiora tempora » [5]. Quaenam a viro christiano addita videantur, Grotius non prodit [6], docet autem recens scriptor iudaicus, qui quatuor versus (2,24; 3,13; 4,1; 14,7) a Christianis esse interpolatos asserit, quia doctrinas mere christianas contineant [7]. — Absit ut doctrinas illis versibus contentas christianas esse negemus; at si ex V. T. libris omnes illos textus, utpote a Christianis interpolatos, auferre vellemus, qui doctrinas christianas contineant, Iudaeis non admodum multa remanerent. Ceterum in versibus obiectis nihil est, quod a iudaico scriptore inspirato tradi non potuerit. Profecto doctrina, quae diaboli invidiam mortem in mundum invexisse tenet (2,24), non minus iudaica est, quam christiana, siquidem ex primis Geneseos capitibus eam hausit antiqua synagoga non dissentientibus rabbinis iunioribus [8]. Voluntaria virginitas in V. T. incognita quidem erat, at 3,13 et 4,1 proxime et directe non laudant nisi castitatem; iure autem nos, postquam virginitatem in genere castitatis excellentissimam esse virtutem a Christo edocti sumus, laudibus illis etiam virginitatem ornari asserimus; nam licet forte scriptor ipse haec de virginitate valere non viderit, Spiritus S., « qui per scriptorem inspiratum haec verba operatus est, etiam hanc sententiam lectori vel auditori (christiano) occursuram

esse sine dubitatione praevidit, immo ut occurreret, quia et ipsa veritati est subnixa, providit »[9]. Demum quartus textus (14,7) sensu literali de arca Noe agit, quae benedicta vocatur, quia per eam Deus secundum iustum suum consilium piam Noe familiam a peccatorum morte servavit. Quae doctrina certe iterum non minus est iudaica, quam christiana. Quod autem auctor illis verbis sit usus (« Benedictum lignum per quod fit iustitia »), quae mystico sensu de ligno crucis aptissime intelliguntur, id profecto non prodit eum fuisse christianum, sed scribentis stylum a Spiritu S. fuisse rectum [10].

1. *Houbigant* Bibl. hebr. etc. III. p. 147.

2. *S. August.* Doctr. christ. II. 8. (M. 34,41) : Sapientia et Ecclesiasticus, « quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter *propheticos* numerandi sunt ». Cfr etiam *S. Ildephons. Tolet.* De bapt. 59 (M. 96,140) aliosque iuniores scriptores, qui hac in quaestione Augustinum sequuntur. Procul dubio *Sap.* 2,12 sqq. a Patribus pro vaticinio messianico habetur idque rectissime; at ideo *liber* nondum est propheticus.

3. *Calmet.* In l. Sap. Prol. (Comment. ed. Mansi. Venetiis 1753. V. p. 93).

4. *Grotius* in *Sap.* 19,21 iam adnotaverat : « videtur hic liber esse κόλουρος » (mutilus); eiusdem sententiae est *Eichhorn* l. c. p. 147. — *Hasse* (Salomo's Weisheit neu übersetzt. Iena 1785. p. 265 sqq.) aliique pauci ab auctore librum non esse terminatum suspicantur.

5. *Grotii* Comm. in l. Sap. Praef. (Opera theolog. Basileae 1732. I. p. 588).

6. *Grotius* ad *Sap.* 4,7 (l. c. p. 593) dumtaxat adnotat : « Haec, ut dixi, Evangelium magis redolent ». Quo cum iure, videat lector.

7. *H. Graetz* Geschichte der Iuden vom Tode Iuda Makkabi's. Leipzig 1856. p. 494 sq.

8. Rabbinorum iuniorum hac de re sententias fuse exponit *Eisenmenger* Entdecktes Iudenthum I. p. 827 sqq.

9. *S. Aug.* Doctr. christ. III. 27 (M. 34,80). — *Introd. gen.* Ed. 2. n. 199. p. 549 sqq.

10. Alii interpretes 14,7 arctius cum sequente versu coniungentes censent in genere vocari benedictum lignum omne, quod secundum divinam voluntatem adhibetur, maledictum vero, si contra voluntatem Dei idolis faciendis inservit. Quae explicatio (parum probabilis) si admitteretur, dicendum esset, Patres *sensu consequente* versum de ligno crucis esse interpretatos. Cfr *Gutberlet* l. c. p. 351.

227. — Quibus praemissis librique unitate et integritate stabilitis DE EIUS ORIGINE dicemus atque praeprimis primigeniam eius linguam fuisse graecam ostendemus. « Liber, qui Sapientia Salomonis inscribitur, apud Hebraeos nusquam est, quin et ipse stylus graecam eloquentiam redolet ». Quibus verbis *S. Hieronymus* duo argumenta innuit, quae graecam libri originem extra dubium ponere videntur, alterum externum, internum alterum. Profecto si hebraicus vel chaldaicus fuisset liber, difficile esset explicatu, illum apud Iudaeos palaestinenses plane interisse; gravius autem alterum est argumentum ex ipsius libri indole desumtum eoque quaestionem plane definiri arbitramur. Sunt quidem antiquiores nonnulli et pauci moderni interpretes, qui Salomonem operis nostri scriptorem esse rati textum hodiernum

nostrum « ex hebraico arehetypo vel conversum esse vel collectum » censuerunt, quoniam « et in eo hebraismi occurrant et carmine eum adstrictum fuisse, ut reliquos Salomonis libros, nonnulli e veteribus memoriae prodiderint »[1]. Ad rabbinorum quoque aliquorum testimonia provocant, qui de hebraico vel chaldaico archetypo a se viso loquantur[2]. Sed rabbinos istos de *versione* hebraica vel potius syriaca, minime autem de textu primigenio hebraico loqui, eorum verba docent. Porro hebraismi, quos adesse non negamus, vocibus dictionibusque maxime constant, quae continua versionis alexandrinae lectione in usum communem Hellenistarum ita transierant, ut eaedem in libris N. T. graece conscriptis adhibitae sint[3]; atque parallelismus poeticus in prioribus capitibus satis frequens id unum demonstrat, libri auctorem poemata hebraica optime cognovisse et studiose esse imitatum.

Graecam vero libri originem docent a.) frequentissimae paronomasiae, homoeoptota aliaeque figurae verborum, quae nec fortuito exoriri potuerunt nec ab interprete, nisi archetypum arbitrario et liberrimo modo reddere voluit, studiose inseri[4]. b.) Accedunt innumera fere vocabula composita, quae hebraice vix reddi possunt ideoque immerito ex hebraico translata creduntur[5], atque haud pauca alia, quae Graecorum doctrinas cognitas supponunt vel ex graecis philosophis videntur esse hausta[6]. c.) Totius quoque elocutionis ratio diversa est ab ea, quam interpretes alexandrini tenere solebant. Licet enim in nostro libro simpliciores enuntiationes sint frequentiores neque ea adsit particularum frequentia, quibus Graeci ideas inter se colligare atque longiores periodos efformare student, non desunt tamen verborum comprehensiones artificiosae constructionesque vere graecae[7], ita ut stylum graecam eloquentiàm redolere S. Hieronymus iure merito asseruerit.

Quae quum ita sint, librum Sapientiae non esse meram translationem hebraici archetypi pro certo asserimus; alia autem est quaestio, utrum auctor antiquiora scripta hebraica in suo libro componendo adhibuerit annon; quid de hac sentiendum esse videatur statim dicemus.

1. *Huetii* Demónstr. evangel. Prop. IV. De l. Sap. 2. (Ed. Ven. 1765. p. 265). Ex recentioribus cfr *I. A. Schmid* Das B. der Weisheit. Ed. 2. Wien 1865. p. 22 sqq.

2. Testimonia haec afferuntur ab *I. de Voisin* in suis Observ. ad *Raym. Martini* Pugio fidei (Ed. Carpzov. Lipsiae 1687. p. 126 sq.). Primum desumtum est ex *R. Moysis Nachmanidis* Comm. in Pentat. Prol. « Vidi librum *translatum* (וראיתי הספר המתורגם), qui inscribitur *Magna Sapientia Salomonis* » etc. Inscriptio haec est syriacae versionis, atque textus, quos allegat Nachmanides, etiam cum syriaca versione ad amussim consentiunt; vidit igitur syriacam versionem, forte literis hebraicis conscriptam, minime vero archetypum hebr. vel chald. Alterum testimonium est *R. Azariae* Imre binah c. 57, qui ad Nachmanidis verba provocat : « Liber Sapientiae magnae Salomonis, qui vocatur Liber Sap., de quo ait R. Moyses Nachm. in

prologo sui Commentarii Legis : Vidi librum translatum..., videtur mihi, *si non sit translatus*, compositum esse a rege Salomone chaldaice, ut mitteret eum ad aliquem regem in extremis Orientis regionibus versantem » etc.

3. Pauca exempla : *Sap.* 1,1 ἁπλότης καρδίας, יֹשֶׁר לֵבָב cfr *Col.* 3,22; *Eph.* 6,5. — *Sap.* 2,9 et 3,14 μέρις et κλῆρος, חֵלֶק et נַחֲלָה *Act.* 8,21; *Col.* 1,12. — *Sap.* 2,15 τρίβοι, אֳרָחוֹת *Math.* 3,3. — *Sap.* 2,16; 3,17 λογίζεσθαι εἴς τι, נֶחְשַׁב לְ *Act.* 19,27; *Rom.* 2,26. etc. etc. — Nonnulli (*Nachtigall* Das B. der Weisheit p. 24 sqq., *Bretschneider*, *Engelbreth* etc.) etiam menda interpretis invenire volebant, atque *Welte* (Einleitung l. c. p. 186) saltem 2,6 ὡς νεότητι et 16,9 ἀκρίδες per errorem interpretis facilius explicari censet; at 2,6 praeter B. reliqui meliores codices legunt ὡς νεότητος, quam lectionem *Fritzsche* (Libri apocr. V. T. Lipsiae 1871) recte recepit; in altero autem loco ἀκρίδες optime explicatur; nam etiam locustae irritatae mordent.

4. *Supra* 225 n. 4 p. 219 aliqua exempla ex ultimis capitibus iam attulimus; in primis frequentiores sunt; cfr 1,1 ἀγαπήσατε... φρονήσατε... ἐν ἀγαθότητι καὶ ἐν ἁπλότητι... ζητήσατε. — 1,2 πειράζουσιν... ἀπιστοῦσιν. — 1,4 κατοίκησει... κατάχρεῳ. — ὅτι οὖς..., καὶ θροῦς etc.

5. *Supra* 225 n. 4; cfr 1,4 κακότεχνος. 1,6 φιλάνθρωπος. 2,2 αὐτοσχεδίως. 2,10 πολυχρόνιος (11,9 ὀλιγοχρόνιος). 2,19 ἀνεξικακία. 3,9 ὁλοκάρπωμα etc.

6. *Sap.* 1,14 ᾅδου βασίλειον. 19,20 ἀμβροσία τροφή. 4,2 ἀγῶνα νικᾶν et 10,12 ἀγῶνα βραβεύειν. 4,2 πομπεύειν. 4,3 στεφανοφόρειν etc. — *Sap.* 7,22 πνεῦμα νοερὸν... μονογενὲς, πολυμερὲς, λεπτὸν, εὐκίνητον, τρανὸν, ἀπήμαντον, φιλάγαθόν κτλ. 11,17 ὕλη ἄμορφος. 14,3 πρόνοια etc.

7. Cfr *Sap.* 1,16; 2,2. 3; 5,10; 8,5-9; 11,7-9; 12,3-8 etc. De dictione libri nostri cfr *Grimm* l. c. p. 5 sqq., ex quo pauca tantum delibavimus.

228. — De auctore Sapientiae non paucae propositae sunt coniecturae, quae examine vix ac ne vix quidem sunt dignae. Praeiudiciis enim suis abrepti et erroneis textuum quorundam interpretationibus nixi aliqui eo usque progressi sunt, ut Christianum quendam librum conscripsisse assererent[1]; alii nullis omnino argumentis in medium allatis Zorobabelem fecerunt eius auctorem[2]. *S. Augustinus* eundem esse Ecclesiastici et Sapientiae auctorem aliquando coniecit, sed re melius considerata coniecturam suam retractavit[3]. *S. Hieronymus* refert « nonnullos veterum scriptorum librum hunc esse Iudaei Philonis affirmasse »; quinam autem veteres illi scriptores sint ignoramus, siquidem in operibus superstitibus antiquiorum Patrum ne levissimum quidem huius opinionis vestigium invenimus[4]. Tanta vero fuit S. Hieronymi auctoritas, ut, quoniam S. Doctorem in eadem sententia fuisse crederent, non tantum mediae aetatis interpretes omnes, sed etiam recentiore tempore gravissimi quidam viri eandem sint amplexi[5]; at immerito. Sapientiae enim liber, quum a N. T. scriptoribus iam adhibeatur (230), Philone antiquior est, in sua doctrina a philonianis placitis longissime recedit[6], ab Eusebio et ipso Hieronymo, ubi scripta philoniana ex professo enumerant, omittitur. Quibus argumentis permoti aliqui antiquiorem quendam Philonem ab Iosepho nominatum coniecerunt

esse libri auctorem, at Philo senior a Iosepho inter ethnicos, qui de rebus iudaicis scripserunt, enumeratur [7].

Pervulgata antiquitus erat sententia, Salomonem opus hoc composuisse atque hodie quoque aliqui eandem defendunt argumentis non omnino invalidis [8]. Etenim a.) provocant ad titulum, quo in editione alexandrina et in omnibus antiquis versionibus liber inscribitur (222 p. 211.) eumque non minore, quam reliquorum librorum inscriptiones, fide dignum esse censent; b.) SS. Patrum auctoritatem in medium adducunt, qui plerique aut disertis verbis librum Salomoni attribuunt aut sub Salomonis nomine citant [9], monentque etiam rabbinos nonnullos cum Patribus consentire [10]; c.) librum ipsum dicunt auctorem suum satis clare indicare; auctorem enim esse censendum illum, qui in opere nostro de se ipso prima persona loquatur, neque ullum esse dubium, quin Salomonem se esse clare asserat [11]; d.) non parum autem argumenta haec confirmari aiunt eo, quod libri nostri argumentum eiusque tractandi modus cum reliquis libris salomonicis consentiant, atque illud mentione dignum esse opinantur, quod auctor in ultimis capitibus, ut fructus sapientiae celebret, exempla sua ex antiquiore dumtaxat populi historia desumat; auctorem autem, si post exsilium scripsisset, non minus splendida testimonia ex historia piorum regum Iuda aut reditus ex captivitate desumere potuisse putant.

Aliqua ex his argumentis vi sua non carere fatemur et libentes hanc sententiam amplecteremur, nisi duo obstarent. Graeca enim lingua librum esse scriptum demonstravimus, Salomonem autem graece non scripsisse evidens est. Res quoque ideaeque salomonica aetate recentiores aut commemorantur aut cognitae supponuntur (227). Salomonem igitur libri illius, quem hodie possidemus, auctorem non esse certum est. Plerique igitur moderni interpretes Salomone plane reiecto Iudaeum quendam alexandrinum, qui Ptolemaeorum tempore vixerit, auctorem fuisse autumant, nonnullique, ut nomen proprium afferant, Philoni aut Aristobulo, Ptolemaei VII. Philometoris (180-145) magistro, librum attribuunt. Philonis autem nomen immerito in hac quaestione afferri iam diximus, neque rectius nominari Aristobulum ex mox dicendis (229) patebit. Hoc loco id unum monemus omnes illos, qui Salomoni in componendo hoc libro ullam partem fuisse negant, non satis argumentorum, quae a salomonicae originis fautoribus afferuntur, vim et pondus perpendisse. Quapropter cum multis antiquioribus interpretibus inter illos, qui Salomonem auctorem esse asserunt, illosque, qui librum ad Salomonem nullo pacto pertinere volunt, mediam viam ingredi malumus.

1. *Kirschbaum* Der jüdische Alexandrinismus. Leipzig 1841. p. 52; *Ch. H. Weiss* Die Evangelienfrage. Leipzig 1856. p. 206 sqq. Cfr *Grimm* l. c. p. 25.

2. *I. M Faber* Prolusiones de l. Sapientiae. Onoldi 1776. V. Unicum suum argumentum (si hoc nomine est dignum) desumit ex eo, quod Zorobabel, utpote templi restaurator, merito alter Salomon appellari potuerit!

3. *S. August.* Doctr. christ. II. 8. Retract. II. 4 (M. 34,41; 32,631 : « In secundo libro de auctore libri, quem plures vocant Sapientiam Salomonis, quod etiam ipsum sicut Ecclesiasticum Iesus Sirach scripserit, non ita constare, sicut a me dictum est, postea didici, et omnino probabilius comperi non esse hunc eius libri auctorem »).

4. *S. Hier.* Prol. gal. — *Tregelles* (Canon Muratorianus Oxford 1867. p. 53) suspicatur Hieronymum ex fragmenti Muratoriani graeco textu sententiam suam hausisse. « The Greek *may* have stood thus : καὶ ἡ Σοφία Σαλομῶνος ὑπὸ Φίλωνος εἰς τὴν τιμὴν αὐτοῦ γεγραμμένη. It would not be cause for surprise if the Latin translator made the mistake of confounding Φίλωνος and φίλων, so as to translate *ab amicis* instead of *a Philone* ». Latino fragmenti interpreti iniuria quidem non infertur, si eiusmodi error ei attribuitur; at quomodo haec sententia a Tregelles correcta cum fragmenti contextu consonet, non video (cfr *Introd. gen.* Ed. 2. n. 63. p. 184), nec *unus* textus, si admitteretur, Hieronymi assertum (« *nonnulli* veterum scriptorum ») explicaret.

5. Auctorum mediae aetatis testimonia aliqua attulimus in *Introd. gen.* (Ed. 2. n. 48. *nn.* 5. 6. 7. pp. 143. 136). Eandem sententiam *Bellarminus* (De verbo Dei I. 13), *Huetius* (Demonstr. ev. Prop. IV.) aliique repetierunt.

6. Cfr *Fr. Klasen* Die alttestamentliche Weisheit u. der Logos der jüdisch-alexandrinischen Philosophie. Freiburg 1878. p. 60 sqq.

7. *Fl. Ioseph.* c. Appion. I. 23. — Philoni *Seniori* librum attribuunt Bellarm., Huet. etc. — Aliqui heterodoxi interpretes auctorem inter Essenos vel Therapeutas quaesiverunt (*Eichhorn* l. c. p. 134 sq.; *Gfroerer* Philo und die alexandr. Theosophie. Stuttgart 1831. II. p. 265 sqq. etc.), praesertim quia 3,13 sqq. castitas commendetur et 16,26 sqq. solem praevenire ad benedictionem iubeamur. Quid haec argumenta valeant, explicatione non indiget.

8. Cfr *Schmid* Das B. der Weisheit. Ed. 2. Wien 1865. p. 41 sqq.

9. *Clem. Alex.* Strom. VI. 14 (M. 9,332); *S. Hippol.* Adv. Iudaeos 9 (M. 10,792 sq.); *S. Basil.* In princ. Prov. 4 (M. 31,393); *Ps. Athan.* Synops. 45 (M. 28,373); *Tertull.* De praescr. 7 (M. 2,20); *S. Cypr.* Exhort. mart. 12 (M. 4,673); *S. Hilar.* in Ps. 127,9 (M. 9,708); alia testimonia cfr *infra* 230. p. 229 sqq.

10. Iudaeorum testimonia vide in *Wolfii* Bibl. hebr. II. p. 199 sq.; Iudaeorum, qui Philoni librum attribuunt, testimonia *ibid.* I p. 973 sqq.

11. *Sap.* 7,1 sqq.; 8,14 sqq.; 9,1 sqq. cfr 3 *Reg.* 3,12; 4,29 sqq.

Censemus igitur alexandrinum Iudaeum auctorem quidem esse libri, quem hodie possidemus, sed in illo conscribendo scripta salomonica hodie deperdita adhibuisse ideoque Salomonis personam induere potuisse. « Ut meam sententiam, inquit *Bonfrerius*, de huius libri scriptore proferam, existimo Iudaeum quempiam, graeci sermonis peritum, librum hunc graece conscripsisse, sed hunc multa ex Salomonis libris esse mutuatum et varias hinc inde sententias collegisse, quas ipse in unum corpus compegerit, nulla fere mutatione alia facta, quam ipsius dictionis et loquendi modo Graecis proprio, ut proinde mirum non sit, si in hoc libro Salomon de se ipso in prima persona loquatur »[12]. Simili ratione alii rem explicant[13], ex quibus nonnulli quidem solam « dictionis mutationem » urgentes Iudaeum illum alexandrinum inter-

pretis et translatoris potius munere functum esse, quam veri auctoris, videntur asserere. Rectius autem eum verum egisse auctorem dicemus, qui libris salomonicis ita pro fontibus usus sit, ut ex illis novum opus componeret, in quod forte etiam nonnullas sententias aut minores pericopas graece dumtaxat versas transsumsit. Quae statuentes utriusque extremae sententiae argumentis vim, quae eis competit, omnino relinquimus, et utriusque incommoda evitamus.

Ad prioris enim, quae Salomoni librum attribuit, argumenta quod attinet, inscriptio antiqua, cuius auctoritatem non negamus, satis apte etiam a nobis explicatur; etenim *librum* esse Salomonis per se non asserit, siquidem aliud videtur esse « *Sapientia* Salomonis », aliud « *Canticum* Salomonis » aut « *Psalmus* Davidis ». Neque Patrum auctoritati quidquam detrahimus, sed eam stabilimus. Quoniam enim nonnulli ex insignioribus (SS. Augustinus et Hieronymus) Salomonem auctorem esse diserte negant [14], alii de Salomone auctore dubitant (Origenes, Eusebius [15]), plerique, ubi Salomonis libros enumerant, tres tantum ei attribuunt, iure merito ex aliorum allegationibus nihil aliud deducimus, nisi argumentum et sententias in genere Salomoni deberi [16], atque hac ratione omnium Patrum dicta conciliamus. Neque argumenta ex libri indole desumta plus probant, quam auctorem libris salomonicis esse usum ex iisque opus suum composuisse : hinc enim hebraismi et parallelismus, si explicatione quadam indigeant, satis explicantur; sufficiens quoque ratio datur, cur Salomon loquens introducatur et exempla historica ex antiquiore sola historia desumantur. At simul alterius sententiae argumenta vim suam retinere evidens est; quoniam enim alexandrinum Iudaeum statuimus esse verum auctorem libri, quem hodie possidemus, graecus libri color allusionesque ad res salomonica aetate recentiores difficultatem non creant.

12. *Bonfrerii* Praeloquia in S. S. VII. 3.

13. Cfr *Bellarm.* De verbo Dei I. 13; *Possevin.* Apparat. sac. s. v. Salomon; *Lorin.* Comm. in l. Sap. Praef. 2; *Corn. a Lap.* In l. Sap. Argum. (« Auctor Sapientiae imitatus est Salomonem eiusque sensa, forte etiam sententias et verba in libris hebraicis illius aevi sparsim repertas collegit, ordinavit graecaque phrasi expressit »), *Huet.* l. c. etc. Ex modernis eandem sententiam tenent *Welte* Einl. II. 3. p. 187, *Vincenzi* Sessio IV. Conc. Trid. III. p. 69, *Haneberg* Gesch. des bibl. Offenb. Ed. 4 (1876.) p. 491.

14. *S. August.* De Civ. Dei XVII. 20 (M. 41,554 : Sapientiam « non esse ipsius [Salomonis] non dubitant doctiores »). *S. Hieron.* Praef. in ll. Salom.

15. *Orig.* In Ioan. t. XX. 4 (M. 14,581 : ἡ ἐπιγεγραμμένη τοῦ Σαλομῶντος σοφία); *Euseb.* (Praep. Evang. XI. 7. M. 21,865) textum ex l. Sap. allegat his verbis : ὁ τὴν πανάρετον σοφίαν εἰς αὐτοῦ (sc. Salomonis) προσώπον ἀναθεὶς ἔφη κτλ.

16. *Card. Hugonem* secutus *Lorinus* (Comm. Praef. 2.) non inepte comparat modum, quo « solet dici, hoc vel illud dicere Augustinum in libro sententiarum, i. e. quas ex Augustino collegit Prosper ».

229. — Ultimo in loco DE TEMPORE ET OCCASIONE scripti libri dicemus. Quoniam graeca est eius lingua primitiva, iure colligunt hodierni interpretes tantum non omnes, eius auctorem aetate Alexandri M., quippe post cuius expeditiones sermo graecus in Oriente sit pervulgatus, esse recentiorem eumque in Aegypto degisse; namque dum Iudaei palaestinenses, id quod ex Machab. libris constat, patrium sermonem quoad eius fieri potuit retinere studebant, fratres eorum aliis in terris atque praesertim in Aegypto degentes necessitate coacti illam linguam adoptaverant, quae tum temporis ubique fere intelligebatur, i. e. hellenicam. Ptolemaeorum igitur aetate in Aegypto a Iudaeo Hellenista librum Sapientiae esse exaratum consentiunt fere omnes; tempus autem et occasionem coniecturis saltem probabilibus definire licet.

Aetatem enim, in qua auctor scripsit, infelicem fuisse liber satis clare docet. Non pauci Iudaei sive falsis graecorum philosophorum doctrinis seducti sive potentium regum timore subacti fide patria relicta legem abiicere, negata animi immortalitate libidinibus omnibus sese dedere, neque iis contenti suos contribules, qui legi fideles inhaerebant, persequi coeperant (2,1 sqq.). Qua in persecutione socios et aemulos habebant idololatras, qui tormentis quoque extremisque suppliciis Iudaeos ad idololatriam attrahere conabantur; idololatras autem hos Aegyptios fuisse quum ex ipsius eorum cultus descriptione tum ex longa plagarum, quibus antiqui Aegyptii a Deo propter similem persecutionem puniti erant, enumeratione iure merito concludunt omnes interpretes moderni; aptior enim ratio, cur auctor in antiquorum Aegyptiorum et Israelitarum sorte describenda et comparanda tamdiu immoretur, dari non potest, quam eum contribules suos in simili tribulatione constitutos consolari et exhortari voluisse.

Iam vero primi tres Ptolemaei, quamquam Ptolemaeus Lagi Ierosolymis dolo captis multa millia Iudaeorum in Aegyptum captivos adduxerat, Iudaeis non parum faverant, magna privilegia concesserant, permiserant ut secundum legem suam viverent cultumque suum exercerent. Qui rerum status sub eorum successore Ptolemaeo IV. Philopatore I. (222.-205.) mutatus est. Namque quum in templi ierosolymitani adytum intrare ausus gravissima poena a Deo afflictus esset, ira abreptus crudelissimam persecutionem contra Iudaeos excitavit teste 3. Mach. libro, qui, licet apocryphus sit et plenam fidem non mereatur, omni tamen auctoritate non est destitutus. Secundum eius relationem prohibuit Philopator, ne Iudaei alexandrini cultum suum exercerent; omnes privilegiis orbatos infimi vulgi et servorum classi adscribi atque folio hederae inusto velut Baccho dedicatos signari iussit, nisi sponte mysteriis orgiisque Bacchi initiarentur. Quibus minis nonnulli quidem perterriti a fide defecerunt, plerique autem mori quam Legem

suam relinquere maluerunt. Quapropter rex maiore ira inflammatus omnes totius regni Iudaeos Alexandriam cogi et in hippodromo inclusos pedibus elephantorum conculcari iussit; magno autem miraculo Iudaei liberati sunt [1]. Quin in hac narratione quam plurima sint ficta et exaggerata non est dubium, attamen eiusmodi persecutionem a Philopatore motam esse, eius mores aliunde cogniti omnino reddunt probabile. Filius et nepos, qui proxime eum sunt secuti, Ptol. V. Epiphanes (205.-181.) et Ptol. VI. Philometor (181.-145.) iterum Iudaeis favebant, adeo ut alter, cuius magister fuerat Iudaeus Aristobulus [2], templi heliopolitani exstruendi integrique in eo cultus exercendi facultatem eis concederet. Nova autem persecutio exarsit sub Philometoris fratre, Ptol. VII. (IX.) Physcone (170. vel 145.-117.), qui avi sui Philopatoris crudelitatem aequabat. Ex brevi hoc conspectu elucet, aut Philopatoris aut Physconis regno librum nostrum esse adscribendum; prioris autem aptius quam alterius aetati eum adscribi cum plerisque arbitramur [3]. Nam Philopatoris aetate luxuriam maximam libidinesque in Aegypto viguisse eundemque regem idololatriae addictissimum fuisse idololatriamque promovisse satis constat [4], Physcon autem avi crudelitatem quidem, sed non superstitionem aemulabatur. Prioris igitur regno magis convenit liber, qui una cum Epicureismo idololatriam fortissime impugnat, atque poenis, quibus olim Aegyptii oppressores puniti sunt, beneficiisque, quibus oppressos Iudaeos Deus cumulavit, in memoriam revocatis Iudaeos consolari persecutoresque, ut ab incepto desisterent, absterrere studet. Exeunte igitur saec. 3. librum nostrum esse exaratum probabilior tenet sententia.

1. 3 *Mach.* 2 sqq. — *Fl. Ioseph.* c. App. II. 5 hanc narrationem de elephantis commemorat quidem, sed consilium illud Physconi attribuit; alexandrino autem scriptori satis diu ante Iosephum scribenti maior videtur fides deberi.

2. Hinc satis apparet errare eos, qui Aristobulum auctorem operis nostri dixerunt; eius enim aetate Iudaei consolatorio et exhortatorio libello non indiguerunt.

3. Ex recentissimis cfr *Welte* l. c. p. 198; *Haneberg* Gesch. der Offenb. Ed. 4. p. 489; *Kaulen* Einl. Ed. 3. p. 333; *Zschokke* Hist. A. T. p. 355; *Schuster-Holzammer* Handbuch I. p. 797; *Schenz* Einl. p. 415 etc. — *Vigouroux* (Manuel II. p. 435) aetati Physconis, *Lesêtre* (Le livre de la Sagesse p. 10.) exeunti saec. 2. vel ineunti saec. 1. librum attribuere malunt.

4. Recte *Haneberg* l. c. « Die Frage, wie doch dieses Buch zu gleicher Zeit atheistische Genussucht und dann wieder den finstersten Aberglauben des Heidenthums bekämpfen könne, ist durch den Character des genannten Ptolemaeus, dem sicher eine servile aber einflussreiche Hofpartei entsprach, gelöst. Allerdings ist die ganze Geschichte der Ptolemaeer von Philopator an nur allzureich an Beispielen des Luxus, der Despotie und Verfolgungssucht, so dass auch ein später lebender Israelite zur Abfassung eines solchen Buches aufgefordert sein konnte; aber es möchte doch schwer sein, eine Zeit zu finden, welche so vollständig alle äussere Anregung zur Entstehung des Buches der Weisheit geben dürfte, wie gerade jene »

## § 21. — *De libri Sapientiae auctoritate divina.*

230. — Inter deuterocanonicos libros alius non est, quem nostro frequentius integra antiqua Ecclesia pro auctoritate adhibuerit, cuius proinde divina inspiratio et canonicitas pluribus et certioribus testimoniis demonstretur, etsi allusiones, quae in N. T. libris satis frequentes sunt et clarae, prorsus omittamus[1].

Ad antiquiorum Patrum testimonia, ut contra Massilienses divinam Sapientiae auctoritatem stabiliret, iam provocavit *S. Augustinus*. Etenim « repudiari non debuit, inquit, sententia libri Sapientiae, qui meruit in Christi Ecclesia de gradu lectorum tam longa annositate recitari et ab omnibus Christianis, ab episcopo usque ad extremos laicos, *cum veneratione divinae auctoritatis* audiri... Oportet ut istum librum Sapientiae omnibus tractatoribus anteponant, quoniam eum sibi anteposuerunt etiam temporibus proximis Apostolorum egregii tractatores, *qui eum testem adhibentes nihil se adhibere nisi divinum testimonium crediderunt* ». Quapropter etiam S. Doctor sacrorum librorum canonem statuens libros Sapientiae et Ecclesiastici, postquam Salomoni auctori eos deberi negavit, propheticis libris adnumerandos esse docet, « *quoniam in auctoritatem recipi meruerunt* »[2]. Ut quo cum iure S. Augustinus haec asserat, clarius et evidentius appareat, ex innumeris, quae praesto sunt, testimoniis pauca afferemus.

Ab Ecclesia occidentali incipientibus primus testis est *S. Clemens Rom.*, qui saepius quidem ad librum nostrum alludit, sed semel ad verbum fere textum eius adhibet[3]. Saeculo insequente *Canon Muratorianus* » Sapientiam ab amicis Salomonis in honorem ipsius scriptam » post N. T. libros ita enumerat, ut eam in eodem auctoritatis gradu habuisse videatur; atque circa idem tempus *S. Irenaeus* non tantum teste Eusebio libellum variarum disputationum edidit, » in quo Sapientiae Salomonis mentionem facit et quasdam sententias ex illa adducit », sed etiam in praecipuo suo contra haereses opere non semel eius verbis utitur; S. Irenaei autem discipulus *S.Hippolytus* Sapientiae verba tamquam « a propheta » dicta allegat[4]. Quemadmodum in romana et in gallicana ecclesiis, ita in africanis quoque liber noster divina auctoritate gaudebat. *Tertullianus* enim eius testimoniis utitur ad Marcionem et Valentinianos confutandos, *S. Cyprianus* omnibus illis formulis, quibus soli libri inspirati allegari solent ( « Scriptura divina », « Spiritus S. docet per Salomonem » etc.), ea frequenter affert, atque eadem ratione *Lactantius*, quem utpote in Africa ab Arnobio institutum Afris adnumerare licet, Salomonem inter prophetas recenset, quia » ita descripsit nefarium illud consilium ab impiis initum contra Deum, ut

plane interfuisse videatur »[5]. Ex aliis testibus occidentalibus, Augustino antiquioribus aut aequalibus, nominasse sufficiet *S. Hilarium Pict.*, *Luciferum Calarit.*, *S. Ambrosium*, *S. Paulinum*, atque ipsum *S. Hieronymum*, qui quamvis Salomonis Sapientiam « non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam » afferri asserat, sibi non constans librum nostrum non aliter, quam reliquos libros sacros, adhibuit[6].

Neque minus frequens Sapientiae Salomonis usus fuit in Ecclesia orientali. *Clemens Alex.*, eam « divinam » appellavit eiusque verba velut « a Veritate per Dominum » dicta (ἡ ἀλήθεια διὰ τοῦ Κυρίου) affert[7]. *Origenes* quidem, ut difficultatem quandam fugeret, « librum Sapientiae non ab omnibus in auctoritate haberi » monuit, sed alibi eiusmodi dubitatione spreta eum tamquam « Sapientiam Dei » « divina eloquia », « propheticas praedictiones, » « prophetae verba » etc. citat[8]. Ex Origenis autem discipulis et amicis *Theognostus Alex.* in paucissimis, quae supersunt, fragmentis eam adhibet et *Eusebius Caes.* eam « Scripturam » appellat eiusque « divinis eloquiis » utitur; atque ex eius adversariis *S. Methodius* quoque eam « Scripturam » appellat in eaque « S. Spiritus verba » invenit[9]. Contra Arianos eam allegat *S. Athanasius*, una cum SS. Petri et Iacobi testimoniis eam coniungit in quaestione dogmatica, velut « prophetae vaticinia » eam affert in epistolis festalibus, atque semel dumtaxat ei minorem auctoritatem attribuere videtur[10]. Contra haereticos quoque aut in dogmaticis tractatibus eam adhibent *SS. Epiphanius*, *Basilius M.*, *Gregorius Naz.*, *Didymus Alex.*, neque minorem auctoritatem ei attribuit *Theophilus Alex.*, quam magnus ille antiochenus Doctor, *S. Chrysostomus*, quem Theophilus tam inique persecutus est[11]. Omissis illis, qui S. Augustino sunt recentiores, coronidis gratia addamus, in *epistola synodali episcoporum Aegypti*, quam S. Athanasius suae Apologiae contra Arian. inseruit, et in *epistola synodi Sardicensis*, quam Theodoretus conservavit, librum nostrum pro auctoritate citari[12].

1. Ne rem exaggerare videamur, rationalistici interpretis testimonium afferamus, qui solorum heterodoxorum sententiis nititur. Ita igitur *Davidson* Introd. III. p. 407 sq. : « The first traces of the book belong to the apostolic periode. Various New Testament writers shew an acquaintance with it. We do not say that they *quote* or use it formally; their knowledge of it appears in influencing modes of thought and expression, in shaping descriptions and giving a certain complexion to them... After the excellent essays of *Nitzsch* (Zeitschr. für christl. Wissenschaft u. christl. Leben. 1870. N[os] 47-49) it is difficult to find a good reason for denying numerous points of contact between our present apocryphal (lege : deuterocanonicum) work and the apostolic Christian writers. The following are worthy of notice. The description of Wisdom in 7.-9. was surely an antecedent step in the development (potius : in revelatione) of the Logos-doctrine of Iohn the apostle. Compare 8,5 sqq. with Iohn 1,1, and 9,1 with Iohn 1,3. Compare *Sap.* 16,5 sqq. with Iohn 3,14. 15; *Sap.* 13.-15. with

Rom. 1,20-32; *Sap.* 11,16 with Rom. 1,21; *Sap.* 15,7 with Rom. 9,21; *Sap.* 12,20. 21 with Rom. 9,22. 23; *Sap.* 11,24 with Rom. 11,32; *Sap.* 15,1 with Rom. 2,4; *Sap.* 3,8 with 1 Cor. 6,2; *Sap.* 9,15 with 2 Cor. 5,4; *Sap.* 5,18-20 with Eph. 6,13-17; *Sap.* 3,18 with 1 Thess. 4,13; *Sap.* 6,6. 24 sqq. with James 2,13-16; *Sap.* 7,25 and 1,4 with James 3,15; *Sap.* 3,5-7 with 1 Petr. 1,6. 7; *Sap.* 3,7 with 1 Petr. 2,12; *Sap.* 7,26 with Hebr. 1,3; *Sap.* 7,22-24 with Hebr. 4,12. 13; *Sap.* 9,8 with *Hebr.* 8,2 et 9,11. It is necessary to compare all these places with one another in their phraseology (*graeca*) as well as their sentiments. We cannot resolve the coincidences into a common Jewish education and manner of thinking, nor in the common use of the Old Testament passages, as *Grimm* does (Handb. p. 35). *Stier's* list (Die Apocryphen p. 18-22) includes more places than ours, and has not a few doubtful ones... *Nitzsch* and *Bleek* (Studien u. Krit. 1853. p. 73 sqq.) have exhibited most judgment in their identification of designed resemblances between Wisdom and the New Testament writers. » Etiamsi forte inter textus, quos certos esse censet Davidson, aliqui inveniantur longius quaesiti, illud extra dubitationem est positum, N. T. scriptores librum illum cognovisse atque tam frequenter illum legisse, ut etiam non attendentibus sententiae eius et phrases occurrerent; num librum profanum et « *apocryphum* » tam frequenter eos legisse dicemus?

2. *S. August.* De Praedest. Sanct. I. 14; Doctr. christ. II. 8 (M. 44,980; 34,41).

3. *S. Clem. Rom.* 1 Cor. 27 :

Τίς ἐρεῖ αὐτῷ· τί ἐποίησας; Ἢ τίς ἀντιστήσεται τῷ κράτει τῆς ἰσχύος αὐτοῦ;

*Sap.* 12,12. Τίς γὰρ ἐρεῖ · τί ἐποίησας; Ἢ τίς ἀντιστήσεται τῷ κρίματί σου; *Sap.* 11,22. Κράτει βραχίονός σου τίς ἀντιστήσεται;

Cfr quoque 1 Cor. 60 et *Sap.* 7,17; 1 Cor. 61 et *Sap.* 6,3. 26; 2 Cor. 17 et *Sap.* 3,1 sqq. etc.

4. *Fragm. Murat.* lin. 69. 70; cfr *Introd. gener.* Ed. 2. n. 63 p. 184 et *supra* n. 228. *n.* 4 p. 225. — De *S. Irenaeo* vide Euseb. Hist. Eccl. V. 26 (M. 20,509) et cfr *S. Iren.* c. haer. IV, 38 (*Sap.* 6,19. 20); V. 2 (*Sap.* 1,7). M. 7,1108. 1127. — *S. Hippol.* c. Iud. 9 (M. 10,792).

5. *Tertull.* c. Marc. III. 32; c. Valentin. 2 etc. (M. 2,352. 544 etc.). — *S. Cyprian.* De habit. virg. 10; de mortalit. 25 etc. (M. 4,448. 598 etc.). — *Lactant.* De institut. IV. 16 (M. 6,497) cfr *Sap.* 2.

6. *S. Hilar.* De Trin. I. 7 (« propheticae voces »), in Ps. 41,12 etc. (M. 9,30; 8,907 etc.). — *Lucif. Calarit.* Pro Athanas. 1. (M. 13,800). — *S. Ambros.* De parad. 12; De Iacob II. 8 etc. (M. 14,301. 628). — *S. Paulin.* ad Pammach. ep. 13,5 (M. 61,210). — Contra *S. Hier.* Praef. in libr. Salom. cfr *S. Hier.* in Is. 17,8 sqq.; in Ierem. 1,8; in Ezech. 16,40 etc. (M. 24,616. 683; 25,133 etc.).

7. *Clem. Alex.* Strom. IV. 16; VI. 11 etc. (in ultimo hoc capite sexies allegatur Sap., in toto l. VI. Stromat. plus duodecies) M. 8,1309; 9,313 etc.

8. Contra *Orig.* de princ. IV. 33 (M. 11,407) cfr *Orig.* c. Cels. III. 27; in Exod. hom. 6,1; in Levit. hom. 5,2; in Rom. l. VII. 13 etc. etc. (M. 11,1013; 12,332. 450; 14,1141). Circiter quadragies Sap. ab Orig. allegatur et semel tantum cum aliqua dubitatione.

9. *Theognosti Alex.* fragm. (M. 10,240). — *Euseb. Caes.* Praepar. evang. I. 9; XI. 14 etc. (M. 21,69. 885 etc.). — *S. Method.* Conviv. virg. Or. 1,3; 2,7 etc. (M. 18,44. 52).

10. *S. Athanas.* In Arian. or. II. 32; ad Serap. epist. 1,26; in ep. fest. 11,5; 19,5 etc. (M. 26,216. 589. 1406. 1407), sed cfr ep. fest. 39 (M. 26,1436) et quae de hoc textu disseruimus in Introd. gener. Ed. 2. n. 42 p. 100 sqq.

11. *S. Epiph.* haer. 26,15 (« Spiritus S. ») etc.; Ancor. 2 (« Scriptura »); 42 (« Salomon ») etc. (M. 41,357; 43,19,93). — *S. Basil. M.* C. Eunom. 5; Ep. 8,10 etc. (M. 29,714. 752, 770; 32,261). — *S. Gregor. Naz.* Or. 28,8 (M. 36,33). — *Didym. Alex.* De Trin. I. 15; II. 3. 26; III. 2 etc. (M.39,316. 469. 752. 804). — *Theophil. Alex.* Epist. pasch. 5 (M. 67,60). — *S. Chrysost.* in Gen. hom. 11,1; 22,3 etc. (M. 53,92. 188 etc.).

12. Cfr *S. Athan.* Apol. c. Arian. (M. 25,252); *Theodoret.* Hist. Eccl. II. 6 (M. 82, 1013).

231. — In Patrum testimoniis afferendis longiores fuimus, quoniam Sapientiae liber, quamvis de eius doctrina ab antiquioribus Protestantibus et a modernis rationalistis non inique iudicatum sit, hoc nostro tamen saeculo a nonnullis heterodoxis, qui « orthodoxi » vocari amant, vehementissime impugnatur. Si « apocryphorum » adversariis haberemus fidem, Sapientiam Salomonis diceremus errorum platonicorum, stoicorum, alexandrinorum farraginem doctrinis fabellisque rabbinicis permixtam [1]. Ne commentarium potius quam introductionem tradere videamur, praecipuas tantum eorum obiectiones paucis verbis refutabimus; illud autem praenotemus oportet, iniquissimum esse adversariorum modum agendi, quum illas quoque libri nostri doctrinas, quas veras esse negare nequeunt, ab auctore nostro ex philosophis graecis haustas dicant, quoniam similes ab illis sint propositae. Etsi enim omittamus, auctori nostro eas revelari potuisse, illud saltem adversarii scire debebant, plerasque, quas a graecis operibus desumtas esse asserunt, tam clare iam in antiquioribus libris hebraicis contineri, ut philosophos graecos eas a Iudaeis accepisse maiore cum iure olim asseruerint Patres. Nonne ridiculum est, si a Philone aut a nescio quo Alexandrino didicisse asseritur auctor noster, veram sapientiam non esse sine vera virtute (*Sap.* 1,4), siquidem tantum non omnes libri sacri arctum, qui inter Dei cognitionem interque virtutem intercedit, nexum continuo proclamant? Nonne ridiculum est, si a Platone didicisse dicitur, sapientem per mortem ad unionem cum Deo pervenire (*Sap.* 6,19. 20), quamvis in antiquioribus libris sacris futurum hoc iustorum praemium, etsi non eadem cum claritate qua in nostro libro, sit revelatum [2]? Nonne ridiculum, quod ipsum divinum nomen ὁ ὤν (*Sap.* 13,1) a Philone discere debuit, ac si illud non esset mera translatio antiquissimi nominis *Iahve?* Hisce igitur similibusque nugis potius quam obiectionibus non immorabimur; neque refutatione digniorem arbitramur illam obiectionem, qua auctorem vocabula quaedam a philosophis graecis mutuatum esse criminantur; a Platonicis enim voces πρόνοια et προνοεῖν (6,8; 17,2; 14,3), a Stoicis vocabula διοικεῖν (8,1), διήκειν καὶ χωρεῖν διὰ πάντων (7,24), ab Anaxagora epitheton numinis divini λεπτός (7,22) etc. didicisse dicitur. Etenim quoniam adversarii concedunt vocabulis illis nihil erronei contineri sed veras auctoris ideas

adaequate exprimi, non videmus, quid ex illis vocabulis contra libri nostri divinam auctoritatem deducatur. Profecto auctor noster, quum genere esset Iudaeus, si graece scribere voluit, a Graecis graecam linguam discere debuit. Sed graviores eorum accusationes examinemus[3].

1. Quam pauca Ps. Reformatores in nostro libro vituperaverint, patet ex *Bellarm.* De verbo Dei I. 13, qui unam solam obiectionem ex Calvino affert; Lutherum libro favisse nec ullum errorem in eo invenisse, nisi quod nimium « iudaizaret », demonstrat *Grimm* l. c. p. 39. Etiam eorum primi sequaces librum declararunt « longe pulcherrimum dignissimumque, qui ab omnibus verae philosophiae cultoribus magnis in deliciis haberetur » (*Buddeus* Philos. hebr. p. 77 cfr *Grimm* l. c. 40, qui aliorum quoque iudicia affert). Quid de eo sentiant hodie rationalistae, videre est ex. gr. in *Grimm* l. c. p. 41, qui censet « librum Sapientiae inter apocryphos (i. e. deuterocanonicos) didacticos primum locum occupare longeque digniorem esse, qui in canonem recipiatur, quam libros Esther, Koheleth, Canticum Cant » (!!). Simili ratione loquuntur *Ewald* (Gesch. Israels III. 2. p. 548 sq.), *Davidson* (Introd. III. p. 401 : « Its religious and moral tendency entitle it to proeminent distinction. It is difficult to see why it should be excluded from a canon which contains the book of Esther »), *Reuss* (Gesch. des A. T. p. 640), *Fritzsche* (in Schenkel's Bibellexicon V. p. 647 sqq.) *Schuerer* (Gesch. des jüd. Volkes. Leipzig 1886. II. p. 756 sq.) etc. Qui omnes, quamvis graecorum philosophorum placita erronea in libro nostro invenire volunt, longe tamen absunt ab illo inimico animo, quo *Ph.Keerl* (Die Apocryphenfrage. Leipzig 1855. p. 170 sqq.) aliique « apocryphorum » adversarii « orthodoxi » rem tractare solent.

2. Cfr *Ps.* 16,15; 47,15; 72,14 etc. *Calmetus* Commentario in l. Sap. iam praemittendam duxit Dissertationem, in qua fuse ostendit, doctrinam libri Sapientiae non fuisse novam et inauditam, licet sit clarius expressa (Ed. Mansi. Venetiis 1756. V. p.105 sqq.).

3 Obiectiones desumimus ex *Keerl* Die Apocryphenfrage etc. et *Grimm* Handbuch zu den Apocr. VI. Das B. der Weisheit.; easdem etiam proferunt *Davidson, Fritzsche, Reuss* aliique quos iam nominavimus. — Plerasque obiectiones antiqui interpretes iam solverunt et refutarunt; ex modernis cfr praesertim *Welte* Einl. l. c. p. 161-172. 199 sq., *Gutberlet* Das B. des Weisheit p. 25-40 et in Comm. pasim, *Lesêtre* Le livre de la Sagesse p. 13 sqq. et passim, *Kaulen* Einl. p. 284 sq. etc.

Atque 1. quidem creationem ex nihilo liber Sapientiae negare dicitur, quum statuat materiam aeternam, ex qua Deus mundum formaverit (11,18). Ita *Keerl* l. c. p. 190, *Grimm* l. c. p. 211 sq. — Grimm quidem ipse monet, omnes non tantum catholicos sed etiam antiquiores protestanticos interpretes textum illum de creatione secunda, i. e. de formatione mundi, intellexisse; censet autem auctorem, si creationem ex nihilo admisisset, eam potius isto in loco commemorare debuisse, quippe quae secundum nostrum concipiendi modum efficacius, quam rerum formatio ex materia praeexsistente, absolutam Dei potentiam demonstret. Quae omnia parum recte sunt dicta; auctorem enim nostrum non ignorasse creationem ex nihilo, ex principio libri iam patet; Deus enim ἔκτισε εἰς τὸ εἶναι τὰ πάντα (1,14), ergo etiam illam ὕλην ἄμορφον (11,18), ex qua formavit mundum; haec igitur verba (ἐξ ἀμόρφου ὕλης), quae si volueris platonica vocare poteris, ab auctore adhibentur ad designandum eum rerum statum, qui post primum creationis actum

exstitit, quemque Moyses תֹהוּ וָבֹהוּ appellat (*Gen.* 1,2). Neque enim in nostro loco de absoluta Dei potentia agitur, sed auctor ex eo, quod Deus integrum mundum cum omnibus suis animalibus etc. ex illo *Thohu vabohu* eduxit, aptissime concludit, eum etiam aliis bestiis, quam vilibus serpentibus et muscis, Aegyptios punire potuisse.

2. Cum Platone praeexsistentiam animorum diserte docuisse (8,19. 20) eamque alibi tacite supposuisse (7,1) dicitur auctor (*Grimm* l. c. p. 177 sqq.; *Keerl* l. c. p. 182 sqq.). — Erroneis interpretationibus hanc quoque obiectionem inniti ex eo elucet, quod antiquiores interpretes omnes et moderni multi in obiectis textibus hanc doctrinam platonicam non viderunt expressam. Prior textus graecus est hic : παῖς δὲ ἤμην εὐφυής, ψυχῆς τε ἔλαχον ἀγαθῆς, μᾶλλον δὲ ἀγαθὸς ὢν ἦλθον εἰς σῶμα ἀμίαντον (« puer eram bona indole praeditus animamque sortitus sum bonam, magis autem bonus quum essem, veni ad corpus immaculatum ». *Vulg.* : « Puer eram ingeniosus et sortitus sum bonam animam; et quum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum »). S. Augustino, qui solam vulgatam versionem prae oculis habuit, verba haec difficultatem quandam crearunt[4], sed variae explicationes dari possunt, quae omnem difficultatem removent. Antiquiores interpretes plerique, qui cum Vulgata μᾶλλον et ἀγαθός (= βελτίων; *magis bonus* = *melior*) coniunxerunt, hac ratione explicant : « quum magis magisque exercitio virtutum (vel « per gratiam superadditam » *S. Bonav.*) in bonitate crescerem, veni ad corpus incoinquinatum, i. e. aut eo deveni, ut corpus meum esset bene temperatum, mundum et castum, aut conservavi corpus meum mundum a sceleris inquinatione ». Quae explicatio difficultatem quidem removet, at nec latinis et multo minus graecis verbis convenit[5]; quare alia quaerenda atque ex variis propositis haec eligenda videtur : « Corpus pulchrum (παῖς εὐφυὴς ἤμην) et animam bonam sortitus sum; vel potius (μᾶλλον δέ; etenim ne casui [ἔλαχον, *sortitus* sum] hanc pulchri corporis et bonae animae coniunctionem attribuere videatur, corrigit quodam modo priora verba), quia animus bonus erat, ideo etiam corpus, quod naturali illius bonitati convenit, cum eo coniunctum est »; « significat, inquit *Iansenius Gand.* (i. h. l.), animae bonitatem, quam ex Dei munere habuit, fuisse causam munditiei corporis, non contra corporis dotibus animae bonitatem esse paratam: et animae bonitatem praecessisse non secutam esse »; praecessit autem non temporis, sed naturae prioritate[6]. Auctor igitur de praestabilita harmonia corpus inter et animam loquitur nec ullo modo platonicam animae praeexsistentiam docet. Hanc explicationem verbis congruere, ipse fatetur adversarius noster (*Grimm* l. c. p. 177), negat vero auctorem de hac harmonia cogitare potuisse. At cur non potuit? Utique non potuisset, si cum Platone oppositionem spiritum inter et impuram materiam statuisset; at eum impuram materiam Platonicorum non agnovisse docet noster textus, in quo corpus ante coniunctionem cum anima iam *purum* (ἀμίαντον) nominatur[7].

4. *S. August.* de Gen. ad lit. X. 7. 17. 18 (M. 34,413. 420 sqq.) verba ad Christum accommodat, qui utique « solus sortitus est animam omni modo bonam, solus venit

ad corpus omni modo incoinquinatum »; sed vide, quomodo difficultatem ex 7,1. 2. (« coagulatus in sanguine *ex semine hominis* ») solvere frustra conetur.

5. Antiquorum explicationem licet forte ita emendare : « corpus pulchrum et animam bonam a natura sortitus sum, *vel potius* (non a sola natura; sed) quia (moraliter) bonus eram, bonitas haec in corpus transiit, ut illud purum conservaret » (Cfr *Gutberlet* p. 219).

6. Si malueris, poteris ita explicare : « Puer eram bona indole praeditus »; quod ut explicet, addit : « sortitus sum animam bonam », sed animadvertens minus apte dici : « ego (corpus) sortitus sum animam »; sese ipse quasi corrigens pergit : μᾶλλον δὲ, *vel potius* « ego (animus) quum bonus essem, Deo favente, nactus sum corpus, quod virtutum exercitio nullum posuit impedimentum ». Synecdochice igitur pronomen (*ego*) de corpore et de anima adhibuit; ita autem adhibere pronomen non potuisset, nisi corpus et animam substantialiter uniri admisisset; secundum Platonicorum autem doctrinam homo non est substantialiter unus. Hinc etiam tantum abest, ut 7,1 (ἐγλύφην σάρξ, *figuratus sum caro*) doctrina platonica supponatur, ut Platonicus verba illa scribere nulla ratione potuerit.

7. Ne quis ab auctore peccatum originale negari putet, obiter cum Estio (l. h. l.) adnotemus, « animam bonam hoc loco intelligi non bonitate morali aut gratiae iustificantis, sed bonitate naturali, quae est quaedam ad multas virtutes morales in quibusdam hominibus dispositio, ex qua dicuntur esse bona indole et bonas habere propensiones ».

3. Cum Neoplatonicis quoque auctor docere dicitur corpus materiale esse peccati causam (1,4; 8,20; 9,15). Ita iterum *Grimm* l. c. p. 51. 177. 188. — Quomodo vero ex primo textu (1,4) obiectus error deducatur, nemo facile viderit; legenti enim patet, in duobus membris parallelis animam et corpus synecdochice totum hominem designare, atque utrique parti peccatum attribui, quia etiam corpus peccatis carnis inquinetur, peccata autem haec quam maxime impediant veritatis inquisitionem. « Errat, inquit *S. Augustinus*, quisquis putat veritatem se posse cognoscere, quum adhuc nequiter vivat » [8]. — In altero textu « corpus incoinquinatum » (8,20) est « corpus bene constitutum bonaeque aptitudinis, ita ut regi aptarique possit ab anima » (*Lorin.*). De corpore *incoinquinato* loqui profecto non potuisset, si « in corpore, utpote in materiae parte, causam peccati vidisset ». — Quomodo demum « corpus corruptibile aggravet animam » (9,15), iam dudum explicavit *S. Augustinus* : « Addendo, inquiens, *corruptibile*, non qualicunque corpore, sed quale factum est ex peccato consequente vindicta animam perhibuit aggravari »; « nam corruptio corporis, quae aggravat animam, non peccati primi est causa, sed poena, nec caro corruptibilis animam peccatricem, sed anima peccatrix fecit esse corruptibilem carnem » [9]. Eadem igitur ratione de relatione, quae corpus inter et animam intercedit, loquitur auctor noster atque S. Paulus *Rom.* 7,8. 23; 2 *Cor.* 5,2 et passim.

4. Emanatismum docere dicitur auctor Sapientiae, quoniam ab eo sapientia vocetur ἀτμὶς τῆς τοῦ θεοῦ δυνάμεως καὶ ἀπόρροια τῆς τοῦ παντοκράτορος δόξης (« vapor virtutis Dei et emanatio claritatis omnipotentis » 7,25); quod si vero aliis in locis legerimus, sapientiam Dei διήκειν καὶ χωρεῖν διὰ πάντων (7,24), διατείνειν ἀπὸ πέρατος εἰς πέρας (8,1) aut spiritum Dei πεπληρωκέναι τὴν οἰκουμένην (1,7), dubitare nobis non licet, quin auctor sibi Deum velut extensi aliquid

repraesentaverit (*Keerl* l. c. p. 180; *Grimm* l. c. p. 160. 166 etc.). — Qui in primo loco (7,25) de sapientia divina, quae in creatione et gubernatione omnium sese manifestat, sermonem esse tenent, facile respondebunt, auctorem figura προσωποποιΐας esse usum, neque quidquam verbis illis significari, nisi quod *Eccli.* 1,10 asseritur, « Deum effudisse eam (sc. sapientiam suam) super omnia opera sua ». Quoniam vero tantum non unanimi consensu SS. Patres et antiquiores interpretes verba obiecta de Sapientia notionali intelligunt, omnis difficultatis species prorsus disparet. Vocabula enim ἀτμίς et ἀπόῤῥοια eodem sensu sunt adhibita, quo in sequente versu ἀπαύγασμα φωτὸς ἀϊδίου, quae *S. Paulus* Verbo divino applicat (*Hebr.* 1,3). Namque « non extrinsecus est adinventa Filii substantia, inquit *S. Theognostus Alex.*, neque ex nihilo educta, sed ex Patris substantia nata est, ut *lucis splendor et aquae vapor* (ὡς τοῦ φωτὸς τὸ ἀπαύγασμα, ὡς ὕδατος ἀτμίς). Neque enim splendor aut vapor ipsa aqua vel ipse sol est, neque rursus est aliquid alieni, sed est *aliquid emanans ex Patris substantia* (ἀπόῤῥοια τῆς τοῦ Πατρὸς οὐσίας), ita tamen ut nullam divisionem eadem Patris substantia sit passa »[10]. In eiusmodi autem metaphoris ad res divinas applicandis omne, quod imperfectionem innuit esse removendum evidens est. — Reliqui textus obiecti divinam omnipraesentiam docent neque magis favent emanatismo, quam innumerae similes descriptiones in V. et N. T. libris (*Ier.* 23,24; *Act.* 17,28 sq. etc.). Auctorem autem sibi finxisse Deum vel divinam sapientiam velut aliquid materialiter extensi, aut ridicula aut malevola est assertio.

5. Adulterorum liberos absolute damnasse (3,18) dicitur auctor noster (*Keerl* l. c. p. 178). — Neque tamen damnari nisi illos adulterorum liberos, qui parentum peccata imitantur, omnes antiqui interpretes iam viderunt. « Quisquis, inquit *S. Gregorius M.*, pravi parentis iniquitatem imitatur, etiam ex eius delicto constringitur; quisquis autem parentis iniquitatem non imitatur, nequaquam delicto illius gravatur; unde fit, ut iniquus filius iniqui patris non solum sua, quae addidit, sed etiam patris peccata persolvat, quum vitiis patris, quibus iratum Dominum non ignorat, etiam suam adhuc adiungere malitiam non formidat »[11]. Quam longe vere absit auctor noster, ut innocentes adulterorum filios damnet, luculentissime patet ex doctrina de universali amore, quo Deum omnia complecti omniumque misereri docet (11,24 sq.).

6. Euhemeristico modo originem *polytheismi* a cultu mortuorum auctorem nostrum derivare (14,15), iam obiecerat Calvinus refutatus a Bellarmino[12] et obiiciunt moderni (*Grimm* l. c. p. 246). — At nec de *polytheismi* origine in loco obiecto loquitur auctor, quippe quam iam antea explicaverat (13,1 sqq.), nec *idolorum* originis completam doctrinam tradere vult, sed exemplis nonnullis illustrat, quam levibus, ridiculis, fortuitis ex causis interdum idola coli sint coepta.

7. Ultima in libri parte historica auctor haud pauca de plagis Aegyptiorum et de miraculis in Iudaeorum favorem patratis narrat, quae in Exodo aliisve libris sacris non leguntur, immo nonnulla, quae cum Exodi narratione videntur pugnare. — At operae pretium non esse arbitramur omnia et singula referre, quum integra obiectio aut falso supposito aut erroneis tex-

tuum interpretationibus innitatur. Quare sufficit adnotasse a.) satis multa quidem referri in l. Sap., quae a Moyse non sunt relata; sed Moysen non omnia singulatim et enucleate descripsisse atque traditione orali multa fuisse conservata docent *Ps.* 76,17 sqq.; 77,104; 2 *Tim.* 3,8 etc.; ex eadem autem traditione, ex qua scriptores illi protocanonici, noster deuterocanonicus hausit. b.) Si quid vero alibi relatis repugnare videtur, recte monet *Calmetus* naturalis iuris aequitatem postulare, ut auctoris verba « benigna quantum fieri potest interpretatione molliantur, neque rigido unquam sensu usurpentur, nisi vim aperte veritati inferant. Nihil autem ex iis, quae libro nostro opponuntur, tam pravum sensum refert, ut aequiorem et veritati consonum non patiatur ».

8. *S. Augustin.* De agone christ. 13 (M. 40,299).
9. *S. Augustin.* Civ. Dei XIII. 16. XIV. 3 (M. 41,388. 406).
10. *S. Theognost. Alex.* Fragm. 1. (M. 10,240).
11. *S. Gregor. M.* Moral. XV. 51. (M. 75,1110).
12. *Bellarm.* De verbo Dei I. 13.

## II. De Ecclesiastico.

### § 22. — *De Ecclesiastici argumento, divisione, fine.*

232. — Ultimum locum inter sapientiales libros in canone nostro occupat *Ecclesiasticus*, de cuius nominis origine et significatione variae sunt sententiae. « Titulus Ecclesiastici, inquit *Calmetus*, inditus operi est, ut a Salomonis Ecclesiaste distingueretur, quum tamen idem sit utriusque operis finis ». Simili modo iam *Cassiodorus* et *Rhabanus Maurus*: « Ille liber Salomonis, qui dicitur Ecclesiastes, et iste Iesu filii Sirach, qui Ecclesiasticus nuncupatur, ad instructionem Ecclesiae Dei sunt utilissimi, quorum priorem *concionatorem* possumus dicere, alterum vero *congregatorem* vel *collectorem*[1]. Sed inter Ecclesiasten et inter Ecclesiasticum istam Patres posuere distantiam, quod Ecclesiastes ad Christum Dominum maxime debet referri, Ecclesiasticus vero cuicunque iusto praedicatori potest absolute congruere, qui Ecclesiam Domini sanctissimis solet monitis congregare, quod utique praesentem librum fecisse manifestum est »[2]. Quae explicatio vel ideo parum placet, quia Ecclesiasticus, sive eius argumentum sive eius tractandi modum et finem spectas, cum Salomonis Ecclesiaste minimam, cum eiusdem Proverbiis maximam habet similitudinem et affinitatem; accedit autem, quod nomen *ecclesiastici* neque ex etymologia sua neque ex usu *congregatoris* sensum exhibet. Aptiorem originem et sensum vocabulo assignat *Rufinus*: « Sciendum est, quod et alii libri sunt, qui non canonici, sed ecclesiastici a maioribus appellati sunt, i. e. Sapientia, quae dicitur Salomonis, et alia Sapientia, quae dicitur filii Sirach, qui liber apud Latinos hoc ipso generali vocabulo *Ecclesiasticus* appellatur, quo vocabulo non auctor libelli, sed scripturae qualitas cognominata est »[3]. In nonnullis enim antiquis ecclesiis usus invaluerat, ut libri illi sacri, qui propter faciliorem suam doctrinam catechumenis instituendis videbantur esse aptiores, a reliquis secernerentur et specialem canonis classem constituerent[4]. Quibus *ecclesiasticorum* nomen non tam ideo videtur esse inditum, quia aliis frequentius in ecclesiis legebantur, sed quia primi erant Ecclesiae libri, qui novellis Ecclesiae membris tradebantur atque intermedii quodammodo habebantur inter profanos et inter canonicos. Inter eos autem liber noster, quum completam fere morum doctrinam contineat praecipuaque dogmata quoque attingat, ita eminebat, ut reliquis frequentius adhiberetur[5], atque ita paullatim factum est, ut velut *Ecclesiasticus* κατ' ἐξοχήν a reliquis distingueretur.

Ceterum genuinus libri titulus ille est, quem exhibent editiones graecae: σοφία Ἰησοῦ υἱοῦ Σειράχ (vel brevius sed minus recte σοφία Σειράχ) et syriaca חכמתא דבר סירא (sapientia filii Sira). A graecis et latinis Patribus interdum vocatur ἡ πανάρετος σοφία, « Panaretos Iesu filii Sirach liber » [6]; apud Iudaeos autem teste S. Hieronymo idem ei fuit nomen, quod libro Proverbiorum: מְשָׁלִים, *Parabolae*.

Quibus nominibus argumentum et indoles libri satis accurate indicantur. Auctor enim, qui a puero sapientiam quaesierat (*Eccli.* 51,18) eamque continuo Scripturarum studio invenerat (Prol. et 51,22. 23), senescens « aliquid eorum, quae ad doctrinam et sapientiam pertinent, literis mandare voluit, ut desiderantes discere, etiam horum participes facti, multo magis proficerent per vitam secundum Legis praecepta institutam » (Prol.). Hinc statim a principio de sapientiae origine et fructibus agit, in toto autem opere praeceptis et exemplis verae virtutis propositis lectores suos ad sapientiam practicam, i. e. ad omnium virtutum exercitium instituit. Gnomis vero et parabolis doctrinam suam explicat eodem prorsus modo, quo Salomon in Proverbiis suis. Attamen « tradit virtutes non tantum ethicas, quae personam cuiusque concernunt et perficiunt, sed etiam oeconomicas, quae ad familiam, et politicas, quae ad rempublicam gubernandam vel utiles sunt vel necessariae » (Corn. a Lap.). Porro etiam in eo a Salomone sese distinguit, quod praeceptis non contentus longum catalogum eximiorum virorum contexat, quorum exempla institutioni inserviunt et incitamento. Demum Salomone frequentius dogmaticas veritates attingit, Deum divinaque attributa et opera multis in locis celebrat et de pluralitate personarum divinarum clarius, quam alii V. T. scriptores, loquitur [7]; de creatione, primorum hominum statu primitivo, lapsu, peccatique originalis sequelis [8], de ultimo hominis fine [9] etc. etc. non pauca tradit; quare non mirum est, quod Can. 85. Apostolorum « Sapientiam eruditi Sirach » adolescentibus addiscendam commendaverit, atque liber noster titulo *Ecclesiastici* sit insignitus.

1. A Cassiodoro et Rhabano mediae aetatis interpretes hanc nominis explicationem receperunt (*Card. Hugo* In Eccle. Prol. « *Ecclesiastes* concionator interpretatur, quia quasi in concilio totam Ecclesiam convocat ad contemtum mundi. *Ecclesiasticus* vero interpretatur congregator seu collector, eo quod omnes virtutes in hoc libro, sicut grana in horreo, congregat »), atque mirum quod iuniores eam repetierint; ex. gr. *Goldhagen* Introd. II. p. 333: « Liber Ἐκκλησιαστικός apud Graecos dictus eodem nomine apud Latinos inscribitur, quod idem sonat ac Ecclesiastes, nempe concionator, collector et compilator; auctor enim ex collectis aliunde sententiis, maxime ex Proverbiis Salomonis, maiorem libri partem contexuit ». Quae omnia parum recte sunt asserta; a Graecis librum nostrum unquam Ἐκκλησιαστικόν esse inscriptum, nullo testimonio constat [a], nec Ecclesiasticus idem sonat quod Ecclesiastes, nec Ecclesia-

a) Cfr. *Rufini* transl. homil. *Orig.* in Num. hom. 18,3 (M. 12,714): « In libro, qui *apud*

stes designat compilatorem et collectorem, nec maior libri nostri pars ex Salomonis Proverbiis est contexta. De sensu nominis *Ecclesiastae* cfr *supra* 205 p. 155 sqq.

2. *Cassiod.* Instit. divin. 5 (M. 70,1117); *Rhaban. Maur.* Comm. in Eccli. (M. 109, 764).

3. *Rufin.* In Symb. Apost. 38 (M. 21,374).

4. Cfr quae de hoc usu diximus in *Introd. gener.* Ed. 2. n. 42. p. 100.

5. *Rhab. Maur.* De Univ. V. 3 (M. 111,113) : « Ecclesiasticus morum paene omnium doctrinam et sanctae religionis conversationem affatim copiose descripsit ». Quam frequenter in catechumenis instituendis sit adhibitus, non obscure elucet ex eo, quod *Clem. Alex.* in tribus suis libris Paedagogi opus nostrum plus quinquagies alleget, rarius autem idem citet in Stromatum libris.

6. *S. Hier.* In libros Salom. Praef.; *Cassiod.* l. c.; *Rhab. Maur.* Comm. in Eccli. Praef. etc. Cfr *supra* 198. n. 4 p. 134.

7. *Eccli.* 42.17-43,37; 16,16-22; 5,6 sqq.; 11,13 sqq.; 23,28 sqq. etc. — 51,14; 25,5 etc.

8. *Eccli.* 18,1 sqq. — 17,1 sqq. — 25,33. — 40,1 sqq.

9. *Eccli.* 1,19 sqq.; 11,2. 28; 31,8 sqq. etc.

233. — Quemadmodum argumento, ita etiam tota sua indole et forma liber noster magnam habet cum Proverbiis similitudinem et affinitatem. Eadem in nostro, quae in illo opere, gnomarum, parabolarum, comparationum, aenigmatum copia et varietas; eadem in omnibus forma poetica atque parallelismi poetici idem usus accuratus, immo, id quod magis mireris, eadem quoque sub certo respectu integri OPERIS DISTRIBUTIO et dispositio. Proverbiorum opus a sapientiae laudibus et commendatione inchoari et carmine alphabetico (de muliere forti) terminari vidimus, corpus autem operis ipsum multis constare parvulis poematis didacticis, quibus sapientia practica, i. e. virtutum omnium exercitium, docetur et inculcatur. Iam vero Ecclesiasticus quoque a sapientiae laudibus inchoatur, carmine alphabetico terminatur [1], atque collectio est carminum minorum didacticorum, quibus vitae piae praecepta traduntur. Absit tamen, ut auctorem nostrum dicamus Salomonem servili modo esse imitatum. Quin Proverbiorum completum opus prae oculis habuerit illudque aemulari voluerit, nemini quidem, opinor, est dubium; at quicunque utrumque opus inter se comparaverit, non poterit non admirari, quanta cum libertate suis viribus consiliisque confisus auctor noster, sicuti in argumento suo eligendo, ita etiam in eo proponendo et disponendo incedat. In maiore Proverbiorum libri parte nullum fere inter singulas sententias inveniri nexum diximus (199 p. 135), Siracides autem sententias, quae de eadem virtute agunt, coniungere solet, ita ut maior in eius, quam in Salomonis, libro ordo sit observatus. Hinc etiam factum est, ut in graecis codicibus non paucae additae sint inscriptiones, quibus argumenta trac-

*nos* quidem inter Salomonis volumina haberi solet et *Ecclesiasticus dici, apud Graecos* vero Sapientia Iesu filii Sirach appellatur, scriptum est » etc.

tata indicantur[2]. Nihilominus quum de permultis virtutibus agat atque variis in locis ad idem argumentum tractandum revertatur, accurata libri divisio proponi non potest. Decalogi quidem ordinem auctorem ab initio sequi arbitratus est olim *Cornelius a Lap.*, quem pauci moderni sequuntur[3]; « incipit enim a timore et cultu Dei, inde a cap. 3. progreditur ad honorem parentibus debitum, ac deinceps officia ceteris vel ex caritate vel ex iustitia praestanda prosequitur »; at legenti facile patet, hunc ordinem non esse observatum. Nam de eleemosyna agit 4,1 sqq. et iterum 29,1 sqq., de amicitia 6,5 sqq. et iterum 36,1 sqq., de puerorum educatione 7,23 sqq. et 30,1 sqq. etc. Ceterum Cornelius alteram quoque divisionem indicat, aliique interpretes alias proposuerunt, at hucusque nullam, quae argumento vere correspondeat[4]. Quare generali illa distributione in duas partes, quam *Card. Hugo* et *Lyranus* iam indicarunt, contenti simus oportet[5], quae ex duplici argumento, quod tractatur, ex vitae nimirum praeceptis et exemplis, sua sponte exoritur. In ANALYSI igitur, quam subiiciemus, non referimus nisi praecipuas materias, de quibus agitur; sequimur autem textum Vulgatae (240).

1. *Eccli.* 51,18-38 esse translationem carminis alphabetici primus detexit et demonstravit *G. Bickell* in Innsbrucker Zeitschrift für kath. Theologie 1882. p. 319-333.

2. In editione Sixtina hae leguntur inscriptiones : 18,30 ἐγκράτεια ψυχῆς; 20,29 λόγοι παραβολῶν; 23,7 παίδεια στόματος; 24,1 αἴνεσις σοφίας; 30,1 περὶ τέκνων; 30,14 περὶ ὑγιείας; 30,25 περὶ δούλων; 35,1 περὶ ἡγουμένων; 44,1 πατέρων ὕμνος; 51,1 προσευχὴ Ἰησοῦ υἱοῦ Σειράχ. Omnes graeci codices, quotquot hodie exstant, in 30,26-36,16 alium ordinem exhibent, quam *Vulg.*, *Syr.*, *Ar.* Etenim *Vulg.* 33,17-36,16 in graecis codicibus posita sunt immediate post *Vulg.* 30,26 ita quidem, ut *Vulg.* 33,16 a. in fine istius pericopae, 33,16 b. autem in eius initio sint collocata. Secundum Vulgatam igitur inscriptio Sixtina 30,25 ponenda est ante 33,25 et inscriptio Sixt. 35,1. ante 32,1. — Ordinem Vulg., Syr., Ar. omnino esse retinendum evidenter elucet ex contextu; ordinis vero inversio in graecis codicibus inde est exorta, quod in archetypo, a quo superstites codices graeci dependent, folia, quibus pericopae illae continebantur, casu quodam sint e loco suo remota et transposita. Quare ab editoribus Complut., Antw., Paris. et a *Fritzsche* (Libri apocryphi. 1871. p. 462 sqq.) genuinus ordo iure est restitutus. Probe vero animadvertendum est, consensu graecorum codicum in hac ordinis inversione demonstrari, eos omnes directe vel indirecte ex uno codice dependere, qui codicibus illis, ex quibus adornatae sunt versiones Vulg. Syr. Ar., est recentior.

3. Cornel. a Lap. In Eccli. Proleg. c. 4. — *Tetens* Disquisitiones gener. in Sap. Iesu Siracidis. Havniae 1779; cfr *Fritzsche* Handb. zu den Apokr. V. Die Weisheit Iesus Sirachs. Leipzig 1859. p. XXXI.

4. *Corn. a Lap.* l. c. « Tres libri sunt partes : *prima* (post prooemium, quo continetur encomium sapientiae) a c. 2. usque ad c. 23. tradit sapientiae praecepta et dogmata de quibuslibet virtutibus. *Secunda* c. 24. ipsam sapientiam se suaque praedicantem inducit at deinde ethica eius documenta persequitur usque ad 42,14. *Tertia* a c. 42,15 usque ad finem continet harum virtutum et documentorum exempla ». Eandem approbat *Calmet.*; inter Protestantes autem *Eichhorn* (Einl. in die apocr.

Schriften p. 50 sqq.) tres illas partes a Corn. a Lap. descriptas voluit esse diversas collectiones. — *Kilber* quoque (Analys. bibl. II p. 166 sqq.) tres partes facit, sed integrum librum, ut illas constituat, sursum deorsum versat; quare eum omittimus. — *H. Lesêtre* (L'Ecclésiastique. Paris 1880. p. 16 sq., qui sequitur *Fritzschium* l. c. p. XXXII) has septem sectiones agnoscit : 1. Origine de la sagesse. Devoirs qu'elle nous impose dans nos relations avec Dieu, avec la famille et la société, et dans notre conduite par rapport aux vices et aux vertus. 1,1-16,23; — 2. Dieu Createur et Providence. De la manière dont l'homme doit se conduire pour lui plaire. 16,24-23,38; — 3. Éloge de la Sagesse. Recommandations pour se bien conduire dans la société, et s'acquitter de ses devoirs extérieurs envers Dieu. 24,1-36,19; — 4. Différentes règles à suivre dans les relations sociales. Portrait du vrai sage. 36,20-39,15; — 5. De la création et du rôle particulier assigné à l'homme. 39,16-42,14; — 6. Louange du Seigneur par les merveilles de la nature et les hauts faits des grands hommes. 42,15-50,23; — 7. Conclusion du livre, dernière prière et dernière instruction de l'auteur. 50,23-51,38. At facile apparet, argumentis suis sectiones illas plerasque vix inter se differre.

5. *Card. Hugo* In Eccli. Prol. « Liber dividitur in duas partes : in prima agitur de *virtutibus* et conditionibus virtutum usque ad c. 43; in secunda de *exemplis* sanctorum, a c. 44 usque ad finem ». Similiter *Lyranus* : « Dividitur liber in duas partes; in prima inducit ad amorem sapientiae *ratiocinando*, in secunda, quae incipit a c. 44., *exemplificando* ». Duas has partes longe plerique agnoscunt, nonnulli tamen hymnum de creatione 42,15-43,37 ad alteram partem trahunt.

## ANALYSIS ECCLESIASTICI.

In EXORDIO (1,1-40) descripta sapientiae origine (1,1-10) et fructibus nonnullis timoris Dei enumeratis (1,11-15) agit auctor de relatione inter sapientiam et timorem Dei (1,16-40).

In PRIORE PARTE (2,1-43,37) *praecepta de variis virtutibus tradit*, ita ut illa novis ad sapientiam exhortationibus, longioribus meditationibus precibusque aliquoties interrumpat atque longiore hymno terminet. Praecipua enumeramus sectionibus secundum repetitas sapientiae commendationes distinctis.

1. Incipit a fiducia in divinam misericordiam commendanda, utpote quae sit verae sapientiae conditio necessaria (2,1-23), atque statim transit ad inculcanda
   puerorum officia erga parentes (3,1-18),
   mansuetudinem humilitatemque (3,19-32) et misericordiam erga pauperes praescribendam (3,33-4,11).
2. Sapientiae fructibus enumeratis (4,12-22)
   monita tradit de observanda veracitate et de malo pudore cavendo (4,23-36);
   nonnullis autem de poenitentia agenda interiectis (5,1-11) commendat omnimodam sinceritatem (5,12-18),
   quibus apte adnectuntur praecepta de amicitia (6,1-18).
3. Cum magno labore sapientiam esse quaerendam praefatus (6,19-37) vitandum esse peccatum inculcat (7,1-3), atque ad specialia transiens cavendum esse monet ab ambitione (7,4-11) et a mendacio (7,12-14),

atque docet, quomodo erga familiares et proximos homo sese gerere debeat (7,15-8,22),
quomodo erga mulieres (9,1-13) et erga certas virorum classes (9,14-25).

4. Sapientia in principibus commendata (10,1-5),
in superbiam invehitur (10,6-34), modestiam vero humilitatemque laudat (11,1-10),
monens divitias paupertatemque secundum sapientissimum Dei consilium distribui (11,11-20), nec ullum hominem ante mortem beatum posse praedicari (11,21-30).
Porro vitandos esse docet dolosos (11,31-36), impios (12,1-7), neque fiduciam esse ponendam in inimicis (12,8-19),
vitandos quoque superbos et potentiores atque cum aequalibus conversandum (13,1-32);
demum avaritiam vituperat (14,1-16) et exhortatur, ut homo, dum vivat, bene agere studeat (14,17-21).

5. Beatum eum praedicans, qui sapientiam quaerat, quia eam inventurus sit (14,22-15,10),
peccatum non esse a Deo docet, sed a libero arbitrio (15,11-20);
nam Deus non amat impios (15,21. 22), quare etiam, uti per parenthesim monet, parentes in filiorum, si sint impii, multitudine gaudere non debent (16,1-5); ex historia enim constat, quomodo peccatores Deus semper punierit (16,6-15), neve quisquam putet opera sua Deo esse ignota (16,16-23).

6. Ad attentionem lectores exhortatus, quoniam sapientiam celebrare velit (16,24. 25),
creationem mundi describit (16,26-31) hominisque maximis donis ditati (17,1-20),
ut inde deducat, per poenitentiam hominem ad Deum redire debere (17,21-31);
quam conclusionem confirmaturus ostendit, quid sit homo cum Deo comparatus (18,1-14).
Addit varia praecepta de eleemosyna danda (18,15-18), de prudentia in agendo (18,19-33),
de ebrietate vitanda (19,1-3), de lingua bene regenda (19,4-17).

7. Praemissis nonnullis sententiis de relatione inter sapientiam et inter Dei timorem (19,18-27)
de correptione proximi agit (19,28-20,5) et de variis peccatis linguae (20,6-33).

Porro omne peccatum atque praesertim superbiam vitari debere docet (21,1-12),
sapientiumque et stultorum moribus comparatis (21,13-31) stulti vilitatem describit (22,1-23);
quaedam amicis cavenda vel facienda enumerat (22,24-32),
atque pericopae, quae potissimum de regenda lingua tractat, precationem inserit, qua Deum implorat, ut haec praecepta implere possit (22,33-23,6).

Precationi autem nova praecepta de lingua moderanda adnectit (23, 7-20) aliaque de intemperantia et luxuria vitandis (23,21-37).

8. Sequitur magnificum sapientiae encomium. Introducit enim auctor sapientiam se ipsam laudantem (24,1-4),
quae suam originem suamque prae omnibus rebus excellentiam describit (24,5-12),
suam inhabitationem in populo Israel (24,13-16), incomparabilem suam pulchritudinem divitesque suos fructus celebrat (24,17-31),
demum suam relationem ad Legem et revelationem manifestat (24, 32-47).
Encomium hoc excipiunt tres sententiae numerorum artificio distinctae, quibus sapientia et timor Dei maxime celebrantur (25,1-6)
longusque tractatus de mulieribus probis improbisque (25,7-26,24).
Duabus aliis sententiis numerorum artificio distinctis transit ad lucri cupiditatem damnandam (26,25-27,4),
variaque linguae peccata (27,5-24), dolum (27,25-32), iram et vindictam (27,33-28,14), detractionem et susurrationem perstringit (28, 15-30).
Deinde agit de mutuo (29,1-18) et de fideiubendo pro proximo (29, 19-26), quibus in rebus cavendum est, ne sibi ipse homo damnum inferat, nam duram esse vitam eorum, qui omnibus deperditis circumvagari cogantur (29,27-35).
Transit ad filiorum bonam educationem (30,1-13),
commendat sanitatem corporis curandam (30,14-21) atque tristitiam vitandam (30,22-27);
hinc causas vitandas monet, ex quibus tristitia exoritur, sc. nimium divitiarum studium (31,1-11) et intemperantiam in victu (31,12-29) potuque (31,30-32,3),
atque addit, quomodo senes et iuvenes in conviviis loqui et agere deceat (32,4-17),

9. Iterum commendato timore Dei (32,18-22)
docet prudentiam cum fiducia Dei esse coniungendam (32,23-33,6), quae fiducia exoritur ex certa scientia, Deum omnia secundum suam sapientiam disposuisse (33,7-15).
Porro praemonens se similem esse eius, qui vindemia peracta uvas colligat, omnes exhortatur, ut variis suis praeceptis aures praebeant (33,16-19), atque deinde
docet filiis vel amicis bona non esse tradenda ante mortem (33,20-24),
servum severe quidem, sed iuste et cum caritate esse tractandum (33,25-33),
somniis fidem non esse adhibendam (34,1-8); experientia enim edoctus scit, Deum non derelinquere timentes ipsum (34,9-20).
Transit dein ad doctrinam de sacrificiis. Sacrificia, quae ex bonis iniuste acquisitis offeruntur Deus exsecratur (34,21-31); verum quidem sacrificium docet esse pietatem et misericordiam erga pauperes (35,1-5), nihilominus externa sacrificia, utpote praecepta, non

esse negligenda, sed debito modo offerenda (35,6-15); Deus enim non respicit personam, sed exaudit preces pauperum et eorum qui se humiliant (35,16-26).

Qua consideratione adducitur, ut ipse pro populo suo afflicto preces fundat (36,1-19).

Praemittens non eodem modo de omnibus esse iudicandum sed alias aliis esse meliores (36,20-22), commendat bonam uxorem (36,23-28), bonum amicum (37,1-7), bonum consiliarium (37,8-21), vere sapientem (37,22-29).

Transit ad commendandam curam sanitatis corporis. Ad quam conservandam abstinendum est a crapula (37,30-34); docet quoque, quomodo honorandus sit medicus (38,1-8), quid agendum in infirmitate (38,9-15), quid agendum erga mortuos (38,16-24).

10. Qua via sapientia sit acquirenda explicat. Sapientiae studium requirit otium, quapropter ii, qui fabrilibus occupantur, eam adipisci nequeunt, licet eorum opera sint utilia et necessaria (38,25-39). Ad sapientiae autem laudem pervenitur studio Legis prophetarumque et oratione (39,1-14).

Quibus praemissis velut vere sapiens hymno celebrat opera Dei, quae omnia sint valde bona et finem a Deo intentum attingant, ut piis in praemium, impiis in poenam sint (39,15-41).

Aerumnas deinde describit, quas peccatum induxit (40,1-11) atque paucis verbis praefatus solam iustitiam semper permansuram (40, 12-17) aerumnis opponit huius terrae bona, inter quae eminet timor Domini (40,18-27).

Ad aerumnas reversus duram esse inopiam docet (40,28-32), amaram esse mortem (41,1-7), magnam calamitatem esse filios impios (41, 8-16).

Demum praemonens non omnem pudorem esse bonum (41,17-20) ostendit de quibus sit erubescendum (41,21-28), de quibus non erubescendum (42,1-8) additque pauca de filiabus custodiendis et de mulieribus vitandis (42,9-14).

11. Terminat hanc priorem partem magnifico hymno de Dei creatoris operibus (42,15-43,37).

In SECUNDA PARTE breviore (44,1-50,26), quem *hymnum Patrum* appellant graecae editiones, Patriarcharum laudes celebrans exempla virtutum lectoribus ob oculos ponit. Atque

1. quidem generalem Patriarcharum et Sapientium laudem praemittit (44, 1-15), deinde

2. ordine chronologico recenset Henoch et Noe (44,16-19), Abraham, Isaac, Iacob (44,20-27), Moysen (45,1-6), Aaronem nepotemque eius Phinees (45,7-31), Iosue et Caleb (46,1-12), Iudices et Samuel (46,13-23), Nathan et David (47,1-13), Salomonem (47,14-26), cuius filium vituperat (47,27-31), Eliam et Eliseum (48,1-18), Ezechiam et Isaiam (48,19-28), Iosiam cum Ieremia, Ezechiel, duodecim prophetis (49,1-12), Zorobabelem, Iesum sacerdotem, Nehemiam (49,13-

15); quos tamen superant Henoch, Ioseph, Seth, Sem atque imprimis Adam (49,16-19),

3. Quibus addit Simonem, Oniae filium, sacerdotem magnum, qui auctoris tempore videtur vixisse (50,1-23).

In EPILOGO auctor

a.) exhortatur omnes, ut secum Deo gratias agant, beatumque praedicat eum, qui praecepta sua observaturus sit (50,24-31);

b.) celebrat Deum, quod se a multis tribulationibus liberaverit (51,1-17)

c.) et carmine (alphabetico) suum sapientiae studium describens lectores monet, ut eadem ratione sapientiam quaerant (51,18-38).

De AUCTORIS FINE quidquam addere opus vix est; toto enim suo argumento totaque sua indole opus ipsum docet vera esse ea, quae auctoris nepos et interpres asserit, avum suum, postquam studio sapientiae diu vacasset eamque ex libris sacris praecipue didicisset, haec literis mandare voluisse, ut alios sapientiae studiosos adiuvaret eisque viam monstraret, qua vitam suam secundum Legis praecepta instituere possent. Idem igitur nostri auctoris finis, qui Salomonis in Proverbiis edendis (200 p. 140 sq.). Quatenus vero, uti recte monet Corn. a Lapide, « omne cuiuslibet virtutis officium particulatim recenset, quae ipsius propria est dos et laus », sub certo respectu non tantum Proverbia sed reliquos etiam libros sapientiales superat dignusque est, quem Christiani omnes, virtutis et perfectionis avidi, avide volvant, legant, relegant; neque enim sine ratione Rhabanus commentarium, quem in nostrum librum exaravit, amico suo Otgario, archiepiscopo Moguntino, transmittens praesulem exhortatus est, « ut Ecclesiastici lectio frequens ei sit et testimoniorum illius assidua meditatio ».

## § 23. — *De Ecclesiastici origine.*

234. — Quamvis hebraicum Ecclesiastici exemplar deesset, dubitari tamen non potuit, quin eius PRIMIGENIUS TEXTUS hebraicus fuerit. Nam graecum textum esse versionem, non tantum auctoris nepos, qui ipse eam adornavit, diserte asserit, sed etiam, uti iam vidit *Huetius*, confirmat « phrasis, quae hebraismum in multis redolet, nonnumquam etiam mere hebraica est : puta illud ἡμέρας ἀριθμοῦ (17,3 dies numeri i. e. dies paucos) purum hebraicum est יְמֵי מִסְפָּר; et illud identidem διαθήκην αἰῶνος (17,10 testamentum saeculi i. e. testamentum aeternum) correspondet hebraico בְּרִית עוֹלָם; item ἀπὸ προσώπου λόγου et ἀπὸ προσώπου βρέφους (19,11 a facie verbi, a facie infantis i. e. propter verbum, propter infantem) hebraice scriptum erat מִפְּנֵי דָבָר et מִפְּנֵי עוֹלָל » etc[1]. Gravius argumentum praebent interpretis menda; nonnulli enim textus graeci vix ac ne vix quidem intelliguntur, nisi interpretem in he-

braicis verbis reddendis errasse supponamus. Quo pertinet illud οὐκ ἔστι κεφαλὴ ὑπὲρ κεφαλὴν ὄφεως (25,22 « non est caput super caput serpentis », *Vulg.* : « nequius quam caput serpentis »), in quo reddendo interpres ad duplicem sensum vocabuli ראשׁ (*caput, venenum*) non attendit (: non est venenum peius, quam venenum serpentis). Item in 24, 35-38 (« qui implet quasi Phison sapientia, et sicut Tigris..., qui quasi Euphrates..., qui quasi Iordanis... qui mittit disciplinam *sicut lucem* et assistens quasi Gehon in die vindemiae ») parallelismus pro vocabulis *sicut lucem* evidenter nomen fluvii postulat; interpres כָּאוֹר vel כָּאֹר (cfr *Am.* 8,8) legisse neque attendisse videtur, כָּאוֹר hic positum esse pro כִּיאוֹר (sicut fluvius sc. Nilus)[2]. Porro annominationes quoque quaedam hebraicum textum produnt; *mensem* enim iuxta nomen *lunae* esse dicens (43,7. 8) graece locutus non est, quum μήν et σελήνη affinia non sint, sed hebraice (יֶרַח *mensis,* יָרֵחַ *luna*); neque graecus scriptor dicere potuit *sapientiam* (σοφία) pro nomine suo (κατὰ τὸ ὄνομα αὐτῆς) non multis esse *manifestam* (6,23); hebraica ibi latet paronomasia.

Dubitatum a nonnullis est, annon auctor chaldaice potius quam hebraice scripsisset, quia eo tempore (saec. 3. a. Chr.) vixisse dicendus est, quo lingua hebraica in usu esse desierat[3]. Quod dubium nunc prorsus sublatum est hebraici textus primigenii fragmento, quod quintam fere totius operis partem (39,15-49,11) continet, iterum reperto[4]. Ceterum S. Hieronymus, hac in re testis omni exceptione maior, se *hebraicum* Ecclesiastici textum vidisse iam testatus erat, atque ex thalmudicis quoque et rabbinicis libris circiter quadraginta gnomae *hebraicae* collectae iam erant, quae *Ben Sira* ibi attribuuntur[5].

1. *Huet.* Demonstr. evang. Prop. 4. De Eccli. 5 (Ed. Venetae 1765. p. 271). Multo plures hebraismi a modernis numerantur; cfr *Welte* Einleitung. II. 3. p. 208 sq.; *Kaulen* Einl. Ed. 3. p. 340.

2. Prius mendum etiam in *Syr.* invenitur, alterum autem evitavit. — Alia quaedam incerta sunt : ex. gr. 23,18 כִּי videtur male translatum per γάρ (*enim*) loco ἐάν (*si*); 27,20 forte צרו et צידו permutata sunt etc.

3. Ita *Bertholdt* Einl. p. 2296); *Stäudlin* Gesch. d. Sittenlehre Jesu. I. p. 385 etc.

4. Cfr *A. E. Cowley* and *A. Neubauer* The original Hebrew of a portion of Ecclesiasticus (XXXIX. 15 to XLIX. 11) together with the early versions and an english translation, followed by the quotations from Ben Sina in rabbinical literature. Oxford 1897. — Fragmentum constat decem foliis chartaceis et saec. 11. conscriptum esse censetur; primum ex istis foliis a. 1896. in Palaestina repertum est (continet 39,15-40,7), reliqua circa idem tempus in Anglia a Bibliotheca Bodleiana (Oxford) comparata sunt.

4. Ita *Bertholdt* Einl. p. 2296; *Stäudlin* Gesch. der Sittenlehre Iesu I. p. 385 etc.

5. De Ecclesiastici sententiis in Thalmude allegatis cfr *De Voisin* in Raym. Martini Pugio fidei ed Carpzov. p. 125 sq.; *Wolf* Bibl. hebr. I. p. 257 sqq.; *Zunz* Gottesdienstl. Vorträge der Iuden p. 101 sqq., qui singulas indicat, *Dukes* Rabbin. Blumenlese p. 67 sqq. etc. — A nostro libro, quem Thalmudistae sub auctoris nomine בן סירה

allegant, distinguatur oportet alter, qui nomine בן סירא allegatur (cfr *Wolf* l. c. p. 260 sq.) et dumtaxat quadraginta quatuor sententiis constat. Duo haec « alphabeta Ben Sirae » translata invenies in *Corn. a Lap.* Comm. in Eccle. Proleg. 5. Eorum textum primigenium iterum edidit *Steinschneider* (Alphabetum Siracidis utrumque. Berolini 1858).

235. — Auctorem Ecclesiastici esse Iesum filium Sirach Ierosolymitanum certum est, immo id fide divina tenendum esse asserunt antiquiores interpretes. Etenim versus libri finem legimus : « doctrinam sapientiae et disciplinae scripsit (rectius : scripsi ἐχάραξα) in codice isto Iesus, filius Sirach, Ierosolymita » (50,29); « quae verba, inquit *C. a Lapide,* sunt sacrae Scripturae et S. Spiritus, ideoque fide credenda ». Cum iis autem consonat prologus libri ab auctoris nepote conscriptus.

Haud raro quidem Patres latini librum nostrum sub Salomonis nomine allegant[1], vel quinque esse libros salomonicos statuentes in eorum numero Ecclesiasticum recensent[2], et teste S. Hieronymo Ecclesiasticus « a plerisque falso Salomonis dicebatur »[3]. Parum recte autem aliquis his argumentis fretus Patres erroris accusaret, ac si Salomoni auctori opus attribuissent. Quoniam enim S. Scripturam e memoria fere citare soliti erant, facillime fieri potuit, ut memoria lapsi Salomoni dictum Siracidae adscriberent; siquidem tanta est Proverbiorum et Ecclesiastici similitudo, ut S. Augustinus iam Ecclesiasticum « de quadam similitudine » Salomonis dici assereret[4]. Salomon prae reliquis omnibus dono sapientiae a Deo erat insignitus, sicut pater eius David omnes poesi superaverat; quemadmodum igitur omnes Psalmi a Patribus sub Davidis nomine allegari solent, idque etiam ab iis, qui omnium auctorem esse Davidem diserte negant, ita omnes libros de sapientia conscriptos sub Salomonis nomine allegant, etsi non omnium auctorem Salomonem esse optime perspicerent.

De auctoris vita nihil scimus praeter ea, quae ipse in libro suo magis minusve clare innuit. Medicum eum fuisse aliqui cum Grotio coniecerunt, quia medicos honorandos esse doceat et rerum medicarum scientiam quandam prodere videatur. Alii eum sacerdotem fuisse volunt, quia reverentiam erga sacerdotes commendet et rerum, quae ad sacerdotium pertinent, peritum se exhibeat[5]. At leves esse illas coniecturas fundamentoque carere solido evidens est. Auctor igitur noster Ierosolymis oriundus totam vitam suam studio sapientiae impendit utque maiorem sibi acquireret experientiam, longa instituit itinera, in quibus multa quidem et gravia pericula atque hostium suorum calumniis etiam vitae discrimen subiit, sed laetos quoque copiososque studii fructus collegit (34,12 sq.; 51,4 sqq. 18 sqq.; *Prol.*). Vir erat profunda Scripturarum scientia insignis (51,22 sq.; *Prol.*); ex sacris enim libris ve-

ram sapientiam hauriendam esse non ignoravit. Versus vitae finem autem ea, quae didicerat, literis mandare librumque nostrum componere voluit, ut studia sua aliis quoque proficerent.

Quoniam satis multae sententiae eius cum Psalmorum, l. Iob, Proverbiorum, Ecclesiastae textibus consentiant, sunt qui illas ex istis libris transcriptas esse putaverint; at si paucas sententias exceperis, quae velut glossemata per librarios genuino libro sunt insertae, facile deprehendes, eum ideas, quas utique longo Scripturarum studio sibi acquisiverat, suo proprio modo exprimere verique auctoris partes agere. Si Ps. Athanasianae Synopsi fides esset adhibenda, Siracides aliorum quoque sapientium apophtegmata collegisset suisque sententiis intermiscuisset aut addidisset; immo librum ipsum nullo modo Iesu filio Sirach, sed potius nepoti eius adscriberemus, quippe qui sententias ab avo collectas in unum continuumque ordinem digesserit. Quam sententiam ex parte amplectuntur moderni quidam interpretes duplici argumento nixi. Etenim aliorum sententias sese collegisse, auctorem arbitrantur ipsum fateri (8,9; 33,16 sqq.; 50,29), atque librum quoque censent indole sua talem originem prodere, quoniam eaedem sententiae vocabulis vix mutatis in diversis libri partibus repetantur, de eodem argumento saepius agatur etc[6]. At infirma sunt argumenta. Textibus enim obiectis, si recte explicantur, auctor propria potius quam aliena tradere clare demonstratur; ad libri vero indolem quod attinet, sententias satis multas inveniri, quae parum inter se discrepent, omnino fatemur, neque de eodem argumento variis in locis agi negamus; sed quomodo inde concludi liceat, auctorem sententias illas aliunde transsumsisse non videmus. Uno enim tenore eodemque tempore Siraciden omnes has sententias parabolasque conscripsisse parum est probabile; per longam potius vitam suam variis temporibus, uti occasio sese obtulit, interdum de eodem argumento interdum de variis argumentis nonnullas composuit; quare mirum non est, quod eadem idea saepius sit expressa verbis vocabulisque parum aut etiam multum discrepantibus, aut quod idem argumentum diversis rationibus sit tractatum etc. Versus vitae finem autem sententias suas in unum volumen compingens operique suo ultimam manum imponens ad ordinem quendam logicum non magis, quam praedecessores eius, attendere voluit. Si enim ullo in opere, in eiusmodi sententiarum ethicarum collectionibus varietas delectat, atque ordinis logici absentia facilius explicatur, si propria, quam si aliena, Siracidam collegisse dicemus. Ps. Athanasius demum, si librum a nepote terminatum esse asserit, contradicit auctori ipsi (50,29), nisi forte nepotem duo ultima carmina (51,1-38) avi sui libro terminato addidisse censeat.

1. Cfr ex. gr. *S. Cyprian.* Testim. c. Iud. II. 1. III. 6. 12 etc. (M. 4,696. 735. 741);

*S. Optat.* c. Donat. III. 3. (M. 11,1006); *Lactant.* Divin. instit. IV. 8 (M. 6,468); *S. Leo* Serm. 39 (M. 54,265) etc. etc.

2. *Rufin.* in translat. hom. Orig. in Num. hom. 18,3 (M. 12,714); *S. Innoc. I.* ad Exuper. Tolos. (M. 20,501); *S. Isid. Hisp.* Orig. VI. 2 (M. 83,158) et iuniores Latini passim.

3. *S. Hieron.* In Dan. 9,24 (M. 25,545).

4. *S. August.* Doctr. christ. II. 8; cfr *S. Isid. Hisp.* l. c.; *Alcuin.* Disput. puer. 7. (M. 101,1127) etc. Quam facile nomina auctorum permutari potuerint, testis est ipse *S. Hieron.*, qui in Eccle. 10 (M. 23,1149) Ecclesiastici verba sub Salomonis nomine allegat : « Alibi ipse Salomon ait » *Eccli.* 27,26.

5. *S. Isid. Hisp.* De eccles. off. I. 10 (M. 83,749) auctorem Iesum filium Sirach putat fuisse « nepotem Iesu *sacerdotis*, de quo meminit Zacharias », at mera videtur esse coniectura ex nominis similitudine hausta. Fuse probare conatur *Scholz* Einl. III. p. 193 sq. eum sacerdotem fuisse, sed aliud argumentum praeter illud, quod innuimus, non affert.

6. *Huet.* (Demonst. evang. Prop. 4. De Eccli. 1.) vult librum nostrum « ex ethicarum Salomonis scriptionum compilationibus esse decerptum »; secundum *Goldhagen* (Introd. II. p. 333) « auctor ex collectis aliunde sententiis, maxime ex Proverbiis maiorem libri partem contexuit ». Qui cum aliis catholicis interpretibus eadem sentientibus inniti videntur *Ps. Athan.* Synops. S.S. 46 (M. 28,377) : οὐ μόνον τὰ ἑτέρων τῶν πρὸ αὐτοῦ συνετῶν ἀνδρῶν ἀποφθέγματα συνήγαγεν, ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ἴδιά τινα ἀπεφθέγξατο : quae Synopseos pars, quum in nonnullos codices pro genuino prologo recepta esset, facile in errorem induxit interpretes. Ex modernis acatholicis *I. M. Iost* (Gesch. des Iudenthums u. seiner Sekten I. p. 312) librum nostrum dicit « eine Zusammenstellung vieler bereits in Spruchform aufgenommener, dem Volke zusagender Lehrsätze und Ansichten »; *Bretschneider* (Liber Iesu Sirac. perpet. annot. illustratus. Ratisbonae 1806. p. 25 sqq.) fusius demonstrare conatur veram esse Ps. Athanasii sententiam.

236. — Quo tempore auctor vixerit opusque suum composuerit; paucis, quae in libro ipso et in prologo leguntur, indiciis definire licet. Sunt autem haec :

a.) Ultimus virorum illustrium, quos celebrat auctor, est Simon Oniae filius, summus sacerdos (50,1-21), quem tam vividis coloribus depingit, ac si eum viderit pontificalibus vestibus indutum in medio populo hostias offerentem; quare communis est interpretum sententia, eum Simonis Oniae filii aequalem fuisse.

b.) Ille, qui librum graece vertit, auctoris nepotem se esse asserit seque in Aegyptum venisse ἐν τῷ ὀγδόῳ καὶ τριακοστῷ ἔτει ἐπὶ Εὐεργέτου βασιλέως (*Vulg.* : « in octavo et trigesimo anno temporibus Evergetis regis »); ab anno autem, quo avus librum composuit, usque ad annum, quo nepos graece illum vertit, circiter sexaginta anni effluxisse videntur.

c.) Auctoris tempore demum Iudaeos gravibus calamitatibus esse afflictos docet eius precatio 35,22-36,19.

At indicia haec, quamvis clara esse videantur, non eodem modo ab omnibus explicantur. Duos enim habemus summos sacerdotes, quibus nomen *Simon Oniae filius* competit; prior circa saec. 3. initium (310.-291.), alter circa eiusdem saeculi finem (219.-199.) floruit, et uterque

cum magni nominis fama ex hac vita decessit. Duo quoque sunt Ptolemaei, qui *Euergetis* cognomen gerunt, Ptolemaeus III. Euergetes I (247.-222.) et Ptolemaeus VII. (IX) Euergetes II. (170. vel 146.-117.). Unde tres diversae sunt interpretum sententiae.

Prima, quam tenet Cornelius a Lap. cum multis modernis[1], priorem Simonem et priorem Euergetem intelligens librum esse scriptum contendit c. a. 290. et graece versum c. a. 230. Argumenta autem, quibus nititur, sunt haec : a.) Summus ille sacerdos non potest esse alius nisi Simon I., cognominatus Iustus, cuius magna de populo merita celebrat *Fl. Iosephus*[2]. Immo auctor, si Simonem II., virum memoria vix dignum, laudare voluisset, priorem tamen, utpote multo celebriorem, in catalogo suo illustrium virorum omittere non potuisset. b.) Tempore Simonis II. ethnicae doctrinae inter Iudaeos palaestinenses iam erant propagatae per filios Tobiae, quorum partes tuitus erat Simon II.[3]; in nostro autem libro nulla omnino legitur allusio ad ethnicorum mores doctrinasque a Iudaeis receptas, id quod apte non explicatur, si Simonis II. tempore auctor scripsit. Qui enim Samaritanos « stultum populum, qui habitat in Sichem » tam aversatur, ut eos cum Idumaeis et Philisthaeis aequet conferatque (50,28), procul dubio non minore cum vehementia Iudaeos ethnice viventes impugnasset. c.) Ptolemaeus III. solus in monumentis vocatur Euergetes; Ptolemaeus VII. (IX.) autem sibi ipse quidem hoc cognomen attribuit, sed a subditis suis cognominatus est Physcon (ventriosus), quo solo nomine est cognitus.

Altera sententia, quae est paucorum[4], priorem quidem Simonem, sed alterum Euergetem intelligit, ita ut liber sit scriptus c. a. 280., graece translatus c. a. 130.; at avum inter et nepotem centum quinquaginta annos interfuisse quis crediderit?

Tertia demum sententia alterum Simonem alterumque Euergetem intelligit librumque scriptum docet c. a. 190., graece translatum c. a. 130. Quam sententiam cum multis modernis interpretibus[5] praeferimus hisce argumentis nixi.

1. Ptolemaeus III. Euergetes I. non regnavit nisi viginti quinque annis (247.-222.); quo igitur cum iure anno 38. regni eius auctoris nepos se in Aegyptum venisse asserit? Respondent quidem primae sententiae patroni, interpretem non loqui de 38. anno regni Euergetis, sed de suae ipsius aetatis anno 38. Mirum sane effugium! Nam verba ἐν τῷ ὀγδόῳ καὶ τριακοστῷ ἔτει ἐπὶ τοῦ Εὐεργέτου βασιλέως secundum communem usum loquendi Alexandrinorum 38. annum regni Euergetis significant[6], nec ulla est ratio, cur communem et consuetum hunc sensum relinquamus. Immo vero nisi interpretem aliquid absurdi aut saltem superflui scripsisse dicamus, explicationem priorem retinere cogimur. Verba illa enim a traductore procul dubio sunt addita, ut tem-

pus adventus sui lectoribus manifestaret; quaenam autem esset haec temporis definitio, si suae ipsius aetatis annum indicasset? Num forte omnes sciverunt, quo anno natus erat interpres? At instant adversarii nostri monentes etiam Euergetem non regnasse triginta octo annis; ad thronum enim eum accessisse a. 146. et mortuum esse a. 117. Quae non recte sunt dicta. Nam Ptolemaeus VII. (IX.) iam a. 170., quum frater eius Ptolemaeus VI. (VII.) Philometor ab Antiocho IV. captivus esset abductus, ab Alexandrinis ad thronum evectus est et cum fratre suo ex captivitate reverso gubernavit usque ad a. 164.; deinde vero a fratre depulsus Cyrenas tenuit, usque dum a. 146. Philometoris filio Ptolemaeo (VIII.) Philopatore II. occiso solus Aegypti et Cyrenarum rex factus est. Ideo ipse teste Eusebio annos regni sui ab a. 170. numeravit[7]; quare etiam scriptores, qui eius regni tempore opus aliquod in Aegypto edere voluerunt, eundem numerandi modum tenere cogebantur. Atque evidens quoque est, scriptores in libris publice editis non potuisse regem appellare cognomine contumeliae causa indito (Physcon), sed debuisse adhibere illud, quod sibi ipse imposuerat (Euergetes).

2. *Eusebius* et *S. Hieronymus* testantur Simoni Oniae filio illi « quo regente populum Iesus filius Sirach scripsit librum, qui graece πανάρετος dicitur » « successisse in pontificatu alium Oniam, quo tempore Antiochus (Epiphanes) Iudaeos diis gentium immolare cogebat »[8]. Uterque igitur Simonem II. intelligunt idque rectissime. Nam Simonis I. tempore nec a Ptolemaeis, quibus tunc subiecti erant, nec ab aliis Iudaei persecutionem ullam perpessi sunt. In Aegypto autem Iudaeos persequi incepit Ptolemaeus IV. Philopator (222.-205.), qui etiam, si 3. Machabaeorum libro ulla fides est, in adytum templi ierosolymitani irrupit, atque multo maiora mala populo intulisset, nisi Simon II. precibus suis efficacibus liberationem populi a Deo obtinuisset (3 *Mach.* 2). Nonne ad hoc factum alludit auctor noster, ubi Simonem « gentem suam a perditione liberasse » asserit (50,4)? Mirum autem in modum patroni primae sententiae merita Simonis I. exaggerant; nihil aliud enim narrat *Fl. Iosephus* nisi eum « Iustum cognominatum fuisse quum propter pietatem in Deum, tum propter benevolum in cives animum »[9]. Quare auctor noster in suo illustrium virorum catalogo eum eadem ratione omittere potuit, qua multorum aliorum piorum virorum (Danielis, Mardochaei, Esdrae) memoriam omisit. Neve obiiciatur, auctorem de ethnicismo in Iudaeam irrumpente non loqui; nam ethnici mores ethnicaeque doctrinae post Simonis II. mortem sub Seleuco IV. spargi coeptae sunt[10].

3. Confirmationis gratia addamus, eo tempore, quo auctoris nepos in Aegyptum venit versionemque suam libri nostri adornavit, omnes libros protocanonicos graece exstitisse et in usu communi fuisse (Prol.).

Iam vero Pentateuchus quidem sub Ptolemaeo II. Philadelpho a. 286. translatus est; prophetarum autem et hagiographorum, quorum rarior erat in coetibus sacris usus, versio tardius adornata est, neque ullo argumento probabile redditur, medio saec. 3. (Euergetis I. tempore) iam terminatam fuisse versionem alexandrinam[11].

1. *Corn. a Lap.* In Eccli. Proleg. 2; *Goldhagen* Introd. II. p. 337; *Scholz* Einl. III. p. 104 sqq.; *Welte* Einl. II. 3. p. 228 sqq.; *Danko* Hist. revel. p. 539 sq.; *Vigouroux* Manuel II. p. 443; *Lesêtre* L'Ecclésiastique p. 7; *Holzammer* Handbuch I. p. 787; *Haneberg* Gesch. der Offenb. p. 499 etc. Ex protestanticis eandem sententiam tenent *Keil* Einl. p. 741, *Vaihinger* in Studien u. Krit. 1857. p. 94 sqq. aliique.

2. *Fl. Iosephi* Antiquit. XII. 12.

3. *Fl. Iosephi* Antiqu. XII. 4,11; 5,1.

4. *Winer* De utriusque Siracidae aetate. Erlangae 1842. et Bibl. Realwörterbuch I. p. 555.

5. Ex catholicis *Calmet* In Eccli Proleg. 3 (Ed. Veneta 1756. V. p. 172 sq.), *Vincenzi* Sess. IV. Trid. Conc. III. p. 74 sq.; *Kaulen* Einl. Ed. 3. p. 340; *Zschokke* Hist. A. T. p. 359 etc. Ex acatholicis cfr *Eichhorn, Bertholdt, de Wette Schrad., Davidson, Fritzsche, Koenig* (Einl. 1894. p. 488), *Cornill* (Einl. Ed. 3. 1896. p. 277) etc.

6. Cfr 1 *Mach.* 13,42 ἔτους πρώτου ἐπὶ Σίμωνος ἀρχιερέως; 14,27; *Agg.* 1,1 ἐν τῷ δευτέρῳ ἔτει ἐπὶ Δαρείου τοῦ βασιλέως; *Zach.* 1,7 etc.

7. *Euseb.* Chron. II. 22 (M. 19,202): « Post hunc (Philometorem) in Syria exstinctum Cyrenis accersitus Euergetes rexque appellatus annos suos inde computare coepit, ex quo primum rex habitus fuerat, ita ut fratre moriente videretur ipse iam regnavisse viginti quinque annis eiusque anni regni censeantur quinquaginta quatuor » (sc. 170.-117.).

8. *Euseb.* Demonstr. Evang. VIII. (M. 22,616); *S. Hieron.* In Dan. 9,14 (M. 26,545).

9. *Fl. Ioseph.* Antiqu. XII. 2,5.

10. *Fl. Ioseph.* Antiqu. XII. 5,1. Cfr 1 *Mach.* 1,12 sqq.

11. Cfr de tempore, cui alexandrinae versionis origo probabilius adscribenda videatur, *Introd. gener.* Ed. 2. nn.121. 122. p. 339sqq.

## § 24. — *De Ecclesiastici divina auctoritate.*

237. — Pauci quidem protestantici interpretes suo deuterocanonicorum librorum odio eo usque se abripi siverunt, ut lectores Ecclesiastici « faeces haurire » cum Calvino dicere auderent, multo plures e contra cum I. van Gilse Ecclesiasticum dignum declararunt, qui in canone non ultimum locum occuparet[1]: attamen praeiudiciis suis occaecati omnes unanimi consensu illum e canone excludunt nihil nisi humanam auctoritatem ei attribuentes. Quam parum autem in libro nostro repudiando cum antiqua synagoga et antiqua Ecclesia consentiant, paucis testimoniis demonstrabimus.

Moderni Iudaei utique cum Protestantibus Ecclesiasticum reiiciunt; at nemo, opinor, dubitat quin alexandrini Iudaei eum olim in suo canone habuerint, atque palaestinenses eum eodem in honoris et auctoritatis, quo reliqua Hagiographa, gradu habuisse ex Thalmude lu-

culenter apparet. Etenim magni nominis rabbini plerique sententias Ben Sira illis citandi formulis, quae in afferendis libris sacris solis adhiberi solent, allegant, atque nonnulli quoque librum filii Sira tertiae canonis classi diserte adnumerant[2]. Quae testimonia admodum rara non sunt in Iudaeorum libris antiquioribus; iuniores autem de Ecclesiastico iniquius iudicasse atque eum demum inter profanos libros amandasse, nemo mirabitur, qui consideraverit, in primigenium textum hebraicum sententias nonnullas irrepsisse, quae libro sacro videbantur esse indignae; revera sub Siracidae nomine aliqua in Thalmude allegantur, quae nec in graeca nec in ulla alia versione leguntur et quae a sacro scriptore scribi non potuerunt[3].

Antiquitate autem et auctoritate rabbinicis testimoniis infinite praestant LIBRI SACRI N. T., in quibus non pauci textus leguntur cum Ecclesiastici sententiis ita consentientes, ut nullum remaneat dubium, quin Apostoli librum nostrum cognoverint atque eius verba interdum etiam lectoribus suis in memoriam revocare voluerint. Si enim *S. Iacobus* (1,19) monet : « Scitis, fratres dilectissimi : sit autem homo omnis velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum », tota phrasis ita est comparata, ut non tantum ad Siracidae monitum (γίνου ταχὺς ἐν ἀκροάσει σου καὶ ἐν μακροθυμίᾳ σου φθέγγου ἀπόκρισιν *Eccli* 5,13) alludere, sed illud omnino pro auctoritate allegare videatur. Revera omnibus fere hodie fatentibus S. Iacobi epistolae maior pars libro Ecclesiastici nititur, atque ex eodem libro S. Apostolus magnam vocabulorum phrasiumque copiam desumsit[4]; quis autem sibi persuaserit Apostolum librum profanum tanto in honore habuisse, ut eum continuo lectitaret ex eoque illa desumeret, quae fidelibus praedicaret? Neque vero S. Iacobus solus est inter Apostolos, qui Ecclesiasticum adhibuerit; in Evangeliis quoque et in aliis epistolis allusiones inveniuntur haud rarae[5].

1. De Calvino cfr *Bellarm.* De verbo Dei I. 14. — *I. van Gilse* Commentatio de argum. et doctrina l. Sirach. Groningae 1832. p. 102, cuius sententiam approbat *Fritzsche* l. c. p. XXXVI; cfr etiam *R. Stier* Die Apocryphen p. 49, *Reuss* Gesch. des A. T. p. 553 etc.

2. *S. Hieron.* (Prol. in ll. Salom.) se librum nostrum apud Iudaeos invenisse testatur atque verba eius insinuant Iudaeos librum illum in honore et auctoritate habuisse. — *Zunz* (Gottesdienstl. Vorträge der Juden p. 102 sqq.), *Scholz* (Einl. III. p. 204), *Davidson* (Introd. III. p. 421) praeter alios qui librum nostrum formulis « *scriptum est* », « *dictum est* » allegaverint citant *Rab* (Erubin 65 a. 54 b), *Iochanam* (Nidda 16 b), *Elasar* (Taanith 3. b.; Chagiga 2,1; Bereschith rabba 10. a etc.) *Rabba ben Mari* (Iebamoth 63. b; Baba Kamma 92. b.) etc. — *Strack* (in Herzog P. R. E. Ed. 2. VII. p. 430) testimonia haec infirmare frustra conatur, quum ipse fateri cogatur, antiquos rabbinos sententias Siracidae velut verba Scripturae attulisse. Etenim si rabbinos illos memoriae lapsu scriptori sacro attribuisse putat, quae ex profano scriptore hauserunt, plus asserit quam probare potest. Patres quidem sententias Siracidae interdum Salomoni auctori attribuerunt, quoniam divinam magis quam humanam sententiarum

originem attenderunt; at omnino aliud est, si profana sententia velut divina allegatur. Profecto *Rabba bar Mari* (Baba Kamma 92 b.), si veritatem aliquam *in tribus canonis partibus* contineri demonstraturus allegat *Gen.* 28,9. *Iudic.* 11,3. *Eccli.* 13,15 (gr.) ipso suo argumento attendere cogebatur, quonam in libro tertia sententia legeretur, atque ita exclusus iam est memoriae lapsus.

3. *Huet.* Demonstr. Evang. Prop. 4. De Eccli. (Ed. Ven. 1765. p. 271) : « Vitiatum in multis fuisse Ben Sirae librum etiam ante Thalmudis compositionem existimo multaque in eum inserta, quae Thalmudistis probari non potuerint ». Exemplis allatis id demonstrat *Welte* l. c. p. 211; certe si *Sanhedr.* 100 b. velut dictum Siracidae allegatur, hominem bene barbatum esse stultum, illum vero, cui barba sit tenuis, esse astutum, prudentissimum autem esse illum, cuius barba sit divisa, facile intelligitur, quod librum in quo eiusmodi sententiae legebantur, e canone excluderent.

4. Praeclare id demonstrat *Werner* Ueber den Brief Iacobi (Tüb. Quartalschr. 1872. p. 265-217); res autem tam clara est, ut *Schuerer* (Gesch. des jüdischen Volkes im Zeitalter Iesu Christi. Leipzig 1886. II. p. 596) fateatur : « Namentlich im Iacobusbriefe sind die Reminiscenzen aus Iesus Sirach unverkennbar ».

5. Cfr praeter alia *Eccli.* 2,18 et *Ioan.* 14,23; *Eccli.* 11,10 et 1 *Tim.* 6,9; *Eccli.* 11, 18. 19 et *Luc.* 12,19; *Eccli.* 15,16 et *Matth.* 19,17; *Eccli.* 29,15 et *Luc.* 16,9 etc. Quibus aliisque textibus allatis addit *Davidson* l. c. p. 421 : « Some of these places are irrelevant, others are pertinent; in some the writers did draw from the book, both in idea and word, though Keerl (vehementissimus deuterocanonicorum adversarius Die Apocryphenfrage p. 54) stoutly denies it » etc.

Ab Apostolis una cum reliquis libris sacris Ecclesiasticum Ecclesiae velut librum sacrum et divinum esse traditum testantur PATRUM OPERA. Iam in prima catechesi apostolico tempore eum esse adhibitum, videmus ex *Doctrina duodecim Apostolorum* et ex *S. Barnabae* epistola [6]. *S. Clemens Rom.* quoque, si Deum alloquitur : ἐλεῆμον καὶ οἰκτίρμον, ἄφες ἡμῖν τὰς ἀνομίας ἡμῶν κτλ., tam prope ad Siracidae verba accedit: διότι οἰκτίρμων καὶ ἐλεήμων ὁ Κύριος, καὶ ἀφίησιν ἁμαρτίας κτλ., ut nemo Doctorem Romanum a nostro auctore dependere negaverit; animadvertas autem velim S. Clementem eo in loco orationem liturgicam repetere, quae apostolicae est originis, ideoque hoc eius testimonium maioris esse auctoritatis. Quoniam vero Clementem Sapientiam Siracidae cognovisse et adhibuisse constat, nemo mirabitur, quod illam velut divinum librum una cum Proverbiis et epistolis apostolicis allegaverit [7]. Tertium testem ex apostolicis Patribus citamus *S. Hermam*, qui in suo Pastore ad librum nostrum satis frequenter alludit [8].

Ab exeunte saec. 2. communis eius usus innumeris testimoniis demonstratur. *Tertullianus* eius verba tamquam a Christo prolata affert, *S. Cyprianus* illa velut a Spiritu S. dicta et in S. Scriptura contenta allegat, eosque imitantur *Lactantius* et *S. Optatus* [9]. Quemadmodum isti in ecclesia africana, ita in gallicana *SS. Hilarius* et *Phoebadius* sine ulla haesitatione in dogmaticis et exegeticis suis libris testimonia ex Ecclesiastico desumserunt [10]. Atque eadem ratione in Italia egerunt *SS. Hippolytus* et *Ambrosius* [11]. Sed omnium testimonia adscribere su-

pervacaneum est, siquidem *S. Augustinus* testatur nostrum librum « antiquitus *ab Ecclesia maxime occidentali* in auctoritatem esse receptum »[12]. *S. Hieronymus* autem ab hoc occidentalis ecclesiae consensu in theoria quidem, uti dicunt, recedit, in praxi vero eum sequitur, siquidem multis in locis Sapientiam Iesu Sirach tamquam Scripturam allegavit[13]. Ceterum quanto cum iure S. Augustinus maxime in occidentali ecclesia Ecclesiasticum receptum esse asseruerit, *historia controversiarum de haereticorum baptismo* luculentissime evincit. Namque quum episcopi africani, ut haereticorum baptisma invalidum esse demonstrarent, ad *Eccli.* 34,30 (« Qui baptizatur a mortuo et iterum tangit illum, quid proficit lavatio illius? ») provocassent, catholicae doctrinae propugnatores verborum allegatorum auctoritatem nec negaverunt nec addubitaverunt, sed eadem cum sollicitudine, atque reliquos Scripturae textus ab adversariis allatos, illa examini subiecerunt explicaveruntque[14]; uti postea idem testimonium *S. Augustinus* Donatistis explicavit, Donatum ipsum autem, quia eum verba quaedam in illo textu suppressisse putavit, « furem divini eloquii » nominavit[15].

Idem quoque ecclesiae orientalis erat consensus, praesertim si continuus et constans Patrum usus consideratur; inde enim a medio saec. 4. nonnullos in recensendis libris sacris Ecclesiasticum una cum reliquis deuterocanonicis omissise, alibi diximus et explicavimus[16]. In ecclesia alexandrina *Clemens A.* Sapientiam Siracidae omnibus illis formulis allegat, quibus reliquas Scripturas affert, eiusque testimoniis frequentius, quam nonnullorum protocanonicorum librorum, utitur[17]. Magistrum suum secutus est *Origenes*, cuius quam plurima exstant testimonia, quibus divina libri nostri auctoritas demonstratur[18]; neque aliter egerunt Origenis discipuli, *S. Dionysius M.* et *S. Alexander*[19]. Sed ne longi simus, alexandrinae ecclesiae maximum solum addamus doctorem, *S. Athanasium M.* qui, quamvis in ep. fest. 39. Ecclesiastico minorem auctoritatem attribuere videatur, eius tamen verba velut a S. Spiritu dictata ad dogmata demonstranda non semel affert[20]. Ex ecclesia autem palaestinensi nominemus dumtaxat *SS. Cyrillum Ieros.* et *Epiphanium*[21], ex ecclesia antiochena *S. Chrysostomum* et *Theodoretum*[22], ex ecclesia syriaca *S. Ephraem*[23], ex ecclesia cappadocia *SS. Basilium M., Gregorium Naz., Gregorium Nyss.*[24].

6. *Doctr. duodecim Apost.* 3 (ed. Hilgenfeld. Nov. Test. extra canon. recept. IV. p. 97) : μὴ γίνου πρὸς μὲν τὸ λαβεῖν ἐκτείνων τὰς χεῖρας, πρὸς δὲ τὸ δοῦναι συσπῶν. Cfr *Eccli.* 4,36 μὴ ἔστω ἡ χείρ σου ἐκτεταμένη εἰς τὸ λαβεῖν, καὶ ἐν τῷ ἀποδιδόναι συνεσταλμένη. — Idem testimonium in *S. Barnab.* ep. 19 et in *Constit. apost.* VII. 11 (M. 1,1003).

7. *S. Clem. Rom.* 1 Cor. 60; cfr etiam 1 Cor. 59 et *Eccli.* 16,18. 19; 1 Cor. 63 et *Eccli.* 63,1. Clariora sunt testimonia De Virg. I. 11; II. 13.

8. *S. Hermae* Past. Vis. 3,7, mand. 1,1; Simil. 5,3. 5. 6. 7 etc. *Funk* in sua editione Patr. apost. p. 576 quatuordecim allusiones ad Eccli. affert.

9. *Tertull.* De Monog. 14 (M. 2,950); *S. Cyprian.* De mortal. 9; de op. et eleem. 2; c. Iud. II. 1 etc. (M. 4,588. 603. 609 etc. In tribus libris ad Quirin. c. Iudaeos *viginti* textus ex Eccli. affert velut « *divina magisteria* »); *Lactant.* Div. Instit. IV. 8 (M. 6,468); *S. Optat. Mil.* De schism. Don. III. 3 (M. 11,1000).

10. *S. Hilar. Pict.* In Ps. 66. n. 9; in Ps. 140 n. 5 (M. 9,441. 826); *S. Phoeb.* c. Arian. 11 (M. 20,21).

11. *S. Hippol.* Arg. in Ps. 7. (M. 10,717); *S. Ambros.* De bono mortis 8; de Elia et ieiun. 18; in Ps. 1. n. 16; in Ps. 36. n. 55 etc. (M. 14.556. 721. 928. 1001).

12. *S. August.* De Civ. Dei XVII. 20 (M. 41,554); cfr Doctr. christ. II. 8 etc.

13. *S. Hieron.* ad Iulian. ep. 118,1 (« divina Scriptura »); c. Pelag. I. 34. II. 5 (« Scriptum est »), in Is. 3,12 (« dicente Scriptura S. »), in Ezech. 18,6 (« iuxta praeceptum Domini ») etc. (M. 22,961; 23,527. 541 [25,181]; 24,67; 25,179 etc.).

14. *Conc. Carthag.* VII. a. 256. Cfr Opp. S. Cypr. M. 1103.

15. *S August.* De bapt. c. Donat. VI. 34 (M. 43,218); Retract. I. 21 (M. 32,618).

16. Cfr *Introd. gener.* Ed. 2. 1894. nn. 42-44 p. 98 sqq.

17. *Clem. Alex.* in tribus Paedagogi libris Ecclesiasticum *terdecies* allegat formula ἡ γραφὴ λέγει vel simili, *octies* formula ἡ σοφία λέγει vel simili. Tam frequentes sunt allegationes, ut singulas recensere non sit opus.

18. *Orig.* De princ. II. 8; in Num. hom. 18; in Ierem. hom. 6,2; 16,6; in Ezech. hom. 9,2; in Matth. t. XII. 22 etc. (M. 11,222. 223 [« Scriptum est in Sapiente »; « in Scripturis sanctis »]; 12,714; 13,324. 448 [λεγούσης τῆς Γραφῆς]. 734. 1033).

19. *S. Dionys. M.* De natura fragm. 3. θεῖα λόγια. fragm. 5. ἡ μαρτυρία τοῦ Δεσπότου (M. 10,1257. 1267); *S. Alexandri Al.* Ep. de haer. arian. 5. 6 (M. 18,556. 557 etc.).

20. *S. Athanas. M.* Or. c. Arian. II. 79 cfr II. 4; Apol. c. Arian. 66; Ep. ad episcopos Aeg. 3; Hist. Arian. 52; in Ps. 118,60 etc. (M. 26,313. 153; 25,365. 544. 765, 27,489).

21. *S. Cyrill. Ieros.* Catech. 6,4; 11,9; 13,8; 23,17; (M. 33,544. 716. 784. 1121); *S. Epiph.* Haer. 24,6; 33,8; 37,9; 42 schol. 70; 76 ad 5. Aetii caput (M. 41,316. 569. 653. 768; 42,561 etc.)

22. *S. Chrys.* Ad. vid. iun. 6.; de Lazar. II. 4 etc. etc. (M. 48,608. 938); *Theodoret.* In Cant. 6,4; in Dan. 1,9 (ἕτερος προφήτης); 5,6 etc. (M. 81,168. 1278. 1381).

23. *S. Ephraemi* Opp. graec. I. 83; II. 118; III. 100; Opp. syr. II. 325 etc.

24. *S. Basil. M.* In hexaem. hom. 6,10; in Ps. 14. n. 4; in Ps. 44. n. 2. etc. (M. 29, 144. 257. 436); *S. Gregor. Naz.* Or. IV. 12; VII. 1; XIV. 30 etc. (M. 35,544. 757. 898); *S. Gregor. Nyss.* De vita Moysis; in Psalm. tract. II. 3; in Eccle. hom. 3; c. Eunom. I. etc. (M. 44,357. 424. 496. 660; 45,301 etc.).

238. — Quae contra Ecclesiastici divinam auctoritatem acatholici antiquiores et moderni obiiciunt, ea non magni sunt momenti. Bellarminus iam monuit, Calvinum librum nostrum vehementer quidem odisse, nec tamen quidquam habuisse, quod ei obiiceret [1]. Quem defectum supplere conatus est Raynaldus, qui « tres gravissimos errores » in Ecclesiastico se invenisse gloriatur : « primus ex cap. 24. de Sapientia favet haeresi Arianorum, secundus ex cap. 46. de Samuele favet impurae necromantiae, tertius ex c. 48. de Elia favet exsecrabili errori Iudaeorum » [2].

Arianismum scilicet docet Siracides, quia *Sapientiam,* quamvis eo in loco

Verbum divinum significet, *creatam* dicat (24,12. 14). — Quam difficultatem effugiunt nonnulli interpretes negantes Ecclesiasticum de Sapientia notionali agere; alii vero rectius, ut videtur, respondent, vocabulum graecum (ἔκτισε), quod Vulg. vertit « *creavit* », de Sapientia in Proverbiis (8,22) quoque adhiberi ibique hebraico קָנָה respondere, quod eo in loco S. Hieronymus accuratius transtulit « *possedit* », ac proinde etiam in primigenio Ecclesiastici textu eandem vocem, quae creationis proprie dictae notionem excludit, fuisse adhibitam[3]. Ceterum auctor noster, quum Sapientiam πρὸ τοῦ αἰῶνος ἀπ' ἀρχῆς « creatam » esse dicat, axioma arianum ἦν ὅτε οὐκ ἦν ὁ υἱός prorsus confundit.

Ad alteram obiectionem quod attinet, Siracides (46,23) de Samuele eadem omnino refert, quae 1 *Reg.* 28,8 sqq. fusius narrantur; quare non magis noster liber, quam ille, « impurae necromantiae » favet.

Tertius « error » in illo est, quod Eliam ipsum Ecclesiasticus asserat esse venturum, « ut leniat iracundiam Dei, conciliet cor patris ad filium et restituat tribus Iacob » (48,10), licet verba Malachiae (4,6), ad quae respiciat, non cum rabbinis de Elia Thesbita ipso, sed cum Domino de Eliae antitypo Ioanne Bapt. intelligenda sint. — At error protestanticorum potius est interpretum, qui clarissima Malachiae verba suis praeiudiciis seducti obscurant. Neque enim soli rabbini illa de reditu ipsius Eliae intelligunt, sed longe maior quoque Patrum et interpretum catholicorum numerus tenet, Eliam Thesbiten ante ultimi iudicii diem esse rediturum atque Domino iudici viam esse paraturum. Quae igitur in priore Domini adventu praestitit Ioannes Bapt., qui « ante Dominum *in spiritu et virtute Eliae* praecedebat », ea in secundo adventu praestabit Elias ipse, qui mortuus nondum est[4].

Quibus utpote absurdioribus neglectis moderni alios « errores » in libro nostro quaesiverunt. Pauci eodem fere modo, quo Salomonis, etiam Siracidae Sapientiam alexandrinismi incusarunt; at ab ipsis rationalistis haec obiectio hodie exploditur[5] idque iure merito. Qua enim cum veritatis specie Siracides, si Henoch » ὑπόδειγμα μετανοίας ταῖς γενεαῖς » (44,16) appellat, haec ab Alexandrinis didicisse dicitur[6], quum Philo, apud quem solum haec invenimus, auctore nostro sit multo recentior? A Siracida igitur Philonem haec didicisse rectius dicemus; auctor autem noster in Henoch forte ideo vidit « exemplum poenitentiae », quia secundum *Gen.* 5,21. 22 non nisi postquam Mathusalem genuit, « cum Deo ambulasse » dicitur[7]. Ceterum si hanc sententiam ab Alexandrinis mutuatus esset Siracides, quid ad rem? Levius, si fieri potest, est alterum alexandrinismi exemplum; cum Alexandrinis enim credidisse dicitur aliis populis praepositos esse angelos, Israelem autem a Deo ipso regi (17,14. 15)[8]. At Siracides non loquitur de angelis praepositis, sed de regibus hominibus (ἡγούμενος *Vulg.* rector), nec quidquam asserit, nisi quod decem fere saeculis antea Deus ipse iam innuerat (1 *Reg.* 8,7); si autem de angelis praepositis locutus esset, opus non erat, ut ab Alexandrinis hanc doctrinam disceret, siquidem ex *Dan.* 10,21 eam desumere potuit.

Neque maioris momenti sunt ea, quae alii invenerunt. Ecclesiasticum

dicunt peccatum originale negare Deumque auctorem mali facere, quum *timorem Domini* « cum fidelibus in utero matris concreatum » (1,16), « errorem autem et tenebras peccatoribus concreatas » esse (11,16) doceat[9]. — Ex priore textu et similibus Calvinus filios fidelium peccatum originale non contrahere neque baptismo indigere non minus erronee quam stulte iam concluserat. Etenim utraque verba de naturali hominis sive ad virtutem exercendam aptitudine sive ad vitia inclinatione agunt. « Plerique fideles, inquit *Iansenius Gand.*, etiam in utero accipiunt a Deo donum quoddam, quo ad pietatem proclives sint prae aliis, uti Iob, qui de se ait : ab infantia crevit mecum miseratio et de utero matris meae egressa est mecum (Iob. 31,18). Sicut ex adverso Chanaanitarum malitia dicitur fuisse naturalis, i. e. innata et quasi a parentibus ingenerata (*Sap.* 12,10), et de similibus dicitur : alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero (*Ps.* 57,4), i. e. adeo dediti sunt malitiae, ut malitia videatur eis esse ingenita et naturalis »[10].

Exempla haec, quid reliquae obiectiones valeant, satis ostendunt; quoniam omnes erroneis textuum explicationibus innituntur atque contextu considerato facillime expediuntur, eas omittere satius erit.

1. *Bellarm.* De verbo Dei. I. 14.

2. *I. Rainoldi* Censura librorum V. T. apocryphorum. Oppenh. 1611. p. 882 sqq.

3. Improbabile non est, alexandrinam versionem olim etiam in *Prov.* 8,22 habuisse ἔκτησε (*possedit*), quod itacismo iuvante facile in ἔκτισε transire potuit; *Gen.* 4,1 Alexandrini legunt : ἐκτησάμην. Cfr *Klasen* Die alttestam. Weisheit. p. 60 sq. et *Corn. a Lap.* in Prov. 8,22 et in Eccli. 24,12.

4. Cfr de reditu Eliae *Knabenbauer* Proph. min. II. p. 485-490, qui multis Patrum testimoniis collectis ostendit, quae fuerit antiquae Ecclesiae sententia de Mal. 4,4-6.

5. Alexandrinismi Ecclesiasticum incusant *Gfroerer* Philo und die alexandr. Theosophie II. p. 18-52 (qui praesertim *Eccli.* 24 ex alexandrino fonte haustum putat) et *Daehne* Gesch. Darstellung der jüdisch alexandrin. Religionsphilosophie II. p. 141 sqq. Quos merito irridet rationalista *Fritzsche* l. c. p. XXXV. De *Eccli* 24. cfr Klasen l.c.

6. *Gfroerer* l. c. p. 39, *Daehne* l. c. p. 143.

7. Difficultas, si qua adest, est in solo textu graeco; in Syr. et Ar. versus deest, in Vulg. nullam omnino ansam praebet obiectioni; Vulgatum autem textum non inferioris, sed maioris esse auctoritatis, quam graecum, statim demonstrabimus (240).

8. *Daehne* l. c. p. 141 sq. hunc textum *praecipue* urget.

9. *Keerl* Die Apocryphenfrage p. 215 sq.

10. Alteram explicationem, quae nobis minus probatur, tradit *Corn. a Lap.*

239. — Ecclesiastici duo exstant PROLOGI, quorum unus in solis codicibus graecis plerisque et paucis latinis, alter in omnibus fere graecis et latinis codicibus et editionibus legitur; a syriaca et arabica versionibus uterque abest. Prior cum Ps. Athanasiana Synopsi S. S. ad verbum fere consonat ex eaque desumtus est; maiorem igitur, quam illa, auctoritatem sibi non vindicat, atque in editionibus hodiernis recte omittitur, praesertim quoniam libri compositionem auctoris nepoti attribuens textui sacro contradicit (235 n. 6. p. 250). De alterius autem, in quo nepos audaciam, qua hebraicam avi sui opus graece

vertere conatus sit, quodam modo excusat et explicat, auctoritate olim controversia est agitata; non defuerunt enim, qui prologo canonicam auctoritatem attribuerent[1]. Attamen « interpretes non condunt S. Scripturam, sed eam dumtaxat interpretantur » et teste S. Hieronymo « aliud est vatem esse, aliud interpretem ». Quare *Cornelius a Lap.* cum plerisque canonicitatem prologi istius denegavit rectissime, quia nullum prorsus argumentum affertur, quo eius inspiratio demonstretur. Monent quidem canonicitatis patroni, prologum illum in plerisque codicibus libro praefigi; at S. Hieronymi quoque praefationes in plerisque latinis Scripturarum codicibus leguntur neque quisquam tamen eas inspiratas aut canonicas habuit. Provocant quoque ad Clementinae editionis praefationem, in qua « nihil non canonicum, nihil adscititium, nihil extraneum » editioni illi insertum esse asseritur, noster autem prologus iisdem, quibus textus sacer, typis impressus legitur. At praefatio illa, ut *Bonfrerii* verbis utamur, « nec est Summi Pontificis, nec eius, qui habet potestatem de ea re definiendi, sed eorum, qui Biblia emendarunt », atque optime demonstrat *Serarius* auctoritate praefationis illius non effici, ut « omnia prorsus, quae in correctis Bibliis sunt, canonica habere » cogamur, sed aliquas verborum illorum restrictiones admittendas esse. Inter quas tertia est haec : « ut dicatur *nihil non canonicum ex illius, qui praefationem scripsit, opinione* esse adiectum »[2].

1. *I. Gretser* S. I. Defensio Bellarmini I. 14 (cfr. Corn. a Lap. In Eccli. Prol.); *N. Serarii* Proleg. bibliaca. c. 8. qu. 17. p. 51. etc.

2. *I. Bonfrerii* S. I. Praeloquia c. 6. s. 7; *Serarii* Prolegomena c. 19. qu. 20 p. 126 sq.

240. — Restat, ut de variorum TEXTUUM AUCTORITATE dicamus. Inter tres praecipuos enim, qui nobis traditi sunt, graecum, latinum, syriacum (cum quo arabicus ad amussim consonat) magna deprehenditur differentia; interdum sententiis in uno alterove textu pauca tantum vocabula inserta sunt, interdum autem integrae sententiae eaeque non paucae in uno leguntur, quae in aliis desiderantur. In cap. 1., ut exemplum afferamus, Vulgata nostra praeter multa minora additamenta exhibet octo vel decem versiculos, quibus caret editio Sixtina, qui vero partim in Complutensi exstant; in c. 2. vix unus legitur versus, quin additamento quodam sit auctus.

Assentiri non possumus *Huetio,* qui differentiam latinum inter et graecum textum ex eo derivat, quod « vir aliquis pius et eruditus librum describens utilia pleraque et bonae frugis plena passim asperserit, prout rerum, quas habebat in manibus, argumenta postulare censuit, Iesu Siracidae invitatus exemplo, quem Salomonis effata colligentem multa de suo salomonicis adiecisse sciebat »[1]. Ut enim Sira-

ciden non aliena collegisse sed sua conscripsisse taceamus, actum iam esset de libri nostri auctoritate, si eum a nescio quo librario ea ratione, qua vult Huetius, auctum et amplificatum diceremus. Neque *Iansenio* et *Calmeto* assentimur, qui interpretem latinum complures eiusdem sententiae versiones ad maiorem operis fidem dedisse nonnullaque glossemata explicationis gratia adiecisse opinantur[2]; etsi enim additamenta nonnulla duplici eiusdem sententiae versione aut glossis ex margine in textum translatis apte explicari non negamus[3], multo plura tamen illam explicationem respuunt. Quapropter, ut quaestionem propositam solvamus, in originem et conservationem textuum inquirendum est.

Graecam versionem ab auctoris nepote ex primigenio textu esse adornatam ex eius Prologo constat, nec ulla est ratio, cur ei fidem denegemus asserenti, se magnam curam sollicitudinemque operi impendisse. Eius igitur versio, si pura et integra ad nos pervenisset, procul dubio reliquis omnibus esset praeferenda. At eam in codicibus superstitibus ab omni corruptione immunem non esse servatam, facili negotio demonstratur. Supra (233. n. 2. p. 241) iam diximus omnes hodiernos codices graecos directe vel indirecte ex uno dependere, qui satis recens est ordinemque capitum 30,26-36,17 invertit. Quem archetypum non tantum multis lacunis sed etiam multis mendis fuisse deformem docet dissensus, qui inter hodiernos codices interque textus a Patribus graecis allegatos deprehenditur; velut Siracidae verba enim Patres quam plurima afferunt, quae frustra in graecis editionibus quaeris[4].

Altera autem ex parte latina nostra versio, id quod ex antiquissimorum Patrum citationibus elucet, eadem prorsus est, qua antiqua ecclesia latina usa est; S. Hieronymus enim, etsi Ecclesiastici hebraicum textum possideret, ab ea emendanda abstinuit. Illam ex graeco textu profluxisse temporis, quo facta est, ratio docet atque menda graeci textus retenta, erroneae graeci textus interpretationes, vocabula graeca literis tantum latinis transcripta confirmant[5]. Neque tamen desunt lectiones, quae ita a graeco textu differunt, ut difficillime explicentur, nisi interpretem eas e textu hebraico desumsisse dixeris[6]. Quapropter illis assentimur, qui interpretem latinum una cum versione graeca etiam primigenium librum adhibuisse censent[7]. Ad puritatem autem textus latini quod attinet, Ecclesiasticum aliorum librorum sacrorum sortem non effugisse, sed librariorum negligentia et emendatorum praesumtione multis mendis esse foedatum, vix opus est dicere; at longe puriorem latinam versionem, quam graecam, ad nos pervenisse, vel ex eo elucet, quod graecorum Patrum allegata haud raro cum latino nostro textu contra graecum conspirent (cfr n. 4.).

Syriacam quoque versionem simili ratione exortam esse suadet eius

indoles; in aliis enim locis ab hodierno nostro textu omnino dependere, in aliis hebraicam quandam lectionem sequi videtur[8]. At multo minus accurata est, quam latina; satis libero enim atque interdum paraphrastico modo interpres exemplar suum sive graecum sive hebraicum vertit. Impura quoque ad nos pervenit; si quidem quam plurimae sententiae hodie in ea desiderantur, aliaeque librariorum culpa videntur esse vitiatae.

Ex hoc versionum praecipuarum, quae nobis supersunt, statu praeprimis elucet, non satis recte illos sentire, qui graecam solam hodie nobis amissi primigenii textus locum tenere volunt[9]; omnes enim tres suo quaeque modo ab hebraico immediate dependent ideoque primitivae lectioni dignoscendae ac restituendae inservire possunt et debent. Accedit autem, quod latina duabus aliis multo purior nobis est transmissa, atque ipsi Patres graeci syriacaque versio non raro cum Vulgata potius, quam cum graeca, lectione consentiunt[10]. Licet igitur rei ipsius ratio postulet, ut in diiudicandis variis lectionibus omnes tres versiones continuo consulantur, omnino tamen cum Cornelio a Lap. censemus, plerisque in casibus, in quibus latinus a graeco textu dissentit, « non latinum ex graeco esse corrigendum illique adaptandum, sed potius graeca esse accommodanda latinis »[11].

1. *Huet.* Demonstr. Evang. Prop. IV. De Eccli. 3. (Venet. 1765. p. 270).

2. *Calmet.* Comment. in Eccli. Proleg. c. 4 (Venet. 1756. V. p. 174).

3. Pro glossis ex margine in textum transumtis procul dubio habenda sunt ex. gr. 1,9 « *in Spiritu sancto* »; 23,10 « et nominibus sanctorum non admiscearis » etc.

4. Nonnulla exempla afferam ex *duobus prioribus* libris Paedagogi *Clementis Alex.*, ex quibus simul apparet, Clementem secutum esse textum, qui Vulgatae nostrae erat similior; variis lectionibus graeci textus omissis adscribam sixtinam editionem, versusque indicabo secundum Vulgatam.

| Editio Sixtina. | Clemens Alex. in Paedago. | Vulgata. |
| --- | --- | --- |
| 1,27. 28. Οὐ δυνήσεται θυμὸς ἄδικος δικαιωθῆναι. | Φόβος Κυρίου ἀπωθεῖται ἁμαρτήματα, ἄφοβος δὲ οὐ δυνήσεται δικαιωθῆναι. I. 8. M. 8,332. | *Timor Domini expellit peccatum; nam qui sine timore est,* non poterit iustificari. |
| 7,25. Κάμψον ἐκ νεότητος τὸν τράχηλον αὐτῶν. | Κάμψον αὐτὰ ἐκ νεότητος αὐτῶν. I. 9. M. 8,340. | Et curva *illos* a pueritia eorum. |
| 9,12 Μετὰ ὑπάνδρου γυναικὸς μὴ κάθου τὸ σύνολον. | Μετὰ ὑπάνδρου γυναικὸς μὴ κάθου τὸ σύνολον, καὶ μὴ συμμετακλιθῇς ἐπ' ἀγκῶνα μετ' αὐτῆς. II. 7. M. 8,457. | Cum aliena muliere ne sedeas omnino *nec accumbas cum ea super cubitum.* |
| 9,13... καὶ τῷ πνεύματί σου ὀλισθήσῃς εἰς ἀπώλειαν. | Καὶ τῷ αἵματί σου ὀλισθήσῃ εἰς ἀπώλειαν. II. 7. M. 8,457. | ... et *sanguine tuo* perdaris in perditionem. |
| 16,12. Ἔλεος γὰρ καὶ ὀργὴ παρ' αὐτοῦ. | Ἔλεος γὰρ καὶ ὀργὴ μετ' αὐτοῦ. I. 8. M. 8,336. | Misericordia enim et ira est *cum* illo. |
| 19,3. Σῆτες καὶ σκώληκες | Σῆψις καὶ σκώληξ κληρονο- | *Putredo* et vermis haere- |

| | | |
|---|---|---|
| κληρονομήσουσιν αὐτὸν, καὶ ψυχὴ τολμερὰ ἐξαρθήσεται. | μοσήσουσιν αὐτὸν καὶ ἐξαρθήσεται ἐν παραδειγματισμῷ μείζονι. II. 10. M. 8,512. | ditabunt illum, *et extolletur in exemplum maius.* |
| 20,8. Ὁ πλεονάζων λόγῳ βδελυχθήσεται. | Πλεονάζων λόγον βδελύττεται τὴν ψυχὴν αὐτοῦ II. 6. M. 8,456. | Qui multis utitur verbis, laedet *animam suam.* |
| 32,15. Ἐν ὥρᾳ ἐξεγείρου καὶ μὴ οὐράγει. | Ἐν ὥρᾳ ἀναστάσεως μὴ οὐράγει. II. 7. M. 8,461. | *In hora surgendi* non te trices. |
| 38,1. 2... καὶ γὰρ αὐτὸν ἔκτισε Κύριος· παρὰ γὰρ Ὑψίστου ἐστὶν ἴασις. | Καὶ γὰρ αὐτὸν ἔκτισεν ὁ Ὕψιστος· παρὰ δὲ Κυρίου ἐστὶν ἴασις. II. 8. M. 8,476. | Etenim illum creavit *Altissimus;* a *Deo* est enim omnis medela. |

In non paucis aliis quoque locis dissentit Clemens Alex. a sixtina editione; nonnullae tamen differentiae exortae videntur, quoniam ex memoria versus allegavit. Alia exempla ex aliis Patribus desumta affert *Welte* Einl. II. 3. p. 213 sq., in quibus idem habetur cum Vulgata consensus.

5. De mendis cfr *supra* 234 p. 246 sq. — Mendis, quae ex erronea lectione vel interpretatione exortae videntur, haec adnumerantur : 22,31 φίλον σκεπάσαι οὐκ αἰσχυνθήσομαι « amicum *salutare* non confundar » (permutatis σκεπάσαι *protegere et* ἀσπάσεσθαι *salutare*); 24,21 ὡς λιβάνου ἀτμίς « quasi Libanus non incisus » pro « sicut thuris fumus » (legens ἄτομος pro ἀτμίς et non vertens λιβάνου); 39,16 ὡς διχομηνία ἐπληρώθην « ut furore enim repletus sum » (pro « sicut plenilunium repletus sum » permutatis διχομηνία et δυσμηνία) etc. — Vocabulorum latinis literis transcriptorum exempla : 6,5 γλῶσσα εὔχαρις, « lingua eucharis », 20,21 ἄνθρωπος ἄχαρις, « homo acharis », 13,23 ἐν ἐρήμῳ, « in eremo », 18,6 ἀπορηθήσεται, « aporiabitur » etc.

6. Ex. gr. 1,21 textus gr. legit ἐπιθυμημάτων, *Vulg.* habet « a thesauris »; differentia haec explicatur, si in hebr. textu legebatur מטעמים, quod facile ab alterutro interprete confundi potuit cum מטמנים; 1,33 διατήρησον ἐντολάς, *Vulg* : « conserva *iustitiam* »; in textu hebr. משפט utrumque sensum exhibuit; 1,37 ἐν στόμασιν ἀνθρώπων, *Vulg.* « in *conspectu* hominum »; Hebr. procul dubio habuit לפני אנשים; 1, 37 ἐν τοῖς χείλεσι πρόσεχε, Vulg. « non *scandalizeris* in labiis tuis », nam pro תַּשְׂכִּיל Latinus legit תִּכָּשֵׁל etc. Cfr *Bertholdt* Einl. p. 2307 sq., *Bengel* Ueber die muthmassliche Quelle der lat. Uebersetzung der B. Sirach (in Eichhorn Allgem. Biblioth. der bibl. Literat. VIII. p. 832 sqq.).

7. *Corn. a Lap.* (In Eccli. Proleg. 3) et *A. H. Sabatier* (Bibl. sacr. lat. vers. antiq. Admonitio praev. in ll. Sap. et Eccli. II. p. 390) primi coniecerunt, latinum textum ex hebraico esse exortum; *Bengel* (l. c.) capp. 1. et 34. accurate cum textu graeco contulit atque satis multas differentias invenit, quae ex solo usu hebr. textus apte explicantur; cum eo consentiunt ex catholicis *Welte* Einl. II. 3. p. 215 sq., *Scholz* Einl. III. p. 202 etc.

8. Ex duobus mendis supra (234 p. 246) indicatis Syrus unum (25,22) retinuit, alterum (24,37) evitavit; 7,25 graeca lectio antiqua habuit : κάμψον αὐτὰ ἐκ νεότητος; *Syr.* autem vertit : « sume illis uxores a iuventute ipsorum »; pro κάμψον igitur videtur legisse γάμησον. At eiusmodi exempla afferre opus non est, quum integra syriacae versionis indoles graecum fuisse archetypum doceat. Nihilominus praeter textus aliquos, qui aptius explicantur, si interpres simul hebraicum exemplar adhibuisse supponitur (cfr *B. Bendtsen* Specimen exercitationum in V. T. libros apocr. Gottingae 1789. p. 16. 29. etc.; *Bertholdt* l. c. p. 2305) etiam alphabetismus, quem in ultimo carmine (51,18 sqq.) syriaca versio ex parte retinuit prohibet, quominus hebraicum textum a syriaco interprete adhibitum esse negemus. Cfr *Bickell* in Innsbr. Theolog. Zeitschrift. 1882. p. 326. 330.

9. Uti *Kaulen* l. c. p. 319, qui tamen de Vulg. rectius iudicat p. 345.

10. Cfr *supra* n. 4. — Consensus Vulg. cum Syro multis exemplis demonstratur, cfr statim ab initio : 1,1 εἰς τὸν αἰῶνα, *Vulg.* « *ante* aevum », *Syr.* « *ab* aevo; « 1,2 καὶ ἄβυσσον καὶ σοφίαν τίς ἐξιχνιάσει; *Vulg.* « et profundum abyssi quis dimensus est? » *Syr.* « Et abyssum magnam quis emetiatur? » etc.

11. *Corn. a Lap.* Prolegom. in Eccli. Can. 17. Consentiunt *Welte* Einl. II. 3. p. 217, *Kaulen* l. c. p. 292, *Zschokke* Hist. sacr. A. T. p. 360 etc. Fritzschium (l. c. p. XXIII sq.) secutus de latina versione iniquius iudicat *Lesêtre* L'Ecclésiastique p. 12.

## § 25. — *De commentariis catholicis in libros Sapientiae et Ecclesiastici.*

241. — SS. PATRES libris Sapientiae et Ecclesiastici velut sacris et inspiratis Scripturis frequentissime esse usos, testimoniis supra (230. 237) allatis, quae si opus esset facili negotio multis aliis augerentur, luculentissime constat. Mirum igitur est, quod ne unus quidem ex eis libros integros commentariis illustraverit; commentariis enim adnumerare non licet paucas illas explicationes, quas *S. Paterius* ex magistri sui *S. Gregorii M.* libris collegit[1]. *Cassiodorus* quidem testatur « Sapientiae expositionem presbyterum Bellatorem octo libris assumsisse » atque de eadem « Patrem Augustinum et S. Ambrosium homiliarum nomine nonnulla dixisse »; at Ecclesiastici « cuius tanta claritas tantaque latinitas sit, ut sibi textus ipse commenta sint » etiam Cassiodorus nullam expositionem cognovit[2]; Bellatoris vero expositio Sapientiae et SS. Augustini et Ambrosii homiliae, quarum meminit, mox videntur interisse, nam Rhabanus Maurus iam conqueritur, se illas non invenisse. Itaque *Rhabanus Maurus* primus est, qui integros et copiosos commentarios in utrumque librum edidit. Multa, quae ad dogma et mores spectant, accurate explicat, sed in Ecclesiastico praesertim fatetur « loca esse difficilia et diversis aenigmatibus valde obscura », quare operis suscepti veniam precatus paratum promptumque se esse dicit « in aliorum sententiam transire, si quid melius invenire potuerint ». Ex Rhabani commentariis totam *Glossam* ordinariam duorum nostrorum librorum excerpsit *Wal. Strabo*[3].

Non multo maiorem diligentiam, si modo ex solis commentariis, qui post inventam typographiam typis descripti hodie magis sunt cogniti, certum iudicium ferre licet, MEDIA AETAS libris Sap. et Eccli. impendit. Praeter illorum enim interpretum, qui in integras Scripturas Postillas ediderunt (*Card. Hugonis, Nicolai Lyrani, Dionysii Carth.*) opera dumtaxat duo commentarii in l. Sapientiae innotuerunt. Prior, qui *S. Bonaventurae* attribuitur, tanto viro non est indignus, quippe qui etiam secundum sensum literalem textum sacrum accurate explicare studeat; quanto vero in honore *Rob. Holcoth*, O. Praed., « in l. Sap. praelectiones ducentae tredecim » habitae sint, clare demonstrant

viginti editiones, quibus inde ab a. 1483. omnibus in terris, atque ab ipsis Protestantibus, sunt propagatae. Sub eius nomine etiam prodiit commentarius in septem priora Eccli. capita[4]. Inter tres postillatorum commentarios longe praestare *Lyrani* explicationem nostrorum librorum arbitramur. Lyrani aequalis fere fuit *Math. Cantacuzenus*, qui teste Cornelio a Lap. « brevia sed insignia scholia in l. Sapientiae edidit, quae ex graeco in latinum convertit [typis autem non vulgavit] I. Brunellus S. I. ».

Fertiliora fuerunt SAECULA 16. ET 17., licet ne ipsa quidem in nostris duobus libris sapientialibus tantam, quantam in reliquis fere omnibus V. et N. T. libris explicandis, curam diligentiamque posuerint. Si enim integrarum Scripturarum commentatores et scholiastas omittimus, vix viginti vel triginta interpretes nominari possunt, qui Sapientiam aut Ecclesiasticum accuratius explicandos sibi proposuerunt. Praecipuos ex ordine, quo opera eorum typis sunt edita, recensebimus, postquam eos indicavimus, qui maiore laude videntur esse digni. Neminem melius *Petro Nannio*, Prof. Lov., in l. Sapientiae scripsisse censuerunt teste Calmeto nonnulli; sed eius scholiis et commentario praeferendas ducimus *Corn. Iansenii Gand.* annotationes, quibus inferior non est *Ioan. Lorini* S. I. commentarius. Ad Ecclesiasticum autem quod attinet, merito quidem Corn. Iansenii Gand. explicationem laudari arbitramur, omnino tamen cum Calmeto copiosissimum et eruditissimum *Cornelii a Lapide* « omnium fere loco haberi posse » aestimamus[5]. Inter reliquos Sapientiae interpretes nominari merentur *Hier. Osorius Sen., Christoph. de Castro* S. I., *G. de Cervantes*, O. S. Aug.[6], inter Ecclesiastici autem commentatores *Paul. Palacios de Salazar, Oct. de Tufo* (in Eccli. 1-18), *Ioan. de Pina* S. I. (cuius copiosissima exstat sed indigesta testimoniorum patristicorum collectio quinque magnis voluminibus), *Oliv. Bonartius* S. I., *Salv. de Leon* S. I., *Alph. De Flores* (in c. 24)[7]. Utrumque librum brevibus sed bonis scholiis illustrarunt *Petr. Gorse* S. I., *Pean de la Coullardière, I. B. Bossuet*[8].

Quibus paucissimi DUOBUS ULTIMIS SAECULIS accesserunt. Praeter illos enim, qui maxime vernaculas Scripturarum versiones commentariis vel scholiis auxerunt et ex quibus hoc loco solus *A. Calmetus* O. S. Ben. speciali mentione est dignus, saeculum 18. vix unum alterumve produxit, qui elucidandis Sap. et Eccli. libris operam impenderit, neque ullum, cuius opus illis, quae nominavimus, aequari possit[9]. Atque nostrum quoque saeculum satis sterile adhuc fuit. In Germania *I. A. Schmid* et *C. Gutberlet* commentarios in l. Sapientiae ediderunt, quorum prior non pauca egregia ex Patrum et interpretum scriptis hausit, alter dogmaticis et philosophicis quaestionibus diligenter immoratur; in Gallia autem *H. Lesètre* utrumque librum uberrimis intro-

ductionibus et bono commentario instruxit[10]. Porro graeco libri Sap. textui restituendo inserviunt notae criticae a *F. I. Reusch* editae atque ad eius doctrinam vindicandam iuvat dissertatio, qua *Fr. Klasen* eam cum veterum philosophorum placitis comparavit[11].

Acatholici, quibus libri Sap. et Eccli. canonici non sunt, multo minorem, quam catholici, diligentiam illis impenderunt; inter recentiores praestant, si quis philologicas et criticas explicationes quaerit, commentarii a *C. L. W. Grimm* et *O. F. Fritzsche* editi (Kurzgefasstes exeget. Handb. zu den Apocryphen. V. VI. 1859. 1860). Alios enumeratos habes a *Strack* Einl. Ed. 4. 1895. p. 216).

1. *S. Paterii* Testimonia in ll. Sapientiae et Ecclesiastici. M. 79,917-940.

2. *Cassiodori* Instit. div. liter. 5 (M. 70,1117).

3. *Rhabani Mauri* Commentariorum in l. Sapientiae libri tres; in Eccli. libri decem. M. 109,671-1126; *Wal. Strabonis* Glossa ordin. in ll. Sap. et Eccli. M. 113,1167-1230.

4. *S. Bonaventurae* Expositio in l. Sap. Venetiis 1575. (Opp. omnia Romae 1588. I.); *Roberti Holcoth* Praelectiones in l. Sap. Venetiis 1483. etc. (Optima editio Venetiis 1586.); eiusdem In Cantica et in septem priora capp. Eccli. expositio. Venetiis 1508.

5. *Petri Nannii* Scholia et commentaria in Sap. Salom. Basileae 1552. — *Corn. Iansenii Gand.* Annotationes in l. Sap. et Commentarius in Eccli. Antwerpiae 1589. (Auctiora simul cum aliis commentariis Antwerpiae 1614. etc.). — *I. Lorini* Comment. in Sapientiam. Lugduni 1607. et saepius. — *Cornelii a Lapide* Comment. in Eccli. Antwerpii 1633. etc.. Etiam eius commentarius in l. Sap., etsi succinctior, melioribus est adnumerandus; omnium catholicorum optimum eum appellat *Gutberlet* l. c. p. 57.

6. *Hier. Osorii* Paraphrasis in l. Sap. Bononiae 1577; — *Christoph. de Castro* Brevis ac dilucidus commentarius in Sap. Sal. Lugduni 1613; — *G. de Cervantes* In l. Sap. Comment. et theoria. Hispali 1614.

7. *Pauli Palacios* Comm. in Eccli. Villaeviridi 1581. — *Oct. de Tufo* Comm. in Eccli. tom. I. Coloniae 1628. (alter non prodiit). — *I. de Pina* Comm. in Eccli. Lugduni 1630-1648; — *Oliv. Bonartii* Comm. in Eccli. Antwerpiae 1634; — *Salv. de Leon* Expositio et illustratio in tredecim priora capp. Eccli. Antwerpiae 1640; — *Alph. de Flores* Comm. literal. et moral. in c. 24. Eccli., seu conceptus praedicabiles de Christo, eius Matre, eiusque sponsa Ecclesia. Antwerpiae 1661.

8. *P. Gorse* L'Ecclésiaste, la Sagesse, l'Ecclésiastique etc. Paris 1655; — *Pean de la Coullardière* Commentaire sur les cinq livres sapientiaux. Paris 1673; — *I. B. Bossuet* Libri Salomonis... Sapientia, Ecclesiasticus. Parisiis 1693.

9. Nobis innotuerunt dumtaxat, *Ménard* Paraphrase de l'Ecclésiastique. Paris 1710; — *Clément de Boissy* Abrégé et concorde des livres de la Sagesse. Paris 1767; — *Fr. Boaretti* Liber Sapientiae Venetiis 1792.

10. *I. A. Schmid* Das B. der Weisheit übersetzt u. erklärt. Ed. 2. Wien 1885. — *C. Gutberlet* Das B. d. Weish. übers. u. erklärt Münster 1874. — *H. Lesêtre* Le livre de la Sagesse. Paris 1880; l'Ecclésiastique. 1880.

11. *F. H. Reusch* Observationes crit. in l. Sap. Friburgi 1861. — *Fr. Klasen* Die Alttestam. Weisheit u. der Logos der jüd. alexandr. Philosophie. Freiburg. 1878.

# DISSERTATIO III.

## DE VETERIS TESTAMENTI LIBRIS PROPHETICIS.

---

## CAPUT I.

### DE LIBRIS PROPHETICIS UNIVERSE SPECTATIS.

### § 1. — *De prophetarum nominibus et officiis.*

242. — *Prophetae* nomen a verbo προφαίνειν (*praemonstrare*) derivat *Eusebius Caes.*, « propterea quod divinus Spiritus, inquit, in illis viris *antea ostendere* (προφαίνειν) et luce sua *illustrare* (προφωτίζειν) soleat non solum praesentia, sed etiam futurorum veram et certam cognitionem »[1]. Quae etymologia, etsi prophetiam « primo et principaliter in cognitione consistere » recte insinuet, erronea tamen est, utpote regulis graecae linguae non consona; retinenda autem est communior, quae vocabulum a verbo προφάναι deducit. Eam inter Patres tradiderunt *S. Basilius* (« Propheta est, qui ex revelatione Spiritus S. futura praenuntiat » ὁ προαγορεύων) et *S. Chrysostomus* (« Prophetia nihil aliud est, nisi rerum futurarum praedictio » ἡ προαναφώνησις)[2], in eo tamen a veri tramite aberrantes, quod verbo ipso non recte explicato προφάναι idem esse arbitrati, quod *praedicere*, sola futurorum praedictione totum munus propheticum absolvi insinuarunt[3]. Neque enim in verbo προφάναι praepositio πρό particula temporis est, sed uti in aliis interdum vocabulis compositis significationem habet latini « *vice alicuius* »; quare προφάναι idem est atque « *vice alicuius loqui* », προφήτης autem est is, qui alicuius vice loquens eius quasi est os vel interpres[4].

Quam genuinam esse vocabulorum derivationem et potestatem praeprimis nos docet profanorum scriptorum usus. Teste enim Festo « prophetae nominantur fanorum antistites et *oraculorum interpretes* »; revera Delphis sacerdos ille, qui Pythiae oracula *interpretabatur*, no-

mine prophetae insigniebatur. Eodem sensu poetae vocantur Μουσῶν προφῆται, aristotelicorum operum interpres προφήτης 'Αριστοτέλους, Diogenes Cyn. ἀληθείας καὶ παῤῥησίας προφήτης[5]. Neque Patribus incognita fuit haec nominis potestas; haud semel enim *S. Chrysostomus,* « prophetam esse *interpretem Dei* », et « prophetarum ora esse Dei ipsius os « asserit »[6]. Uti enim iam *Philo* dixerat, « prophetam nihil ex se proloqui, sed aliena omnia submonente alio »[7], ita *S. Chrys.* docet « prophetam ex operatione S. Spiritus loqui », « neque quidquam ex suis addere »[8]. Eandem nominis definitionem *S. Petrus* iam significavit, « non voluntate humana, inquiens, allata est aliquando propheta, sed S. Spiritu inspirati (vel clarius : ὑπὸ Πνεύματος ἁγίου φερόμενοι) locuti sunt sancti Dei homines » (2 *Petr.* 1,21). Unde *S. Thom.* (in Rom. 1,2) : « Prophetae Dei dicuntur, qui divino Spiritu inspirantur »; recte ergo propheta Dei dicitur eius os vel interpres.

Iam idem est sensus vocabuli hebraici נָבִיא, quod alexandrini interpretes semper graeco προφήτης reddiderunt. De eius quidem etymo disputatur[9], eius autem vim et potestatem omissa etymologia cum certitudine definire possumus. Etenim Moysi populum suum ex Aegypto educere iusso blaesam linguam, ne ad Pharaonem mitteretur, excusanti dixit Deus : « Ecce, constitui te Deum Pharaonis, et Aaron frater tuus erit *propheta tuus* (נְבִיאֶךָ); tu loqueris ei omnia quae mando tibi, et ille loquetur ad Pharaonem », vel ut paullo antea dixerat : « ipse loquetur pro te ad populum *et erit os tuum;* tu autem eris ei Deus »[10]. Sicut Aaron igitur tamquam *Moysis Nabi* erat eius *interpres et os,* ita *Nebiim Iahve* sunt *Dei interpretes et os,* seu, ut *S. Augustini* verbis utamur : « Hic insinuatur nobis, ea loqui prophetas Dei, quae audiunt ab eo, nihilque esse prophetam Dei nisi *enuntiatorem verborum Dei hominibus,* qui Deum vel non possunt vel non merentur audire »[11]. Hoc sensu Abraham, etsi nihil unquam praedixerit, vocatur *Nabi* seu *propheta,* quia « filiis suis et domui suae praecepit, ut custodirent viam Domini », quam ipse docente Domino didicerat[12].

Alia nomina, quibus prophetae in Scripturis designantur, integrum eorum characterem non tam plene exprimunt. Auctore 1. Sam. teste ille, qui recentiore tempore vocabatur, *Nabi* προφήτης, antiquitus רֹאֶה, *Videns* appellabatur, a qua appellatione sensu non differt altera חֹזֶה. Quibus nominibus id, quod in propheta primum et principale esse dixit S. Thomas, cognitio sc. divinitus data; maxime exprimitur[13]. Illud autem, quod secundarium esse dixit S. Doctor, ut « prophetae ea, quae divinitus edocti cognoverunt, ad aedificationem aliorum annuntient », nomine rarius usitato מַלְאַךְ יְהוָֹה, *nuntius Domini* continetur[14]. Si prophetae intima cum Deo coniunctio spectatur, vocatur אִישׁ אֱלֹהִים, *vir Dei*

aut עֶבֶד יְהוָה, *servus Domini*[15]; si varia munera considerantur, quae ex Dei mandato erga populum exercere debet, vocatur רֹעֶה, *pastor*, aut שֹׁמֵר, *custos*, aut צֹפֶה, *speculator* aut בָּחוֹן, *probator* etc[16].

1. *Euseb.* Demonstr. evang. V. Prol. (M. 22,345). Simili modo *S. Thomas Aq.* (Summ. theol. II. 2 qu. 171. a. 1) : « Prophetia primo et principaliter consistit in cognitione, quia videlicet prophetae cognoscunt ea, quae sunt procul et remota ab hominum cognitione. Unde possunt dici prophetae a πρό, quod est *procul*, et φάνος, quod est *apparitio*, quia videlicet eis aliqua, quae sunt procul, apparent ». Quae etymologia et explicatio a *Suaresio* (De fide Disput. VIII. s. 3.) merito improbatur, utpote quae « in graeca lingua fundamentum non habeat ». Neque felicior est altera etymologia s. explicatio, quam S. Doctor a *S. Isidoro Hisp.* (Etymol. VII. 8. M. 82,283) mutuatus est ad alterum prophetiae elementum respiciens, « quae secundario consistit in locutione » : « Et secundum hoc, ut dicit Isidorus, possunt dici prophetae quasi *praefatores*, eo quod *porro fantur* i. e. a remotis fantur et de futuris vera praedicunt ». Alteram etymologiam etiam tradunt *Lyranus* (in Num. 22,1) aliique antiqui interpretes.

2. *S. Basil. M.* Comm. in Is. 102. (M. 30,284); *S. Chrysost.* In illud : Vidi Dominum. hom. 2,3 (M. 56,111); cfr *S. Gregor. M.* In Ezech. I. hom. 1,1 (M. 76,786) : « Prophetiae tempora tria sunt, sc. praeteritum, praesens et futurum. Sed sciendum est, quod in duobus temporibus prophetia etymologiam suam perdit. Quia quum ideo prophetia dicta sit, quod futura *praedicit*, quando de praeterito vel de praesenti loquitur, rationem sui nominis amittit, quoniam non prodit quod venturum est, sed vel ea memorat quae transacta sunt vel ea quae sunt ».

3. Nam recte ipse *S. Chrysost.* Synops. S. Script. Prol. (M. 56,317) : « Prophetiae munus est, non tantum futura dicere, sed etiam praeterita, quod maxime apud Moysen deprehenditur. Quando enim de coelo et de terra loquitur, res quidem dicit praeteritas et tempore obscuratas, sed per prophetiam haec enuntiat. Quemadmodum enim prophetiae est, res nondum gestas, quae adhuc occultae sunt, annuntiare, sic et res gestas quidem sed ob tempus occultas revelare et in medium afferre parem gratiam postulat. Ad prophetiam quoque pertinet res praesentes annuntiare, quando aliquid geritur sed occultum est; uti accidit circa Ananiam et Sapphiram. Illic enim neque praeteritum neque futurum, sed res praesens, occulta tamen. Petrus igitur haec per prophetiam revelans in medium adduxit ». Similia tradit *Theodoret.* In Psalm. Praef. (M. 80,861); cfr etiam *S. Gregor. M.* l. c. etc. Illud maxime urgent Patres, divinitus datam esse cognitionem eorum, quae propheta proloquitur.

4. Cfr πρόβοσκος qui vice pastoris fungitur; πρόβουλος qui aliorum loco consilia capit, πρόδικος qui alterius causam agit, προηγορεῖν aliorum loco dicere etc. — *Henr. Steph.* Lexic. edd. Hase et Dindorfii s. v. (VI. 2094 cfr etiam *Bleek Wellhausen* Einl. p. 308) censent iis in locis, in quibus profani scriptores interpretem appellant prophetam, « praepositionem πρό occupare locum praepositionis ὑπό, ut sit προφήτης pro ὑποφήτης ». Quae hypothesis superflua est, siquidem integer vocabuli usus optime explicatur, si primigenia eius significatio *interpres* (i. e. *qui pro alio loquitur*) esse statuitur. *Cremer* (Bibl. theol. Wörterbuch der neutestam. Gräcität. Ed. 4. Gotha 1886. p. 826) recte quidem negat, in verbo composito προφάναι praepositionem esse particulam temporis, sed immerito significationem *localem* ei attribuit, ut προφήτης sit is, qui coram aliis publice loquitur; neque rectius alii volunt προφάναι esse idem quod *pro*loqui; si hic enim esset primus sensus, omnis orator posset προφήτης appellari; quem usum graeca et latina linguae respuunt.

5. *Platon.* Phaedr. 262. D.; *Themist.* or. 23 etc. Haec et alia exempla multa affert *Steph.* Lexic. l. c; eadem fere penes *Bleek Wellhausen* l. c. etc.

6. *S. Chrysost.* In 1 Cor. hom. 36,4; in illud : Vidi Dominum. hom. 2,2; in Act. hom. 19,5 etc. (M. 61,311; 56,111; 60,156). Eadem ratione *Ps. Dionys. Areop.* (De coelesti hierarchia 8,2. M. 3,240 sq.) *prophetas* appellat θεολόγους, utpote λόγους θεοῦ ἡμῖν ἐξαγγέλλοντας, uti *Pachymeres* explicat (M. 3,252).

7. *Philon.* Quis rerum divin. haeres. 52. (Ed. Lips. III p. 57). Hinc etiam recte (De monarchia I. 9. Ed. Lips. IV. 297) : « *Interpretes* (ἑρμηνεῖς) sunt prophetae, quum Deus eorum organis utatur, ut ea, quae vult, manifestet »; item De special. leg. 8. (V. 122) : « propheta nihil omnino proprii manifestat, sed est interpres alterius, qui suggerit omnia quae profert »; et De praem. et poen. 9 (V. 230) : « Interpres est propheta Deo interne suggerente ea quae sunt dicenda. ».

8. *S. Chrysost.* De incomprehensib. Dei. hom. 3,3; in Is. 3 etc. (M. 48,721; 51,92).

9. A grammaticis dubitatur, utrum forma נָבִיא sit activa an passiva (in hebr. forma קָטִיל plerumque est passiva, rarissime activa). Qui activam esse formam censent, ad genuinum vocabuli sensum eruendum aut ad radicem quandam primitivam בא (= φα-ναι, *fa*-ri) recurrunt, quae cum praepositione quadam *na* (נ i. q. κατά) ita sit composita, ut נָבָא significet *oratione devincere*, *convincere* (*Fürst* Concord. hebr. p. 669; *Reinke* Beiträge IV. p. 315 sq.) et propheta sit is, qui *oratione potens* est, aut ad arabicum quoddam verbum נבא (II. annuntiavit), ut *Nabi* sit *nuntius* (*Fleischer* apud *Delitzsch* Genesis Ed. 4. Leipzig 1872. p. 551 sq. etc). At radix נבא hebraice non adhibetur nisi in coniugationibus passivis (Niph., Hithp.), quare etiam נביא pro forma passiva rectius habetur. Radix autem נבא vicina est et affinis verbo נָבַע (*ebullivit;* Hiph. *eructavit verba*, sicut faciunt illi, qui cum ardore loquuntur), unde *Nabi* recte dicitur esse ille, qui ab alio impulsus cum ubertate loquitur, qui alterius igitur est interpres et os. Minus recte alii *solam* inspirationem (*Nabi* = inspiratus) nomine indicari censent, quamvis omnino sit verum, quod monet *Gesenius* (Thesaur. ling. hebr. p. 838) : « formis passivis, Niph. et Hithp., in hoc verbo utuntur Hebraei, quoniam alienis magis quam suis viribus moveri et affici credebantur vates divini ».

10. *Exod.* 7,1 cfr 4,16. *Onkelos* in utroque, *Syr.* in priore loco hebr. נביא reddunt מתורגמן (*interpres*). In 4,16 verba ואתה תהיה־לו לאלהים *S. Hier.* minus accurate vertit : « tu autem eris ei *in his quae ad Deum pertinent* »; secutus est *Alex.* : σὺ δὲ αὐτῷ ἔσῃ τὰ πρὸς τὸν Θεόν. *Onkelos* quoque genuinum sensum exprimere non est ausus : *tu eris ei in principem* (לְרַב) ; sed recte *Syr.* : *tu eris ei in Deum* vel *Deus* (לאלהא).

11. *S. August.* Quaest. in Heptat. II. 17 (M. 34,601).

12. *Gen.* 20,7; cfr 18,17-19. Genuina vocabuli *Nabi* significatio elucet etiam ex *Ierem.* 23,16-22. Nomen *Nabi* plerumque veris prophetis tribuitur, rarius falsis, qui aut a daemonibus aguntur (נְבִיאֵי הַבַּעַל 3 *Reg.* 18,19. 40; 4 Reg. 10,19; נְבִיאֵי הָאֲשֵׁרָה 3 Reg. 18,19, vel sine addito *Os.* 4,5; 9,7 etc.) aut se ipsi a Deo inspirari simulant blandisque verbis aures populi mulcent (*Is.* 28,7 sqq.; *Ierem.* 14,13 sq.; 27,9 sq. etc). Etiam Hithp. הִתְנַבֵּא usurpatur aliquando de iis, qui malo spiritu aguntur (1 *Reg.* 18,10).

13. 1 *Reg.* 9,9. In 1 *Paral.* 29,29 Samuel vocatur רֹאֶה, Nathan נָבִיא, Gad חֹזֶה. Disputatur num רֹאֶה (a רָאָה, *vidit*) et חֹזֶה (a חָזָה, *intuitus est*) diversae sint significationis. *Roëh* decies tantum in Scripturis adhibetur : *septies*, ubi de Samuele, *bis* ubi de Hanani, qui Asae regis tempore floruit, est sermo, *semel* ab Isaia 30,10 sine

respectu ad certam personam. Frequentioris usus est *Chozeh*; Hanani iam hoc titulo appellatur (2 *Paral.* 19,2), inde a tempore prophetae Amos (7,12) fit communior. Quare illis accedimus, qui nomina *Roëh* et *Chozeh* significatione differre negant, quum diversis tantum temporibus in usu fuerint. Antiquissimum nomen fuit *Nabi*, pro quo Iudicum tempore *Roëh* adhiberi coeptum est; post Iudicum autem aetatem non tantum antiquius nomen *Nabi* revixit, sed etiam post regni divisionem loco *Roëh*, quod in desuetudinem abiit, novus titulus *Chozeh* invaluit. Cfr *de Hummelauer* Comm. in II. Sam. p. 107.

14. *Is.* 44,26; *Agg.* 1,13; *Mal.* 3,1.

15. *Vir Dei* 1 *Reg.* 2,27; 9,6 (Samuel, qui statim postea *Nabi* et *Roëh* appellatur) etc.; — *vir Spiritus* i. e. a S. Spiritu motus (אִישׁ הָרוּחַ) *Os.* 9,7; — *Servus Dei Is.* 20,3; *Am.* 3,7; *Ierem.* 7,25; 25,4 etc.

16. *Pastor Ierem.* 17,16; *Zach.* 11,4; — *Custos Is.* 62,6; *Hab.* 2,1 etc.; — *Speculator Am.* 3,6; *Is.* 56,10; *Ierem.* 6,17; *Ezech.* 3,17 etc. — Cfr de his nominibus *Zschokke* Theologie der Propheten. Freiburg 1877. p. 354 sqq.

343. — Arctioribus, quam par est, limitibus MUNUS PROPHETARUM circumscribi, si « *futurorum praedictores* » fuisse dicuntur, ex eorum nominibus allatis evidenter elucet. Secundum S. Paulum « qui prophetat, hominibus loquitur ad aedificationem, ad exhortationem, ad consolationem » (1 *Cor.* 14,3); quibus verbis nixi nonnulli tria prophetarum munia distinguunt : ad aedificationem enim loquuntur, quando « velut theologi a Deo instructi populum tum credenda tum agenda circa viam virtutis et salutis docent »; ad exhortationem, quando « concionantur et per ardentes efficacesque conciones quasi per malleos dura hominum corda emolliunt et frangunt; per ora enim ipsorum Deus ipse concionari intelligebatur »; ad consolationem, « quando vaticinantur et praedicunt futura tum gentibus tum Iudaeis, praesertim Ecclesiae et Christianis; in Iesum Christum enim quasi scopum collimant Lex et prophetae; et prophetia aliud passim non est, nisi Evangelium figuratum, nec Evangelium aliud, quam prophetia resignata et completa per Christum » [1]. Aptius tamen cum *Becano* statuunt alii « primarium eorum officium fuisse docere, instruere, reformare populum in cultu veri Dei atque hac ratione ad Christi adventum eum disponere » [2]. Immo vero prophetas iure dicimus fuisse *supremos et authenticos magistros a Deo institutos, ut foedus per Moysen datum conservarent, explicarent, excolerent atque novum foedus per Christum dandum praepararent.* Id enim tota antiqui foederis historia docet.

Omnes nullo excepto eorum auctoritati erant subiecti; integrae enim domus Israel omniumque membrorum cura eis erat demandata. « Fili hominis, inquit Dominus ad Ezechielem, *speculatorem* (vel potius: *custodem*) dedi te *domui Israel*, et audies de ore meo verbum et annunciabis eis ex me (admoneas eos nomine meo). Si dicente me ad impium : Morte morieris! non annunciaveris ei neque locutus fueris,

ut avertatur a via sua impia et vivat : ipse impius in impietate sua morietur, *sanguinem autem eius de manu tua requiram*. Si autem tu annunciaveris impio et ille non fuerit conversus ab impietate sua et a via sua impia : ipse quidem in impietate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti »[3]. Eadem igitur cum libertate, qua populum docebant, exhortabantur, corrigebant, etiam magnatum, sacerdotum, regum ipsorum vitia sceleraque vituperabant eisque viam salutis monstrabant. Summus sacerdos Heli a viro Dei increpatur, Saul a Samuel, David a Nathan, atque pleni sunt libri historici eiusmodi exemplis, libri autem prophetici magnatum sacerdotumque vituperationibus[4].

Quemadmodum autem prophetarum auctoritas ad omnes filios Israel sese extendebat, ita divinum eorum magisterium integram fere vitam Israelitarum, privatam, publicam, religiosam dirigebat. Quoniam a Deo illustrabantur, eorum consilia in rebus quotidianis quoque et minimis non raro exquirebantur; nam « hanc fuisse consuetudinem populi Israel, ut quidquid scire cupiebant a Domino quaererent per prophetas, multa exempla testantur »[5]. Saul interrogat Samuelem de asinis deperditis; moris autem fuisse Israelitis, ut de talibus rebus prophetas consulerent, integra ista narratio pandit; Ieroboam mittit uxorem suam, ut Ahiam prophetam de filio suo aegrotante interroget; Ochozias vituperatur, quod Beelzebub deum Accaron potius quam prophetam consulere voluerit, num vivere queat de infirmitate sua etc.[6]. In *privata* igitur vita ad prophetas suos Deus misit filios Israel, ut eos ab ethnicorum hariolis auguribusque consulendis efficacius averteret.

Longe autem graviora sunt, quae maxime regum tempore in *publicis* rebus agebant prophetae. Etenim quia Dominus, etiam postquam populo suo reges concesserat, semper supremus eius rex manebat, prophetarum erat invigilare, ut reges constituti secundum Domini mandata rempublicam gererent regibusque Legem divinam velut supremam regni normam in memoriam revocarent. Sicut Samuel primum regem elegit, legem novi regni scripsit, Saulem prophetae monitis obedientiam negantem reiecit, in reiecti locum Davidem suffecit, ita ab eo tempore prophetas semper videmus occupatos in regibus dirigendis, qui per eos divinam voluntatem exquirere tenebantur[7]. Impios terrebant divinis minis et iudiciis, pios consiliis suis divinitus inspiratis adiuvabant, ab ethnicorum foederibus avertebant, ad fiduciam in periculis constitutos exhortabantur, ne viribus suis confiderent monebant, sed a Deo auxilium expeterent, atque ipsi quoque divinum hoc auxilium precibus suis interdum obtinebant[8]. Quin etiam ad exteras gentes eorum munus extendebatur, sive ut regnum a Domino fundatum efficaciter tueri possent, sive ut populum docerent, Dominum, licet filios Israel in peculium sibi elegerit, esse Deum et dominatorem omnium

populorum totius terrae, omnia omnino ab ipso regi et gubernari, gentes velut instrumenta ab ipso adhiberi ad populum electum castigandum, at illis quoque salutem messianicam esse destinatam : Elias Hazael regem Damasci ungere iubetur; eidem Eliseus thronum praedicit; Ieremias « super gentes et regna constituitur, ut evellat et destruat et disperdat et dissipet et aedificet et plantet » « propinetque vinum furoris Domini omnibus gentibus »; eadem ratione alii prophetae hostibus regni divini gravissimas annuntiant poenas plenumque interitum at simul innuunt futuram eorum salutem [9].

At in omnibus his alium finem non habebant, nisi ut populum in foedere, quod cum Deo inierat, retinerent, ad genuinam Legis observantiam adducerent, ad novum foedus praepararent; quare praecipua eorum cura erat, ut *religiosam* vitam populi regerent, augerent, promoverent. Continua eorum erat pugna contra idololatriam, ad quam Israelitae tantopere inclinabant, atque frequentissimae sunt orationes, quibus contribules suos omnes ad unius veri Dei cultum reducere in eoque retinere studebant. Neque tamen cultu quocunque erant contenti; quoniam externis quibusdam ritibus expletis se totam Legem iam implesse facile sibi persuadebant Israelitae, prophetae innumeris vicibus eis inculcant, « meliorem esse obedientiam quam victimas, et auscultare magis quam offerre adipem arietum », nec quidquam valere externa illa opera, nisi prius « lavati et mundati fuerint ab iniquitatibus suis, abstulerint malum cogitationum suarum, cessaverint perverse agere et bene agere didicerint » [10]. Erraret vero, qui eos leges rituales ipsas a Moyse latas respuisse putaret; non raro enim earum quoque observantiam commendant, legibusque a Moyse datis novas addunt; immo in regno septemtrionali, ex quo Ieroboam sacerdotes aaroniticos levitasque expulerat, eorum vices gessisse atque veros Dei cultores sabbathis et neomeniis, ut divinum cultum peragerent, certis in locis convocasse videntur [11]. Praecipuum autem est, quod novis revelationibus depositum fidei auxerint atque praesertim mysteriis futuri Messiae regnique messianici patefactis pios Israelitas, qui ob impiorum contribulium peccata maximis affecti erant calamitatibus, sint consolati atque novam salutis oeconomiam praeparaverint. Quot et quanta dogmata clarius explicaverint, quot nova proposuerint, dicere opus non est, quum neminem lateat, qui unquam Scripturas legerit.

Latissime igitur prophetarum munus patebat nec aliud est in V. T., quod ei aequiparari possit.

1. *Goldhagen* Introductio II. p. 354; cfr *Corn. a Lap.* In Proph. Prooem. III. etc.

2. *Becani* Analogia V. et N. T. VIII. qu. 2. (Migne Curs. compl. S. S. 2,91). Cfr *Paul Scholz* Theol. des A. B. p. 77 sqq., *Knabenbauer* Der Prophet Isaias. Freiburg 1881. p. 5; *Emin. Meignan* Les prophètes d'Israel. Paris 1892. ch. 1. 2. etc.

3. *Ezech.* 3,17 sqq.; cfr 33,1 sqq.

4. 1 *Reg.* 2,27 sqq.; 13,10-14; 15,12-30; 2 *Reg.* 12,1 sqq.; 3 *Reg.* 11,29 sq.; 2 Paralip. 16,7; 19,2 etc. Cfr etiam integram historiam prophetarum Eliae et Elisei. *Is.* 1,10 sqq. (contra magnates et sacerdotes), 7,1 sqq. (contra regem Achaz) etc. Optime *Lactant.* Divin. Instit. I. 4 (M. 6,128) : « Idcirco prophetae a Deo mittebantur, ut et praecones essent maiestatis eius et *correctores pravitatis humanae* ».

5. *S. Hier.* In Ezech. 20,1 (M. 25,194).

6. 1 *Reg.* 9,3 sqq. (cfr v. 9 « Olim in Israel sic loquebatur unusquisque vadens consulere Deum : Venite et eamus ad Videntem »); 3 *Reg.* 14,1 sqq.; 4 *Reg.* 1,2 sqq.; quibus exemplis etiam docemur, Israelitas Videntibus vel prophetis, quos consulebant, munuscula afferre consuevisse. Quod si « *meliores* prophetae » munuscula illa respuisse dicuntur (*Dillmann* in Schenkel Bibellexicon IV. p. 611 etc.), distinctionem inter « meliores » interque minus bonos prophetas velut rationalisticum commentum repudiamus. Eliseus utique dona a Naaman Syro oblata respuit (4 *Reg.* 5,15), ne ethnicus prophetas eodem, quo gentium hariolos, lucri studio duci putaret; at contribulium suorum munuscula prophetas respuisse nullo exemplo probatur. Recte potius asserit *Calmet.* (in 1 Reg. 9,6) : « Ex universa Scriptura constat, nunquam adiri consuevisse prophetas, quin ferrentur munera in obsequii et grati animi significationem. Vetuit Deus, ne quis se coram numine vacuis manibus sisteret; idem ferme a subditis reges et principes exigebant » etc. Per se patet, Israelitas munuscula illa non velut pretium dati responsi considerasse.

7. *Is.* 8,19; 30,2; *Ierem.* 37,3; 42,2 etc.

8. 1 *Reg.* 8,4 sqq.; 10,25; 15,23. 28; 16,1 sqq. — 3 *Reg.* 12,22 sqq.; 13,1 sqq.; 14,7 sqq. etc.; 2 *Paral.* 16,7 sqq.; 18,6; 19,2 sq.; 20,14 sqq. 37; 25,7 etc. *Is.* 2,7. 9; 31,1; 8,6 etc.

9. 3 *Reg.* 19,15; 4 *Reg.* 8,10 sqq. — *Ierem.* 1,10; 25,15. — *Is.* 13-27; *Ierem.* 46-51; *Ezech.* 25-32 etc. De munere prophetarum relate ad exteras gentes cfr *Knabenbauer* Stimmen aus M. Laach. 1880. XVIII p. 274, qui recte monet vaticiniis illis contra gentes editis clarius apparere consilia divinae providentiae, qua omnes populi reguntur, ut tandem aliquando ad Messiam adducantur : « In diesen prophetischen Darstellungen entrollt sich somit der göttliche Plan der Weltgeschichte und, was mit ihm auf's innigste zusammenhängt, die centrale Stelle, die eben der Messias in ihr einnimmt; sie legen es offenkundig vor, dass und wie alle Ereignisse auf Christus, als ihren Mittelpunkt, hinzielen, und dass kein anderer Name gegeben ist, in dem die Völker Heil finden, als der seine ».

10. 1 *Reg.* 15,22 sq.; *Is.* 1,16 sq.; 68,3. 7; *Os.* 5,6; 6,6; *Am.* 5,21; Mich. 6,6 sqq. etc.

11. *Is.* 56,2 sqq.; 66,17; *Ierem.* 17,20-27; 33,17 sq.; 44,21; *Ezech.* 20,12 sqq.; 22,8 etc. — 4 *Reg.* 17,13; 2 *Paral.* 29,25. — 4 *Reg.* 4,23. 42.

244. — Interroganti *ordinariumne an extraordinarium fuerit munus propheticum* respondebimus, extraordinarium quidem illud esse dicendum, si modus, quo conferebatur et exercebatur, spectatur, ordinarium vero, quatenus a Deo per certum et definitum tempus populo velut continuum et supremum eius magisterium erat concessum [1].

Re enim vera immediate a Deo conferebatur, qui ipse illos quos elegerat interna quadam et supranaturali vocatione interpretes suos constituit [2]. Neque enim certae tribui aut familiae, sicut sacerdotium et regnum, adnexum erat propheticum munus, nec certae hominum classi; omnium tribuum viri et mulieres, pueri et senes, divinae illius

vocationis erant capaces. Samuel levita puer vocatus est, Eliseus agricola ex tribu Ephraim adulta iam erat aetate, quando Eliam sequi iussus est; Isaias ex regia familia fuisse a nonnullis creditur, Amos pastor erat ex tribu Iuda, Ieremias et Ezechiel erant sacerdotes; Debbora tempore Iudicum erat prophetis, rex Iosias per Holdam prophetidem exquisivit voluntatem divinam. Neque ulla quoque requirebatur praeparatio ad illud recipiendum, quamvis facile concedamus illos praeprimis ad hanc dignitatem a Deo esse assumtos, qui pietate et fideli Legis observantia eminebant[3]; neque ullo externo ritu inaugurabantur prophetae[4]. Extraordinarium quoque fuit muneris exercitium, quippe quod eadem ratione, atque vocatio, a Deo immediate pendebat; non enim sua, sed Dei verba proloquuntur prophetae, qui non sunt nisi Dei interpretes. « Lumen autem propheticum, inquit *S. Thomas*, non inest intellectui per modum formae permanentis... sed cuiusdam passionis vel impressionis transeuntis », atque recte monet *S. Hieronymus*: « Si semper in prophetis esset sermo Dei et iuge in pectore eorum haberet hospitium, non tam frequenter Ezechiel poneret : et factus est sermo Domini »[5]. Revera non semel videmus prophetas precibus suis Deum rogantes, ut eius responsa accipiant, immo a Deo iubentur precibus suis divinas manifestationes efflagitare[6].

*Ordinarium* autem fuisse munus propheticum, si in se spectatur velut supremum populi magisterium, continua et non interrupta successio prophetarum iam nos docet. A Samuele usque ad Malachiam i. e. per septingentos circiter annos nunquam defuisse prophetas ex libris historicis V. T. satis constat[7]. Eo tempore, quo Samuel puer vocabatur, rara quidem erat prophetia in Israel, at non cessaverat; aliqui prophetae etiam Iudicum tempore commemorantur; etsi autem a Moyse vel potius a Iosue, qui « Moysi in prophetiis fuit successor », usque ad Samuelem integram eorum seriem enumerare nequeamus, disertis tamen verbis nos docent Ieremias et Amos, Deum inde ab exitu filiorum Israel ex Aegypto continuo et sine interruptione populum suum per prophetas a se missos docuisse et monuisse[8].

Quod autem per plus mille annos in republica israelitica prophetae semper adfuerint, quibus omnes filii Israel a minimo usque ad maximum, ne ipsis quidem sacerdotibus, magnatibus, regibus exceptis, fidem et obedientiam sese debere credebant quosque certis in casibus non consulere religioni sibi ducebant, id apte non explicatur, nisi eorum munus velut constans et ordinarium a Deo institutum et per Moysen promulgatum esse dicatur. Promulgationem autem hanc in *Deuteronomio* (18,9-22) descriptam invenimus, cuius verbis simul docemur, iam in prima legislatione sinaitica (*Exod.* 20,18 sqq.; *Deut.* 5,19 sqq.) munus propheticum velut ordinarium a Deo esse promissum.

Sunt quidem, qui Deuteronomii locum (praesertim 18,15 sqq.) de solo Messia interpretentur; at licet eius messianitatem non negemus sed illam fide tenendam esse asseramus, eum tamen cum non paucis Patribus et maiore interpretum numero de munere prophetico seu de integra serie prophetarum una cum eorum capite et corona Christo intelligendum esse arbitramur [9].

Hanc enim interpretationem, quam verbis ipsis non repugnare evidens est [10], 1. iam suadet locus, in quo legitur. Illa scilicet in Deuteronomii parte, in qua Moyses de aliis theocratiae muneribus ordinariis agit, etiam nostri muneris originem, iura, officia describit signumque definit, quo veri prophetae a falsis discernantur. Nam postquam in secunda sua concione deuteronomica auditoribus praecipua quaedam officia, quae erga Deum immediate implere debeant, in mentem revocavit (*Deut.* 12,1-16,17), legislator naturali nexu transit ad officia, quae erga publicos Dei vicarios implenda sunt (16,18-18,22) atque ita pervenit ad officia erga proximos omnes observanda (19,1-22,30). Inter Dei vicarios autem, de quibus agit, eum tenet ordinem, ut primo loquatur de civili potestate quum iudicum, quos semper habituri erant Israelitae (16,18-17,13), tum regum, qui velut ordinarii superiores per certum dumtaxat tempus populum erant recturi (17,14-20), secundo autem loco de ecclesiastica dignitate sacerdotum et levitarum, qui usque ad adventum Messiae erant permansuri (18,1-8), et de munere prophetico, quod per certum dumtaxat tempus erat duraturum (18,9-22) [11]. Iam pulchrum hunc ordinem perturbant, qui locum nostrum de *solo* Messia interpretantur, aut propheticum munus negant fuisse ordinarium.

2. Sed gravius est, quod iidem etiam proximum contextum prorsus destruere videantur; sive enim ea quae immediate praecedunt, sive ea quae immediate sequuntur, attente consideraveris, negare non poteris verba de *solo* Messia non agere. Ita enim 18,15 cum praecedentibus cohaeret, ut rationem afferat, cur Israelitae ab ethnicorum hariolis et auguribus consulendis abstinere iubeantur (18,8-14); ratio autem est, quia Deus in ipso populo israelitico (« de gente tua et de fratribus tuis ») suscitaturus sit prophetas, quos occasione data consulere possint; quae ratio profecto nulla esset, si solus Christus esset propheta ibi promissus [12]. Cum immediate sequentibus autem 18,15 ita cohaeret, ut Deus id daturus esse asseratur, quod populus in monte Horeb petierat. Atqui theophania in monte Sinai perterriti et pavore perculsi petierant ibi filii Israel, « ne in posterum unquam Deus in persona secum loqueretur, sed aliquo interprete suae voluntatis uteretur. Neque tantum populi mens fuit petere, ne Deus per se leges ferret, sed ut in omnibus, quae significare populo vellet, interpretem aliquem suae voluntatis

interponeret: id autem prophetarum omnium munus fuit, divinae voluntatis ad populum interpretem agere »; populum vero in monte Sinai id unum petiisse, ut sibi Messias mitteretur, nullo argumento probabile redditur [13]. Idem quoque ex oppositione verorum et falsorum prophetarum (18,20 sqq.) efficitur. Velut signum enim, quo verus propheta a falso discernatur, statuit Deus eventum rerum praedictarum; quod tam late patet, ut ad solum Christum a Pseudochristis secernendum restringi nequeat; secus enim Israelitae primum prophetam, qui vera praedictione se divinum esse legatum confirmabat, velut promissum Messiam recipere debuissent. Nonne prophetae ipsi interdum ad hoc signum provocarunt, ut genuinos se esse Dei interpretes populo demonstrarent [14]? Nisi igitur supremam legem hermeneuticam, quae sensum verborum ex contextu definiendum esse docet, negligere velimus, Deuteronomii locum de integra serie prophetarum una cum Christo eorum capite intelligamus oportet, atque iure nostro per Moysen munus propheticum velut ordinarium magisterium promulgatum esse asserimus.

Idque eo magis quia 3. tota descriptio quam optime consentiat cum illis, quae de prophetarum officiis et iuribus nos docet sacra historia quaeque supra iam collegimus. Etenim secundum verba deuteronomica Deus sibi ipsi electionem prophetarum reservavit nec certae tribui aut familiae munus propheticum alligavit [15]; in rebus quotidianis quoque ab Israelitis interrogari possunt, at quia similes dicuntur esse Moysi, veri simul constituuntur legislatores [16], quibus, quia Deus sua verba in eorum ore posuit [17], omnes obedire tenentur, nisi gravissimas poenas sibi attrahere velint [18].

1. Cfr de hac quaestione *Knabenbauer* Der Prophet Isaias p. 3 sqq. — Haud raro quidem penes sacerdotes aut summum sacerdotem in antiqua oeconomia fuisse supremum magisterium asseritur (*Becan.* Analogia V. et N. T. c. 12. et c. 6 qu. 2; *Al. Vincenzi* De Hebraeorum et Christianorum sacra monarchia p. 3 sqq. etc.), at idoneis argumentis non probatur. Textus enim qui afferuntur aut de munere iudiciali sacerdotum et levitarum agunt (*Deut.* 17,8 sqq.; 2 *Paral.* 19,10), aut de privilegio illo, quo certis in casibus summus sacerdos per Urim et Thummim Deum de illis, quae agenda erant, interrogare potuit [a]. Ceterum Iudaei ipsi non sacerdotibus, sed prophetis illud magisterium attribuerunt et in rebus dubiis, de quibus lex non erat data, futurum prophetam exspectandum esse docuerunt (1 *Mach.* 4,46; 14,41). Dominus N. quoque non

(a) De *Urim et Thummim* (*S. Hier.* « doctrina et veritas », *Alex.* δήλωσις καὶ ἀλήθεια) confer *Buxtorfii* aliorumque dissertationes, quas collegit *Ugolini* Thesaur. Antiquit. XII p. 375-784. Secundum rabbinos, qui privilegia populi sui minuere non solent, Deum hac ratione consulere non licuit, nisi ille, qui interrogabat, rex erat vel praeses synedrii vel alia persona publica in eminenti dignitate constituta populoque necessaria, atque de negotio publico totius populi agebatur (*Buxt.* l. c. p. 400 sqq.). Revera in Scripturis soli principes, uti Iosue, Samuel, Saul, David hunc interrogationis modum et quidem in rebus publicis summi momenti adhibuisse leguntur (*Ios.* 7,16 sqq.; 1 *Reg.* 10,20 sqq.; 14,18; 22,10; 23,9; 28,6; 30,8 etc.).

sacerdotum, sed scribarum et pharisaeorum praecepta observanda esse docet, nec in *cathedra Aaronis* sed in *cathedra Moysis* eos sedere dicit (*Matth.* 23,2 sq.). Ac profecto, quomodo summi sacerdotes et levitae, qui ipsi interdum idololatriae erant dediti populumque ad eam pellexerunt (2 *Paral.* 36,15), supremum magisterium exercere potuerunt? Demum animadverte, ante absolutam revelationem de nova aliqua doctrina, quae velut revelata proponebatur, si cum revelatis aut naturalibus veritatibus non pugnabat, certum iudicium ferri non potuisse, nisi a magisterio, quod ipsum fuerit inspiratum.

2. Cfr vocationem Samuelis (1 *Reg.* 3,1 sqq.), Isaiae (*Is.* 6), Ieremiae (*Ierem.* 1) etc.

3. Moderni interpretes frequenter de *scholis prophetarum* loquuntur, quae expressio Patribus incognita nec usquam in Scripturis adhibita melius evitatur. In S. Scriptura commemorantur quidem חֶבֶל נְבִיאִים (*Alex.* χορὸς προφ., *Vulg.* « grex » vel « cuneus prophetarum » 1 *Reg.* 10,5. 10 aut לַהֲקַת נְבִיאִים (vel rectius קְהִלַּת *Alex.* ἐκκλησία προφ., *Vulg.* cuneus proph. 1 *Reg.* 19,20) aut בְּנֵי נְבִיאִים (filii prophetarum 3 *Reg.* 20,35; 4 *Reg.* 2,3 etc.); at chaldaeus interpres primus in istos locos invexit ideam scholarum, quum non amplius de congregatione *prophetarum* », sed de « turma *scribarum* » loquatur (1 *Reg.* 10,5. 10), qui consederant in « *domo doctrinae* » (1 *Reg.* 19,20), neque amplius « *filios* prophetarum » sed « *discipulos* prophetarum » agnoscat (3 *Reg.* 20,32 etc.); unde factum est, ut mediae aetatis interpretes iudaici explicarent : « hi sunt discipuli, *qui se ipsos disponunt ad vaticinandum* suntque separati et Naziraei consecrati cultui divino » (Abarbanel). Sed in omnibus, quae de his congregationibus libri sacri tradunt, nihil invenitur, quod « filios prophetarum » *discipulos* fuisse insinuet, nisi cum modernis (cfr *Dillmann* in Schenkel Bibellexicon IV. p. 619, *Davidson* Introd. II. p. 457 etc.) illud urgere velis, quod *coram insigniore propheta* (velut discipuli coram magistro) *sedere* (יָשַׁב *Vulg.* vertit : habitare) dicantur (4 *Reg.* 4,38; 6,1); quod argumentum satis leve esse videtur, praesertim quum illos ipsos, qui « ad vaticinandum sese disponere » creduntur, iam vaticinari videamus (3 *Reg.* 20,35; 4 *Reg.* 2,3. 5). *S. Hieronymus* eos fere pro monachis V. F. habet : « Filii prophetarum, quos monachos in V. T. legimus, aedificabant sibi casulas propter fluenta Iordanis et turbis urbium derelictis polenta et herbis agrestibus victitabant » (ad Rust. ep. 125,7; cfr ad Paulin. ep. 58,5; ad Eustoch. ep. 22,21. M. 22,1076. 583. 408). Certum est Samuelis tempore (in Gabaa [?] et Rama Naioth 1 *Reg.* 10,5; 19,20) atque iterum in regno septemtrionali tempore Eliae et Elisei (in Bethel, Iericho, Galgala, prope Iordanem 4 *Reg.* 2, 3. 5; 4,38) prophetas multos circa insigniorem (Samuel, Eliam, Eliseum), quem velut superiorem agnoscebant (1 *Reg.* 19,20; 4 *Reg.* 6,1), sese congregasse, ut communem inter se vitam agerent (4 *Reg.* 4,38 sqq.) communibusque laudibus Deum celebrarent (1 *Reg.* 19,20 sqq.). Num Eliseo mortuo collegia illa perduraverint, id quod nonnulli ex *Am.* 7,14 (erronee, ni fallor) colligunt, incertum est, uti incerta quoque multa, quae nimia cum fiducia inter alios etiam proponere non dubitavit *Meignan* Les prophètes d'Israel. 1892 p. 15 sqq.

4. Cfr tamen 3 *Reg.* 19,16; de interna unctione sermo est *Is.* 61,1.

5. *S. Thom.* Summa II. 2. qu. 171. a. 2; *S. Hier.* in Ezech. 35,1 (M. 25,349).

6. 1 *Reg.* 8,8; *Ierem.* 32,16; 42,4; *Dan.* 2,17 sqq.; 9,3 sqq. — *Ierem.* 33,2 sq.

7. De prophetarum numero dicemus *infra* 245 p. 280 sqq.

8. 1 *Reg.* 3,1 (*hebr.* : « verbum Domini erat rarum illis diebus nec visio frequens ») ; *Iudic.* 4,1; 6,8 sqq.; 1 *Reg.* 2,27. — *Eccli.* 46,1. — *Ierem.* 7,25; *Am.* 2,11.

9. *Deut.* 18,15 sqq. esse textum messianicum directe ex *Act.* 3,22. 23 et 7,37 atque indirecte ex *Ioan.* 1,45; 5,45 sq.; 4,25 demonstrari potest; quare omnino reiicienda est modernorum Iudaeorum iudaizantiumque interpretatio, qui de sola serie prophe-

tarum V. T. agi censent. (S. Hieron. quidem hanc solam explicationem affert [In Is. 8,19. M. 24,125], at ita ut messianicam non excludat). Num vero de *solo* Messia sit explicandus textus, controvertitur. Patres haud pauci eum adhibent, ut ostendant qua cum obedientia verba Christi sint recipienda (*Tertull.* c. Marc. IV. 22. M. 2,414; *S. Cypr.* Test. adv. Iud. I. 18. M. 4,688; *Lactant.* Instit. div. IV. 17. M. 6,500; *S. Philastr.* haer. 116. M. 12,1242; *S. Gaudent. Brix.* Serm. 9. M. 20,909 etc.; *S. Athan.* c. Arian. or. 1, 54 M. 26,126; *S. Cyrill. Ieros.* Cat. 12,17. M. 33,744; *S. Epiph.* haer. 42,11. schol. 27 ex evang. Luc. et schol. 8 ex ep. ad Gal. M. 41,744. 777; *S. Greg. Nyss.* Test. c. Iud. 2. M. 46,204; *S. Chrys.* In Anom. hom. 12,1; in 2 Cor. hom. 7,3 M. 48,803; 61,446; *S. Cyrill. Alex.* De ador. in spir. et verit. II. M. 68,213. 253; *S. Isid. Pelus.* Ep. III. 94. M. 98,797 etc.), at praeter Christum reliquos prophetas intelligi posse non negant; sin pauci (uti *S. Athan.*, qui περὶ ἑνὸς [non τινος] τῶν προφητῶν verba non intelligenda esse monet; *S. Isid. Pelus.*, qui solum Iosue intelligi posse negat; *S. Gregor. Nyss.*) reliquos prophetas excludere videntur, attendas velim *Eusebium Caes.* tribus in locis omni vi conatuque omnes prophetas excludere (*Demonstr. evang.* III. 2; IX. 11. M. 22,168 sqq. 689 sqq. Ecl. proph. I. 15. M. 22,1072), sed alio in loco disertis verbis textum de iis explicare (Eclog. Proph. IV. M. 22,1192); pro argumento enim, quod tractarunt, etiam Patres interdum Scripturas interpretati sunt. Ceterum verba nostra historice de Iosue, typice de Christo intelligunt *Clem. Alex.* Paedag. I. 7 (M. 8,322); *Ven. Beda* i. h. l. (M. 91,387) atque, ut videtur, *S. August.* c. Faust. XVI. 19. 20. (M. 42,327); de prophetis (Christo tamquam eorum capite incluso) praeter *Euseb.* et *S. Hieron.* iam nominatos ea explicant *Origenes* (c. Cels. I. 36. M. 11,429), *Theodoretus* (in Ierem. 6,16. M. 81,545), *Rhabanus Maur.* (? cfr in h. l. M. 108,906), *Walafr. Strab.* (Glossa ordin. in h. l. M. 113,471) etc. Media aetate *Glossa interlin.* et *Burgensis* 18,15 de prophetis in genere, 18,18 de solo Christo intelligere volunt; de toto prophetarum choro una cum Christo eum explicant *S. Bruno Ast.* (M. 164,512), *B. Albertus M.* (in Agg. 2,5), *Card. Hugo, Nic. Lyranus, Dion. Carthus., Alph. Tostatus.* Inde a saec. 16. solum Christum praedictum vident *Caietan., Ioseph. a Costa, Estius*, quibus inter recentissimos accedunt *Patrizi, Bade, Corluy*; Iosuen et Christum *Vatablus* et *Emm. Sa*, ex recentissimis nemo; omnes prophetas et Christum *Bonfrerius, a Lapide, Menoch., Tririnus, Frassen., Gordon., Calmet.* etc., quibus ex recentissimis accedunt *Allioli* (in *Ierem.* 28,6), *Reinke* (Beiträge VI. p. 297 sqq.), *Loch Reischl* (i. h. l.), *Meignan* (Les prophéties messian. I. p. 611 sqq.), *Bisping* (in Act. 3,21), *A. Scholz* (Einl. III. p. 240), *Knabenbauer* (Der Prophet Isaias. p. 3 sqq.), de *Hummelauer* (Comm. in libr. Samuel. p. 114), *Kaulen* (Einl. Ed. 3. p. 349) etc.

10. Qui textum de prophetis una cum Christo intelligi posse negant, duo praesertim urgent: 1.) quod semper in toto textu (18,15-22) de « propheta » singulari numero fiat sermo; at non attendunt singularem in lingua hebr. (uti in aliis) saepe de collectione usurpari; etiam in tota lege de regibus futuris (17,14-20) solus numerus singularis adhibetur; 2.) quod futurus propheta dicatur similis Moysi, reliqui autem prophetae omnes Moyse inferiores fuerint; at similitudo non est aequalitas, atque si prophetae Moyse fuerunt inferiores, Christus eo fuit superior; sed *S. Augustinus* contra Faustum Manich. (l. c.), qui ob hanc dissimilitudinem Christum praedictum esse negavit, merito monuit: « quasi vero quum simile dicitur, ex omni parte atque ex omni modo simile intelligatur; quia non ea tantum, quae unius eiusdemque sunt naturae, dicuntur inter se similia, sicut gemini homines, vel filii parentibus; verum etiam quae naturae disparia sunt, dicuntur multa similia, ut olivae oleaster et far tritico ». Similitudo maxima ea adest, quod Moyses et prophetae erant interpretes Dei, Deus sua verba in eorum ore posuit et per eos leges suas populo dedit.

11. Cfr analysin Deuteron. *Supra* 6 (tom. 1. p. 19).

12. Quomodo hic nexus, quem tam clare verba ipsa indicant, a quoquam negari queat, non intelligimus : Gentes istae, quarum possidebis terram, *augures et divinos audiunt :* tu autem, non ita tibi permisit Deus. Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Deus; *ipsum audies* ». Deum revera dedisse filiis Israel prophetas, quos (sicut ethnici hariolos suos) etiam de quotidianis et minimis consulerent, exempla *supra* (243. n. 6. p. 274) allata abunde demonstrant.

13. Cfr *Bonfrer.* l. h. l.

14. *Ierem.* 28,7-9; 3 *Reg.* 22,28. Poena quoque 18,20 statuitur contra omnes falsos prophetas (cfr *Ierem.* 14,15), non contra solos Pseudochristos.

15. Deus *suscitavit* (הֵקִים) prophetas (*Ierem.* 6,17; 29,15; *Am.* 2,11 « suscitavi de filiis vestris prophetas »), eos *misit* (*Is.* 6,8; *Ierem.* 1,7; 7,25; 25,4), *elegit* (*Am.* 7,15) etc., at omnes ex solo populo Israel.

16. Lex per Moysen data, si latissimo sensu sumitur, continet dogmata credenda, praecepta moralia, leges civiles vel politicas, legesque rituales; atqui a prophetis nova dogmata credenda esse proposita, nemo negabit; aeque certum est, eos decalogum enucleatius explicantes Israelitis nova praecepta imposuisse (cfr *Matth.* 5,17; 7,12; 22,40); Samuel « legem regni » scripsit (1 *Reg.* 10,25); legum autem ritualium sensum spiritualem diligentius explicarunt prophetae novasque leges rituales dederunt (cfr 243. n. 11. p. 274). : Immerito igitur prophetas *legislatores* fuisse negant *Caietan.* (in Deut. 18), *Patrizi* (Biblicarum quaest. decas p. 169 sq.) etc.

17. Frequenter Deus verba sua in ore prophetae posuisse dicitur : *Is.* 51,16; 59,21; *Ierem.* 1,9; 5,14 etc., ita ut verba prophetarum Deo ipsi sint attribuenda (*Is.* 1,10; 28, 14; 39,5; *Ierem.* 2,4. 31; 7,2 etc. — *Is.* 52,6; *Ezech.* 17,21; 21,22 etc. — *Is.* 16,13; 37,22; 42,19; *Ierem.* 19,2; 26,2 etc.).

18. « Ego ultor exsistam » cfr 3 *Reg.* 20,35. 36; 4 *Reg.* 17,13 sqq.; 2 *Paralip.* 36, 15 sq.; *Am.* 7,16 sq. etc.

## § 2. — *De numero et distinctione prophetarum.*

245. — Si Clementi Alex. fides habetur, usque ad Domini N. aetatem triginta quinque prophetae, quorum quinque (Adam, Noe, Abraham, Isaac, Iacob) iam ante Legem datam floruerint, et quinque prophetides (Sara, Rebecca, Maria Moysis soror, Debbora, Holda) numerentur oportet; Iudaei autem quadraginta octo prophetas et septem prophetidas sibi attribuunt, atque S. Epiphanius ab Adamo usque ad Agabum (*Act.* 11,28) septuaginta tres prophetas et a Sara usque ad B. Virginem decem prophetidas numerat [1]. At soli Deo accuratum prophetarum numerum cognitum esse rectius dicemus. Illud certum est, inde a mosaica aetate usque ad Malachiam, qui Nehemiae aetate vixit, i. e. per mille circiter annos, inter filios Israel nunquam defuisse viros, qui a Deo tamquam interpretes et legati missi divina voluntate manifestata populum electum in Lege data retinerent confirmarentque atque ad perfectiorem Legem dandam praepararent (224); paucorum autem dumtaxat, sive quia in rebus publicis gerendis maiorem partem habuerunt, sive quia sermones vaticiniaque literis mandarunt, nomina nobis innotuerunt; multo plures esse, quorum nomina non sunt tradita, certi-

testimoniis constat. Iudicum quidem aetate rariores fuerunt (1 *Reg.* 3,1), at inde a Samuele continua eorum successio in libris sacris nobis est conservata.

Integra collegia virorum, qui omnes prophetico spiritu erant imbuti, *Samuel* « fidelis propheta Domini » iam congregaverat; quare post eius mortem haud pauci adfuerunt, qui populi reformationem ab eo inchoatam continuarent. Duo tamen soli nominantur, *Gad* et *Nathan*, qui in demortui locum succedentes vaticiniis inspiratisque suis consiliis Davidem adiuverunt et confortarunt. Nathan, cui magnum vaticinium de Messia ex domo davidica oriundo debetur, Salomonem educavit effecitque, ut ei a Davide thronus attribueretur. Samuel quoque, Gad et Nathan annales regni davidici conscripserunt; res gestae autem Salomonis relatae erant « in verbis Nathan prophetae et in prophetia Ahiae Silonitis et in visione Addo Videntis contra Ieroboam »[2]. *Ahias Silonites* ille est propheta, quem Deus elegit, ut divisionem regni novumque thronum septemtrionalem Ieroboamo praediceret; at idem Ahias cum aliis *prophetis anonymis* eidem regi, quum idololatriam introduxisset, interitum domus eius annuntiavit. Eadem aetate Roboamum, Salomonis filium, propheta *Semeias* a debellandis tribubus septemtrionalibus avertit et in bello contra Sesac regem Aegypti confortavit. Annales Roboami filiique eius Abiae conscripsit *Addo* Videns[3]. Asam, Roboami nepotem, propheta *Azarias*, filius Oded, ardenti oratione permovit, ut omnia idola et excelsa ex regno Iuda auferret; eundem regem *Hanani* vituperavit, quod in Syriis potius quam in Deo fiduciam suam posuisset. *Iehu*, filius Hanani, in utroque regno propheticum munus videtur exercuisse; nam contra Baasa, regem Israel, vaticinatus esse legitur, et Iosaphat, Asae filium, regem Iuda, ob foedus cum Israel initum vituperavit; vitam suam protraxit usque post mortem Iosaphat, cuius annales conscripsit[4]. Praeter Iehu vero sub Iosaphat duo alii nominantur prophetae, *Iahaziel* filius Zachariae et *Eliezer* filius Dodau, quorum prior in bello ammonitico divinum auxilium promisit, alter interitum classis, quam Iosaphat praeparaverat, praedixit[5]. Longe celebriores sunt duo prophetae, qui eadem aetate per septuaginta fere annos continuos idololatriam in regno septemtrionali impugnaverunt : *Elias*, qui sub regibus Achab et Ochozia usque ad 1. annum regis Ioram nullis persecutionibus fractus cultum Baal destruere conatus est, et *Eliseus*, qui sub Ioram, Iehu, Ioachaz et Ioa, regibus Israel, contribules suos ad veri Dei cultum reducere studuit. Magnum numerum anonymorum prophetarum eadem aetate in regno Israel vixisse certum est; nam « quum Iezabel prophetas Domini occideret, Abdias, dispensator domus Achabi, tulit *centum prophetas* et abscondit eos quinquagenos in speluncis », atque *quinquaginta* « *filii prophetarum* » testes adstiterunt, quando

Elias atque Eliseus pallio suo aquas Iordanis diviserunt[6]; sed duorum tantum nomina referuntur, *Michaeae* filii Iemla in regno Israel, et *Zachariae* filii Ioiadae in regno Iuda. Tempore Amasiae, qui illo anno, quo Eliseus mortuus est, patrem suum Ioam in regno Iuda secutus est, *duo* commemorantur prophetae *anonymi*[7].

Sub Amasia autem vel saltem sub eius successore Ozia (Azaria) surgere coeperunt prophetae illi, qui scriptis libris vaticinia nobis transmiserunt. *Amos* « in diebus Oziae regis Iuda et in diebus Ieroboam filii Ioas regis Israel », *Osee* « in diebus Oziae, Ioatham, Achaz, Ezechiae regum Iuda et in diebus Ieroboam filii Ioas regis Israel » vaticinati sunt in regno Israel, atque eadem aetate vixit « *Ionas* filius Amathi » in eodem regno, quippe qui Ieroboamum (II.) filium Ioas « restituturum esse terminos Israel ab introitu Emath usque ad mare solitudinis » praedixerit[8]. Paullo tamen ante hos (sub Amasia) in regno Iuda *Abdias* et *Ioel* videntur floruisse[9]. Ultimo Oziae anno *Isaias* sublimi visione inauguratus est propheta munusque suum exercuit « in diebus Oziae, Ioathan, Achaz et Ezechiae » atque probabiliter etiam primis annis regis Manasse; paullo iunior est *Michaeas*, qui « in diebus Ioathan, Achaz et Ezechiae » super Samariam et Ierusalem vaticinatus est[10]. Coaevus illis fuit *Oded* propheta regni septemtrionalis, qui contribules suos adduxit, ut captivos, quos ex regno Iuda abduxerant, Ierosolyma remitterent[11]. Manasse regis aetate multi fuerunt prophetae, quorum nomina nobis non sunt tradita; ex iis, qui scripserunt, *Nahum* et *Habacuc* eius tempori a plerisque iure attribuuntur[12]. Multi quoque fuerunt sub eius nepote Iosia; magna auctoritate gavisa est *Holda* prophetis, quam consuluit rex de libro Legis in aerario reperto, sed longe celebrior *Ieremias,* qui 13. a. Iosiae regis missionem propheticam recepit et usque ad medium fere exsilium exercuit. *Sophonias* quoque Iosiae tempore vaticinatus est, *Baruch* fuit Ieremiae scriba sed ei supervixit, *Urias* filius Semei a rege Ioakim est interfectus[13]. Inter exsules vaticinati sunt *Ezechiel* et *Daniel;* reduces ex exsilio ad templum reaedificandum tempore Darii I. exhortati sunt *Aggaeus*, *Zacharias* aliique, quorum nomina latent; *Malachias* demum templo iam restaurato sub Artaxerxe I. reduces monuit, ut integram Legem observarent[14].

Inde a Nehemiae aetate usque ad S. Ioannem B., qui in virtute Eliae filiis Israel poenitentiam praedicavit viamque ante faciem Domini N. praeparavit, prophetia cessavit. Post Artaxerxem I. libros quidem multos esse conscriptos sed nullum amplius in canonem esse receptum « quia non amplius adesset indubitata prophetarum successio » testatur Fl. Iosephus; suis saltem temporibus non fuisse prophetam agnitum in Israel docent auctor 1. Mach. et Siracida[15]. Cuius cessationis rationes hae fere afferri possunt[16] : a.) Magnis calamitatibus, quas tamquam ido-

lolatriae suae poenas Israelitae sibi attraxerant, destructione templi, urbis, regni diuturnoque exsilio babylonico exstincta quasi erat eorum inclinatio ad idola ethnicorum veneranda atque suppressa eorum proclivitas ad ethnicorum hariolos consulendos; qui enim ante exsilium levissima sollicitatione victi ardentibus prophetarum sermonibus ab idololatria retineri nequiverant, post exsilium, licet in Lege observanda negligentes interdum essent, tamen ab ea non plane defecerunt neque persecutionibus haud levibus ad idolorum cultum adduci sese siverunt. b.) Porro illa revelationis pars, qua Iudaei maxime indigebant, ut Messiam sibi promissum cognoscerent, erat absoluta, ita ut magisterio inspirato, quod de novis dogmatis propositis iudicaret, non amplius indigerent; conservandae autem revelationi sufficiebant *scribae*, i. e. Legis doctores, quos inde ab Esdrae aetate apud Israelitas invenimus. Etenim prophetico spiritu cessante studium Legis in populo creverat atque tanto studiosiores legum divinarum videbantur multi, quanto olim fuerant in iis observandis inconstantiores. Unum autem adnotemus oportet, quo illa, quae de authentico prophetarum magisterio diximus, confirmari videntur. Intermedio scilicet illo tempore Malachiam inter et Christum exorta est, quae nunquam antea fuit in Israel, sectarum et sententiarum in rebus religiosis varietas et divisio. Prophetae inspirata sua et infallibili auctoritate divisiones omnes impedierant; scribarum vero auctoritas, quamvis magna et a piis accepta, prohibere non potuit, quominus traditiones male confirmatae invalescerent falsaeque legum interpretationes propagarentur. Unde factum est, ut tempore Christi in tres quatuorve sectas divisi essent Iudaei atque solo externo sacerdotii et synedrii vinculo uniti [17].

1. *Clem. Alex.* Strom. I. 21 (M. 8,869 sq.); *S. Epiphan.* fragm. (apud *Coteler.* Not in Canon. Apost. IV. 6); *Seder Olam* 21 (apud *Bartolocci* Biblioth. rabb. III. p. 457). Nomina eorum exhibet *Calmet.* Prolegom. in Proph. 2.

2. 1 *Reg.* 3,1 sqq.; 10,5 sqq.; 19,20 sqq. — 1 *Reg.* 22,5 sqq.; 2 *Reg.* 24,11 sqq. — 2 *Reg.* 7,1 sqq.; 12,1 sqq. 25; 3 *Reg.* 1,8 sqq. — 1 *Paralip.* 29,29; 2 *Paral.* 9,29.

3. 3 *Reg.* 11,29 sqq.; 12,15; 14,1 sqq. — 3 *Reg.* 13,1 sqq. — 3 *Reg.* 12,22 sqq.; 2 *Paral.* 12,5 sqq. — 2 *Paral.* 12,15; 13,22.

4. 2 *Paral.* 15,1 sqq. — 2 *Paral* 16,7 sqq.; — 3 *Reg.* 16,1 sqq.; 2 *Paral.* 19,2 sqq.; 20,34.

5. 2 *Paral.* 20,14 sqq. 37.

6. 3 *Reg.* 17,1-4 *Reg.* 2,13. — 3 *Reg.* 19,16; 4 *Reg.* 2,1-13,21. — 3 *Reg.* 18,4; 4 *Reg.* 2,3. 5. 7 sqq. cfr. 2 *Reg.* 20,13. 28. 35.

7. 3 *Reg.* 22,8 sqq. — 2 *Paral.* 24,20 sq. — 2 *Paral.* 25,7. 15.

8. *Am.* 1,1; — *Os.* 1,1; — *Ion.* 1,1; 4 *Reg.* 14,25.

9. De tempore, quo prophetae hi floruerint, accuratius dicemus *infra* 296. 303. 306.

10. *Is.* 6,1; 1,1; — *Mich.* 1,1.

11. 2 *Paral.* 28,9.

12. 4 *Reg.* 21,10; 2 *Paral.* 33,18. — De aetate prophetarum Nahum et Habacuc cfr *infra* 311. 313.

13. 4 *Reg.* 23,2. — 4 *Reg.* 22,14 sqq.; 2 *Paral.* 34,22. — *Ierem.* 1,1; cfr *supra* 99. — *Soph.* 1,1. — *Ierem.* 36,4 sqq.; *Bar.* 1,1 sqq. — *Ierem.* 26,20 sqq.

14. *Ezech.* 1,1 sqq.; 29,17; 40,1. — *Dan.* 1,1; 2,1; 10,1. — *Agg.* 1,1. — *Zach.* 1,1. — *Zach.* 8,9. — De Malachia cfr *infra* 321.

15. *Fl. Ioseph.* c. App. I. 8. — 1 *Mach.* 4,46; 9,27; 14,41; *Eccli.* 36,17 (text. gr. ἔγειρον προφητείας τὰς ἐπ' ὀνόματί σου).

16. Rationalisticam rationem affert *Winer* Bibl. Realwörterbuch II. p. 283: « Mit der neuen Ansiedlung der Juden in Palaestina verschwand der Prophetismus, wie denn schon die letzten Propheten ohne lebendige Begeistrung gewesen waren, und seit der Tempel wieder stand, wurde keine Stimme eines Sehers weiter vernommen, wenn schon man sich immer der Wiederkunft von Propheten getröstet. Die vorherrschende Verstandesbildung, welche die Juden aus dem Exil zurückbrachten, verbunden mit der dürftigen politischen Existenz, die fast jede Spur der alten Theokratie ausgetilgt sah, konnte dem Geiste nicht mehr Schwingen verleihen, und selbst die ideale Zukunft war ja so durchgebildet von den früheren Propheten herabgeerbt, dass eine Zeit, die sich nur in didactischer Poesie noch versuchte, dem Gemälde der messianischen Herrlichkeit keine neuen Farben geben konnte. So ganz untergegangen war die alte Begeisterung, dass selbst das Aufblitzen des makkabäischen Patriotismus nur militärische Grossthaten hervorrief. » Quae pauca, quum clarius, quam multae longae dissertationes, rationalisticam sententiam de prophetis prodant, adscribere non piguit.

17. Cfr *Calmet.* Proleg. in Proph. 2.

246. — Prophetarum, quos enumeravimus, duae classes apte distinguuntur, quarum prior antiquiores fere, qui usque ad Oziae (Azariae) circiter aetatem (i. e. ante initium saec. 8. a. Chr.) vixerunt, altera plerosque ex iunioribus complectitur[1]. Nulla quidem re inter se differunt, si solum eorum munus spectatur; cuncti enim divinae voluntatis erant interpretes a Deo ipso immediate electi et constituti; cuncti, utpote legum divinarum zelatores, omni vi conatuque populum ab idololatria avertere et in veri Dei cultu retinere studebant; cuncti scientia supranaturali instructi futura praedicebant et populum ad novum foedus praeparabant. At pro rerum temporumque differentia alio modo munere functi sunt antiquiores, alio modo iuniores.

Quae differentia maxime apparet, si Eliae et Elisei vitam consideramus, qui inter antiquiores praeclarissimi sunt. Toti in eo erant, ut coaevos suos ab idololatria revocarent aut in Lege retinerent; concionibus suis, quae quasi ignis ardebant (*Eccli.* 48,1), dura auditorum corda mollire conabantur, atque insignibus miraculis prodigiisque, quibus verbis suis fidem conciliabant, impios reges et magnates terrebant et puniebant, pios consolabantur et in veri Dei cultu confirmabant; multa quoque praedicebant, sed omnia post breve tempus eventura; de Messia autem eiusque regno nihil annuntiasse leguntur. Integra igitur eorum cura et opera in aetatis suae hominibus coercendis convertendisque sese continebat, ut eos dignos redderent, in quibus aliquando divina promissa implerentur; quapropter etiam conciones

vaticiniaque sua non scripserunt. Quibus similes fuerunt reliqui antiquiores, quos ad aequales suos corrigendos maxime esse a Deo missos tota eorum historia testatur. Ex illis aliqui regum quidem res gestas literis consignaverunt, ut posteris testimonio essent iustitiae ac misericordiae, qua Deus populum semper gubernavit et ad finem ei praestitutum adducere studuit; vaticinia autem, si forte nonnulla ab eis conscripta fuerint, conservata non sunt, quia, aeque ac reliquae eorum conciones, coaevis potius quam posteris erant destinata.

Verum quoniam nec primorum prophetarum monitis aut prodigiis nec minoribus calamitatibus a Deo saepius immissis filii Israel ad poenitentiam sunt adducti, sed cervicem suam induraverunt et peius operati sunt, quam patres eorum (*Ierem.* 7,26), ad graviores poenas erat deveniendum, quibus tandem fracti coram Domino Deo suo sese humiliarent atque ad divina promissa recipienda sese praepararent. Pro magna autem sua misericordia Deus poenas illas dudum antea voluit manifestare, ut una ex parte populo tempus concederet, quo poenitentia acta calamitates denuntiatas a se averteret, altera ex parte impediret, ne Israelitae in ethnicorum manus improviso et inopinato traditi de Domino Deo suo dubitare inciperent seque potius a fortioribus hostibus devictos quam a Deo suo punitos crederent. Itaque ab ineunte saec. 8. regno Israel captivitas assyriaca, regno Iuda destructio urbis sanctae templique et exsilium babylonicum praedicuntur. Atque iuniores prophetae, qui poenas has annuntiabant, vaticinia sua, quia non statim erant implenda, non tantum verbis sed etiam literis proponere iubebantur, ut et suae aetatis hominibus inservirent et posteris; utrisque enim erant destinata. Ne tamen gravissimis minis poenisque filii Israel ad desperationem adducti animos desponderent, sese a Deo suo prorsus reiectos putarent, de promissis, quae olim in patribus acceperant, implendis dubitarent, iuniores prophetae calamitates populo indictas cum poenis, quibus plectendae erant nationes ethnicae, quodam modo comparabant docebantque, interitura quidem esse omnia regna ethnica, quibus velut instrumentis ad Israelitas puniendos usurus esset Deus, reliquias vero Israel salvatum iri atque felicissima regni messianici tempora esse visuras. Quem in finem multa tradunt iuniores de futura ethnicarum gentium sorte, de qua antiquiores nunquam erant locuti, multo plura de Messia eiusque regno, cuius mentionem vix fecerant antiquiores. Neque enim posteros minus quam aequales suos in concionibus vaticiniisque proferendis scribendisque prae oculis habuerunt iuniores, atque hac praesertim ratione ab antiquioribus distinguuntur[2]. Suae aetatis homines futurarum calamitatum descriptione ad poenitentiam adducere aut in veri Dei cultu retinere studebant, posteros edocebant, quo animo calamitates illae dudum antea annuntiatae essent

recipiendae ac perferendae, ut promissa salute messianica digni fierent.

Antiquioribus prophetis omissis in hac dissertatione de solis illis iunioribus agemus, qui vaticinia sua scriptis libris nobis transmiserunt. Iudaei in suo canone quindecim prophetas numerant: Isaiam, Ieremiam, Ezechielem, duodecim Minores[3]; Danielis autem librum in tertia canonis parte inter hagiographa reponunt. Cui fundamento haec librorum distinctio innitatur, alibi diximus[4]. Prophetis proprie dictis enim accensent illos solos, qui *munere* prophetico instructi populares suos concionibus et exhortationibus ad divinorum praeceptorum observantiam adducebant; Daniel autem *gratia* quidem prophetica insignitus erat multaque et praeclara vaticinia de Messia ediderat, sed quum in aula regum ethnicorum degere coactus esset, *munere* prophetico fungi non potuerat. Attamen inde a primis fidei temporibus Ecclesia librum Daniel reliquis propheticis adiunxit iisque libellum quoque Baruch Threnosque Ieremiae addidit, quamvis priorem Iudaei canonicum non agnoscant, alteros inter Hagiographa habeant. De septemdecim igitur nobis agendum est prophetis, qui in *maiores* et *minores* vulgo distinguuntur. Cuius distinctionis rationem non in maiore minoreve eorum auctoritate vel gravitate, sed in vaticiniorum, quae reliquerunt, prolixitate maiore vel minore quaerendam esse iam docuerunt Patres. « Propterea, inquit *S. Augustinus*, dicuntur *minores*, quia sermones eorum sunt breves in eorum comparatione, qui *maiores* ideo vocantur, quia prolixa volumina condiderunt ». Revera « Isaiam duodecim prophetis iuxta numerum versuum aut aequalem esse aut maiorem » monuit *S. Hieronymus*, ceterum « in duodecim prophetis tam mira et tam grandia ferri, ut nescias, utrum brevitatem sermonum in illis admirari debeas, an magnitudinem sensuum »[5].

Secundum temporis, quo munere suo functi sunt, rationem in varias classes a variis distribuuntur. Alii enim eos, qui *assyriaci imperii aetate* vaticinati sunt (Isaias et septem priores ex Minoribus), a prophetis *periodi chaldaicae* (Habac., Sophon. Ierem. et Bar., Ezech., Dan.) et a prophetis *periodi persicae* (Agg., Zach., Mal.) satis apte distinguunt[6]. Minus apte alii *anteexsilicos*, *exsilicos* et *postexsilicos* discernunt; duae enim priores classes aegre secernuntur, siquidem nonnulli prophetae munus suum iam ante exsilium inchoarunt et tempore exsilii continuarunt, ita ut ab aliis interpretibus duo soli exsilici (Ezech. et Dan.), ab aliis parum recte quinque (Sophon., Ierem., Bar., Ezech., Dan.), ab aliis plane erronee septem (Nah., Habac., Sophon., Ierem. [et Bar.], Ezech., Dan.) agnoscantur[7]. Alii in quatuor classes omnes distribuunt, quatenus aut *ante interitum regni septemtrionalis* munere functi sint (Isaias et sex priores ex Minor.), aut *tempore intermedio inter regni*

*utriusque destructionem* (Nah., Habac., Sophon., Ierem.), aut *tempore exsilii* (Bar., Ezech., Dan.) aut *post exsilium* floruerint[8]. Alii quinque classes facere malunt; primae inserunt illos, quos *ante aetatem assyriacam* vixisse putant (Abd., Ioël, Ion., Am., Os.), secundae prophetas *aetatis assyriacae* (Is., Mich., Nah.), tertiae prophetas *aetatis chaldaicae* (Sophon., Ierem., Bar., Habac., Ezech.), quartae *exsilicos* (Ierem., Ezech., Dan.), quintae *postexsilicos*[9]. Alii alio modo. Quae distinctiones omnes non tantum satis incertae sunt, quoniam nonnullorum prophetarum aetas vix aut ne vix quidem cum certitudine definitur, sed explicationi et interpretationi quoque librorum parum inserviunt. Quapropter illis omissis eum ordinem sequemur, quo prophetae in Vulgata nostra dispositi sunt; quae primo loco quatuor maiores nobis exhibet secundum temporis, quo vixerunt, ordinem dispositos, atque deinde minores, qui semper uno volumine (τὸ δωδεκαπρόφητον) erant comprehensi[10], et in quibus disponendis etiam temporis ratio quaedam habita est[11].

1. Cfr *Zschokke* Theologie der Propheten p. 348 sq.; *Eiusdem* Hist. sacr. A. T. p. 249. *Haneberg* Gesch. der bibl. Offenbarg. p. 277 sqq.; *Kaulen* Einl. Ed. 3. p. 349 etc. — Ex protestanticis conferri possunt *Delitzsch* Der Proph. Isaias. Ed. 2. p. XVIII.; *Keil* Einleitung p. 234; *Dillmann* in Schenkel Bibellexicon IV. p. 617 sqq.

2. Cfr *S. August.* Civ. Dei XVIII. 27 (M. 41,584) : « Quum prophetae nunquam fere defuissent populo Israel, ex quo ibi reges fuerunt, in usum tantum eorum fuere, non gentium : quando autem ea scriptura manifestius prophetica condebatur, quae gentibus quandoque prodesset, tunc oportebat inciperet, quando condebatur haec civitas (Roma), quae gentibus imperaret ». Isaias munus propheticum accepit paucis (quinque vel sex) annis post conditam Urbem; aliqui ex Minoribus paullo sunt antiquiores; reliqui omnes sunt iuniores.

3. Hoc ordine, qui in Bibliis hebr. impressis invenitur, iam antiquos Hebraeos prophetas disposuisse constat ex *S. Hieron.* (Prol. gal.), immo iam ex *Eccli.* 48,25-49, 12, qui hoc ordine laudat prophetas : Isaiam, Ieremiam, Ezechielem, duodecim Minores. — Thalmudici tamen alium praetulerunt, qui in codicibus hebr. Iudaeorum germanicorum observatur : Ieremias, Ezechiel, Isaias, Minores. Quo ordine hodie multi abutuntur, ut erroneam suam sententiam de iuniore Deutero Iesaia, cui altera pars vaticiniorum Isaiae (40.-66.) debeatur, confirment (*Bleek Wellhausen* Einl. p. 355, *Hitzig* in Schenkel Bibellex. III. p. 251, *Reuss* Gesch. des Alten Test. p. 427, *Strack* Einl. Ed. 4. 1895. p. 84, *Cornill* Einl. Ed. 3. 1896. p. 162 etc.). At huius ordinis ratio in eo recte quaeritur, quod rabbini, quum I. Regum, quem inter priores propheta. ultimo loco habent, eadem narratione, qua librum Ieremiae, terminari viderent (4 *Reg.* 24,18-25,30 et *Ierem.* 52,1-30) atque libros Regum etiam Ieremiae auctori adscriberent (*supra* 99; tom. I. p. 293 sqq.), duo opera, quae tam arcto nexu inter se coniuncta esse videbantur, separare noluerint. Quapropter Ieremiae primum locum inter prophetas posteriores attribuerunt, ut duas secundae partis sectiones arctiore vinculo coniungerent. Ieremias autem et Ezechiel aequales fuerant ideoque non videbantur separandi; Ezechieli igitur secundum locum attribuerunt, Isaiae tertium reliquerunt, quoniam hac ratione ad ordinem chronologicum, quem in disponendis primae sectionis libris secuti erant, potuerunt reverti; Isaias enim sub iisdem regibus

vaticinatus erat, sub quibus Osee, qui Minorum agmen ducit; aptius igitur immediate ante Minores, quam medius inter Ieremiam et Ezechielem poni videbatur. Simili ratione rem explicat *Marx* (Traditio rabbinorum veterrima de librorum V. T. ordine et origine. Lipsiae 1884. p. 34 sqq.). Thalmudici ipsi (Baba bathra 15 a) haec de ordine suo tradunt : « Nonne Isaias Ieremiae et Ezechieli praecedit aetate? Primo igitur ponendus est in loco. — Quia Regum liber desinit in vastationem et Ieremias omnis est vastatio, Ezechiel autem incipit a vastatione et desinit in consolationem, Isaias denique omnis est consolatio, ideo coniungimus vastationem cum vastatione et consolationem cum consolatione ». Quae explicatio quid valeat, cfr *Marx* l. c.

4. Cfr *Introd. gener.* Ed. 2. 1894. n. 15. p. 31 sqq.

5. *S. August.* Civ. Dei XVIII. 29 (M. 41,585); *S. Hieron.* In Isaiam Prol.; in ep. ad Philem. Prol. (M. 24,22; 26,638.)

6. Cfr *Vigouroux* Manuel biblique II. p. 478. — Quomodo aliqui « critici » libros propheticos, quos genuinos agnoscunt, fragmentaque prophetica, quae a libris nostris discerpunt, in has classes distribuant cfr apud *Schenkel* Bibellexicon IV p. 622 sq.

7. Cfr *Zschokke* Hist. sacr. A. T. p. 257; ex protestanticis *Küper* Das Prophetenthum des A. B. Leipzig 1870. p. 141 sqq. 292 sqq. 399 sqq.; *Smith* Dictionary of the Bible. II. p. 958.

8. Cfr *Reusch* Einleitung p. 85 sqq.

9. Cfr *Trochon* Introduction générale aux Prophètes. Paris 1883. p. XXXIV. Cur Osee periodo anteassyriacae, Isaias autem, qui sub iisdem regibus vaticinatus est, periodo assyriacae adscribatur, aut cur Ezechiel, qui a. 5. post suam transportationem munus propheticum accepit, et Baruch ante exsilium ponantur etc., ignoramus. *Schegg* quoque (Geschichte der letzten Propheten. Regensburg 1853.) quinque classes distinguit nescio quo fundamento nixus : I. Aeltere Prophetenreihe (Ionas); II. Jüngere Prophetenreihe. 1. Epoche (Am., Abd., Ioel, Osee), 2. Epoche (Mich., Isaias, Nah., Sophon., Habac.), 3. Epoche (Ierem., Ezech.); III. Jüngste Prophetenreihe (Agg., Zach., Mal.). Omittuntur Baruch et Daniel.

10. Cfr *Melit. Sard.* ep. ad Ones. (Euseb. H. E. IV. 26. M. 20,397) : τῶν δώδεκα ἐν μονοβίβλῳ; *S. Hieron.* Prol. gal. « liber duodecim prophetarum »; ad Paul. ep. 53,8. (M. 22,546); *S. Epiph.* haer. 8,5 (M. 41,214) etc.

11. De ordine Minorum *infra* (296) dicemus.

## § 3. — *De libris propheticis eorumque dictione.*

247. — Quae iuniores prophetae tamquam divini interpretes coram populo et regibus viva voce annuntiabant, ea literis quoque mandabant, ut posteris inservirent aeternoque essent testimonio. Raro quidem legimus Deum disertis verbis praecepisse, ut verba sua conscriberentur[1]; at omnes libros propheticos non nisi ex impulsu Spiritus S. esse exaratos, demonstratione vix indiget. Eadem enim ratione, qua in loquendo vel tacendo, etiam in scribendo prophetas a Deo dependisse, quis dubitabit? Et quomodo Isaias librum suum « librum Domini » appellare potuit, nisi totus fuit ex Dei inspiratione?[2] Plerumque procul dubio conciones suas postquam eas coram populo habuerunt, literis mandarunt; Ieremias « omnia verba, quae adversum Israel et Iuda et adver-

sum omnes gentes Deus ei locutus erat » toto tempore, quo functus erat munere suo, « ex diebus Iosiae (i. e. ab a. 13. Iosiae) usque ad diem hanc » (i. e. usque ad a. 4. Ioakim) scribere iussus est; facile autem intelligitur, eum non omnes integrasque conciones, quas viginti tribus annis habuerat, iisdem verbis conscripsisse, quibus eas dixerat, sed earum summam quandam, vel si mavis compendium quoddam, literis consignasse[3]. Simili autem modo reliquos prophetas saltem aliquoties egisse, libri eorum demonstrant; quin etiam illa, quae de libello Osee recte adnotat *Knabenbauer*, de plerisque libris propheticis magis minusve valent: « Ipsa, inquit, inscriptionis ratio, qua temporis spatium sat longum exprimitur, in subsequentibus summa tantum capita argumentorum et sermonum ab Osee habitorum per modum compendii nobis proponi ostendit; idque dicendi genere, quod plerumque uti quam maxime concisum est ita plane rebus et sensibus turgidum atque fecundum, egregie confirmatur. Quis enim putaverit sermones adeo rebus et cogitationibus refertos adeoque intellectu difficillimos plebeculae ita a propheta esse propositos, uti eos literis consignavit? Sed quae per multos annos fusiore oratione ac planiore docuerat, ea demum in compendium redacta popularibus reliquit »[4]. Hac fere ratione plerosque ex Minoribus libros suos composuisse tantum non certum est; sed Maiores quoque interdum illa, quae longiore quodam tempore multis concionibus repetierant, summatim comprehendisse atque forte etiam separatis libellis propagasse Ieremiae exemplum nos docet. Licet enim illud volumen, quod scribae suo Baruch dictasse refertur, in nostro canonico libro non sit conservatum, dubium tamen vix est, quin viginti quatuor priora capita libri non sint nisi compendium orationum, quibus per plus viginti annos vitia populi sui castigavit. Alterum exemplum praebent *Is.* 2-5, quibus propheta illa comprehendisse recte statuitur, quae regno Ioatham i. e. sedecin (vel sex) annis vaticinatus est.

Neque tamen eadem est omnium propheticorum librorum aut pericoparum ratio. Alia quidem literis mandarunt prophetae, postquam ea pro concione dixerant, sed alia statim esse conscripta neque unquam viva voce publice annuntiata facile apparet. Quo non tantum historicae narrationes pertinent (sive longiores, uti integer libellus *Ionae*, *Is.* 36.-39., *Ierem.* 36.-43. 52., *Dan.* 1.-6., sive breviores, quae elucidationis gratia multae sunt concionibus praemissae vel insertae), aut epistolae (*Ierem.* 29; *Bar.* 6), aut pericopae illae, quae concionis forma prorsus carent (*Is.* 6; *Dan.* 7. sqq.), sed etiam non pauca, in quibus concionis forma quidem est conservata, sed quorum argumenta concionibus coram populo habendis parum videntur esse adaptata. Pleraque vaticinia minacia, quibus prophetae ethnicas gentes alloquuntur (*Nah.*, *Is.* 13. sqq.; *Ierem.* 46. sqq. etc.), vix crediderim unquam publice esse

dicta; ultima quoque pars Isaiae (40.-66.), ultima capita Ezechielis (40,-48.), aliaque similia eandem videntur originem habere.

1. *Is.* 8,1; 30,8; *Ierem.* 30,2 sq.; 36,2 sq.; Hab. 2,2 sq.

2. *Ezech.* 3,25 sqq. — *Is.* 34,16. Propter hanc suam omnimodam in loquendo et scribendo dependentiam a divino Spiritu prophetae a Patribus comparantur instrumentis musicis, quae a Spiritu S. inflantur vel pulsantur, aut speculo purissimo, quod imaginem immissam accurate repercutit. Cfr *S. Athenag.* Legat. pro Christ. 9 (M. 6,908) : « Prophetae in exstasi moti a Spiritu divino ea, quae in illis fiebant, pronuntiabant, quum Spiritus eis uteretur, sicut tibicen tibiam inflat »; *S. Iustin.* Cohort. ad gent. 8 (M. 6,256 sq.); *S. Basil.* In Is. Prooem. 3 (M. 30,122) : « Quomodo prophetabant purae ac pellucidae animae? Scilicet divinae operationis specula quaedam facta imaginem integram inconfusamque neque ulla ex parte carnis affectibus turbatam repraesentabant ».

3. *Ierem.* 36,2. Quando Ieremias « omnia verba », quae eo usque locutus fuerat, scribere iubetur, non eum fuisse praecepti sensum, ut omnes et singulos sermones, quos habuerat, fuse conscriberet, sed ut eorum summarium conderet, evidenter elucet ex eo, quod quum rex Ioakim priorem librum a Baruch ex ore Ieremiae conscriptum combussisset, propheta alterum exemplar eorundem sermonum dictaret adderetque « *sermones plures, quam antea fuerant* » (Ier. 36,32).

4. *Knabenbauer* Comm. in Proph. Min. I. p. 20.

248. — Ex hac, quam descripsimus, librorum propheticorum origine explicatur, cur in illis accurata immo interdum artificiosa quaedam partium dispositio dicendique genus quoddam comptum et ornatum plerumque inveniantur; in concionibus enim ex tempore habitis accuratus ordo atque styli elegantia fere deesse solent. Quemadmodum autem minores prophetae versus vitae finem conciones suas per multos annos habitas in epitomen quandam ita redegerunt, ut maxima cum fidelitate summam eorum, quae dixerant, referrent, in iis autem proponendis et disponendis certa quadam libertate uterentur, ita maiores quoque ante suam mortem vaticinia, quae variis temporibus conscripserant, collegerunt aliisque additis secundum certum consilium magna cum arte digesserunt[1].

Unus ex antiquissimis (*Ionas*), quatuor ex recentissimis prophetis (*Ezech.*, *Dan.*, *Agg.*, *Zach.*) nulla inscriptione praemissa libros suos historico fere modo inchoant. Neque id mirum est in Ionae libello, quippe qui historicis apte adnumerari queat, atque prior quoque pars libri Danielis ad historicum genus pertinet. Tres alios autem prophetas, quum a praedecessorum suorum more recedentes a temporis, quo primam suam visionem habuerunt, definitione opera sua inchoarent, insinuare voluisse arbitramur magnam rerum mutationem, quae successerat. Neque enim amplius sub regibus theocraticis munere suo functi sunt, sed Ezechiel « anno 5. transmigrationis regis Ioachim » inauguratus est propheta, atque ad Aggaeum et Zachariam « anno 2. regis Darii factum est verbum Domini ». Reliqui libris suis titulum prae-

miserunt, quo divinam eorum originem testantur. *Isaias* et *Abdias* eos nominant « Visionem », *Ieremias*[2], *Osee*, *Ioel*, *Michaeas*, *Sophonias* « Verbum Domini, quod factum sit ad se », *Amos* utrumque titulum quasi coniungit : « Verba Amos, quae vidit », *Nahum*, *Habacuc*, *Malachias* una cum divina origine etiam indolem operum suorum manifestant : « Onus[3] Ninive; liber visionis Nahum », « Onus, quod vidit Habacuc », « Onus verbi Domini ad Israel ». Sicut titulis integra opera, ita iisdem aut similibus inscriptionibus partes quoque eorum ad Deum auctorem referunt modumque aut tempus indicant, quo a Deo revelationes suas receperunt[4]. « Neque enim voluntate humana allatam esse prophetiam, sed a Spiritu S. inspiratos sese locutos esse » singulis fere paginis asserunt prophetae nostri.

Quomodo Deus sese prophetis revelaverit, ipse nos docet : « Si quis fuerit inter vos propheta Domini, *in visione* apparebo ei, vel *per somnium* loquar ad illum »; soli Moysi « ore ad os locutus est », sicut solet homo loqui ad amicum suum eique soli altiorem quandam et sublimiorem (licet non intuitivam) maiestatis suae visionem concessit[5]. Quamvis haud frequenter somniis Deus hominibus sese manifestaverit atque somnia prophetica inter Spiritus S. dona recenseantur[6], unam dumtaxat in omnibus propheticis libris legimus revelationem, quae prophetae ipsi per somnium facta sit (*Dan.* 7,1 sqq.); somnia autem falsis prophetis potius attribuuntur[7]. Ordinarius igitur modus, quo illustrati sunt prophetae, fuit visio, id quod etiam nomina ipsa prophetarum (*Roëh* et *Chozeh : Videns*), inscriptiones librorum vel pericoparum frequentesque prophetarum assertiones demonstrant[8]. De visione eiusque speciebus accurate agere nostrum non est[9]; pauca dumtaxat adnotamus, quibus aliqua, quae dictioni descriptionique propheticae sunt propria, facilius explicantur. Triplex visionis species videtur distinguenda[10]. Interdum enim sensibus externis obiectum percipiendum offerebatur. Uti olim Moyses oculis suis rubum ardentem viderat et Abrahamo, « quum elevasset oculos suos, apparuerant tres viri stantes prope eum », ita etiam Daniel oculis suis vidit scripturam in pariete digestam atque angelum Gabriel, qui visionem antea habitam ei explicavit, auribus suis audivit[11]. Frequentior est visio, qua sensibus internis formae quaedam imaginariae imprimuntur. Hac ratione Isaias maiestatem divinam throno insidentem circumdatamque a Seraphim videtur vidisse, Ezechiel Dominum super Cherubim invectum, Amos Dominum stantem in muro lito etc. [12]. Quo etiam pertinent imagines symbolicae, quas se vidisse testantur prophetae : Ezechiel librum scriptum intus et foris, quem devorare iubetur, campum plenum ossibus mortuorum quem perambulat, novum templum, novam civitatem et terram sanctam, Ieremias virgam amygdali, ollam accensam ab aqui-

lone, duos calathos plenos ficis, Zacharias quatuor cornua, quae ventilaverunt Iuda et destruuntur a quatuor fabris, candelabrum aureum cum septem lucernis etc. [13]. Interdum Deus menti imprimit species intelligibiles lumineque supranaturali intellectum ita elevat et illustrat, ut capax reddatur videndi mysteria divinae providentiae cognoscendique normas et regulas, secundum quas Deus mundum gubernat omniaque ad finem praestitutum dirigit [14]. Omnes has species iisdem vocibus designant prophetae, ut haud raro difficile sit dictu, ad quamnam pertineat visio aliqua, utrum ex. gr. Daniel angelum Gabriel sub forma visibili oculis suis spectaverit, an eum in visione solo sensu interno viderit et audierit etc. De eadem quoque visione sine ullo discrimine utuntur verbis videndi et audiendi; prophetae « loquuntur visionem » et « vident verbum » [15]; id unum enim volunt docere, se ex sola divina revelatione immediata hausisse omnia illa, quae proloquuntur, ita ut sua verba vere et proprie sint verba divina. Deus enim ponit « verba sua in ore prophetae », atque veri prophetae « ex ore Domini loquuntur », « Dominus est qui per eos loquitur », et qui eos audit, Dominum audit [16].

1. Num statuendus sit « redactor » quidam recentior, qui Isaiae aut Ieremiae etc. vaticinia collegerit ot digesserit, infra inquiremus.

2. Secundum Hebr., Vulg., Syr., Chald. inscriptio quidem Ieremiae est. « Verba Ieremiae... ad quem factum est verbum Domini » (Ier. 1,1. 2); genuina autem videtur inscriptio, quam exhibet *Alex.* « τὸ ῥῆμα τοῦ θεοῦ ὃ ἔγενετο ἐπὶ Ἰερεμίαν κτλ.; *sibi* enim prophetae verba attribuère non solent. Solus *Baruch* librum suum inscripsit : « Haec verba libri, quae scripsit Baruch », forte quia maior libelli pars est precatio quaedam a Baruch composita, qua Israelitae exsules divinam misericordiam efflagitant (1,15-3,8) et epistola Ieremiae (Barucho dictata?) ad captivos in Babyloniam abducendos (6,1 sqq.).

3. Ita vertit *S. Hier.* hebr. מַשָּׂא, ut « tristem et onerosam prophetiam » significaret. Nam « *Massa*, inquit, nunquam praefertur in titulo, nisi quum grave et ponderis laborisque plenum est quod videtur », atque « Verbum hebraicum *Massa* vel onus vel pondus intelligi potest; et ubicunque propositum fuerit, minarum plena sunt, quae dicuntur » (In Habac. Prol.; in Is. 13,1. M. 25,1335; 24.159). Semel tantum a *S. Hier.* vocabulum vertitur *visio* (*Prov.* 33,1). Reliqui antiqui interpretes in eo reddendo sibi non constant. *Alex.* illud reddunt aut ὅρασις vel ὅραμα (*visio Is.* 13,1; 15,1; 19,1; 21,1. 11; 22,1; 23,1; 30,6) aut ῥῆμα (*verbum* Is. 14,28; 17,1) aut λῆμμα (*assumtio* vel forte potius *acceptum* [sc. a Deo] verbum [a]. *Is.* 21,13; *Nah.* 1,1; *Hab.* 1,1; *Zach.* 91,1; 12,1) aut φορτίον vel βάσταγμα (*onus Is.* 44,1; *Ierem.* 17,21 etc.). *Syrus* vertit apud Isaiam fere semper שׁקולתא (*onus*), sed etiam פתגמא (*sermo Ierem.* 23, 33; *Zach.* 9,1) aut מחותא (*plaga Nah.* 1,1) aut חזוא (*visio Hab.* 1,1; Zach. 12,1;

(a) Graeci Patres λῆμμα explicant aut τῆς διανοίας τὴν λῆψιν καὶ τὴν ἀπὸ τῶν ἀνθρωπίνων μετάθεσιν· ληφθεῖσα γὰρ ὑπὸ τοῦ θείου Πνεύματος ἡ διάνοια (Ναοὺμ) προεῖδε τὰ τῇ Νινευὶ συμβησόμενα (*Theodoret.* in Nah. 1,1. M. 81,1789), aut τὴν ληφθεῖσάν τε καὶ προκειμένην προφητείαν (*S. Cyr. Alex.* in Nah. 1,1 M. 71,777). Parum placet *Sanctii* interpretatio, qui *lemma* apud Martialem « titulum et argumenti summam » designare monet; genitivus enim additus « Babylonis » « Ninive » etc. in hanc significationem non quadrat.

Mal. 1,1); *Chaldaeus* quoque fere semper מַטַּל, *onus*, sed etiam נְבוּאָה, *vaticinium* (*Ier.* 23,33). Inter modernos duae praecipuae sunt sententiae; omnes vocabulum derivant a rad. נָשָׂא (*sustulit*); quoniam vero נָשָׂא קוֹל significat *extulit vocem*, *clamavit*, plerique eandem significationem attribuunt soli verbo נָשָׂא ad *Exod.* 20,7 provocantes (לֹא תִשָּׂא אֶת־שֵׁם־יהוה אֱלֹהֶיךָ לַשָּׁוְא « ne assumas nomen Domini Dei tui in vanum », « ne pronunties nomen » etc.) atque vocabulum *Massa* vertunt *effatum*, *sermo*, ῥῆμα. At ex *Exod.* 20,7 minime sequitur, solum verbum נָשָׂא idem esse ac *pronuntiare*, nec aliud certum exemplum affertur, in quo hanc significationem habeat. Quare rectius sentiunt illi, qui ei tribuunt sensum *oneris*, qui immediate a rad. נשׂא fluit atque vocabulo competere ex *Ierem.* 23,23 sqq. demonstratur. Cfr *Reinke* Der Prophet Malachi. Giessen 1856. p. 153-166; *Knabenbauer* Comm. in Proph. Min. II. p. 7 sq. etc.

4. Cfr *Is.* 2,1; 6,1; 7,1-3; 14,28; 20,1. 2 etc. *Ierem.* 2,1; 7,1 etc. Frequentissime postposito aut inserto aut (rarius) praemisso נְאֻם יי *effatum Domini*, quae expressio de solis oraculis divinis usurpatur, verba ad Deum referuntur; Ieremias circiter *centies septuagies* formula hac utitur; vix minus frequenter ab Ezechiele adhibetur formula נְאֻם אֲדֹנָי; Amos quoque et Zacharias eam amant, rarior est apud reliquos. *S. Hier.* eam plerumque vertit « *dixit Dominus* ». « Quod autem in prophetis crebro dicitur : *haec dicit Dominus*, propterea semper infertur, ne contemnantur quasi verba prophetarum, sed admoneantur iugiter Dei esse sermones quos loquuntur » (*S. Hier.* in Ierem. 23,24. M. 24,858).

5. *Num.* 12,6 sqq.; *Exod.* 33,11. 20 sqq.

6. *Gen.* 28,12; 31,11; 37,5. 9.; 3 *Reg.* 3,5 etc. — Etiam ethnicis dabantur somnia prophetica, eorum tamen interpretatio ab Israelitis plerumque petebatur (Somnia Pharaonis, Nabuchodonosor). — *Ioël* 2,28; *Act.* 2,17.

7. *Ierem.* 23,27 sq.; 29,8; *Zach.* 10,2.

8. Cfr ex. gr. *Is.* 1,1 « Visio, quam vidit »; 2,1 « verbum, quod vidit »; 6,1 « vidi Dominum sedentem »; 13,1 « onus Babylonis, quod vidit »; 21,3 « conturbatus sum, quum viderem », etc.; *Ierem.* 1,11. 13 « Quid tu vides, Ieremia? » etc.; *Ezech.* 1,1 « Vidi visiones Dei » etc. etc. Quinque nominibus utuntur : מַרְאָה, חִזָּיוֹן, מַחֲזֶה, חָזוּת, חָזוֹן, quibus propheticam visionem designant.

9. *S. Chrysost.* In Is. 1,1 (M. 56,14) : « Quomodo haec, quae vident prophetae, videant, dicere nostrum non est; visionis quippe modum non possumus explicare, sed ille solus clare novit, qui experientia didicit. Etenim si naturae opera et affectus saepe nemo explicare potest, multo minus modum operationis Spiritus. Quod si obscuris imaginibus audacter quis id aggredi possit, non certe ita poterit, ut clarum id reddat, sed in aenigmate id efferet ».

10. Cfr *S. Thom. Aq.* Summ. theol. II. 2 qu. 173 a. 2. eiusque interpretes i. h. l. — Ex recentioribus interpretibus cfr *Reinke* Beiträge II. p. 33 sqq., *Zschokke* Theologie der Propheten p. 364 sqq., *Knabenbauer* Der Prophet Isaias p. 8 sqq., *Vigouroux* Manuel bibl. II. p. 461 sqq. etc.

11. *Exod.* 3,2 sqq.; *Gen.* 18,2 sqq.; *Dan.* 5,25, 8,15 sq.; in quo altero loco omnino videtur distinguendum inter visionem antea narratam 8,3 sqq., et realem angeli apparitionem 8,15.

12. *Is.* 6,1 sqq.; *Ezech.* 1,3 sqq.; *Am.* 7,7 sqq.

13. *Ezech.* 2,9 sqq.; 37,1 sqq.; 40,4 sqq.; *Ierem.* 1,12. 13; 24,1 sqq.; *Zach.* 2,1 sqq.; 4,2 sqq. etc.

14. Utrum visiones hae cum exstasi coniunctae fuerint cfr *S. Thom.* Summ. II. 2. qu. 173. a. 3. — Patres post Montanismum exortum interdum ita loquuntur, ac si omnem exstasin prophetarum negarent, at solam falsam illam negarunt, quam Montanistae suis mulierculis attribuerunt quaeque similis fuit furori, quo pythia delphica ethnicique divinatores agitabantur. *Tertull.* (c. Marc. IV. 22. M. 2,413) exstasin montanisticam explicat *amentiam*, Miltiades autem recte eam vocat παρέκστασιν, « falsam exstasin, quae a voluntaria imperitia initium sumat, sed in involuntariam amentiam (εἰς ἀκούσιον μανίαν) desinat » (apud *Euseb.* H. E. V. 17. M. 20,473). Hanc ob causam id semper inculcant Patres, prophetam in suis visionibus sui conscium suique compotem esse neque libertate aut ratione fuisse privatum. « Neque enim, inquit *Origenes* (in Ezech. hom. 9,1 M. 13,739), uti quidam suspicantur, *mente excidebant* prophetae et *ex necessitate spiritus* loquebantur » [a]. Simili modo *S. Basilius M.* (In Is. Prooem. 5. Cfr In Is. 13,1 M. 30,125. 565) : « Sunt qui dicant eos in exstasi (ἐξεστηκότας) prophetare humana mente a Spiritu absorpta (ἐπικαλυπτομένου). Verum id abhorret a professione divinae praesentiae, ut amentem (ἔκφρονα) reddat eum, qui a numine corripitur, et a sua ipsius mente excidat (καὶ τῆς οἰκείας ἐξίστασθαι διανοίας), quum plenus divinarum doctrinarum esse coeperit, et ex propriis sermonibus non proficiat, quum aliis praebeat utilitatem ». Cfr etiam *S. Chrys.* In Ps. 44; in 1 Cor. hom. 29, 2 (M. 55,184; 61,242); *S. Epiph.* haer. 48,2. 3 (M. 41,857 sq.); *S. Hier.* In Is. Prol.; in Nah. Prol.; in Eph. 3,2 (M. 24,19; 25,1292; 26,510). Solam igitur illam exstasin prophetis negant, quae fit « cum aliqua inordinatione naturae, sicut in subreptitiis et furiosis » (*S. Thom.* l. c.); prophetarum vero exstasin *S. Augustinus* ubique definit « mentis alienationem *a sensibus corporis*, ut hominis spiritus divino Spiritu assumtus capiendis atque intuendis imaginibus vacet » vel « alienationem mentis a sensibus corporis, ut spiritui quod demonstrandum est demonstretur » (*S. Aug.* Ad Simplic. II. qu. 1,1; Ennar. in Ps. 67 n. 36; cfr de Gen. ad liter. XII. 12. 19; Serm. 52,6 etc. M. 40,130; 36,834; 34,464. 470; 38,360). Prophetas eorum, quae in visionibus perceperunt, conscientiam habuisse evidens est, siquidem ipsi illa postea manifestarunt. Alia est quaestio, num etiam visiones suas plene intellexerint; quam negandam esse docet 1 *Petr.* 1,10 sqq. « Quia mens prophetae, inquit *S. Thomas* (l. c. a. 4) est instrumentum deficiens, etiam veri prophetae non omnia cognoscunt, quae in eorum visis aut verbis aut etiam factis Spiritus S. intendit ».

15. « *Verbum*, quod *vidit* Isaias » (2,1); « Super custodiam meam stabo... et *contemplabor*, ut *videam* quid *dicatur* mihi » *Hab.* 2,1 (in quae verba *S. Hier.* M. 25, 1251 : « Sed et hoc notandum est ex eo quod dixerat : *ut videam quid loquatur in me*, propheticam visionem et eloquium Dei non extrinsecus ad prophetam fieri, sed intrinsecus et interiori homini respondere »; nam « humanus sermo ab extra primum *aures* circumstrepens dein ad mentem pervenit; divinum vero eloquium intus fit mentisque sensum ferit »); « visio nuntiata est » *Is.* 21,2; « *Visio* Abdiae : Haec *dicit* Dominus », *Abd.* 1,1 etc.

16. Cfr *supra* 244 n. 17 p. 280 et *Zschokke* l. c. p. 363 sq.

249. — Quibus praemissis de dictione prophetica nonnulla trademus. Prophetae Dei fuerunt legati eum in finem ad populum missi, ut concionibus exhortationibusque divinitus inspiratis pios in lege retinerent, impios ad eam revocarent, omnes ad novam Legem recipiendam prae-

(a) Ita ex versione S. Hieronymi, qui haec verba in Catenis conservata reddere voluisse videtur : .Οὐκ ἐξιστάμενοι οἱ προφῆται προεφήτευον τῷ λαῷ, ἀλλ' ἐν τῇ φύσει ἑστάμενοι καὶ ἐκόντες καὶ εἰδότες ὑπούργουν τῷ πρὸς αὐτοὺς γενομένῳ λόγῳ.

pararent. Oratorio igitur dicendi genere pro munere suo usi sunt, ita tamen ut ad poeticum genus haud raro proxime accedant. « Est enim finitimus oratori poeta... multis ornandi generibus socius ac paene par »[1]. Quanto vero distet dictio mere prosaica a prophetico dicendi genere, facile deprehendes, quamprimum pericopas illas, in quibus historicos agunt prophetae (*Is.* 36.-39.; *Ier.* 26. 36.-41. etc.), cum eorundem concionibus comparaveris. Quae non tantum omnibus illis tropis et figuris (metaphoris, allegoriis, parabolis etc.), quibus poetae dictionem suam exornant, conspicuae sunt, sed etiam poeticum membrorum parallelismum frequenter exhibent; immo nonnullae pericopae iusta sunt carmina. Quapropter quae de rhythmica carminum hebraicorum structura deque dictione poetica tradidimus, pleraque in propheticis quoque libris explicandis sedulo prae oculis sunt habenda, id quod ex exemplis ibi allatis satis apparet (162. 168. p. 4 sqq. 30 sqq.).

Alteram autem dictionis propheticae proprietatem consideremus oportet. *Obscuram* eam esse, praecipue in vaticiniis proprie dictis, Patres iam conquesti sunt omnesque, qui libris propheticis studium impendunt, conqueruntur[2]. Quid? quod prophetae ipsi vaticinia sua integra non semper intellexerint atque impletionem ea clariora esse redditVuram aliquoties monuerint[3]. Quin multa vaticinia messianica nobis luce evangelica illustratis multo sint reddita clariora, quam olim Iudaeis fuerunt atque prophetis ipsis, non est dubium; at certum quoque est, multa nobis remanere magis minusve obscura. Alia enim nondum perfecte sunt impleta, siquidem non tantum de regni messianici initiis, sed etiam de ultimis eius temporibus, quae adhuc futura sunt, vaticinati sunt prophetae. Alia, quae de ethnicis nationibus aut etiam de ipsis Iudaeis agunt, etsi impleta sint, obscuriora remanent, quoniam antiqua historia ipsa nobis est incognita, ita ut vaticinia cum eorum impletione comparare nequeamus. Multa demum sive ob rerum, quae praedicebantur, naturam nobis non satis perspectam (de altissimis enim mysteriis interdum agunt prophetae), sive ob modum, quo vaticinia sua proposuerunt, tantum retinent obscuritatis, ut incredulis litigandi contradicendique relinquant occasionem. De his solis agemus; messianicorum enim vaticiniorum, quae nondum impleta sunt, futura tempora nobis praebebunt explicationem; accuratior autem investigatio in antiquorum populorum historiam secundae, quam statuimus, classis vaticinia maiore luce circumfundet[4].

Visionibus praecipue prophetas de rebus futuris esse eruditos diximus; tamquam fideles testes autem illa retulerunt, quae viderant eoque modo, quo ea viderant. Hinc explicatur,

1. cur res futuras interdum velut praesentes aut etiam praeteritas proposuerint. « Mos hic est prophetarum omnium, inquit *S. Chrysosto-*

*mus*, de nondum factis tamquam de factis loqui. Quia enim mentis oculis videbant, quae post multos annos erant futura, idcirco velut nunc ob oculos videntes omnia narrabant »; nam, ut habet *S. Augustinus* « secundum scientiam prophetantium iam pro factis [aut praesentibus] erant habenda »[5]. A Deo illustratus Isaias praesentem videt Virginem ideoque exclamat : « *Ecce Virginem* (הִנֵּה הָעַלְמָה) gravidam et parturientem filium et *vocabit* nomen eius Emmanuel » ; atque paullo post neonatum intuitus exclamat : « Parvulus *natus est* nobis et filius *datus est* nobis et *vocaverunt* nomen eius : Admirabilis » etc. Eadem ratione Cyrum velut praesentem alloquitur et in secunda libri sui parte interdum una cum exsulibus quodammodo vivere videtur eosque praesentes habens ulteriora videt tempora liberationis ex exsilio et redemtionis messianicae. Quin etiam futuros suos lectores quasi praesentes exhortatur, ut investigent, annon impletum sit suum vaticinium[6]. Haec omnia et multa similia ex ipso modo, quo Deus prophetas illustravit, facile explicantur neque difficultatem creant nisi illis, qui futura a Deo hominibus revelari posse negant; cum his autem nobis non est disputandum, quoniam de vaticiniorum verorum possibilitate agunt philosophi et apologetae.

1. *Cicero* De Orat. 16. Cfr *Ribera* Comm. in l. duodecim proph. In Nah. Praef., ubi monet in propheticis scriptis inveniri « quae summa et admiranda censentur in oratoribus » neque quidquam prophetis « ad gravissimum et ornatissimum dicendi genus aut ad summam eloquentiam defuisse »; at monet quoque (in Nah. 2. n. 65) « miram esse dictionis similitudinem in prophetis et poetis ». Simili modo *C. Vitringa* (Comm. in Is. Prolegom. Leovardiae 1714. p. 8) : « Prophetae eiusmodi passim usi sunt stylo, qui medius videri queat consistere inter oratorum sive declamatorum et poetarum dictionem, quos inter affinitatem intercedere observavit Tullius. Electa enim, non trita usu, verba in sententiarum modos digesta, coloribus ornata fucataque oratio, libertas dicendi terminis legibusque accurate non definita utrisque sunt communia ». Fuse de prophetica dictione agit *Lowth* De sacra poesi Prael. 18 sqq. poeticam tamen indolem librorum propheticorum aliquantulum exaggerat.

2. *S. Chrysost.* duabus suis homiliis de obscuritate prophetarum (M. 56,163 sqq.) duas eius affert rationes, priorem ex parte Iudaeorum, qui si minacia prophetarum vaticinia clare intellexissent, illos persecuturi librosque eorum destructuri fuissent atque Legem suam, si eam abrogatum iri clare scivissent, flocci et nihili fecissent (hom. I), alteram ex parte recentiorum lectorum, qui vaticinia olim hebraice scripta nunc in alienam linguam translata legunt; « fieri autem non potest, ut pari perspicuitate sententiae omnes ex nativa sua lingua in alteram interpretando transferantur » (hom. 2.). Accuratius rem tractat *Theophylactus* (In Os. Prooem. M. 126,569), qui postquam in genere praemonuit vaticinia natura sua, utpote quae de futuris agant, obscura esse atque obscuriora fieri, si ex una lingua in alteram transferantur, tres causas obscuritatis enumerat : Saepe obscuritas oritur vel ex ipsa rerum natura quae praedicuntur; sicut enim apud Moysen obscura est tabernaculi descriptio, ita apud Ezechielem descriptio templi novi; vel ex ipsis auditoribus, qui digni non sint, quibus clarius oracula tradantur, quemadmodum Dominus quoque per parabolas docuit, vel ex eo, qui loquitur, dum alius alia loquendi ratione in futuris annuntiandis uti-

tur; pro suis quisque enim viribus scripsit, quae Spiritus dictavit[a]. *S. Cyrill. Alex.* (In Is. 27,13. M. 70,609) eandem, quam S. Chrys., affert obscuritatis rationem, « quia praecipites ad iram erant Iudaei ». *S. Hieronymus* (in Ezech. 45,10. M. 25,470) « omnem prophetiam in obscuritate continere veritatem monet, ut discipuli intrinsecus audiant, vulgus ignobile nesciat, quid dicatur »; alibi (in Os. 14,10. M. 25,992) argumenti difficultatem et usum symbolicorum nominum tamquam causas obscuritatis indicat; interdum frequenti personarum loquentium mutationi obscuritatem adscribit (In Is. 21,3; in Ierem. 9,14; 31,25; in Nah. 2,1. M. 24,196. 767. 916; 25,1303 etc.), interdum neglectui ordinis chronologici (In Ier. 21,1. 25,1. M. 24,839. 865). Ex recentioribus cfr *Corn. a Lap.* Canones prophetis facem praeferentes (In Is. Proleg.); *Calmet.* Proleg. in Proph. a. 5; *Patrizi* De interpretatione oraculorum ad Christum pertinentium prolegomenon. Romae 1853. p. 1 sqq.; *Reinke* Beiträge II. p. 33-92; *Vigouroux* Manuel bibl. II. p. 466 sqq.; *Zschokke* Theologie der Propheten p. 387-394. Ex recentioribus protestanticis cfr *Hengstenberg* Christologie Ed. 2. Berlin 1856. III. 2. p. 180 sqq.

3. *Dan.* 8,27 postquam ab angelo symbola arietis et hirci explicata sunt, conqueritur, quod nemo sit, qui visionem habitam interpretetur; 12,8 sqq., quum angelum rogasset, ut sibi visionem explicaret, responsum accepit, eam clausam et signatam mansuram usque ad praefinitum tempus (impletionis). *Zach.* 1,9; 2,2; 4,4; 5,6 etc. indiget interpretatione angeli, ut symbola ostensa intelligat; *Ezech.* 33,33 lectores monet post impletionem vaticiniorum suorum eos esse cognituros, se verum fuisse prophetam; *Ierem.* 23,20; 30,24 eis dicit: « in novissimo dierum (i. e. quando implebuntur) intelligetis ea »; Is. 29,11 docet occaecatis Iudaeis fore visionem sicuti verba libri signati, quem quum dederint scienti literas dicentes: Lege istum, respondebit ille: Non possum; signatus est enim. Cfr *Is.* 6,9-13. — *Reinke* l. c. p. 65 sq.

4. Quantam lucem libri prophetici ex recentissimis studiis rerum assyriacarum et aegyptiacarum iam acceperint, inter alios docent *Vigouroux* La Bible et les découvertes modernes. IV.; *Brunengo* L'impero di Babilonia e di Ninive. Prato 1885. II; *Knabenbauer* Comm. in Proph. Min. I. p. 138. 295. 314. 362. II. p. 48. 312 etc. Conferri quoque meretur *Schrader* Die Keilinschriften und das A. T. Ed. 2. p. 382-455.

5. *S. Chrysost.* In Gen. 1. hom. 10,4 (M. 53,85); *S. August.* In Ps. 4. n. 6 (M. 36, 75). Alibi tamen iidem Patres minus recte, ut videtur, docent tempora praeterita ideo esse adhibita, « quia tam certa sint, quasi facta sint » (*S. August.* In Ps. 43. n. 5. M. 36,485), vel « ut ea plane futura et sine contradictione eventura demonstrentur » (*S. Chrysost.* C. Anom. 7,5; in illud: Pater si possibile est. 3. M. 48,764; 50,33). Eadem ratione *S. Hieron.* (In Is. 5,25. M. 24,91): « Quod autem praeteritum dicitur, quod futurum est, consuetudinem sequitur prophetalem, in qua tam certa sunt, quae futura dicuntur, ut putentur esse praeterita ».

6. *Is.* 7,14; 9,6; 44,28 sqq.; 40-66; 34,16. Cfr *Reinke* l. c. p. 41; *Knabenbauer* Der Prophet Isaias p. 455 etc.

2. Evidens est prophetas, utpote eorum quae viderant testes fideles, ea sola, quae viderant, eoque modo, quo ea viderant, potuisse enuntiare. At « prophetae, inquit *S. Thomas*, non omnia prophetabilia cognoscunt, sed quilibet eorum cognoscit ex eis aliqua secundum specialem revelationem huius vel illius rei »[7]; etenim « ex parte cognosci-

(a) Theophylacti textus est mutilus atque corruptus; sensus autem, quem indicavi, ex verbis conservatis satis clare eruitur.

mus et ex parte prophetamus » (1 *Cor*. 13,9). Quo fit, ut omnia vaticinia fragmentis sint similia, quae cuncta apto ordine disponi atque componi oporteat, ut completam rei imaginem exhibeant. Interdum Messias puer neonatus, interdum Messias belli dux hostes debellans eis ostendebatur, interdum humilis, despectus, ignominiosae morti traditus, interdum rex gloriose et pacifice regnans, aut sacerdos, aut doctor sapientes huius mundi confundens; nunc minuti quidam futurae vitae eius eventus (asino insidens Ierusalem ingreditur, vili pretio venditur etc.) eis exhibebantur, nunc solum eius regnum viderunt; aliquoties populum suum viderunt punitum et reiectum, aliquoties finalem eius conversionem spectarunt etc. Quomodo haec omnia, quae partim inter se pugnare videbantur, essent componenda et conciliianda, latuit Iudaeos nosque lateret, nisi luce evangelica illustrati cuncta in Domini N. vita et regno videremus conciliata et impleta. Errarunt igitur Iudaei illi, qui ut ea quae pugnare videbantur quoquo modo conciliarent, duplicem sibi finxerunt Messiam, alterum filium Ioseph (i. e. ex tribu Ephraim), qui passurus esset et moriturus, alterum filium David, qui post prioris mortem gloriose esset regnaturus[8]. Errant quoque rationalistae, neque ad propheticae visionis et dictionis characterem attendunt, qui, quoniam omnia in Domino adimpleta videre nolunt, prophetas inter se pugnare asserunt alteramque « spem messianicam » Ioeli attribuunt, quia de solo *regno* messianico vaticinatus est, alteram Isaiae, qui multa de Messiae *persona* tradidit etc.

Accedit quod ea ipsa, quae prophetis ostendebantur, non semper omni ex parte fuerint clara et definita, ita ut clarioribus verbis ea reddere non potuerint; perperam enim in prophetica praedictione eadem, quae in historica narratione, claritas requiritur[9]. Quapropter extremis tantum lineamentis futuram rem prophetae saepe leviter potius adumbrant, quam depingunt; sed « quemadmodum rudes illae adumbrationes, quas pictores de obiectis pingendis carbone delineare solent, plura offerunt, ex quibus deinceps, perfecta imagine, facile cognoscitur, eam illa delineatione fuisse adumbratam, ita quoque vaticinia, etsi minus clara sint, exhibent de futuro eventu satis multa, ex quibus deinceps accedente historia cognoscatur, haec vaticinio fuisse praedicta » [10].

Maior autem difficultas ex eo exsurgit, quod prophetae res futuras, quas longo temporum intervallo inter se separatas esse eventus demonstravit, eadem visione saepe perspexerint, ideoque eas descripserint, ac si eodem tempore sint eventurae, aut eventum unum, ad quem complendum multa saecula requirebantur, iam completum viderint ideoque in sua descriptione initio statim finem adiunxerint; neque parum crescit difficultas, si prior eventus, quoniam typus erat alterius, posteriori sit similis prophetaeque in sua descriptione ab uno (a typo)

ad alterum (ad antitypum) transeant iterumque ad priorem revertantur, ut de una sola re eos agere facile putaveris. Adventum Messiae Isaias ita Assyriorum interitui adiungit, quasi longo saeculorum intervallo non sint separati (*Is.* 10. 11.); de completa Babylonis devastatione ita loquitur, ac si primam Persarum expugnationem immediate sit secutura, licet non fuerit complenda nisi multis saeculis postea (*Is.* 13,19 sqq.); quid ad Iudaeorum liberationem ex exsilio babylonico et quid ad messianicam generis humani liberationem, cuius prior est typus, in secunda Isaiae parte (40.-66.) spectet, aegre interdum discernitur. Non desunt quidem vaticinia, in quibus futuri eventus tempus accurate definitur[11], in longe pluribus autem vago quodam modo aut omnino non indicatur[12], quia a prophetis, ut videtur, ignorabatur; nam teste S. Petro prophetae, qui de futura in nobis gratia prophetaverunt, ipsi *scrutati sunt,* quod vel quale tempus Spiritus, qui in eis loquebatur, significaret (I *Petr.* 1,11). « Prophetae, inquit *Cornelius a Lapide*, elevati lumine prophetico omnia, quae nobis remota et dissita videntur, sub se quasi exilia coram et coniuncta intuebantur, uti revera sunt, si cum aeternitate Dei, in qua haec videbant, conferantur »[13]. Quem videndi modum analogiis quibusdam et comparationibus illustrant interpretes. Quemadmodum nos coelum nocturnum intuentes stellas quidem videmus multas, quae immensis spatiis inter se separantur, sed nec quam longe a nobis distent nec quae sint viciniores aut remotiores discernimus, nec vera, quibus separantur, spatii intervalla cognoscimus, ita prophetae futuros quidem eventus viderunt, sed eorum relationem chronologicam non perceperunt. Neque inepte quoque propheticae hae visiones picturis comparantur, in quibus scenographiae praecepta non sunt observata. In modernis picturis arte factis ea, quae spectatori viciniora apparere debent, eminent accuratiusque depinguntur, remotiora autem decrescunt et minus accurate repraesentantur, et ita porro, ut remotissima quasi nebula obtecta disparere incipiant. At si antiquas Aegyptiorum, Assyriorum etc. picturas intueris, nihil eiusmodi invenies; omnia, sive spectatori propinquiora, sive remotiora cogitantur, eadem magnitudine eademque cum claritate repraesentantur, ut studio accurato sit opus, antequam eiusmodi imagines intelligas. Simili igitur ratione prophetae futuras res, etsi longa saecula eas essent separatura, in eodem plano, ut ita dicamus, positas esse viderunt, ideoque in eis describendis ab una ad alteram, temporis intermedii ratione non habita, transire coacti sunt[14]. Historiam autem cum vaticiniis comparantes Iudaei ex captivitate reduces in Isaiae vaticiniis discernere potuerunt, quaenam ad liberationem suam non spectent, sed maiorem et splendidiorem messianicam liberationem annuntient, sicut nos post Ierosolymorum destructionem in vaticinio Domini, qui eundem morem propheticum

secutus iudicium ultimum de Ierosolymis exercendum cum iudicio ultimo de mundo exercendo coniungere voluit (*Matth.* 24), discernere possumus, quae ad prius illud iudicium non spectent. Potuerunt quoque aliorum vaticiniorum tempus ex parallelis discere; ex. gr. si Isaias, dudum antequam Babylon ad potestatis et gloriae fastigium pervenerat, *prope* esse eius interitum praedixerat (*Is.* 13,22), Ieremias accuratius tempus definivit, septuaginta annis duraturam esse eius potestatem praedicens (*Ier.* 25,12 sq.) etc.[15].

7. *S. Thom.* Summ. II. 2. qu. 171 a. 4. — Cfr *S. Chrysost.* In Ps. 44. n. 3 (M. 55, 187) : « *Omnia* quidem dicere evangelistarum est; prophetiae vero munus est *partes aliquas* sumere et de eis disserere ».

8. Cfr quae de duplici Messia a Iudaeis exspectato ex rabbinorum libris collegit *Eisenmenger* Das entdeckte Judenthum II. p. 720 sqq.

9. Non immerito monent interpretes, libertatem humanam quadam ratione periclitari, si clara et manifesta essent cuncta vaticinia, atque vaticiniorum ipsorum vim demonstrativam non parum diminui. Cfr *Patrizi* De interpretatione orac. messian. Prolegom. p. 2; *Le Hir* Études bibliques I. p. 82 : « Si l'avenir nous était dévoilé avec autant de précision et de suite dans les détails que nous en demandons à l'histoire du passé, la liberté humaine, en face de cette lumière distincte, serait singulièrement alarmée. Ou elle serait comme entraînée à réaliser ce qui a été prédit d'elle, ou elle tendrait à y résister de toutes ses forces, pour prendre possession d'elle-même, et se convaincre qu'elle n'est pas un rêve. L'argument que nous tirons des prophéties en serait prodigieusement affaibli. Car on pourrait toujours craindre que leur accomplissement ne fût l'effet de volontés déterminées à s'y conformer. Nous pourrons affirmer au contraire, les prophéties étant ce qu'elles sont, que presque toujours les hommes s'y sont conformés à leur insu, soit ignorance, soit pure inadvertance de leur part. Ainsi la sagesse de Dieu éclate jusque dans les ombres que la lumière laisse toujours à côté d'elle dans le monde moral, comme dans le monde physique ».

10. *Iahn-Ackermann* Introductio in V. T. p. 221. Optime *Patrizi* De interpretatione oracul. messian. Proleg. p. 3 : « Ut pro certo habeamus, quidnam certa quaedam imago repraesentet, cuius, inquam, sive personae sive rei imago sit, necesse non est, ut personam vel rem *perfecte* referat omniaque expressa in ea conspiciantur, e quibus personae ac rei forma constat; eoque minus id in imaginibus flagitamus, quo rudiores hae sunt ac tenuiores, minime autem omnium quum notam aliquam praecipuam personae reique, atque adeo harum dumtaxat propriam, exhibent; quantumvis enim rudibus atque incomtis linearum ductibus id fiat, nemo tamen ideo negat, huius aut illius imagines eas esse aut has non agnoscit. Ita quum viri effigiem cornuta facie videmus vel duas claves manu gestantis, illum Moysen esse, hunc Petrum illico intelligimus. Pari modo ut vaticinium πληρώματι respondeat ac constet certam quandam rem eo esse praedictam, satis est huius rei sive summam sive caput verbis ipsius vaticinii expressam esse, praesertim si id praedictum sit, quod illius rei proprium solius ac peculiare habeatur. Quis enim, qui novit Christum e virgine ortum esse, non intelligat id in *Is.* 7,14 fuisse praedictum? Quisnam legens quomodo Christus asello vectus postremis vitae suae diebus Ierosolyma ingressus fuerit, dubitet de quonam *Zach.* 8,9 loquatur? » etc.

11. Cfr *Is.* 7,8 (« adhuc *sexaginta et quinque anni* et desinet Ephraim esse populus); 16,14 (« *in tribus annis*, quasi anni mercenarii, auferetur gloria Moab »); 20,3

(« Isaias nudus et discalceatus *trium annorum* signum erit super Aegyptum et Aethiopiam »); 21,16 (« adhuc *in uno anno*, quasi in anno mercenarii, auferetur gloria Cedar »); 23,15. 17; 29,1; 32,10; 38,5; *Ierem.* 25,12; 27,7; 29,10; 28,16; *Ezech.* 24,1 sq.; 29,11 sqq.; *Dan.* 9,25 sqq. (Cfr *Zschokke* l. c. p. 390). Qui futura a Deo cognosci et praedici posse concedit, in definitis his vaticiniis nullam invenit difficultatem; praeiudicio igitur philosophico nituntur rationalistae, qui illa aut pro vaticiniis post eventum confictis aut pro glossis a recentiore manu insertis habent, aut numeris illis symbolicam tantum significationem adscribunt aut alia effugia quaerunt. Quod nos omnia accurate esse impleta demonstrare non possumus, id ex nostra antiquae historiae ignorantia provenit; prophetarum aequales ea viderunt impleri.

12. Nullum omnino tempus indicatur ex. gr. *Is.* 1,24 sqq.; 2,9 sqq.; 3,16 sqq. etc., etc.; vago quodam modo indicatur (« in illo die » « in tempore illo », « in illis diebus », « in novissimis diebus », « in novissimo annorum », « post multos dies etc.) *Is.* 17, 4; 18,7; 19,16; *Ierem.* 3,16 etc.; — 2,2; 30,8; *Ezech.* 38,8. 10. 16. etc. Neque minus vagae sunt expressiones : *prope est* (*Is.* 13,6. 22; *Ierem.* 48,16; *Ezech.* 7,7; 36,8; *Ioel* 1,15; 2,1), *adhuc modicum* (*Is.* 29,7; *Os.* 1,4; *Agg.* 2,6) et similes, quae aut breve aut longum tempus eventui praecessurum esse exprimunt, quia omnes secundum divinam mensuram sunt definiendae.

13. *Corn. a Lap.* Proleg. in Is. can. 4.

14. Cfr *Reinke* Beiträge II. p. 42; *Vigouroux* Manuel bibl. II. p. 468 etc. Quomodo typus et antitypus in prophetarum descriptionibus nonnunquam quasi confundi videantur, apta comparatione explicat *Le Hir* (Études bibliques I. p. 81 sq.) : « Très souvent le sens (des prophéties) est unique, mais étendu, et la division n'est qu'apparente dans les applications particulières qu'on en peut faire. D'autres fois le texte nous met sous les yeux deux objets faits sur le même modèle, et les dessine tous deux en même temps. Représentez-vous deux palais d'inégale dimension, mais offrant à peu près la même distribution de salles, cours, corridors, etc. Le plus petit, plus rapproché de vous, est tellement situé que, s'il est transparent comme le cristal, votre œil saisira du même regard les contours et les lignes correspondantes du plus vaste, placé derrière. Si au contraire cette transparence est voilée, inégale et intermittente, vous aurez besoin de quelque combinaison pour compléter dans votre esprit l'image du grand édifice, mais vous ne pourrez douter de son existence ni de ses principales dispositions. Ainsi en est-il dans un oracle à double objet. L'objet prochain semble quelquefois s'effacer pour laisser briller de tout son éclat le fait plus important et plus vaste qui occupe le fond de la perspective; ailleurs les premières lignes sont plus opaques et voilent en partie celles de derrière. Mais la raison, guidée par l'analogie, restitue facilement (?) à chacun des objets ce que l'œil n'en découvre que confusément ».

15. De modo, quo tempora eventuum simul annunciatorum discernantur, cfr *Reinke* Beiträge II. p. 59 sqq.

3. Quoniam per visiones prophetae erudiebantur, etiam frequentissimus est in eorum vaticiniis usus imaginum; neque enim futuras res abstracto quodam modo proponunt, sed imaginibus, quas ipsi viderant, eas repraesentant et illustrant. Quae partim ex ipsius V. T. historia et institutionibus sunt desumtae, partim symbolicae sunt [16]. Quoniam ex Apostolorum argumentandi ratione satis elucet, integram veterem oeconomiam typum esse novae atque secundum S. Paulum ea, quae patribus contigerant, in figura facta sunt nostri, facile intelligitur,

cur Deus iisdem rebus uti voluerit, ut futura prophetis manifestaret. Triplicem autem in V. T. fuisse dignitatem, qua maxime Dominus N. fuit praefiguratus, monet iam *Eusebius*, sacerdotum scilicet, regum et prophetarum, « adeo ut omnes hi ad verum Christum, divinum ac coeleste Verbum, referantur, quippe qui solus omnium gentium pontifex, solus rex ac Dominus omnis creaturae, solus denique inter prophetas summus propheta Patris exsistat »[17]. Hinc describunt Messiam tamquam magnum regem theocraticum, et quia in David, qui pater et typus erat Christi, viderunt regem « secundum cor Dei », ex eius imagine colores ad pingendum Christum mutuantur, immo Messiam aliquoties nomine Davidis salutant.. Simili ratione Messiam depingunt velut magnum prophetam, qui docturus sit omnes gentes, velut summum sacerdotem, qui se ipsum offerens omnia peccata deleturus sit; sacrificium autem incruentum N. T. eodem nomine appellant, quo incruentas V. T. oblationes (*Mal.* 1,11). Regno quoque messianico describendo inserviunt imagines ex regno davidico desumtae : Ierusalem et Sion uti antiqui, ita novi, regni sunt centrum; ethnici, qui in regnum messianicum recipiantur, ad montem Sion confluere (*Is.* 2; *Mich.* 5), in Sion nasci (Ps. 86), in monte Sion et Ierusalem salutem invenire (*Ioel* 2,32) dicuntur. Hostes regni messianici appellantur nominibus populorum, qui regnum theocraticum infestarunt etc. Item ad N. T. cultum perennem describendum imagines ex vetere cultu desumuntur : Ieremias non defuturos docet sacerdotes et levitas, qui holocautomata aliaque sacrificia offerant (*Ier.* 33,18), Isaias sabbatha semper celebratum iri (*Is.* 16,23), Zacharias omnes gentes ad tabernaculorum festum celebrandum Ierosolyma esse venturas praedicunt (*Zach.* 14,16) etc.

A quibus imaginibus differunt symbola, quorum involucro res futurae interdum prophetis manifestabantur; symbolorum autem nomine intelligimus imagines rerum, quae non vere exstiterunt, sed « ad hoc unum sunt ostensae, ut futuras res significarent » (*S. Thom.*). Duo calathi, quorum alter ficis bonis, alter malis erat refertus, ostendebantur Ieremiae velut symbola diversae sortis, quae Iudaeis iam in Babyloniam transportatis eventura sit et regi Sedeciae eiusque subditis, qui relicti erant Ierosolymis (*Ier.* 24); uncinus pomorum, quem vidit Amos, symbolice indicavit regnum Israel iudicio esse maturum (*Am.* 8) etc. Quae symbola rariora in Isaiae, frequentiora in iuniorum prophetarum, maxime Danielis et Zachariae, visionibus leguntur. Huc actiones quoque pertinent symbolicae, quibus prophetae futura aliquoties portendere iubebantur; Isaias nudus et discalceatus incedens ignominiosam transportationem Aegyptiorum in Assyriam praefigurat (*Is.* 20); Ieremias lagunculam coram populo confringens portendit regni urbisque destructionem (*Ier.* 19) etc.[18].

Cum frequente imaginum usu etiam dramaticus character multorum vaticiniorum cohaeret; quoniam enim prophetae res coram se agi interdum viderunt, eas eadem quoque ratione descripserunt: unde frequens illa personarum mutatio, quam S. Hieronymus toties tamquam obscuritatis rationem indicat [19]. Coram se videt propheta Messiam tamquam victorem ex bello contra hostes revertentem et stupefactus exclamat : Quis est iste? (*Is.* 63,1. 2) statimque audit ipsius victoris responsum (63,3-6), quo ad ferventem precationem pro populo suo commovetur (63,7 sqq.).

Antiqui Iudaei, quoniam ad propheticum imaginum usum non attenderunt, in Iesu Messiam promissum non agnoverunt, quum non esset rex ille potens, qui armorum vi omnes hostes populi electi devicit et fines terreni alicuius regni usque ad terminos terrae extendit. Atque simili modo interrogant aliqui rationalistae, ubinam Iesus ea impleverit, quae in *Ps.* 109 sint praedicta : « Ubi hostes armis debellavit? ubi valles implevit cadaveribus? ubi victor ex torrente bibit »? In alium autem errorem abeunt alii rationalistae, qui ubique nudas imagines vident, quibus praeter vagam quandam spem futuri status melioris nihil exprimatur. Ut utrumque scopulum evitemus,

a.) illis in vaticiniis, quae iam impleta sunt, ad eorum impletionem attendamus oportet. Ante Messiae adventum dubitari potuit, utrum ea, quae de vili pretio, quo venumdatus est, de ingressu eius in Ierusalem sedentis « super asinum et super pullum filium asinae », de partitione vestium etc. erant praedicta, re sint implenda, an pro imaginibus habenda, quibus humilitas eius etc. describantur. Post impletionem autem haec sensu proprio et literali esse praedicta scimus, alia autem similia (*Ps.* 21,13-17; 109,7 etc.) esse metaphorice sumenda.

b.) Aliis in locis comparatio cum vaticiniis claris et certis nos docet, quae pro imaginibus sint habenda. Quod si Messias bella gerere et victorias reportare praedicitur, haec sensu metaphorico esse intelligenda demonstrant vaticinia illa, in quibus vocatur princeps pacis, cui omnes gentes *sponte* sint obediturae (*Is.* 9,6 sq.; 11. 42). Ieremias, si sacerdotes et levitas semper holocausta oblaturos esse praedicit (*Ier.* 33,18), aliique prophetae, qui cultus levitici continuationem promittere videntur (*Is.* 56,6. 7; 60,7; *Ezech.* 40-48) illis, qui cultus levitici cessationem absolute sine imaginibus praedicunt (*Ier.* 3,16; 31,31; *Mal.* 1,11 etc.) contradicere nequeunt. Messiam non esse ipsum Davidem, licet hoc nomine appelletur, clarum est, quum alibi *filius Davidis* vocetur. Non parvae igitur utilitatis loci paralleli sunt in vaticiniis recte explicandis, idque eo magis, quia prophetis, uti supra monuimus, fragmenta dumtaxat rerum futurarum sint ostensa, quae inter se comparari et apte connecti oporteat, ut veram et integram rei futurae ideam nobis efformemus.

c.) « Quum prophetae, inquit *Corn. a Lap.*, aliquid enuntiant de Sion, Ierusalem, Cyro etc., si promissiones aut ea quae dicuntur maiora sunt, quam ut possint convenire Ierusalem, Iudaeis, Cyro etc., tunc certum est, eos ad literam non de iis loqui, sed ad eorum antitypa avolare »[20]. Quod praeceptum suo modo etiam imaginibus discernendis inservit : quoties enim de aliqua re talia praedicantur, ut si ad effectum perducerentur intima rei istius natura destrueretur, illa tropice esse explicanda apparet. S. Hieronymus iam « gravissimo somno stertere » dixit eos, qui *Is.* 11,6 sqq. « iuxta literam futura contendant, ut in claritate Christi, quem putant in fine mundi esse venturum, omnes bestiae redigantur in mansuetudinem et pristina feritate deposita lupus et agnus pascantur simul, et cetera cum ceteris, quae nunc videmus sibi esse contraria »[21]. Nescio quoque annon risui vaticinia exponant moderni aliqui interpretes protestantici, si ex *Is.* 2,2 et *Mich.* 5,2 concludant, in fine temporum montem Sion reliquis montibus physice superimpositum iri aut reliquos montes omnes esse disparituros, ut solus mons Sion in tota terra emineat[22].

d.) Pro imaginibus illi quoque textus sunt habendi, in quibus ad antiquam historiam israeliticam alluditur. Quod si *Is.* 4,4. 5 Dominum sordes filiorum Sion in spiritu iudicii et in spiritu ardoris ablaturum praedicit creaturumque super omnem locum montis Sion nubem per diem et fumum et splendorem ignis per noctem, nemo non videt eum novi foederis beneficia sub imaginibus a transitu Israelitarum per mare rubrum desumtis repraesentasse. Eodem facto historico utitur, ut ostendat, quomodo Deus omnia impedimenta sit remoturus, ut reliquiae Iudaeorum in regnum messianicum possint intrare : « et desolabit Dominus linguam maris Aegypti et levabit manum suam super flumen » etc. (*Is.* 11,15. 16). Clarius metaphoricus character interdum verbulo proprio addito designatur; ex. gr. *Zacharias* (10,11 text. hebr.) ad eundem transitum per mare alludens addito verbo *angustiae* (« per mare, angustias »; *S. Hier.* non satis accurate : « in maris freto ») impedit, quominus « transitus per mare » proprio sensu intelligatur.

Sed haec hactenus; quoniam vero, uti S. Hieronymus animadvertit, singuli prophetae suas habeant proprietates, pauca alia suis locis infra addemus[23]. Ceterum in propheticis imaginibus explicandis illud idem, quod in poeticis, prae oculis habendum est, nam prophetas poeticum dicendi modum frequenter adhibere monuimus; unde imagines quoque suas aliquoties poetice exornant. Quemadmodum igitur poeticae similitudines, comparationes, parabolae etc. non ultra modum sunt premendae, ita etiam erroris periculo sese exponeret, qui in propheticis descriptionibus et symbolis circa singula haerere atque minutissima quaeque excutere vellet. Tempus suum procul dubio perderet, qui ex. gr.

inquireret, cur Ieremiae (24,1) duo calathi *ficorum* sint ostensi, quum de fructuum genere vel specie ibi non agatur, sed de eorum qualitate. Multi quidem solliciti inquisiverunt, quid in prophetica messianicae pacis descriptione Isaias (11,6 sqq.) nominibus luporum et agnorum, pardorum et hoedorum etc. proprie indicasset; rectius autem textum ab illis explicari arbitramur, qui prophetam pacem illam poeticis imaginibus exornasse censent[24]. Aliis in imaginibus menti prophetae propositis descriptionibusque, quae ab illis dependent, singula quidem aliquid exhibent, quod revera futurum est; cavendum tamen est, ne singula eadem ratione eodemque ordine, quibus visa sunt, in rerum eventu expressum iri putemus, quoniam ad temporum intervalla, uti iam diximus, non attendunt prophetae. Magnis difficultatibus premuntur, qui *Is.* 10,28 sqq. accuratam descriptionem futurae expeditionis Sennacherib vident, siquidem regem Assyriorum non illa via contra Ierusalem exercitum duxisse ex monumentis constat; at eadem etiam testantur, eum omnia oppida regni Iuda occupasse. Itaque singula, quae propheta affert, illa in expeditione evenerunt, atque una descriptione a propheta comprehendi potuerunt[25].

16. De typis et symbolis cfr Introd. gener. Ed. 2. 1894. n. 200. p. 552 sqq.

17. *Euseb.* H. E. I. 3 (M. 20,72).

18. Cfr *Corn. a Lap.* Hieroglyphica et sacra symbola ex quatuor (maioribus) prophetis collecta (In Proleg. ad Is.) et Hieroglyphica ex duodecim minoribus prophetis excerpta (In Proleg. ad Min. Proph.); *Zschokke* Theologie der Propheten p. 367 sq., 379 sqq. — Multae actiones symbolicae eiusmodi sunt, ut dubitetur, utrum per modum allegoriae tantum in visione prophetis sunt ostensae, an ab illis in opus externum deductae. Cfr interpretum diversas opiniones in *Ezech.* 4., *Os.* 1. etc. Si in visione dumtaxat sunt gestae, patet eas ad genus imaginum symbolicarum pertinere.

19. *S. Hieron.* In Nah. 2,1 (M. 25,1303) : « Hinc vel maxime obscuri sunt prophetae, quod repente, dum aliud agitur, ad alios persona mutatur ». Cfr in Is. 3,13; 21,3; in Ierem. 9,14 etc. (M. 24,68. 196. 767).

20. *Corn. a Lap.* Proleg. in Proph. Can. 5.; cfr *Forer.* In Is. 45,8.

21. *S. Hieron.* In Is. 11,6 sqq. (M. 24,150 sq.). Quibus verbis S. Doctor « iudaizantes » chiliastas perstringit, quibus etiam adnumerandi sunt *S. Iustin.* (c. Tryph. 81. M. 6,668), qui textum parallelum (*Is.* 65,25), *S. Iren.* (c. haer. V. 33. M. 7,1214), *Lactant.* (Instit. VII. 24. M. 6,809), qui utrumque textum chiliastico illo sensu explicant. In eodem errore aliqui moderni interpretes (maxime protestantici) versantur : *Hengstenberg* Christologie II. p. 138 sq.; *Delitzsch* Isaias p. 188 sq., *Naegelsbach* Isaias p. 148 etc.

22. Ita Iudaeos secuti *Hoffmann* Erfüllung u. Weissagung II. p. 217; *Delitzsch* l. c. p. 61; *Naegelsbach* l. c. p. 29 etc.

23. Fuse de his praeceptis agit *Reinke* Beiträge II. p. 50-59; cfr etiam *Hengstenberg* Christologie III. 2 p. 203 sqq.

24. Cfr *Knabenbauer* Der Proph. Isaias p. 180; *eiusdem* Comm. in Is. I. 1887 p. 278 sqq.

25. Cfr *Knabenbauer* Der Proph. Isaias p. 170 sq.; *eiusdem* Comm. in Is. I. 1887 p. 263 sq

## CAPUT II.

### DE PROPHETIA ISAIAE.

### § 4. — *De prophetae vita et temporibus.*

250. — Inter propheticos libros primum locum iure merito obtinet *Isaiae Prophetia,* quippe quae, licet longitudine vaticiniis Ieremiae et ipsius Ezechielis, antiquitate libris Oseae, Ioelis aliorumque ex Minoribus superetur[1], argumenti tamen copia, varietate, gravitate, atque dictionis pulchritudine et sublimitate prae omnibus emineat. Spiritus S. ipse per Siracidam Isaiam proclamavit « prophetam magnum et fidelem in conspectu Dei, qui magno spiritu vidit ultima et consolatus est lugentes in Sion »; Patres velut principem prophetarum eum assiduis laudibus celebrarunt; Eusebius et Theodoretus non tantum « magnum et admirabilem » aut « divinum prophetam », sed « maximum » et « divinissimum » eum appellarunt, « magniloquentissimum » S. Gregorius Naz. et S. Chrysostomus salutarunt, SS. Cyrillus autem, Hieronymus, Augustinus eum evangelistam et apostolum potius quam prophetam appellandum censent, quia evangelicae praedicationis splendore vaticinia sua exornaverit[2].

De tanti vero viri vita praeter paucissima, quae ex sacris literis colliguntur, vix quidquam certi memoriae est traditum. Ne id quidem constat, qua ex tribu sit oriundus[3]. Utique si rabbinis fidem haberemus, ex tribu Iuda atque ex ipsa davidica stirpe eum diceremus prognatum; Amos enim, quem patrem suum fuisse scribit Isaias, Amasiae regis fratrem fuisse tradunt, aliique addunt prophetae filiam Manasse regi nupsisse[4]. At animum quidem ingeniumque prophetae vere fuisse regium, totum eius opus docet; sanguinem autem eius regium fuisse traditio illa non demonstrat, quum soli nominum Amos et Amasiae similitudini originem debere videatur. Neque felicior fuit aliquorum Patrum coniectura, qui ob linguae hebraicae ignorantiam nomina patris Isaiae Amos (אָמוֹץ) et prophetae Amos (עָמוֹס) confundentes prophetam nostrum dixerunt filium pastoris thecoensis[5]. Ex honesta potius familia ierosolymitana natus videtur tempore regis Oziae (Azariae); liberalibus autem artibus institutus (id quod ex styli elegantia carminibusque libro insertis luculenter apparet) ultimo Oziae anno (a. 747.) ad propheticum munus est vocatus. Sublimi enim illa visione, in qua labia

eius per unum ex Seraphim throno Dei adstantibus sunt mundata (6,1 sqq.), eum inauguratum esse prophetam, probabilior est modernorum interpretum sententia. Matrimonio iunctus ex uxore sua, quae ipsa quoque *prophetissa* vocatur (8,3), duos filios genuit, quibus a Deo iussus prophetica nomina imposuit, ut non minus pueri eius quam ipse nominibus suis « essent in signum et portentum Israel »[6]. Munere prophetico sub tribus Oziae successoribus, Ioathan, Achaz, Ezechia, functum se esse testatur (1,1); quanta autem auctoritate apud omnes sit gavisus, non tantum docet modus, quo et cum impio rege Achaz et cum pio Ezechia eum egisse sacrae literae tradunt, sed praeprimis insignis illa libertas, qua in integri populi atque adeo principum et magnatum vitia invehitur[7]. Quae eius fuerint de republica merita, statim dicemus (251). Usque ad ultimos annos regis Ezechiae Isaiam munus propheticum exercuisse, tantum non est certum, siquidem cladem Assyriorum, quam praedixit, a. 4. Sennacherib (a. 701.) accidisse ex monumentis cuneiformibus colligitur; vix quinque autem annis postea Ezechias successorem habuit Manassen filium suum[8]. Antiqua autem est Iudaeorum traditio, quae epistola ad Hebr. (11,37) confirmari videtur atque inde a S. Iustini M. aetate a Patribus recepta est, tempore regis Manasse prophetam serra lignea dissectum martyrio vitam suam coronasse[9]. Si Isaiam iam 1. a. Manasse, qui puer duodecim annorum rex creatus est, occisum esse statuamus, ab ultimo anno Oziae per quinquaginta duos annos munus propheticum sustinuit; quoniam autem parum est verisimile, eum ante vigesimum aetatis annum ad difficile et grave illud munus esse vocatum, senex plus septuaginta annorum martyrium est passus; immo maiorem eum aetatem attigisse magis credo, quia ab occisione prophetae, quocum pater eius arctissimo amicitiae vinculo coniunctus fuerat, puer Manasses regnum auspicatus esse non videtur.

Praeter vaticinia, quae in canone nobis sunt conservata, Isaias historicum quoque opus de « primis et novissimis rebus » i. e. de integro regno Oziae regis composuit, quo veluti fonte usi sunt auctores ll. Regum et Paralip. (2 *Paral.* 26,22). Minus certum est, simile opus de Ezechiae rebus gestis ab eo esse conscriptum, id quod nonnulli ex 2. *Par.* 32,32 deducunt. At opus, ad quod auctor Paral. lectores suos remittit, vocatur « Visio Isaiae », quo titulo Prophetia nostra est inscripta, atque res toto cap. 32. narratae revera *Is.* 36.-39. leguntur[10].

1. Secundum Massoretharum epicrisin liber *Isaiae* continet viginti sex Sedarim et mille ducentos nonaginta quinque versus, *Ierem.* unum et triginta Sedarim et mille trecentos sexaginta quinque versus, *Ezech.* viginti novem Sedarim et mille ducentos septuaginta tres versus, *Daniel.* septem Sedarim et trecentos quinquaginta septem versus, *Minores* unum et viginti Sedarim et mille quinque versus. At nec Sedarim

nec versus sunt eiusdem longitudinis; revera Ieremiae liber fere septima parte superat Isaiae librum; Ezechiel autem Isaia aliquantulum dumtaxat longior est. — De aetate Minorum *infra* (296) dicemus.

2. *Eccli.* 48,25 sqq. — *Euseb.* Demonstr. evang. II. 4; V. 4 (M. 22,128. 369); *Theodoret.* In Is. Prooem. (M. 81,216); *S. Gregor. Naz.* Or. 4,2 (M. 35,534 ὁ μεγαλοφωνότατος); *S. Chrys.* In Gen. hom. 8 (M. 53,71); *S. Cyrill. Alex.* In Is. Prooem. (M. 70,13) : « Mihi videtur B. propheta Isaias non solum prophetica gratia valde ornatus, sed et decoribus apostoli; est enim propheta simul et apostolus et librum suum splendore evangelicae praedicationis carere noluit »; *S. Hier.* In Is. Prol.; ad Paulin. ep. 53,7 (M. 24,18; 22,547); *S. August.* Civ. Dei XVIII. 29; Serm. 45.2 (M. 41,585; 38,259).

3. Nugas agit *Hitzig* (Schenkel Bibellex. III. p. 247), si Beniaminitam fuisse Isaiam his argumentis probabile reddere conatur : « Aus Vergleichung von *Neh.* 11,7 mit *Jerem.* 29,21 scheint hervorzugehen, dass Jesaja aus dem Stamme Benjamin war; denn wenn Enkel und Sohn Maaseja's um das Iahr 600. leben, so erkennen wir mit Fug (? !) in dessen Vater *Ithiel* (d. i. Gott *mit mir*), dem Sohne eines Jesaja jenen Immanuel (d. i. Gott *mit uns* Is. 7,14; 8,8; utique, si Emmanuel esset filius prophetae et nomina Ithiel et Immanuel essent vere identica; prius vero falsum esse, ex solo *Is.* 8,8 iam clare elucet, ut de 7,14 taceamus; alterum est incertissimum, quum nec constet אִיתִיאֵל esse compositum cum praep. אֵת, nec praepositio אֵת, quae *vicinitatem* designat, sit eadem atque עִם, quae *coniunctionem* exprimit). Oheim und Neffe sind *Jerem.* 29,21 Propheten (textum non videtur legisse adversarius, quia non Colaja et Maaseja, sed eorum filii Ahab et Sedecias, qui *Neh.* 11,7 non nominantur, vocantur prophetae, sed ex genere eorum « qui prophetant vobis in nomine meo mendaciter » et « qui moechati sunt in uxores amicorum suorum »), und des letzteren Vater trägt den auf Prophetie bezüglichen Namen Colaja, d. i. Côl haja, eine Stimme ist geschehen (rectius : vox Iahve קוֹלָיָה). Somit aber (sc. quia duorum *pseudo*prophetarum patres nomina habuerunt, quae *Neh.* 11,7 leguntur) scheint in dieser Familie Beruf der Weissagung einheimisch; ein Grund mehr, den Jesaja, welcher *Neh.* 11,7 an der Spitze steht, für den grossen Propheten dieses Namens zu halten (scilicet ut demonstrare possimus, ex prophetarum principe progenitos esse pseudoprophetas!).

4. *Thalm.* Meghilla f. 10 « R. Levi ait : traditio apud nos est accepta a maioribus Amos (Isaiae pater) et Amasias (rex) fratres fuerunt ». Cfr *Huet.* Demonstr. evang Prop. IV. et *Carpzov.* Introd. III. p. 90, qui alia quoque testimonia allegant. Isaiam socerum fuisse regis Manasse velut Iudaeorum traditionem commemorat *S. Hier.* In Is. 20 (M. 24,194), a quo ad iuniores Latinos (*S. Isid.* De ortu et obitu Patrum 37 M. 83, 142) etc. transiit. Argumentum, quod nonnulli ex *Is.* 5,1 deducunt ad originem eius regiam probandam, scilicet quod Christum vocet « patruelem suum », infirmum esse patet; si quis enim interpretationem *patruelis* admiserit, quam S. Hier. ab Aquila (πατράδελφος) mutuatus est, et vineae dominum intellexerit Christum (quod parum apte fieri ex 5,7 elucet), textum cum S. Hieronymo explicare poterit : « qui est patruelis meus, hoc est : ex eadem mecum *gente* (sc. iudaica) generatus ».

5. *Clem. Alex.* Strom. I. 21 (M. 8,845 sq.) : Oziae tempore « prophetaverunt Amos et Isaias filius eius ». *Ps. Epiph.* De vitis proph. 12 (M. 43,465) etc. Inter Latinos eandem opinionem propagatam esse constat ex *S. August.* Civ. Dei XVIII. 27 (M. 41, 583) : « Isaias filius Amos, sive supradicti prophetae, sive *quod magis perhibetur*, alterius, qui non propheta eodem nomine appellabatur ». Mirum quod inter Iudaeos aliqui eandem tenuerint, inter quos Abarbanel in Is. 1,1; cfr *Carpzov.* l. c. p. 89.

Eam ex Graecis iam reiecit *S. Cyrill. Alex.* In Am. Prooem (M. 71,409), ex Latinis *S. Hieron.* In Is. 1,1 (M. 24,22), quare penes iuniores vix reperitur.

6. *Is.* 7,3 שְׁאָר יָשׁוּב « reliquiae convertentur » (vel « revertentur »; utramque enim significationem vocabulum admittit et utroque sensu nomen filii praedixit partis Israelitarum futuram conversionem futurumque reditum ex captivitate); 8,3 מַהֵר שָׁלָל חָשׁ בַּז, « festinans praeda, velox rapina » (*S. Hier.* « Velociter spolia detrahe, cito praedare »), cuius nominis sensum propheticum ipse explicat *Is.* 8,4. Nominis prophetae יְשַׁעְיָהוּ (in libri titulo : יְשַׁעְיָה unde *Alex.* 'Ησαΐας, *It.* Esaias, *Vulg.* Isaias) quae sit etymologia, non certo constat; alii ad rad. שׁוע recurrentes explicant (nescio quo cum iure) « saluti fuit Dominus », alii praeferentes rad. שׁעה vertunt « intuetur Dominus », plerique moderni tamen cum *S. Hier.* priorem nominis partem ad rad. ישׁע trahunt, licet alii eam pro forma verbi habeant : « *Salvat Dominus* », alii pro substantivo : σωτηρία Κυρίου « *salus Domini* » (*S. Hier.* In Ioel. Prooem. cfr de nomin. hebr. — M. 25,394; 23,869. 1279; minus recte *S. Hier.* Proleg. in Is. « salvatus Domini », « qui Domino praesidente salvatur » M. 24,24). « Ita autem appellatus est, inquit Abarbanel, quia proclamaturus erat et praedicaturus *salutem Domini* multaque oracula et promissiones de futura salute edidit », vel potius ut ipso nomine Salvatorem praesagiret. Cfr *Knabenb.* Comment. I. p. 9.

7. *Is.* 7,1 sqq.; 36.-39. et quae eis respondent 4 *Reg.* 18,13-20,19 et 2 *Paral.* 32.

8. Secundum *Is.* 36,1 (cfr 4 *Reg.* 18,13) expeditio Sennacherib ponenda esset a. 14. Ezechiae; communis autem fere est inter modernos interpretes sententia, temporis indicationem ex *Is.* 38,1 (4 *Reg.* 20,1) per librariorum errorem in eum, quem hodie occupat, locum (36,1) esse transpositam. Isaias enim ordinem chronologicum ob rationem, quae ex analysi (253) elucebit, in expeditione Sennacherib et morbo Ezechiae referendis non observaverat, temporis autem indicationem (« a. 14. Ezechiae ») secundae suae narrationi de morbo Ezechiae adscripserat, quem revera a. 14. regni sui aegrotasse ex eo constat, quod precanti quindecim vitae anni a Deo sint concessi (*Is.* 38,5; 4 *Reg.* 20,6), universi vero regni anni fuerint undetriginta (4 *Reg.* 18,2; 2 *Paral.* 29). Morbum autem Ezechiae praecessisse expeditioni Sennacherib, quum ex narratione ipsa satis appareat, tenent cum Forer., Sanct., a Lap., Sa, Malv. etc. plerique moderni. Cfr *Knabenbauer* Der Prophet Isaias p. 402. 430. 445; Comm. in Is. I. p. 5 sq. Ne in alienam segetem falcem mittere videamur, difficillimam quaestionem de chronologia regum Iuda et Israel saec. 8. extricare non conabimur; sed in sequenti tabula systema proponimus a *P. de Hummelauer* (Stimmen aus M. Laach 1873. IV. p. 149 sqq.; 1874. VII. p. 313 sqq., aliisque scriptis) erudite explicatum, quod fini nostro plane sufficit.

| REGES IUDA. | REGES ISRAEL. | | REGES ASSYRIAE. | |
|---|---|---|---|---|
| | Ieroboam II | 802-762 | | |
| Ozias (Azarias) 799-747 [a] | | | | |
| | | | Salmanasar III. (V.) | 781-772 |
| | Zacharias | 762 | Assurdanil | 771-754 |
| | Sellum | 761 | | |
| (Ioathan socius regni 757) | Menahem | 760-750 | Assurnirar | 753-745 |
| | Phaceia | 750-748 | (*Phul* Chaldaeus) [b] | |
| | Phacee | 748-728 | | |

(a) P. de Hummelauer supponit Oziam undecim primos annos simul regnasse cum patre suo Amasia, et decem ultimos, postquam lepra percussus est, una cum Ioathan filio suo.

(b) Recte cum aliis supposuit, regem Phul eundem esse atque Theglatphalasarem II. Duo

| REGES IUDA. | | REGES ISRAEL. | | REGES ASSYRIAE. | |
|---|---|---|---|---|---|
| Ioathan solus rex | 774-741 | | | *Theglatphalasar* II. | 745-727 |
| Achaz | 741-725 | | | | |
| Ezechias | 725-696 | Osee | 728-720 | *Salmanasar* IV. (VI) | 727-721 |
| | | Destructio Samariae | 720 | *Sargon* | 721-704 |
| | | | | *Sennacherib* | 704-680 |
| Manasses | 696-641 | | | | |
| | | | | *Esarhaddon* | 680-667 |
| | | | | Assurbanipal | 667-626 |
| Amon | 641-639 | | | | |
| Iosias | 639-608 | | | Asuredilel | 626-606 |
| Ioachaz | 608 | | | | |
| Ioakim | 608-597 | | | Destructio urbis Ninive (606) (*Nabuchodonosor* socius regni patris sui Nabopalasar in BABYLONIA a. 605. post patris mortem a. 604. solus regnat usque ad a. 562.) | |
| Iechonias | 597 | | | | |
| Sedecias | 597-586 | | | | |
| Destructio regni Iuda. | | | | | |

Alia systemata chronologica cfr apud *Raska* Chronologie der Bibel. Wien 1878.; *A. Schäfer* Biblische Chronologie Münster 1879., qui fere consentit cum *Oppert* (La Chronologie bibl. Paris 1868. et Salomon et ses successeurs. Paris 1877.); *Neteler* in Tüb. Quartalschr. 1874. p. 389 sqq. et Zusammenhang der Alttestam. Zeitrechnung mit der Profangeschichte Münster 1885.; *Brunengo* La cronologia biblico assira. Prato 1886. etc.

9. Testimonia thalmudica et biblica multa affert *Carpzov*. Introd. III. p. 93 sq. Quibus omissis cfr *S. Iust. M.* c. Tryph. 120 (M. 756), qui Iudaeos in suis Scripturis ea delevisse censet, « quae mortem Isaiae spectant, quem serra lignea dissecuerunt »; *Orig.* ad Afric. 9 (M. 11,65) apocryphum de morte Isaiae editum iam cognovit, « quem librum fortasse consulto depravarunt Iudaei quibusdam dictionibus, quae Scripturas non decent, insertis, ut toti fidem abrogarent »; cfr etiam In Ps. 37. hom. I; in Matth. t. X. 18; in Rom. VIII. 6 (M. 12,1370; 13,881; 14,1174); *S. Athan.* Or. de incarn. Verbi 37 (M. 25,160) : « Isaias sectus est, non crucifixus »; *Ps. Epiph.* De vitis Prophet. 7. (M. 43,397) et iuniores graec. hagiogr. Ex Latinis cfr *Tert.* De pat. 14; Scorp. c. Gnost. 8 (M. 1,1270; 2,137); *Lact.* Inst. divin. IV. II (M. 6,477); *S. Ambros.* In Luc. 20,10 (M. 15,1800); *S. August.* Civ. Dei XVIII. 24 (M. 41,582); *S. Hieron.* In Is. 1,10; 57,1 etc. (M. 24,33. 568) : « apud Iudaeos certissima traditio »; quam sequuntur iuniores Latini multi. De eius veritate nullus unquam Pater dubitavit, eoque tutius potest admitti, quo minus ad eam fingendam Scripturae ansam praebuerunt. Licet enim Manasses sanguinem innoxium multum effudisse legatur (4 *Reg.* 21,16) et a Fl. Iosepho etiam dicatur prophetas occidisse (Antiq. X. 3,1), de Isaia tamen occiso cogitare non potuerunt Iudaei, quoniam in inscriptione libri sui Isaias (1,1) Manassen non nominavit ac proin ante eius regnum mortuus esse videbatur. Quapropter nihil obstat, quominus traditioni fidem adhibeamus cum Marty-

enim ultimi Assyriae reges, Asurnadil et Asurnirar, desides fuerunt, ita ut eorum tempore Phul Chaldaeus eorum provincias paullatim sibi subiiceret, donec post ultimi mortem thronum assyriacum occuparet nomenque babylonicum Theglatphalasar assumeret. Coniecturam hanc nunc confirmant inscriptiones postea repertae; cfr *Schrader* Keilinschriftl. Bibliothek. II. 1890. p. 286.

rologio Rom., quod die 6. Iulii legit : « In Iudaea S. Esaiae prophetae, qui sub Manasse rege sectus in duas partes occubuit ». Cfr *Acta SS.* Iul. II. Fabulis multis deformatum est prophetae martyrium in apocrypha « Ascensione Isaiae, » de qua cfr *Introd. gener.* Ed. 2. 1894. p. 224 sq. — De loco sepulturae Isaiae varia traduntur, quae proponere et diiudicare ad nos non spectat.

10. Si tamen genuina est lectio hebr. : בחזון ישעיהו על ספר מלכי־יהודה « in visione Isaiae (quae recepta est) in librum regum Iuda », dicendum videtur Isaiam commentarios de integra vita Ezechiae edidisse, nam allegatio haec etiam illa complectitur, quae 2 *Paral.* 29.-31. leguntur et in canonico nostro libro Isaiae desunt. Cum hac lectione consentit quidem *Syrus*; sed *Alex.* et *Vulg.* legunt « in visione Isaiae *et* in libro regnum Iuda »; duos igitur fontes indicant.

251. — Difficillimis reipublicae temporibus Deus Isaiam elegit, qui tamquam custos fidelis in alta specula positus futuris poenis praedictis impios suos contribules a peccatis revocaret piosque omnes futura salute annuntiata regnique messianici felicitate descripta consolaretur et confortaret. Usque ad saec. 8. Deus, ut filiorum Israel idololatriam puniret durasque cervices frangeret, vicinis gentibus, Syris, Ammonitis, Moabitis etc. velut flagellis erat usus; interea autem in orientalibus Asiae partibus magnum sibi praeparaverat Assyriorum regnum, quo infidelitatem in dies crescentem puniendam decreverat. Quatuor reges regni Iudae enumerat Isaias, quorum tempore munere suo functus sit : Oziam, Ioathan, Achaz, Ezechiam; eorum historiam paucis verbis adumbrabimus, ut quae prophetae fuerit provincia clarius appareat.

Eodem fere tempore, quo Ozias (799.-747.) regnum meridionale, Ieroboam II. (802.-762.) septemtrionale tenuit; fortissimus quidem is erat rex, qui « restituit terminos Israel ab introitu Emath usque ad mare solitudinis iuxta sermonem Domini, quem locutus erat per servum suum Ionam, filium Amathi, prophetam ». Ad summum igitur fortunae culmen regnum septemtrionale adduxit iis ferme restitutis finibus, quos tempore Davidis et Salomonis filii Israel habuerant. Quoniam vero « fecit quod malum est coram Domino neque recessit ab omnibus peccatis Ieroboam (I.) filii Nabat », mendax erat et fucata haec regni conditio neque externae respondebat interna regni felicitas. Non tantum vitulis, quos erexerat Ieroboam I., in toto regno sacrificabatur, sed Baalim quoque cultus, quem Iehu Ieroboami II. proavus exstirpaverat, in tota terra revixerat, atque maxima erat morum corruptio : pauperes opprimebantur, iustitia pervertebatur, divites lasciviebant in stratis suis eburneis de regni conditione parum solliciti, rex et populus prophetarum monita irridebant[1]. Ita factum est, ut post Ieroboami II. mortem internis dissidiis regnum sit perturbatum et dilaceratum; filius eius Zacharias post paucos menses a Sellum (a. 761.), Sellum post mensem a Manahem throno et vita privati sunt; Manahem (760.-750.) autem Phul, regem Assyriorum, ingenti pecuniarum summa permovit, « ut esset ei

in auxilium et firmaret regnum eius ». Ipsi igitur Israelitae gentem illam ad se advocarunt, quam Deus in eorum interitum praeparaverat; neque obtinuit Manahem quod speraverat : regnum eius non est firmatum. Licet ipse per decem annos thronum occupaverit, filius eius Phaceia (750.-748.) iam post duos annos a duce exercitus eius, Phacee filio Romeliae (748.-728.), e throno deiectus et occisus est, atque ab eo tempore Assyrii incursiones suas repetierunt, usque dum integram terram sibi subiecissent omnesque regni Israel tribus in captivitatem abduxissent[2].

Omnes hae regum Israel mutationes factae sunt, quo tempore *Ozias* (Azarias) thronum Iuda occupavit. Qui quum pius esset rex « faceretque quod erat rectum in oculis Domini et exquireret Dominum, etiam ab eo in omnibus directus est », ut regnum eius unum esset ex gloriosissimis in tota historia Iuda. Non tantum fines regni versus meridiem usque ad Elath extendit, quem portum Idumaeis ereptum ampliavit munivitque, versus occidentem usque in terras Philisthaeorum, quorum oppida Geth, Iabnia, Azotum expugnavit, versus orientem in Ammonitarum regionem, quam tributariam sibi fecit, sed etiam sanctam civitatem novis exstructis munitionibus et totum regnum magno congregato exercitu firmavit. Neque ita erat rebus bellicis intentus, ut regni administrationem negligeret, sed non minore cum cura opes regni sui augere studuit; quem in finem « exstruxit turres in solitudine et effodit cisternas plurimas, eo quod haberet multa pecora, eratque homo agriculturae deditus ». Itaque « egressum est nomen eius procul, eo quod auxiliaretur ei Dominus et corroborasset illum ». At fidelis in Dei servitio non permansit; quominus populus in excelsis sacrificaret et incensum adoleret, non impediverat, et quum roboratus esset, superbia elatus munus sacerdotale sibi arrogans in templo incensum adolere voluit. Quapropter lepra a Deo percussus ultimos vitae annos in domo separata peregit regni administratione filio suo Ioatham (Ioathan) tradita (a. 757.)[3]. Gloriosum eius regnum descripsit Isaias (250 p. 307.), qui anno mortis Oziae (a. 747.) uti diximus, munus propheticum iniit.

Eandem viam, quam pater eius, tenuit *Ioatham* (757. vel 747.-741.) « corroboratusque est eo quod direxisset vias suas coram Domino Deo suo ». Eadem fuit eius fortitudo in Ammonitis debellandis, qui Ozia mortuo iugum decutere conati erant; eadem sollicitudo in civitate sancta ornanda et munienda exstruendisque castellis et turribus per totam terram; at eadem quoque negligentia in auferendis excelsis, in quibus populus immolabat. Ex continuo autem hoc cultu illicito, qui ab idololatria non admodum erat remotus, et ex diuturna felicitate, qua sub Ozia et Ioatham regnum meridionale gavisum est, paullatim exorta est morum corruptio, quam paucis verbis innuit auctor Paralip.

(« et adhuc populus delinquebat »), fusius et vehementius Isaias vaticiniis eo tempore editis castigat iudicio indicto superbis principibus, mulieribus luxuriosis, viris avaris, ebriosis, impiis. Neque longe abfuit iudicium, nam « in diebus illis coepit Deus mittere in Iudam Rasin regem Syriae et Phacee filium Romeliae »[4].

Advenit autem peccatorum poena tempore *Achaz* (741.-725.), qui patre Ioatham mortuo in thronum David ascendit, at « non fecit rectum in conspectu Domini, sicut David pater eius; sed ambulavit in viis regum Israel ». Immo peiores vias est ingressus, quum cultum Baalim in regno Israel fere abolitum in regnum Iuda adduceret, suos ipsius filios igne idolis consecraret (aut secundum nonnullorum interpretationem in holocaustum offerret), sacrificaretque in omnibus collibus et sub omni ligno frondoso. Quamobrem ea implere coepit Deus, quae sub Ioatham per Isaiam iam erat comminatus. Phacee enim, rex Israel, foedus inierat cum Rasin, rege Syriae (Damasci), probabiliter ut Assyriis, qui regnum suum usque ad mare mediterraneum extendere conabantur, unitis viribus resisterent; at primam suam expeditionem contra regem Achaz direxerunt, forte ne cum Assyriis debellantes periculosum hostem a tergo relinquerent. Rasin a meridie regnum Iuda aggressus occupavit Elath (Aila), quem portum Ozias quinquaginta annis antea expugnaverat et munierat, eiecitque ex eo Iudaeos magnamque praedam adduxit Damascum. Interea Phacee ab orientali, ut videtur, parte, regnum aggressus maiorem cladem regi intulit; nam « occidit de Iuda centum viginti millia in die uno, omnes viros bellatores », inter quos erant Maasias regis filius et duo praecipui eius duces; « ceperuntque filii Israel de fratribus suis ducenta millia mulierum, puerorum et puellarum et infinitam praedam ». Moniti quidem a propheta Oded liberos dimiserunt captivos suos, at bellum denuo exarsit. Ipsam enim domum davidicam destruere voluerunt reges Syriae et Israel et in Ierusalem regum constituere « filium Tabeel » quendam (*Is.* 7,6); quem in finem exercitus suos contra sanctam civitatem duxerunt. In extremo hoc periculo Deus promissionis Davidi et domui eius factae memor per Isaiam regi Achaz auxilium suum obtulit eumque, ut futuri auxilii certior fieret, signum quodcunque petere iussit. At abnuit rex impius atque Assyriorum quam Domini Dei sui auxilium implorare maluit. Sicut rex Manahem, ut regnum suum firmaret, assyriacum regem advocaverat in regnum septemtrionale, ita Achaz eundem in regnum meridionale arcessivit; etenim « quum collegisset argentum et aurum, quod inveniri potuit in domo Domini et in thesauris regiis, misit regi Assyriorum munera » humilibusque precibus eum rogavit, ut sibi contra Rasin et Phacee auxilium ferret. Acquievit Theglatphalasar petitioni eius; cum magno exercitu accurrens non tantum Damascum cepit va-

stavitque et rege Rasin interfecto incolas Damasci in Assyriam transtulit, sed etiam rege Phacee devicto septemtrionali parte regni Israel potitus multos Israelitas in Assyriam abduxit. Plenus gaudio accurrit Achaz Damascum, ut regi Assyriorum gratias ageret, atque divinae Legis prorsus oblitus ipsum templum Domini contaminavit; ut gratum enim se praestaret Assyriis aereum altare, quod erat coram Domino, removit eiusque in loco alterum exstruxit ad instar eius, quod viderat Damasci. Quae omnia ei non profuerunt; nam sicut Isaias praedixerat, « adduxit Dominus super eum aquas fluminis fortes et multas, regem Assyriorum et omnem gloriam eius... et extensio alarum eius implevit latitudinem terrae Emmanuel » i. e. integrum regnum Iuda (*Is.* 8,7 sq. cfr 7,17). Devictis enim regibus Israel et Syriae Teglatphalasar arma vertit in ipsum Achaz; teste auctore Paralip. «afflixit regnum Achaz et nullo resistente vastavit », atque in una ex ultimis suis inscriptionibus Theglatphalasar enumerat Achaz regem Iuda inter tributarios suos. Idumaei quoque et Philisthaei felicibus incursionibus magnam praedam et nonnullas civitates regi Achaz eripuerunt; « humiliavit enim Dominus Iuda propter Achaz eo quod contemtui habuerat Dominum »[5].

Phacee a Theglatphalasar devictus paullo post interfectus est ab Osee, filio Ela, qui ultimus fuit rex Israel (728 - 720). Minus quidem malum eum fuisse quam eius praedecessores refert sacer auctor, attamen « malum eum fecisse coram Domino » addit; itaque imminentem regni interitum impedire non potuit. Tributarius factus a Salmanasar Assyriorum iugum excutere conatus est auxilio quaesito apud Sua (Sabaca) Aegypti regem. At novo exercitu adducto Salmanasar regnum Israel devastavit, regem Osee cepit vinctumque misit in carcerem, Samariam obsedit; eius autem successor Sargon urbem expugnavit et incolis in Assyriam translatis regnum Israel destruxit (a. 720.)[6].

Felicior interea conditio fuit regni meridionalis; Achaz enim successorem habuit filium *Ezechiam* (725.-696.), « qui fecit quod erat bonum coram Domino iuxta omnia, quae fecerat pater eius David...; itaque post eum non fuit similis ei de cunctis regibus Iuda, sed neque in his, qui ante eum fuerunt. Unde et Dominus erat cum eo ». Duo sibi proposuit piissimus rex, praeprimis idololatria destructa et legitimo cultu divino restituto mores populi voluit reformare, deinde excusso Assyriorum iugo regno suo libertatem vindicare. Quemadmodum fuse narrat auctor Paral. Ezechias iam « anno et mense primo regni sui aperuit valvas domus Domini et instauravit eas »; templum, quod Achaz polluerat, per levitas sacerdotesque lustrandum curavit magnaque cum sollemnitate sacrificia expiatoria obtulit; « et completus est cultus domus Domini ». Paucis deinde ut videtur annis post[7] indixit pascha celebrandum, ad quod etiam reliquias tribuum septemtriona-

lium invitavit; « congregatique sunt in Ierusalem populi multi, et surgentes destruxerunt altaria, quae erant in Ierusalem, atque universa, in quibus idolis adolebatur incensum, subvertentes proiecerunt in torrentem Cedron ». Quibus peractis « facta est grandis celebritas in Ierusalem, qualis a diebus Salomonis in ea urbe non fuerat »; eaque terminata « egressus est omnis Israel, qui inventus fuerat in urbibus Iuda et fregerunt simulacra, succideruntque lucos, demoliti sunt excelsa et altaria destruxerunt non solum de universa Iuda et Beniamin, sed et de Ephraim quoque et Manasse ». Quibus non obstantibus integram idololatriam non esse destructam satis elucet ex Isaiae et Michaeae vaticiniis, quae ad hoc tempus pertinent (cfr ex. gr. *Is.* 30,22; 31,7 etc.); haud pauci enim idola sua secreto colebant, multo plures ob regis timorem mere externo cultu Dominum venerabantur[8], atque magnam remansisse, praesertim inter divites regnique principes, morum corruptionem, clare docent Isaiae Michaeaeque conciones, quibus luxuriam, iniustitiam, venalitatem principum sacerdotumque et pseudoprophetarum vehementer obiurgant. Ita factum est, ut etiam Ezechiae tempore, quamvis felix fuerit eius regnum, Deus ab omni populi sui castigatione abstinere non potuerit. Philisthaeos quidem, qui ultimis annis Achaz nonnullas civitates iudaicas occupaverant, Ezechias plane devicit integramque eorum terram usque ad Gazam sibi subiecit; internus quoque reipublicae status erat florentissimus; nam « dives et inclytus valde erat Ezechias et thesauros sibi plurimos congregaverat argenti et auri et lapidis pretiosi... et urbes sibi aedificaverat et habebat greges ovium et armentorum innumerabiles » . At neque assyriacum iugum abiicere neque Assyriorum invasionem avertere potuit. Magnatibus enim, qui regi persuadere conabantur, ut Aegyptiorum auxilio implorato contra Assyrios insurgeret, fortiter restitit Isaias monens, « in silentio et spe esse fortitudinem » atque a Domino solo expetendam et exspectandam esse liberationem (*Is.* 30. 31.) Quibus monitis regem paruisse neque primis regni annis foedus cum Aegypto inisse, patet consideranti, terram Iuda eo tempore, quo Salmanasar eiusque successor Sargon Tyrum occuparunt regnumque Israel destruxerunt (723.-720.), ab Assyriorum incursionibus et vexationibus liberam fuisse. Aliter autem se res habuit, quum Ezechias a Merodach Baladan, rege Babylonis, ad foedus ineundum esset sollicitatus. A. 14. regni sui (a. 711.) gravissime aegrotavit Ezechias, sed miraculo sanatus promissionem a Deo accepit, quindecim annos vitae eius additum iri, promissionemque Deus magno miraculo confirmavit. Qua occasione usus Merodach legatos cum muneribus literisque misit, qui regi de sanitate restituta congratularentur eumque de portento interrogarent; praecipuus autem legationis finis fuit, ut regem ad foedus ineundum permoverent. Me-

rodach enim, qui iam pridem Babylonem occupaverat, primum a Theglatphalasar atque iterum a Sargon victus et throno orbatus Elamitas, Aegyptios regesque Syriae et Phoeniciae foedere secum coniungere conabatur, ut unitis viribus Assyrios impugnarent (c. a. 709). Neque abnuisse videtur Ezechias, siquidem legatis gloriabundus omnes suos thesauros ostendit; « dereliquerat enim eum Deus, ut tentaretur et nota fierent omnia, quae erant in corde eius », nam « exaltatum erat cor eius, tam ipsius, quam habitatorum Ierusalem ». Legatis profectis advenit Isaias, qui regi praedixit omnes istos thesauros, quos legatis ostenderat, in Babyloniam transportatum iri; at altera poena antea ei populoque eius inflicta est. Post Sargonis enim mortem Merodach thronum quidem Babylonis iterum ascendit (a. 704.), sed post sex menses iam devictus est a Sargonis filio et successore Sennacherib, qui deinde arma in eius socios vertit. Rapido cursu cepit Charcamis, et Euphratem transgressus Arpad, Hamath, Damascum, Sidonem aliasque civitates Phoeniciae; Ammonitae, Moabitae, Idumaei ei tributum miserunt; Ascalonem, Ioppe etc. vi expugnavit, sed etiam quadraginta sex civitates munitas regni Iuda aliaque oppida minora, ex quibus plus ducenta millia captivorum abduxit. Tunc perterritus « misit Ezechias nuntios ad regem Assyriorum in Lachis dicens : Peccavi; recede a me, et omne quod imposueris mihi feram ». Trecenta talenta argenti et triginta talenta auri postulavit Sennacherib; quibus acceptis pactum fregit legatisque missis primum incolas Ierusalem, dein quum Aethiopiae regem Tharacam cum exercitu contra se accedere audisset, Ezechiam ad deditionem exhortari conatus est. At restitit Ezechias confortatus ab Isaia, per quem Deus auxilium suum regi promisit. Exercitus autem regis Assyriorum, quum sanctam civitatem obsidere vellet, una nocte per Angelum Dei destructus est, antequam sagittam in urbem mittere potuerat; ita enim Deus per Isaiam praedixerat (a. 701.). Fugitivus Sennacherib reversus est in terram suam nec amplius arma vertit contra Iudaeos; ultimi autem anni Ezechiae felices fuerunt[9].

Successorem habuit filium suum *Manassen* (696-641) regem impiissimum, qui idololatriam ab Ezechia exstinctam resuscitavit. Sed eius historiam infra (260 p. 359 sqq.) adumbrabimus, siquidem ad Isaiae vaticinia intelligenda directe non iuvat.

1. De Ieroboamo II. agitur 4 *Reg.* 14,23-29; quae fuerit interna regni conditio quaeque inter Israelitas morum corruptio, apparet ex vaticiniis *Amos* et *Osee*, qui eius aetate munere prophetico in regno septemtrionali functi sunt. Cfr *infra* 298.

2. Cfr 4 *Reg.* 15,8-31.

3. Cfr 2 *Paral.* 26,1-23; 4 *Reg.* 15,1-7. Ad annum mortis Oziae pertinet *Is.* 6.

4. Cfr 2 *Paral.* 27,1-9; 4 *Reg.* 15,32-38. Huc pertinent *Is.* 2.-5.; cfr 3,1 sqq.; 5,8 sqq.

5. Cfr 2 *Paral.* 28,1-27; 4 *Reg.* 15,29; 16,1-20 huc pertinent; *Is.* 7.-12. De ex-

peditionibus a Theglatphalasar II. contra Syriam Israel Iuda susceptis quid tradant inscriptiones cuneiformes, vide penes *de Hummelauer* (Stimmen aus M. Laach 1873. IV. p. 143; 1874. VII. p. 319 sqq.), *Vigouroux* (La Bible et les découvertes modernes IV. p. 81 sqq.), *Brunengo* (L'imperio di Babilonia e di Ninive I. p. 470 sqq.), *Schrader* (Keilinschr. und A. T. Ed. 2. p. 240 sqq. 263 sqq.).

6. Cfr 4 *Reg.* 15,30; 17,1-6. Testimonia cuneiformia afferunt *de Hummelauer* (l. c. IV. 143; VII. p. 518 sqq.), *Vigouroux* (l. c. IV. p. 120 sqq.), *Brunengo* (l. c. I. p. 485-517), *Schrader* (l. c. p. 260. 265 sqq.).

7. 2 *Paral.* 29,1-31,1. Ex narratione hac nonnulli concludunt, iam 1. a. Ezechiam pascha illud sollemne celebrasse (cfr 30,1 cum 29,3); quod parum probabile videbitur consideranti, unius mensis spatio nec omnia illa, quae de lustratione templi narrantur, peragi nec omnia ad festum celebrandum apte praeparari potuisse. Accedit autem, quod illo anno Ezechiae non licuit septemtrionales tribus, quae suum regem habebant, ad festum invitare, atque multo minus Iudaei illo iam tempore in terra Ephraim et Manasse excelsa et idola destruere potuerunt. A. 2. Ezechiae autem Salmanasar iam terram Israel occupare et Samariam obsidere coepit; quare pascha hoc post Samariae destructionem 6. vel 7. a. Ezechiae celebratum esse rectius statuimus. Nam ipsa quoque invitatio dirigitur « ad reliquias, quae effugerunt manum *regum* Assyriae » (30,6 text. hebr.); ergo sermo non est de solis Nephtalitis, quos abduxerat Theglatphalasar, sed etiam de aliis tribubus transportatis a Sargone. Auctor autem Paral. in tota sua narratione de regno Ezechiae non indicat annos; si quis vero ex simplici nexu pericoparum concludere voluerit, omnia, quae narrantur, immediate sese excepisse sine ullo temporis intervallo, etiam expeditionem Sennacherib iam 2. vel 3. Ezechiae anno factam esse dicet; constat vero eam a. 24. esse factam.

8. Cfr *Is.* 29,13; *Mich.* 6,6 sqq. etc.; quare etiam *Is.* 1. Ezechiae aetati recte adscribi videtur (1,11 sqq.).

9. De Ezechiae regno agunt 4 Reg. 18,1-20,21; 2 *Paral.* 29,1-32,33; *Is.* 36.-39.; ad idem tempus tantum non omnia vaticinia *Is.* 13.-35. pertinent. Quae de Merodach Baladan (in 4 Reg. erronee : Berodach) et de expeditione Sennacherib tradunt inscriptiones assyriacae, collegerunt *de Hummelauer* (l. c. IV p. 144-152; VII. p. 519-525), *Vigouroux* (l. c. IV. p. 171 sqq.), *Brunengo* (l. c. I. p. 556 sqq.; II. p. 1-49); *Schrader* (l. c. p. 285-328) etc.

## § 5. — *De libri Isaiae argumento, ordine, indole.*

252. — Multis concionibus, quae quinquaginta circiter annorum spatio sunt habitae, multisque vaticiniis eodem tempore prolatis aut scriptis librum Isaiae constare, titulus integro operi praefixus (« Visio Isaiae, quam vidit super Iudam et Ierusalem in diebus Oziae, Ioatham Achaz et Ezechiae, regum Iuda ») et nonnullarum pericoparum inscriptiones[1] docent. Errant autem, qui cum modernis rationalistis plerisque librum nostrum nihil esse volunt nisi farraginem quandam vaticiniorum nescio unde collectorum, cui omnis argumenti unitas, omnis ordo aptaque rerum dispositio plane desint[2]. Procul dubio varia themata tractantur; propheta enim a Deo missus, ut tamquam fidelis custos populo suo invigilans eum « ad Legem et testimonium » revocaret, in divinorum praeceptorum observantia retineret et promoveret, ad

Messiae promissi adventum praepararet, pro munere suo secundum auditorum necessitates ab aliis et aliis vitiis eos revocare, eos mox obiurgare, mox consolari, mox confortare debuit. Nihilominus integro operi UNITAS ARGUMENTI non deest, quum omnes pericopae, quamvis diversum sit earum thema, ad unum finem collineent unaque ut ita dicamus idea regantur. Neque enim immerito moderni interpretes nonnulli totum libri argumentum illis primi capitis verbis comprehendi arbitrantur, quae *Rupertus Tuit.* pulchre vocavit « edictum gratiae »: « *Sion in iudicio redimetur et conversi eius in iustitia* »[3]. Universum Isaiae librum esse « consolationem » olim rectissime iam monuerunt Thalmudici; namque iudicium quidem annuntiat propheta filiis Israel gravissimasque poenas, at iudicium et poenae, etsi in interitum sint occaecatorum, in salutem erunt reliquiis, quae seria acta poenitentia ad Dominum Deum suum revertentur. In semine autem Abrahae benedicendae quoque erant gentes, quae longius, quam ipsi filii Israel, a Deo suo recesserant; quare sicut Iuda et Ierusalem in iudicio redimentur, ita etiam severum Dei iudicium super omnes gentes veniet omniaque huius mundi regna destruet, ut gentium quoque reliquiae beneficiorum regni messianici participes fiant, quod in priorum regnorum ruinis erectum non dissipabitur in aeternum. Novi autem regni centrum erit Ierusalem (2,2 sqq.) eiusque rex procedet ex Iuda (4,2 etc.); ideo omnia vaticinia, etiamsi de externis et longinquis gentibus nonnulla agant, propheta, ut eorum unitatem insinuet, inscribit « de Iuda et de Ierusalem », quippe ad quae vere referantur[4].

Clarius unitas haec apparebit, si in LIBRI ORDINEM inquisiverimus[5]. S. Hieronymus eumque secuti alii interpretes chronologico ordine vaticinia disposita esse existimarunt. « Quod in titulo ponitur, inquit S. Doctor, prophetasse eum sub Ozia et Ioatham et Achaz et Ezechia regibus Iuda, non ut in aliis prophetis confuse intelligendum est, ut nesciamus quid et sub quo specialiter rege dictum sit; sed usque ad finem voluminis scriptum refertur, quid seorsim sub Ozia, et quid sub Ioatham, et quid sub Achaz, et quid sub Ezechia a Domino ei revelatum sit »[6]. Quae parum recte asseruntur. Ultimo enim Oziae anno sola visio c. 6. adscribitur, neque alibi eius nomen legitur; Ioatham in solo titulo (1,1) nominatur nec ullum eius tempori diserte attribuitur vaticinium; in regno Achaz edita indicantur 7,1 sqq. et ultimo anno eiusdem regis adscribitur parvum vaticinium contra Philisthaeos (14, 28 sqq.); Ezechias demum in titulo (1,1) et in pericopis historicis (36.-39.) dumtaxat nominatur; secundum regna igitur partes libri distingui non possunt. Adde, prologum (c. 1.) tempori Ezechiae, cpp. 2.-5. regno Ioatham probabilius attribui ac proin visione c. 6. esse recentiora; item vaticinium contra Philisthaeos (14,28 sqq.) recentius videri quam

onus Babylonis (13,1-14,27) etc. Unde clarum est, ordine chronologico vaticinia non esse disposita, licet non negemus aliquam quoque temporis rationem in illis disponendis esse habitam [7].

Omnes fere moderni interpretes duas partes illas distinguunt [8], quas iam scholastici interpretes, S. Thomas, Lyranus etc., indicarunt divisionis fundamento petito ex ipso argumento. « Intentio huius prophetiae, inquit *Lyranus* Aquinatem secutus, est narrare Christi mysterium; quod quidem mysterium fuit ad deiectionem superborum et exaltationem humilium; propter quod S. Simeon dixit : ecce hic positus est in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel. Et ideo Isaias denunciando et scribendo Christi mysterium, simul denuntiat et scribit deiectionem peccatorum superbientium et erectionem humilium et iustorum. Et secundum hoc processus libri huius in duas partes dividitur, quia primo describitur peccatorum deiectio (1.-39.), secundo iustorum erectio (40.-66.) »; vel rectius secundum *S. Thomam* « in prima parte ponitur comminatio divinae iustitiae ad excidium peccatorum (1.-39.), in secunda consolatio divinae misericordiae ad resurrectionem iustorum (40.-66.) » [9]. Qua in divisione solae pericopae historicae (36.-39.), quae duas partes propheticas (1.-35. et 40.-66.) apte separant, difficultatem quandam creant; cum S. Thoma et Lyrano plerique eas ad priorem partem trahunt, alii ad neutram eas pertinere volunt. At quatuor istis capitibus duo eventus regni Ezechiae narrantur, duobus prioribus (36.-37.) miraculosa liberatio urbis sanctae ab obsidione Sennacherib regis Assyriorum, duobus alteris (38. 39.) imprudentia Ezechiae thesauros suos legatis regis Babyloniae ostendentis, atque vaticinium Isaiae praedicentis omnes thesauros illos in Babyloniam transportatum iri. Iam vero prior narratio cum vaticiniis praecedentibus, quae regem populumque ad invasionem Sennacherib praeparant, intime cohaeret eorumque impletionem demonstrat, altera aptissima est praefatio vaticiniorum secundae partis, quae in liberatione ex exsilio babylonico et ex iugo peccati describenda integra versatur. Quare illis omnino assentimur, qui duas partes ita distinguunt, ut priorem narrationem priori parti attribuant (1.-37.), alteram secundae (38.-66.).

A priore tamen parte sex prima capita velut integri operis introductionem separemus oportet [10], qua summum eius argumentum indicatur, auctoritas eius demonstratur, fructus, quem inter Iudaeos producturum sit innuitur. Tribus autem concionibus et visionibus constat, quarum prima argumentum comminativum magis evolvit promissionibus obiter indicatis (c. 1.), altera promissiones multo clarius praedicat (c. 2.-5.), tertia descriptione visionis, qua Isaias propheta inauguratus est, libri auctoritatem et fructum, quem inter suos proferet, manifestat (c. 6.). Porro prior pars sua sponte in tres sectiones distribuitur; nam

prima agit de periculo, quod regno Iuda ab Assyriis per Achaz advocatis imminebat (c. 7.-12.), altera complectitur vaticinia contra exteras gentes (c. 13.-27.), tertia demum praeparat animos ad invasionem Sennacherib narratque felicem belli istius assyriaci exitum (c. 28.-37.). Altera quoque pars praeter praefationem historicam (c. 38. 39.) tres sectiones complectitur eiusdem fere longitudinis, quae versu intercalari (« Non est pax impiis, dicit Dominus » 48,22; 57,21) distinguuntur. Eorum vero argumentum interpretes multi recte indicatum vident 40, 2 : « completa est malitia » (vel rectius : *militia* צָבָא i. e. molestia et afflictio c. 40.-48.), « dimissa est iniquitas » (c. 49.-57.), « suscepit Ierusalem duplicia » i. e. « multas magnasque gratias pro suis peccatis et poenis peccatorum, quas merebatur » (c. 58.-66.). Concinna igitur est totius libri divisio :

I. Introductio tripartita (1.-6.).
II. *Pars prior.* Sion et mundus in iudicio redimentur (7.-37.)
1. Sion tempore Achaz a Deo per Assyrios punitur, sed salvatur propter Emmanuel (7.-12.);
2. Regna ethnica omnia a Deo destruuntur, ut eorum reliquiae benedictionum regni messianici participes fiant (13.-27.).
3. Sion tempore Ezechiae a Deo per Assyrios iterum punitur; sed salvatur, quia credidit (28.-37.).
III. *Pars altera.* Conversi in iustitia redimentur (38.-66.).
1. Post historicam introductionem (38. 39) promittit propheta terminatam esse aerumnam (40.-48.),
2. dimissam esse iniquitatem (49.-57.),
3. multiplices fore benedictiones regni messianici (58.-66.).

Accuratiorem idearum nexum in analysi paucis indicare conabimur, ut operis unitas clarius eluceat.

1. *Is.* 2,1; 6,1; 7,1 sqq.; 13,1; 14,28 et reliqua vaticinia minacia contra exteras gentes; 36,1 sqq.

2. *Bertholdt* Einleitung p. 1354 in libro nostro invenit « die gräuelichste Unordnung », *Eichhorn* Einl. IV. p. 120 « propheticam quandam anthologiam » casu fortuito exortam; cfr etiam *de Wette Schrader* Einl. p. 423 sq.; *Bleek Wellhausen* Einl. p. 346 sqq.; *Reuss* Gesch. des A. T. p. 305 sqq. 426 sqq.; *Vatke* Einl. p. 620 sqq. etc Ad eandem opinionem transiit *Bickell* Innsb. Zeitschr. für kath. Theologie 1886. p. 546 sq.

3. *Is.* 1,27 (text. hebr.); alii vertere malunt : *reduces eius in iustitia* (sc. redimentur). שׁוּב utrumque sensum admittit, ut et *reverti* (ex exsilio) et *converti* (a peccato ad Deum) significet, atque fieri potuit, ut utrumque indicare voluerit propheta.

4. Cfr *S. Cyrill. Alex.* in Is. 2,1 (M. 70,65). Ad integrum librum inscriptionem non spectare, immerito nonnulli deduxerunt ex verbis illis, quae arctiore sensu explicarunt; cfr *Knabenbauer* Erkl. des Propheten Isaias p. 42.

5. Prae ceteris de ordine nexuque vaticiniorum egregie disputavit *Knabenbauer* Plan und Gedankengang des Isaias (Innsbr. Zeitschr. für kath. Theologie 1878. p.

650 sqq.; 1879 p. 18 sqq. 429 sqq.), quem in analysi tradenda praecipuum ducem sequemur in paucis tantum dissentientes. Conferri meretur ex protestanticis *Delitzsch* Der Prophet Jesaia p. 18 sqq.; etiam *Naegelsbach* Der Prophet Jesaia p. XV. sqq. 1 sq. et passim in nexum idearum diligenter inquirit.

6. *S. Hieron.* In Is. 1,1; *Card. Hugo* In Is. 6,1; *Kilber* Analysis biblica p. 359 sqq. (I. Periodus prophetiae prima : Prooemium c. 1.; Vaticinia sub *Ozia* edita 2.-5.; vaticinia sub *Ioatham* c. 6.; — II. Prophetiae periodus altera : Vaticiniorum sub rege *Achaz* classis prima pertinens ad regnum Iuda 7.-12.; classis secunda pertinens ad hostes et vicinos Iudaeorum 13.-23.; classis tertia pertinens ad mundum universum, populum Dei et gentes reliquas 24.-35.; III. Interiectio historica 36.-39.; IV. Periodus prophetiae tertia : Vaticiniorum sub *Ezechia* classis prima pertinens ad Christum et Cyrum eiusdem typum 40.-48., classis altera pertinens ad Christi evangelium et passionem 49.-54., classis tertia pertinens ad ecclesiae constitutionem 55.-66.) etc. Cfr etiam *Kaulen* Einl. Ed. 3. p. 354 sqq., qui simul ordinem aliquem rerum admittit; *Zschokke* Historia sacr. A. T. p. 267 in parte priore (1-39) « vaticinia e diversis temporibus iuxta chronologiam composita » contineri censet; simili modo *Vigouroux* Manuel bibl. II. p. 489 « Les prophéties (de la première partie) sont classées chronologiquement, non pas toutefois d'une manière rigoureuse et absolue, parce que le prophète a aussi tenu compte de la nature des sujets dans la classification qu'il a adoptée... Il est même assez vraisemblable (?) que le prophète a réuni d'abord les ch. 1.-12., c'est-à-dire les prophéties du temps d'Ozias, de Ioatham et d'Achaz, puis les ch. 13.-23. et 24.-39., datant du temps d'Ézéchias et enfin les ch. 40.-66., qui sont de la fin de sa vie ». — Ex protestanticis eandem sententiam tenent *Rosenmüller* Scholia in V. T. III. 1 p. 8 sq.; *Hengstenberg* Christologie II. p. 3., *Kay* in The Speakers Commentary V. p. 4 etc.

7. Divisionis rationem ex argumento ipso esse petitam, licet *aliqua* quoque temporis ratio habeatur, rectius censent *Knabenbauer* (Innsbr. Zeitschr. 1878. p. 652; Erkl. des Proph. Isaias p. 56. 99. 111 etc. Comm. in Is. I. p. 11 sqq. etc.), *Danko* (Hist. revelationis V. T. p. 392 sqq.), *Haneberg* (Gesch. der Offenbarung p. 298 sqq.; cfr p. 304. 305 etc.), *Trochon* (Isaie p. 17), qui chronologicum quidem ordinem admittere videtur, sed quum divisionem se ex commentario Delitzschii transumsisse dicat (p. 14), huic classi accensendus est; *Herbst-Welte* (Einl. II. 2. p. 6 sqq.) et *A. Scholz* (Einl. III. p. 299), qui tamen varias collectiones olim adfuisse censent, quae postea in unum volumen sint compactae; etc. — Ex protestanticis huc pertinent *Delitzsch* Der Prophet Jesaia p. 19 : « Die Zeitordnung ist an mehreren Stellen von *einer dem Propheten wichtigeren Sachordnung* unterbrochen »), *Küper* (Das Prophetenthum des A. T. p. 210), *Nägelsbach* (Der Prophet Jesaia p. XVI), *Keil* (Einl. p. 240) etc.

8. Ex solo argumento fundamentum divisionis desumens *Neteler* (Gliederung des Buches Isaias. Munster 1870.) artificiosa quadam ratione opus in tres partes distribuit, quae ipsae iterum dicuntur esse tripartitae. In *prima parte* (1-12 post introductionem (c. 1.) annuntiantur a.) iudicia, quibus populus ad adventum Messiae praeparatur (2,1-6,13) b.) adventus Messiae (7,1-9,7), c.) incrementa regni messianici (9,8-12,6). In *altera parte* (13-35) post introductionem (13,1-14,27) annuntiantur a.) iudicium de regno assyriaco, a quo destructum est regnum Israel (14,28-20,6), b.) iudicium de regno babylonico, a quo destructum est regnum Iuda (21,1-26,19), c.) iudicium de regno Antichristi (26,20-35,10). In *tertia parte* demum post introductionem (36.-39.) annuntiatur triplex liberatio a.) Iudaeorum ex exsilio babylonico (40.-48.), b.) generis humani ex iugo peccati (49-57), c.) Ecclesiae ab hostium suorum oppressione (58.-66.).

9. *S. Thom. Aq.* In Is. 1,2; *N. Lyranus* In Is. 1,2; *Corn. a Lap.* In Is. Argum. 4, etc. Minus apte autem *S. Thomas* (l. c.) priorem partem in tres sectiones distribuit :

« in prima comminatur duabus tribubus peccantibus (1.-6.), in secunda aliis eas persequentibus (7.-31.), in tertia liberat ab hostibus imminentibus (32.-39.) ». Nec felicius Lyranus duas sectiones distinguit : « primo ponitur punitio quantum ad Iudaeos (1,2-10,4), secundo quantum ad populos exteros (10,5-39,8). Eandem fere, quam Delitzsch et Trochon, divisionem prioris partis habet iam *Corn. a Lap.*

10. *S. Thom.*, *Lyran.* etc. solum primum libri versum vocant prologum, at confundunt titulum et prologum. Moderni longe plurimi solum c. 1. dicunt prologum; concinnior tamen erit totius prioris partis divisio, si (cum *Scholz* Comm. zum Buch d. Proph. Jerem. p. XXVI et *Nägelsbach* Der Proph. Jesaia p. 1.) introductionem sex priora capita complectere eamque tripartitam esse dicamus. Etenim visio c. 6., qua Isaias propheta inauguratur, omnino ad introductionem pertinere videtur; cur enim media inter prioris partis vaticinia sit posita, non satis intelligitur, apta vero est introductionis clausula, quum quae sit prophetae vaticiniorumque auctoritas demonstret. Simili modo Ieremias et Ezechiel ab inaugurali sua visione libros suos incipiunt, atque Ieremias bipartita sua introductione (1,1-19 et 2,1-3,5) praeter vocationem et missionem suam etiam praecipuum libri sui argumentum indicat (cfr 264), Ezechiel autem praeter vocationem etiam institutionem suam ad propheticum munus pro introductione libro praemittit (1,1-3,21). In eo tantum differt Isaias ab aliis, quod visionem inauguralem non primo in loco posuerit; id quod facile explicatur. Nam quum fructus, quem inter suos conciones prophetae sint producturae, dicitur esse occaecatio et obduratio (6,9 sqq.), visio impleta esse statim demonstratur in Achaz occaecato et obdurato (7,1 sqq.), at simul etiam demonstratur impleta, quatenus « semen sanctum » remansurum promittitur (6,13); reliquiae enim salvantur propter Emmanuel (7,14; 8,8. 10). Arcto igitur nexu visio cum prima sectione prioris partis cohaeret (Cfr *Knabenbauer* l. c. 1878. p. 662. Erkl. d. Proph. Isaias p. 111 Comm. I. p. 147), ideoque propheta eam in fine potius quam in principio introductionis posuit.

## 253. — Analysis Prophetiae Isaiae.

I. Introductio tripartita (1,1-6,13). Post inscriptionem (1,1)

1. *Concio prima argumentum comminativum libri indicat :* populus, quum magnae vocationis suae immemor in gravissima peccata delapsus sit, severo iudicio ad salutem reducendus est (1,2-31).
   - a.) Increpatur populus, qui omnium beneficiorum immemor ne ipsis quidem calamitatibus, quas patitur, ad Deum reduci potuit, ita ut parva spes salutis adsit (1,2-10);
   - b.) frustra enim confidit mere externo suo cultu, qui a Deo reprobatur; interna conversio necessaria est, atque tum Deus quoque stabit promissis suis (1,11-20).
   - c.) At quam perversus est status populi; hinc nihil restat, nisi severum iudicium, quo Sion redimetur ablatis omnibus peccatoribus (1,21-30).

2. *Concio secunda, licet etiam iudicium praedicat, magis tamen argumentum consolatorium explicat et glorioso statui regni messianici praesentem tristem rerum statum opponens necessitatem iudiciorum manifestat* (2,1-5,30).

A. Glorioso statui messianico opponitur perversus status populi (2,1-4,2).
   - a.) Tempore messianico omnes gentes concurrent ad verum Deum co-

lendum et sub eius dominio summa pace et felicitate fruentur (2,1-4).

b.) Exhortatur propheta populum suum, ut ipse quoque accurrat (2,5). Quam exhortationem necessariam esse demonstrat perversitas populi, quae Dei iudicia provocet (2,6-11). Iam vero

α.) iudiciis his divinis auferentur omnia, quibus nunc superbiunt (2,12-17), atque maxime idola (2,18-22),

β.) at iisdem etiam plectentur Iuda et Ierusalem (3,1-11), praeprimis autem illi, qui ruinae sunt causa, principes et mulieres (3,12-4,1).

B. Ne vero integer populus iudiciis divinis auferendus videatur, propheta antequam ad alteram increpationis partem transeat, praemittit alterum vaticinium messianicum, cui adnectitur increpatio (4,2-5,30).

a.) Ex ipsa terra Iuda velut germen progredietur Messias, qui sanctificabit reliquias Israel easque semper tuebitur (4,2-6).

b.) Ad increpationem autem transiens parabolam proponit de vinea fructum non afferente eamque explicat (5,1-7), atque deinde eam in populo verificari ostendit

α.) enumeratis peccatis, quibus est deditus (5,8-23),

β.) annuntiatis poenis, quibus punietur (5,24-30).

3. *Visio, qua propheta inauguratur* (6,1-13).

a.) Dominus Deus a Seraphim ipsum laudantibus circumdatus Isaiae apparens (6,1-4)

b.) eius labia per unum ex Seraphim mundat (6,5-7),

c.) eumque sese offerentem tamquam legatum populo mittit, fructu missionis explicato (6,8-13).

II. Pars prior (7,1-37,38). Sion et mundus in iudicio redimentur.

1. *Vaticinia tempore Achaz edita.* Apte distinguuntur tria membra (7,1-25; — 8,1-9,7; — 9,8-12,6), quae in eo conveniunt, quod propter futurum Messiam (Emmanuel) Israeli salutem promittant, sed viam ad salutem esse divina iudicia ostendant, quibus impii destruentur et humanae potentiae deiicientur.

A. *Primum vaticinium* (7,1-25).

a.) Quum reges Israel et Syriae foedus inissent, ut domum davidicam throno privarent, propheta cum filio suo Schearjaschub regi Achaz annuntiare iubetur, hostium conatus fore irritos (7,1-7), Syriam et Israel punitum iri, modum autem salutis pro Iuda dependere a fide regis et populi (7,8. 9).

b.) Achaz nec credere vult nec signum a Deo petere (7,10-12), quare

α.) Deus ipse dat signum certissimum quum salutis domus davidicae tum proximae liberationis, sc. Emmanuelem e Virgine nasciturum (7,13-16);

β.) sed quia Achaz non credidit, in iudicio redimetur Sion; punietur enim ab illis ipsis Assyriis, quos Domino suo diffisus rex in auxilium advocavit (7,17-25).

B. *Secundum vaticinium* (8,1-9,7).

a.) Alterum signum dare propheta iubetur, quod brevi finituram esse

calamitatem a regibus Israel et Syriae imminentem manifestet (8,1-4).

b.) Quia vero Iuda non credidit, Syria et Israel quidem ab Assyriis punientur, at ab iisdem regnum Iuda etiam punietur, redimetur autem ab illis et ab aliis hostibus propter Emmanuel (8,5-10).

c.) Cui promissioni adnectit instructionem, qua ratione agere debeant in ista calamitate.

α.) Ad legem et testimonium eos revocans monet, illa non esse timenda, quae populus perversus timet, sed solum Deum esse timendum (8,11-18);

β.) ab ethnica quoque superstitione abstinentes ad solum Deum recurrant; qui vero id facere recusaverit, in tenebris erit et in angustiis (8,19-22).

d.) Terminat autem concionem promittens piis exorituram esse in illis calamitatibus lucem magnam, sc. Emmanuelem et regnum eius (9,1-7).

C. *Tertium vaticinium* (9,8-12,6). Priora vaticinia magis erant contra Achaz regnumque Iuda, quia Domino suo diffisi Assyriorum auxilium invocaverant; at nunc Israeli poenas annuntiat et Assyriis, quia regnum Iuda aggredi ausi erant.

a.) Quatuor strophis, quae versu intercalari (« In omnibus his non est aversus furor Domini etc. 9,12. 17. 21; 10,4) distinguuntur, ostendit, Israelem peccatis suis poenam meruisse, eamque fore gravissimam, immo regnum destructum iri per Assyrios (9,8-10,4).

b.) Ab Israel se vertit propheta contra Assyriam, per quam Israel est interiturus. Nam

α.) Assur pro sua superbia missione divina, ut Israelem puniat, abusus dignum se reddidit poenis (10,5-15);

β.) quare ita est destruendus, ut reliquiae Israel non amplius eius auxilium sint invocaturae sed a solo Domino suo illud petiturae (10,16-23).

γ.) Populus igitur Dei, etsi advenientibus Assyriis hostibus prematur, ne timeat; subita enim ruina hostes peribunt (10,24-34).

c.) Dum Assur autem, qui est sicut saltus Libani, subito destruetur, ex humili trunco Iesse velut surculus prodibit Messias, qui rex omnibus donis Spiritus ornatus (11,1-5) regnum fundabit summae pacis (11,6-10), summaeque potentiae, in quo reliquiae Israel congregabuntur et quod alia regna devincet secumque coniunget (11, 11-16).

d.) Quapropter cantico gratiarum actionis et laetitiae propter tam eximiam salutem sectionem hanc propheta terminat (12,1-6).

2. Onera contra gentes (13,1-27,13). *Sicut Israel in iudicio redimetur, ita reliquae gentes punientur et destruentur, ut in earum ruinis exsurgat regnum messianicum, in quod earum reliquiae intrabunt.* Tamquam prologus huic sectioni praemittitur onus Babylonis, quippe quod regnum integram quasi potentiam mundanam repraesentet (13,1-14,27); epi-

logus autem est vaticinium de universali iudicio et de fructu singulis iudiciis producendo (24,1-27,13); de singulis populis autem ita agit propheta, ut a vicinis incipiat (14,28-17,14), ad longinquos transeat, atque ab illis ad viciniores revertatur (18,1-23,18).

A. *Onus Babylonis* (13,1-14,27), quae typus est totius potestatis antimessianicae (cfr 13,10. 13; 14,12 sqq.).

a.) Dramatice describit propheta, quomodo Deus exercitum contra Babylonem congreget (13,1-5), et quantus sit terror appropinquantis illius iudicii (13,6-14).

b.) Vividissimis deinde coloribus depingit excidium Babylonis (13,14-22);

c.) cuius iudicii fructus et finis erit liberatio filiorum Israel et ingressus populorum in societatem Israelitarum, i. e. in regnum messianicum (14,1. 2).

d.) Hinc epinicio magnifico reliquiae Israel

α.) ruinam interitumque regis Babylonis celebrant (14,3-11),

β.) ruinaeque gravitatem exaggerant oppositione pristinae eius superbiae (14,12-21).

e.) Certitudinem iudicii contra Babel aliquando exercendi iureiurando asserit Deus confirmatque certitudine instantis iudicii contra Assyriam (14,22-27).

B. *Onera gentium vicinarum* (14,28-17,14).

a.) *Onus Philisthaeae* (14,28-32). Etsi Iuda nunc sit sicut virga confracta, Philisthaea tamen ne laetetur; Iuda enim reflorebit, Philisthaea integra peribit; Sion enim a Domino est fundata, atque apud eam quaerenda est salus.

b.) *Onus Moab* (15,1-16,14).

α.) Medias in res nos abripiens propheta describit Moab iam destructum et devastatum (15,1-9), atque Moabitas exhortatur, ut Sionis dominium agnoscant ab eaque auxilium petant (16,1-5).

β.) Verum quoniam exhortationi huic non parent Moabitae, propter superbiam suam ita punientur, ut propheta ipse commiserationem suam exprimat (16,6-12).

γ.) Post tres annos demum iudicii initium fore annuntiat (16,13. 14).

c.) *Onus Damasci* (17,1-14).

α.) Damasci atque Israelis, qui foedus inierant contra Iuda, interitus ita praedicitur (17,1-6), ut simul castigationis fructus innuatur (17,7. 8).

β.) Accuratius describit interitum, qui completus erit (17,9-11),

γ.) hosti autem, per quem Damascus et Israel peribunt (sc. Assyriis) rapidum excidium praedicit (17,12-14).

C. *Onera gentium longinquarum, a quibus ad viciniores revertitur* (18,1-23,18).

a.) *Vaticinia de Aethiopia et Aegypto* (18,1-20,6).

α.) A longinquiore *Aethiopia* incipit (18,1-7), quum hoc vaticinium cum praecedentibus versibus de interitu Assyriae arcte cohae-

reat. Nam Aethiopes ob Assyriorum timorem circumquaque legatos mittentes iubet propheta ad signum divinitus elevatum animos attendere (18,1-3); Assur enim permittente Deo aliquamdiu proficiet, sed subito corruet (18,4-6); atque tunc Aethiopes Domino munera offerent (18,7).

β.) *Onus Aegypti* (19,1-25).

Calamitates, quas praedicit Aegyptiis, sunt discordiae intestinae (19,1-4), sterilitas terrae (19,5-10), destructio sapientiae, qua gloriantur (18,11-15);

calamitatum autem fructus erit restitutio veri cultus divini (19,16-20) veraeque fidei non solum in Aegypto sed etiam in Assyria (19,21-24).

γ.) Ultimum vaticinium, quod tempora remotissima spectat, confirmat altero post breve tempus implendo (20,1-6). Assyrii Aegyptiis et Aethiopibus, a quibus auxilium sperant filii Israel, tempore Sargonis turpem cladem inferent.

b.) *Onus deserti maris i. e. Babylonis* (21,1-10). Dramatico iterum modo describit expugnationem Babylonis; incolae civitatis epulantes subita Medorum irruptione perterrentur (21,1-9); interitus autem Babylonis solatio est filiis Israel (21,10).

c.) A longinqua Babylone revertens annuntiat propheta

α.) *Onus Duma* (Idumaeae? 21,11. 12). Interrogantibus Edomitis, quamdiu nox calamitatum sit duratura, respondet propheta lucem esse venturam, quando ipsi sint reversuri.

β.) *Onus Arabiae* (21,13-16). Post annum iam incipiet calamitas, qua tandem omnis gloria Cedar auferetur.

d.) *Onus vallis visionis i. e. Ierusalem* (22,1-25)[a].

α.) Magno cum dolore depingit urbem terrore perculsam et strage afflictam (22,1-6),

β.) ad quam avertendam humana quidem subsidia conquirunt incolae (22,7-10), sed de uno illo remedio, quo salvari possint, de invocatione auxilii divini et vera conversione non cogitant (22,11-13), quare iudicium Dei exsecutioni mandatur (22,14).

γ.) Vaticinium hoc, quod tempore Chaldaeorum impletionem suam inventurum erat, iterum confirmat altero mox iam implendo. Sobna, praefectus domus regiae, propter superbiam suam munere privabitur et in captivitate morietur; eius vero locum occupabit Eliacim (22,15-25).

e.) *Onus Tyri* (23,1-18).

(a) Mirum videtur, quod medium inter onera ethnicarum gentium ponatur onus civitatis sanctae, quae tamquam metropolis et nutrix prophetarum vocatur *vallis visionis*. At Ierusalem saepesaepius idololatriae sese dederat, quare a iustissimo Deo secundum eandem normam, secundum quam idololatras punit, ipsa quoque punitur eodemque in ordine, in quo illi, collocatur. « Aliis verbis, inquit S. Hieronymus, hoc ipsum Ieremias (c. 25) loquitur, quum calicem gentibus et Ierusalem porrigit, et Amos 9,7. ».

α.) Ex commotione, quam ubique nuntius de interitu Tyri excitabit, stragis magnitudinem describit propheta (23,1-7);

β.) auctorem verum deinde istius calamitatis indicat causasque, quibus Tyrus sibi illam attraxit (23,8-10), et modum ruinae depingit (23,11-14).

γ.) Sed clades, quam Chaldaei Tyro inferunt, non erit ultima; post septuaginta annos reflorebit, atque demum Domino sacrabit suam negotiationem (23,15-18).

D. *De iudicio universali et de fructu singulorum iudiciorum* (24,1-27,13). « Tractatum a c. 13. inceptum his quatuor capitibus propheta quasi summatim concludit; solet enim Isaias post commemorata particularia aliquorum mala libenter transire ad generalia ». Itaque « totius orbis excidium nunc describit, ut sciamus hoc passurum totum mundum, quod passa est Babylon cum ceteris gentibus » (*Sasb.*). Particula haec igitur intime cum praecedentibus cohaerens eorum quasi est summa, quae iudiciorum in praecedentibus praedictorum finem scopumque magis illustrat.

a.) *Descriptio generalis iudicii* (24,1-23).

α.) Medias iterum in res nos abripiens nobis ostendit propheta terram iudicio Dei devastatam (24,1-4) causasque severi iudicii innuit (24,5. 6).

β.) Quam commotionem in hominum animis sit producturum iudicium, deinde indicat (24,7-13),

γ.) duasque iudicatorum classes distinguit, piorum qui iudicem glorificant, impiorum, qui iram iudicis effugere nequeunt (24, 14-18).

δ.) Demum iudicium de terra ipsa depingitur (24,19. 20), atque executio sententiae contra impios omnes (24,21. 22); quibus peractis Dominus in Sion gloriosus regnabit (24,23).

b.) *De fructu iudiciorum divinorum* (25,1-12), qui erit triplex:

α.) Gloria Dei, qui celebrabitur, quia hostium potentiam destruxerit (25,1-5),

β.) beatitudo piorum, quibus Deus magna bona sit largiturus (25,6-9),

γ.) humiliatio impiorum, qui usque ad pulverem in terram detrahendi sint (25,10-12).

c.) *Canticum gratiarum actionis et laudis eorum qui salvati sunt* (26,1-19).

α.) Gaudent de praesente sua felicitate et de sua exaltatione super impios (26,1-6),

β.) gaudent de via iustitiae, qua ad illam felicitatem pervenerunt (26,7-11),

γ.) gaudent, quod omnia haec soli Deo debeant (26,12-19).

d.) *Conclusio practica totius sectionis* (26,20-27,13):

α.) Populus quietus exspectet, donec Deus hostes debellaverit (26, 20-27,1), atque tunc fiet genuina et amabilis vinea, quam Dominus semper tuebitur (27,2-6).

β.) In hoc autem calamitatum exitu apparet bonitas Dei, qui punit ut salvet. Destruetur quidem civitas sancta et calamitatibus prementur filii Israel, ut auferatur idololatria; qua penitus sublata novus populus undique Deo congregabitur. Sion et mundus in iudicio redimentur (27,7-13).

3. VATICINIA TEMPORE EZECHIAE EDITA (28,1-37,38), quibus ad vincendam calamitatem ab Assyriis imminentem populus praeparatur. Ab aetate Achaz, qui Assyrios ipse advocaverat, regnum Iuda illis erat tributarium. Ab hoc iugo sese liberare volentes Iudaei non eam, quam debuerunt, viam elegerunt, ut Deo confisi quieti eius auxilium exspectarent, sed cum Aegyptiis foedus inire voluerunt. Itaque novis poenis sese dignos reddiderant. At Ezechias, impii Achaz pius filius, credidit; ideo Deus ultimam stragem avertit : iterum igitur Sion in iudicio redimitur. — Constat autem haec sectio sex vaticiniis minacibus, quibus additur descriptio iudicii, quod Deus in infideles exercebit eique opponitur felicitas eorum, qui Deo confidunt. Confirmationis demum gratia narrat propheta, qua ratione Deus in invasione regis Sennacherib Ezechiam et Sionem redemerit.

A. *Duo Vae contra Samariam et Ierusalem* (28,1-29,14).

a.) *Vae contra Samariam* (28,1-29), quod ita proponitur, ut magis respiciat Ierosolymitanos, qui moribus suis incolas regni Israel imitantur.

α.) Interitum minatur Samariae propter eius superbiam, luxuriam, fiduciam humanam (28,1-4) aliamque fore sortem Iuda innuit (28,5. 6);

β.) at longe adhuc absunt ab illa sorte felici incolae Iuda, quum iisdem vitiis sint dediti irrideantque prophetarum monita (28,7-12); quare puniendi sunt, neque eos iuvabunt consilia quae ceperunt (28,13-15).

γ.) Nam unica via salutis est fiducia in « lapidem angularem pretiosum », quem Deus in fundamentis Sion posuit, omniaque, quae huic fundamento non sunt superstructa, dissipabuntur (28,16-21).

δ.) Quare eos monet Deus, ut ad sua verba attendant sapientissimumque suum consilium, quo vario modo varios homines tractat, bene intelligant (28,22-29).

b.) *Vae contra Ierusalem* (29,1-14)

α.) Calamitatem, quam praecedente vaticinio (28,18. 19) innuerat, accuratius describit (29,1-4), sed simul futurum auxilium promittit (29,5-8);

β.) at haec nondum intelligunt (humanis suis artibus freti); calamitas ipsa dabit intellectum (28,9-14).

B. *Sequuntur tria Vae contra populi seductores* (29,15-32,20), qui humanis auxiliis (foedere cum Aegyptiis clanculum inito) Assyriorum iugum decutere volunt.

a.) *Primum Vae* (29,15-24). Aggreditur propheta eos, qui secreta sua consilia Deo abscondi posse putantes felicem eorum exitum sperant

(29,15. 16). Subitam rerum conversionem efficiet Deus, quae piis erit gaudio, impiis ruinae (29,17-21); in iudicio redimentur reliquiae (29,22-24).

b.) *Alterum Vae* (30,1-33) eosdem apertius ferit.

α.) Disertis verbis annuntiat, foedus aegyptiacum ignominiam eis allaturum esse, non auxilium (30,1-5); atque ut id certissimum esse sciant, onus iumentorum Austri (Aegypti) pronuntiare et scribere iubetur, ut sit in continuum testimonium populo, qui prophetas audire recusat (30,6-14).

β.) Veram deinde victoriae viam eis ostendit: quietam fiduciam in Dominum (30,15-18); hac via ad magnam felicitatem Deus eos adducet (30,19-26), atque si eam inierint, Deus eorum hostes, maxime Assyrios, percutiet (30,27-33).

c.) *Tertium Vae* (31,1-32,20) contra eosdem.

α.) Carpit stultitiam eorum, qui ab infirmis Aegyptiis auxilium petunt, quum Deus ipse suos sit defensurus (31,1-6); etenim ut idola nihil esse appareat, Deus ex Sion contra Assur militabit (31,7-9).

β.) Victoriae autem fructus is erit, ut vera regnet iustitia et sapientia (32,1-8);

γ.) sed antequam hic fructus exoriatur, praeter viros etiam castigandae sunt mulieres propter earum luxuriam (32,9-17);

δ.) prius humiliatio, deinde felicitas (32,18. 19).

C. *Vae contra Assur* (33,1-24) pronuntiat propheta, ut ad instantem calamitatem melius praeparet animos.

a.) Assur, qui vastavit, ipse vastabitur; piorum enim preces exaudiens Deus subita clade percutit Assyrios gaudioque implet suorum animos (33,1-6);

b.) quando enim maxima erit calamitas, auxilium erit vicinissimum (33,7-12).

c.) Subitum hoc auxilium divinum terrore percutiet peccatores in Sion, recreabit iustos, qui securi habitabunt sub rege iusto (33,13-17), et iucunda recordatione pristinos terrores recolent, quando Ierusalem in securitate et felicitate erit restituta (33,18-22).

d.) Urbs debilis est et infirma, et tamen spolia dividet (33,23. 24).

D. *Exitus finalis infidelium et fidelium* (34,1-35,10). Uti praecedentem sectionem de iudiciis particularibus terminaverat iudicio universali, ita hanc sectionem simili descriptione concludit; prae oculis enim ponit severum iudicium, quo perituri sint infideles (quorum typus est Edom), et quia contraria contrariis clariora redduntur, magnificam addit descriptionem felicitatis fidelium.

a.) *Iudicium contra Edom tamquam typus iudicii impiorum* (34,1-17).

α.) Omnes nationes accedere iubentur, ut videant, quo severo iudicio Deus puniturus sit omnes populos infideles (34,1-4);

β.) pro exemplo autem describitur iudicium, quo Idumaea plectetur (34,5); incolae eius trucidabuntur (34,6-8), terra ipsa ita devastabitur, ut habitatio tantum sit ferarum (34,9-15).

γ.) Scribitur autem hoc vaticinium, ut futurae generationes videre possint, quam accurate sit impletum (34,16. 17).

b.) *Futura fidelium felicitas* (35,1-10).

α.) Sicut infidelium terra in desertum convertetur, ita fidelibus desertum vertetur in paradisum (35,1. 2); ideo sperare iubentur pusillanimes, quia Deus eos salvabit (35,3. 4).

β.) Quomodo Deus eos sit salvaturus, describitur enumeratis malis, quae auferet (35,5-7), bonisque quae ubique invenient (35,8-10).

E. *Epilogus historicus* (36,1-37,38) docet, quem fructum praecedentia vaticinia tulerint. Integra enim in eo sunt, ut regem populumque a foedere cum ethnicis contra Assyrios ineundo avertant atque ad veram fiduciam adducant. Iam invasione Sennacherib narrata ostendit propheta, regem Ezechiam credidisse angelumque Dei exercitum Assyriorum destruxisse. Eodem in loco, in quo Achaz fidem Deo recusans calamitatem assyriacam sibi attraxit (7,3 sqq.), legatus Assyriorum insultat populo, regi, Deo, populumque ad defectionem a rege et Deo suo sollicitat (36,2 sqq.); eousque infidelitas regnum adduxerat. At fide et fiducia Ezechiae, quae fructus est vaticiniorum prophetae, expiatur infidelitas Achaz et salvatur regnum. Verum quoniam his capitibus nonnulla vaticinia Isaiae referuntur, quae statim impleta sunt, narratio etiam confirmationi est vaticiniis praecedentibus illis, quae implenda adhuc erant.

III. Pars altera (38,1-66,24) : Reliquiae in iustitia redimentur.

1. Introductio historica (38,1-39,8) duplicem prosequitur finem. Quum vaticinia huius partis omnia sint de liberatione populi ex exsilio babylonico et de messianica liberatione ex iugo peccati, apte eis praemittitur historica relatio de prima exsilii babylonici causa. Miracula sc., quae cum Ezechiae sanatione coniuncta erant (38,1-22) regi Babylonis Merodach Baladan praetextum praebebant mittendae legationis, quae de portento regem interrogaret eumque ad foedus contra Assyrios ineundum sollicitaret. Ezechias autem promissionis antea factae se vitam miraculose concessam Deo esse consecraturum prorsus oblitus et superbia elatus legatis ostendit thesauros suos; quam ob causam increpatur a propheta, qui ei praedicit omnes eius thesauros cum tota eius familia in Babyloniam translatum iri (39,1-8). Hac igitur ratione propheta lectores suos ab *assyriaca* calamitate transducit ad audienda vaticinia de liberatione ex *babylonico* exsilio, quae liberatio figura erat sublimioris liberationis ex iugo peccati. Exsulibus autem, qui vaticinia haec tamdiu antea pronuntiata legebant, impletio vaticinii minacis de futuro exsilio regi Ezechiae facti pignus erat futurae impletionis horum vaticiniorum de liberatione ex exsilio.

2. Duobus versibus (40,1. 2) character huius tractatus, qui totus est consolatorius, argumentumque trium eius sectionum indicantur.

3. Sectio prima (40,3-48,22) : *Terminata est aerumna.* In tria membra apte dividitur, quorum primum ostendit, Dominum populum suum libe-

rare posse (40,3-31); alterum, quod tribus concionibus constat, de duplici liberatore et liberatione universe agit (41,1-44,23), tertium quatuor concionibus fusius describit priorem liberationem (44,24-47,15); octava concio (48,1-22) primae sectionis est epilogus.

A. PRIMA CONCIO (40,3-31) *Dominum populum suum liberare posse demonstrat.*

a.) In *exordio* (40,3-11) propheta pro more suo in medias res nos abripit.

α.) Audit vocem, quae Domino populum suum reducturo vias praeparari iubet (40,3-5);

β.) dubitanti, quomodo liberatio fieri possit, respondetur, divinas promissiones nunquam esse irritas (40,6-8);

γ.) Sioni ergo annuntiandus est adventus Domini tamquam pastoris populi sui (40,9-11).

b.) *Deinde potentia et sapientia Dei describuntur, ut Deum posse liberare populum eluceat* (40,12-26).

α.) Quae potentia et sapientia ita elucent ex creatione, ut omnes gentes coram Deo quasi dispareant (40,12-17) stultitiaque idololatrarum manifestetur (40,18-20);

β.) eaedem quoque ex mundi gubernatione elucent, quum pro nutu Deus etiam potentissimos et sapientissimos destruat (40,21-26).

c.) Hinc in *epilogo* ad fiduciam lectores propheta exhortatur: qui enim spem ponit in Domino, non deficiet (40,27-29).

B. SECUNDA, TERTIA, QUARTA CONCIONES (41,1-44,23) *de utraque liberatione universe agunt; atque* SECUNDA (41,1-29) *eam velut argumentum potentiae et sapientiae divinae praedicit.*

a.) Advocantur gentes, ut cum Deo de eius *potentia* disceptent. Dicant igitur, quis iustum illum (Cyrum) advocaverit, qui ab oriente veniens omnes populos gladio suo ita terret (41,1-5), ut ad infirma sua idola — utique frustra — confugiant (41,6. 7).

b.) Dum autem omnes timent, Israel bono animo esse iubetur, quia Deus cum eo est (41,8-13). Licet enim quasi vermis sit, immo quasi mortuus, adiutus a Deo omnes hostes conteret et omnibus bonis fruetur (41,14-20).

c.) Advocantur iterum gentes, ut cum Deo disceptent de eius *sapientia*. Dicant igitur, num eorum idola quidquam praeviderint et praedixerint (41,21-24). Dominus autem, qui liberatorem (Cyrum) adducit, eum praedixit, ut confundat omnia idola (41,25-29).

*Concio* TERTIA (42,1-12) *de altera liberatione agit.*

a.) Priori liberatori descripto, qui omnes terret, alterum opponit « servum suum », mitem et pacificum (42,1-4),

b.) cuius sublimiorem fore liberationem bona, quae afferet, demonstrant (42,5-9);

c.) quare omnes eum celebrare iubentur (42,10-12).

*Concio* QUARTA (42,13-44,23) *de utriusque liberationis auctore primario, modo et effectu agit,* idque ita ut a typo ad antitypum frequenter transeat et ab altero ad priorem redeat.

r.) Atque primum quidem de auctore agit (42,13-43,13).

α.) Deus ipse, qui diu siluit, tamquam miles fortis nunc egreditur populumque suum liberat, ut confundantur idololatrae (42, 13-17).

β.) Exhortatur autem populum, ut ad liberationem sese praeparet caecitate illa abiecta, qua non videt exsilium esse peccatorum poenam (42,18-25);

γ.) praeparati vero monentur, ne quid timeant, quoniam Deus sit cum eis eosque undique sit congregaturus (43,1-8).

δ.) Ex qua praedictione eiusque impletione Dominus tamquam verus Deus cognoscetur (43,9-13).

b.) Altera pars de modo et effectibus utriusque liberationis agit (43, 14-44,8).

α.) Ex exsilio eos reducens Dominus, uti olim in exitu ex Aegypto, omnes difficultates vincet et nova faciet omnia (43,14-21);

β.) neque tamen haec ob merita Israelis concedit, sed ex mera liberalitate (43,22-28); tanta autem erunt bona, ut etiam gentes populo israelitico adscribi velint (44,1-5);

γ.) atque hac iterum ratione Dominus cognoscetur solus esse Deus (44,6-8).

c.) Itaque in *epilogo* irridentur idola, quae homines variis modis sibi effingunt (44,9-20), monenturque Iuda et Israel, ut Dominum liberatorem suum celebrent (44,21-23).

C. Conciones quinta, sexta, septima (44,24-47,15) *de priore liberatione agunt.*

*Concio* quinta (44,24-45,25) *de Cyro liberatore.*

a.) In *exordio* Deus suam potentiam praedicans inter alia affert, quod Cyrum nomine eius ad populum liberandum vocaverit (44,24-28).

b.) Explicat deinde suum consilium de Cyro.

α.) Ad regna subiuganda eum mittit et adiuvat proxime propter salutem Israel (54,1-7); quae audiens propheta ardenter cupit, ut mox iam salus Israel adveniat (45,8-10).

β.) Porro eum mittit, ut captivitate soluta regnum israeliticum restituat, ad quod ethnici quoque accedent, quum Israelem viderint esse salvatum per Dominum solum (45,11-17).

γ.) Consilium autem hoc manifestat, ut eo impleto ab omnibus verus Deus agnoscatur (45,18-21).

c.) Hinc in *epilogo* omnes invitat, ut vera conversione salutem quaerant (45,22-25). (Evidens est etiam in hac concione fructus prioris liberationis ita describi, ut menti prophetae alterius quoque sublimiores fructus obversatos esse appareat).

Sexta *concio* (46,1-13) *de ruina idolorum Babylonis.*

a.) Idola Babylonis (a Cyro destructae) confracta et dispersa praevidet propheta (46, 1. 2);

b.) unde occasionem arripit increpandi Israelitas, qui tantis beneficiis a Deo ditati infirma idola vero Deo praeferant (46,3

c.) eosque admonendi, ut fortes in servitio Dei persistant, qui daturus sit salutem in Sion (46,8-13).

SEPTIMA *concio* (47,1-15) *de humiliatione Babylonis.*

a.) Incipit propheta a Babylonis (a Cyro destructae) humiliatione describenda (47,1-5);

b.) cuius humiliationis causam dicit esse pristinam superbiam, qua populum Israel tractaverit et qua suis viribus freta securitatem sibi promiserit (47,6-11);

c.) at nec malae artes nec sapientia eam tueri potuerunt (47,12-15).

D. OCTAVA *concio* (48,1-22), *utpote primae sectionis epilogus, tota in exhortatione versatur.*

a.) Ne inexspectata ea, quae descripsit, Israelitis superveniant, eos monet propheta eadem ratione, qua pristina quae iam evenerunt, haec eis esse manifestata in eorum salutem (48,1-7). Tunc quidem eos non audisse neque nunc esse audituros; nihilominus Dominum propter suum honorem eos salvaturum, ne nomen suum blasphemetur (48,8-11).

b.) Ut autem audiant, repetit promissionem de liberatione ex manu Chaldaeorum (48,12-16); in memoriam eis magnum amorem revocat, quo populum suum semper complexus est Dominus (48,17-19); exhortatur eos ut Babylone egrediantur (48,20. 21), impiis, qui audire nolunt, interitum comminatur (48,22).

4. SECTIO SECUNDA (49,1-57,21) : *Dimissa est iniquitas.* De altero iam liberatore agitur, qui a iugo peccati nos liberat sibique et nobis sua morte Domino pro peccatis nostris satisfaciens magnam gloriam promeruit. Quod argumentum tribus membris, vel potius gradibus, ita explicat, ut in prima concione (49,1-26) beneficium universe tantum innuat, in duabus sequentibus concionibus (50,1-52,12) accuratius indicet, clarissime vero explicet a quarta usque ad sextam concionem (52, 13-56,8). Ultima in concione (56,9-57,21) tristem suae aetatis conditionem considerans propheta eos, qui bonae sunt voluntatis ad spem exhortatur.

A. PRIMA CONCIO (49,1-26) *de secundo liberatore eiusque opere universe.*

a.) De servo Dei tamquam de secundo liberatore (49,1-13).

α.) Servus Dei a Domino vocatus et virtutibus instructus, ut Dominum glorificet, conqueritur, quod frustra laboraverit et passus sit (49,1-4),

β.) at Dominus non irritum fore laborem promittit, quippe quo non tantum populum Israel sed universas gentes sit liberaturus (49, 5-7) novumque foedus fundaturus, quo omnes liberentur (49,8-13).

b.) De nova Sion i. e. de opere secundi liberatoris (49,14-26).

α.) Sionem conquerentem, quod a Domino sit derelicta, consolatur Dominus exhibens maternum suum erga eam amorem (49,14-16), quo efficiet, ut undique accurrant, qui eam reaedificaturi sint atque vix spatium omnes incolae sint inventuri (49,17-20).

β.) Interroganti Sioni, undenam tot filios habitura sit, quos non

genuit, respondet Dominus, se illos ex gentibus esse adducturum seque Sionem coram gentibus esse glorificaturum (49.21-26).

B. SECUNDA ET TERTIA CONCIO (50,1-52,12) *modum liberationis* (remissionem iniquitatis per passionem liberatoris) *eiusque fructum* (iustitiam) *indicant.*

SECUNDA *concio* (50,1-11) *est de modo liberationis.*

a.) Populi peccata sunt causa, cur Sion a Domino est derelicta (50, 1-3);

b.) at inobedientiae Sionis respondet obedientia, qua servus Dei cruciatus et humiliationes fortis et libens in se suscipit confisus Domino (50,4-9).

c.) Beati illi, qui in nomine Domini confidunt, infelices illi, qui eum non audiunt (50,10. 11)

TERTIA *concio* (51,1-52,12), *quae dialogo est similis, agit de fructu liberationis.*

a.) *Servus Dei* veris filiis Abrahae, in quo salutis pignus possident (51, 1. 2.), salutem promittit, quae omnibus populis erit, iam prope est, semper durabit (51,3-6), ideoque ad fiduciam illos exhortatur (51,7. 8).

b.) Quae audiens *propheta* Deum precatur, ut sicut in antiquis diebus, potentiam suam manifestet (51,9-11).

c.) *Deus* autem sese populum suum consolaturum esse promittit, quare ab hominibus timere non debet (51,12-16).

d.) Quibus gavisus *propheta* Sionem ad gaudium excitat, quoniam olim derelicta nunc iam Deo sit reconciliata, cuius ira est contra hostes populi sui (51,17-21), eamque monet, ut vestibus gloriae sese exornet, quoniam gratis iam nunc sit redemta (52,1-6). Exultans videt legatos Sioni redemtionem annuntiantes omnesque monet, ut impuram civitatem (Babylonem) relinquant (52,7-12).

C. QUARTA, QUINTA, SEXTA CONCIONES (52,13-56,8) *modum liberationis per passionem servi Dei et fructus redemtionis vividissimis coloribus depingunt.*

QUARTA *concio* (52,13-53,12) *annuntiat evangelium de Messia morte sua nobis remissionem peccatorum et gloriam promerente.*

a.) Exordium continet summum argumentum huius concionis et duarum sequentium : Messiae humiliationem, qua sibi suisque meruit gloriam (52,13-15).

b.) Deinde describuntur passiones Messiae, qui humiliatus, vulneratus est, mortuus pro nobis propter nostra peccata (53,1-9).

c.) In epilogo paucis indicantur, quae suis passionibus meruit (53,10-12).

QUINTA *concio* (54,1-17) *accuratius describit ea, quae meruit, novam Sion, quam fundavit, veteri Sioni opponens.*

a.) Antiqua Sion sterilis erat et quasi deserta, nova extendere cogitur spatium suum, quia haereditat gentes (54,1-5).

b.) Antiquae Sioni Deus amorem suum subtrahere debuit, a nova autem nunquam recessuram esse misericordiam suam iurat (54,6-10).

c.) Paupercula erat antiqua, nova erit ditissima omnibusque gratiis ornata (54,11-15).

d.) Inexpugnabilis demum erit nova Sion a Domino semper protecta (54,16. 17).

SEXTA *concio* (55,1-56,8) *omnes ad novam hanc Sionem invitat.*

a.) Abiectis inutilibus curis ad Deum accedant, qui cum eis novum illud et aeternum foedus feriet, cuius testis erit Messias (55,1-5).

b.) Nunc eum iam quaerant vera conversione, certi promissiones eius non fore irritas (55,6-11); cum summa igitur laetitia novam Sionem semper incolent (55,12. 13).

c.) Verum quoniam omnes gentes in novam Sionem ingredientur, limites illi, quibus antiqua Lex Israelitas coarctaverat et a certis hominum generibus separaverat, omnes disparebunt (56,1-7); omnes igitur gentes a Deo cum Israële congregabuntur (56,8).

D. SEPTIMA CONCIO (56,9-57,21) *a futura illa gloria subito transitu nos ducit ad tristem conditionem aetatis, qua propheta vixit, ut ex oppositione clarius magnitudo illius gloriae cognoscatur.*

a.) Ex abrupto propheta gentes (bestias terrae) invitat, ut impium suum populum devorent (56,9);

b.) cernit enim populi principes omnibus vitiis ita deditos (56,10-12), ut ne innocentium quidem morte erudiantur (57,1. 2);

c.) populum quoque cernit idololatriae prorsus deditum Deique sui plane oblitum (57,3-12).

d.) Nihilominus Deus eum non integrum abiiciet. Peribunt quidem illi, qui humanis suis auxiliis confidunt, salvabuntur autem, qui in Deo ponunt fiduciam suam (57,13. 14). Neque enim in aeternum irascetur iis, qui ad eum redire volunt (57,15-19), impiis vero non erit pax (57,20).

5. SECTIO TERTIA (58,1-66,24): *Duplicia recipiet Ierusalem.* Quoniam dona, quibus nova Sion ditabitur, sunt spiritualia et ex interna iustitia quasi efflorescunt, propheta duabus primis huius sectionis concionibus (58,1-59,21) internam illam iustitiam praeprimis inculcat; sequentibus autem vario modo bona illa eorumque auctorem celebrat (60,1-65,25), atque ultima concione tamquam epilogo totum argumentum vaticiniorum suorum complectitur (66,1-24).

A. PRIMA ET SECUNDA CONCIONES (58,1-59,21) *internam iustitiam commendant tamquam radicem bonorum regni messianici.*

In PRIMA *concione* (58,1-14)

a.) propheta filiis Israel peccata eorum manifestare iubetur, quia ea ignorant (58,1. 2); externa enim sua opera praetendunt, quibuscum peccata gravia coniungunt (58,3-5).

b.) Quibus opponitur vera iustitia, ad quam tendere debent, ut felicitatis promissae consortes fieri possint (58,6-9; 9-12; 13-14).

In SECUNDA *concione* (59,1-21)

a.) ostendit propheta salutem eos consequi non posse propter peccata (59,1. 2.), quorum multa enumerat (59,3-8).

b.) Humili confessione id agnoscant oportet (59,9-15), et tunc Dominus ipse iustitiam restituet novoque suo populo spiritum suum et doctrinam suam ita dabit, ut in aeternum maneant (59,16-21).

B. A TERTIA USQUE AD SEPTIMAM CONCIONEM (60,1-63,25) *agitur de regni messianici bonis eorumque auctore, ut vividum eorum desiderium excitet.*

TERTIA *concio* (60,1-22) *de novae Sionis gloria.*

a.) Dum tota terra in tenebris iacet, super Sionem exorta est magna lux Domino ipso eam inhabitante (60,1. 2), atque tanta est haec gloria, ut undique gentes accurrant donaque sua afferant et deiectos muros antiquae Sionis restituant (60,3-17).

b.) Externa autem haec gloria ex interna eius sanctitate procedit; lux enim, quae in Sion lucet, est Dominus ipse, ideoque etiam nunquam deficiet (60,18-20). Ita terminati sunt dies luctus eius; omnes enim incolae sunt iusti et continuo crescent numero (60,21. 22).

QUARTA *concio* (61,1-11) *auctorem huius gloriae celebrat.*

a.) Messias ipse annuntiat, quibus salutem et gloriam sit allaturus sc. mansuetis, contritis corde etc. (61,1-3);

b.) per hos ipse restituet Sionem eisque pro pristina ignominia et calamitate nunc duplicia conferet dona (61,4-9).

c.) Hinc Sion quasi sponsa a sponso monilibus ornata cantico gratias agit (61,10. 11).

QUINTA *concio* (62,1-12) *ex praecedentibus conclusionem quandam deducit excitando desiderium novae Sionis.*

a.) Propheta non cessabit ab expetenda nova illa Sione, donec egrediatur, ardensque suum desiderium explicat iterum descripta eius gloria (62,1-5).

b.) Sicut propheta ipse, ita alii continuo aderunt, qui ardenti desiderio illam gloriam expetent, quam Dominus daturum se esse iuramento promisit (62,6-9).

c.) Ideo exhortatur propheta exsules, ut ad Sionem revertantur; Salvator enim iam adveniet bonaque sua illis afferet (62,10-12).

SEXTA *concio* (63,1-64,11) *modum, quo Messias hanc gloriam meruit, in memoriam revocat et peccata, quibus populus sese beneficiis indignum reddidit, ut duplici hac consideratione vividius gloriae illius desiderium excitet.*

a.) Dramatico modo proponitur Messias, qui sanguine aspersus victor ex pugna revertitur, qua ab omnibus derelictus solus hostes suos contrivit (63,1-6).

b.) Quo aspectu commotus propheta ad precationem se convertens

α.) gratias agit Domino, quod populo, licet semper ei restiterit, tot et tanta beneficia semper contulerit (63,7-14);

β.) sed ad praesentem populi conditionem attentionem convertens videt eum quasi derelictum (63,15-18);

γ.) hinc ardentissime implorat Deum, ut tandem descendat atque illa bona concedat, quae solus exspectantibus se tribuere potest (64,1-4); indignum quidem sese esse fatetur (66,5-7), sed Dei

ipsius causam agi monet, quum eius civitas et sanctuarium deserta iaceant (66,8-12).

SEPTIMA *concio* (65,1-25) *exhibet Domini responsum ad praecedentem prophetae precationem.*

a.) Respondet igitur Deus, a gentibus se esse agnitum, at a populo suo, quamvis semper illum quaesierit, derelictum (65,1-4); ideo se eos punire debere (65,5-7);

b.) at non ita eos puniet, ut non simul innocentibus parcat reliquiasque Israel salvet (65,8-10), sed poena eaque gravissima erit erga impios solos (65,11-16).

c.) Fideles autem servos suos omnimodis bonis ditabit, quae magnificis coloribus describit propheta (65,17-25).

C. OCTAVA CONCIO (66,1-24) *tertiae huius sectionis et totius libri epilogus est, quo summum prophetiae argumentum quasi comprehenditur.*

a.) Dominus maiestate plenus non respicit nisi internum hominis affectum, mere externos autem ritus odio habet, ideoque Israelitas, qui hos solos sectantur, eodem modo tractabit, quo ab illis tractatur (66,1-4).

b.) Pios autem, quibus impii nunc irrident, consolabitur (66,5); subito enim Sion ex Dei virtute novum populum parturiet (66,6-9); quare pios ad laetitiam exhortatur, quippe qui summam beatitudinem a Deo obtinebunt (66,10-14), dum impii severo iudicio punientur (66,15-17).

c.) Undique concurrent gentes cum filiis Israel ad sanctum montem in Ierusalem; ex iis Deus sibi assumet novos sacerdotes, atque continua festa in nova Sione celebrabuntur (66,18-23). Extra hanc civitatem novam autem iacebunt cadavera impiorum, quorum vermis non morietur (66,24).

254. — STYLUS, quo argumentum suum Isaias explicavit, summis laudibus ab omnibus interpretibus celebratur. Egregie proprietates eius describit Lowth : « Isaias, inquiens, sic omnibus abundat virtutibus, ut nihil in hoc genere perfectius concipi possit. Idem elegans et sublimis, ornatus et gravis, quum ubertate et copia, tum vi et pondere mirabilis. In sensibus incredibilis elatio, maiestas, divinitas; in imaginibus summa proprietas, dignitas, pulchritudo, foecunditas denique et varietas delectissima; in dictione singularis elegantia, et in tanta rerum obscuritate mira perspicuitas et candor; ad haec in poetica sententiarum compositione tanta dulcedo, ut si quidquam iam reliqui habent carmina hebraea pristinae iucunditatis et gratiae, id in Isaiae praecipue monumentis contineri clarissimeque percipi posse crediderim... Excellit etiam vel maxime in iusta partium dispositione, facilique rerum connexione atque ordine, quamquam hic semper habenda ratio est impetus prophetici a proximis ad remota, ab humanis ad divina praecipiti transitu sese identidem rapientis »[1]. Qua in descri-

ptione id unum videtur esse omissum, quod Patres innuerunt, qui eum magniloquentissimum (μεγαλοφωνότατον) appellarunt. Summus enim fuit *orator* atque tanta eius eloquentia, ut oratorum principibus Demostheni et Ciceroni ab aliis cum Grotio aequiparetur, ab aliis praeferatur. Neque enim immerito Grotius in eius concionibus δείνωσιν illam admiratur, qua Demosthenem excelluisse ait Quinctilianus. Quanto terrore percutere sciat impios peccatores, quanta cum vehementia increpationibus, comminationibus, sarcasmis acerbis duros eorum animos percellat urgeatque, exemplis demonstrare superfluum est, quum ab initio ad finem libri obvia sint. At id adnotes velim, eum non ferire ut occidat, sed ut sanet. Quare nusquam peccatoribus spem veniae adimit, sed quos vehementia sua perterruit, eos caritate sua ad poenitentiam allicit. Tamquam verus enim orator in omnibus animorum affectibus, sive vehementibus sive suavibus, ciendis ita excellit, ut inter omnes sacros scriptores solus Apostolus Gentium ei comparari queat. Nam qui summo odio adversus vitia animos inflammat (cc. 1. 5. 59. etc.), atque minis iudiciorumque divinorum annuntiatione peccatores prosternit (cc. 24. 29. 34.), idem « mutans vocem » ad misericordiam flectit et in lacrymas solvit animos (c. 53.), prostratos ac lugentes suaviter demulce, (cc. 35. 40. 41. 49.), animos addit timentibus metumque fugat (cc. 8. 43. 54.). Quocunque voluerit, auditores flectit, suavitate sua eos tenet in suasque partes trahit, ni praefracte obluctentur[2].

1. *Lowth* De sacra poesi Hebraeorum. Pracl. 21. p. 241 sq. — *Gietmann* (De re metrica Heb. p. 59 sqq.), metrice conscripta esse censet Is. 11,1-10; 13; 14; 38, 10-20; 40.-66. (i. e. integram alteram partem); quaestionem tamen de Isaiae metris conclusam nondum esse fatetur. Plura, sed pleraque diversa et breviora, carmina metrica invenit *Bickell* (Carmina hebr. metrice p. 200 sqq.): 5,1. 2; 9,7-10,4; 11,1-8; 12, 1-6; 14,4-20. 29-32; 23,16; 25,1-5. 9-11; 26,1-10; 27,2-5; 34,1-17; 35,1-10; 37,22-29; 38,10-20; 42,10-13; 44,1-5. Quibus alibi addidit (cfr. Innsbr. Zeitschr. für kath. Theol. 1886. p. 547 sqq.) : 5,24-30, cuius pericopae duos priores versus coniungere vult cum 9,7-10,4, tres alios autem facit initium novi carminis, quod continuetur 10,5-19 (!!); 11,12-16; 19,1-13; 52,7-10; 60,1-11; 61,1-11. — Canticum choricum *Zenner* (Chorgesänge im B. der Psalmen I. p. 78 sqq.) exordium (1,2-17) esse conicit.

2. De stylo prophetae cfr *a Lap.* In Is. Argum.; *Sanct.* Comment. in Is. Prooem. 13., qui Isaiam omnibus oratoribus et poetis censet graviorem, ornatiorem, sublimiorem, iucundiorem, ita ut, si latine scripsisset, latinorum, si graece graecorum omnium gloriam obscurasset; *Calm.* In Is. Prol. etc. — Inter antiquiores Protestantes similiter loquitur *Carpzov.* (Introd. II. p. 104) aliis eiusdem sententiae acatholicis allegatis; ex modernis rationalistis cfr *Gesenius* Der Proph. Jesaja I. p. 36 sqq., *Ewald* Die Propheten des A. B. p. 272. 279. etc.

## § 6. — *De auctoritate et authentia vaticiniorum Isaiae.*

255. — De DIVINA AUCTORITATE oraculorum Isaiae fuse disserere in animo non est, quoniam invictis argumentis extra omnem dubitationem

est posita. Inter V. T. enim libros non reperitur, qui nostro frequentius a Domino N. sacrisque N. T. scriptoribus pro auctoritate sit allegatus, allegationes autem ex omnibus libri partibus eadem ratione ita sunt desumtae, ut integer liber testimoniis N. T. probari merito dicatur. Quin etiam in uno ex ultimis V. T. libris integrum opus nostrum velut divinum supponitur, si « Isaias propheta magnus et fidelis in conspectu Domini » dicitur « magno spiritu vidisse ultima et consolatus esse lugentes in Sion, usque in sempiternum ostendisse futura et abscondita, antequam evenirent » [1]. Mirum igitur non est, quod inde a primis fidei temporibus Patres et ecclesiastici scriptores omnes vaticiniis nostris tamquam divinis testimoniis sint usi; una cum Pentateucho enim et Psalterio liber Isaiae praecipui sunt fontes, ex quibus SS. Barnabas, Clemens Rom. recentioresque Patres argumenta sua V. T. hauserunt [2]. Quae quum in confesso sint apud omnes, longiore explicatione non indigent.

At iidem, qui divinam vaticiniorum nostrorum auctoritatem testantur, Isaiae quoque auctori ea adscribunt. Siracidam integrum librum ab Isaia propheta magno et fideli conscriptum esse credidisse, verba eius docent; Dominus quoque et scriptores N. T, si vaticinia nostra allegant, prophetae nomine haud raro addito satis insinuant, se Iudaeorum opinionem, quae Isaiae integrum librum attribuit, approbare; eadem in persuasione omnes omnino antiquos scriptores christianos non minus, quam iudaicos, fuisse nemo ignorat. Antiquissima igitur et constantissima est traditio, Isaiam, filium Amos, integri operis, cui nomen eius praefigitur, esse auctorem, atque haec est ratio, cur semper prophetarum princeps sit nominatus. Si enim omnium vaticiniorum, quae eius volumine continentur, auctor non esset creditus, tot tantisque laudibus non esset ornatus. Ab exeunte autem saec. 18. rationalistae Isaiae hanc gloriam negare coeperunt, atque si eis fides adhiberetur, non tantum ex Maiorum prophetarum numero esset expungendus, sed nescio an inter Minores primum locum obtineret; tot enim vaticinia ab aliis et aliis ei iam sunt abiudicata.

Primus *I. B. Koppe,* quum a. 1779-1781 anglicum Lowthii commentarium in Isaiam germanice ederet, levem quandam dubitationem de authentia c. 50. movit non suspicatus, quo sententia sua alios esset adductura. Statim enim *I. Chr. Döderlein* integram secundam partem (40.-66.) addubitavit, atque paucis annis post (a. 1794) *L. I. E. Iusti* allatis argumentis eam spuriam demonstrare conatus est. Quae argumenta rationalistis ita placuerunt, ut nullus iam hodie inveniatur, quin pro firmissimo dogmate teneat, tempore exsilii babylonici cpp. 40.-66. esse conscripta atque de eo solo posse litigari, quo anno exsilii sint conscripta. Isaiam enim, qui centum circiter annis ante ortum magni regni babylonici est mortuus, de Chaldaeis nihil scivisse

neque proinde de exsilio babylonico aut de exsulum reditu quidquam praedicere potuisse, persuasissimum eis est. Quo fundamento semel posito evidens fuit, illa quoque prioris partis vaticinia prophetae nostro esse abiudicanda, in quibus de Babylone eiusque futuro interitu est sermo. Itaque eadem cum unanimitate, qua integram secundam partem, « onus Babylonis » (cpp. 13. 14.) et « onus deserti maris » (21,1-10) exsuli cuidam adscripserunt; et quoniam destructionem Tyri quoque per Chaldaeos praedici putaverunt, non pauci « onus Tyri » (c. 23.) spuriis addiderunt partibus. Quibus nondum contenti alii inter pericopas, quae iam spuriae erant definitae, nonnullasque nondum reiectas certam quandam styli argumentique similitudinem deprehenderunt; quare haud cunctati cpp. 24.-27. et 34. 35. expunxerunt. Historicae relationes de expeditione Sennacherib et de morbo Ezechiae iisdem fere verbis in 4. Regum libro leguntur; ergo a iuniore redactore post exsilium cpp. 36.-39. libro vaticiniorum nescio cur inserta esse concluserunt. In fine « oneris Moab » verbum hoc iam pridem a Domino praedictum esse monet propheta (16,13), quae sufficiens nonnullis visa est ratio, ut pericopen illam (cpp. 15. 16.) Isaiae adimerent eique duos ultimos versus solos relinquerent. Vaticinium messianicum 2,2-4, quod etiam penes Michaeam legitur, ex eo a nostro propheta esse transumtum, verisimilis est multorum interpretum sententia; at unus alterve rationalista integra prima quinque capita (1.-5.) Isaiae eripere et Michaeae dare maluit. Alius deinde illi abiudicavit vaticinium de Virgine et Emmanuele (7,1-16), alius vaticinium de virga e radice Iesse progrediente (cpp. 11. 12.), alius « onus Aegypti » (c. 19.), alius partem « oneris vallis visionis » (22,1-6), alius secundum vaticinium contra populi seductores, qui foederi aegyptiaco favebant (c. 30.), alius vaticinium contra Assur (c. 33.)[3]. Uno verbo ex sexaginta sex capitibus, quibus liber noster constat, sola *sexta circiter pars*, i. e. undecim integra capita et trium aliorum fragmenta quaedam, principi prophetarum sunt relicta. Vix autem dubitari potest, quin discipuli magistrorum suorum vestigia prementes etiam ultimas has reliquias, quae nihil amplius sunt nisi disiecta membra, ei paullatim sint erepturi, ut Isaiam nostrum eadem ratione ex prophetarum numero expungant, qua Moysen iam ex sacrorum scriptorum numero expunxerunt.

1. Circiter quinquagies Isaiae verba accurate in N. T. allegantur et plus quam quadragies liberiore modo; quater decies nomen Isaiae additur. Allegationes accuratae autem desumtae sunt ex viginti quatuor capitibus, inter quae quatuordecim pertinent ad secundam partem. Nomen Isaiae additur octo allegationibus ex secunda parte desumtis. — *Eccli.* 48,25-28.

2. *S. Barnabas* sexies et vicies allegat Isaiae vaticinia et multo frequentius secundam quam priorem libri partem; *S. Clemens Rom.* in 1. Cor. undecies, in 2. Cor. sexies eadem allegat atque ipse quoque ex secunda quam ex priore parte plura testimonia desumit. Reliquorum Patrum testimonia recitare non iuvat, quum nemo dubitet, quin integrum librum Isaiae auctori inspirato attribuerint.

3. Originem controversiae de authentia vaticiniorum Isaiae rationalismo soli debere ostendit *Delitzsch* Der Prophet Jesaia p. 21 sq., atque concedit ipse *Vatke* Einleitung p. 625 sq. Omnia igitur adversariorum nomina afferre superfluum est, nisi quis cata-

logum rationalistarum omnium, qui ab exeunte saec. 18. de Isaia aut simili argumento scripserunt, legere desiderat; hoc loco eos nominasse sufficiat, qui singularum pericoparum primi aut praecipui sunt adversarii : Capita 1.-5, prophetae nostro abiudicata sunt a *Tac. Roorda* Batavo, qui sequacem non invenit (*Klostermann* tamen in Herzog P. R. E. Ed. 2. VI. p. 597 caput 1. inter omnia maxime esse suspectum asserit); 7,1-16 a *Gesenius*; 11. 12. a *Koppe*, *Vater*, *Rosenm.* etc.; 13. 14. ab *omnibus*; 15. 16. a *Koppe*, *Augusti*, *Bertholdt* etc.; 19. a *Koppe*, *Eichhorn*, *Rosenm.* etc.; 21, 1-10 ab *omnibus*; 22,1-6 ab *Ewald*; 23. ab *Eichhorn*, *Rosenm.* multisque aliis; 24.-27. a *longe plerisque* (secundum Vatke l. c. ab omnibus modernis), 30. a *Koppe*; 33. ab *Ewald*; 34. 35. a *longe plerisque*; 36.-39. *vix non ab omnibus*; 40.-66 ab *omnibus*. — Iuxta *Cornill* (Einl. Ed. 3. 1896. p. 143) *certe authentica* (*licet magis minusve retractata*) non sunt nisi 1; 2.5-4,1; 5,1-8,18; 9,7-10,15; 17,1-11; 18; 20; 22; 28.-31; praeterea a nonnullis celebrioribus « criticis » *agnita* 4,2-4; 8,19-9,6; 10,16-11,9; 14,24-32; 15; 16; 17,12-14; 19. 32; *reliqua reiiciuntur*. — *B. Duhm* (Das B. Jesaja übers. u. erkl 1892) haec sola authentica habet : 1,2-26. 29-31; 2,2-4. 6-19. 21; 3,1-9; 3,12-4,1; 5,1-14. 17-29; 6,1-23ᵃ; 7,2-8ᵃ. 9-14. 16. 18-20; 8,1-18. 21. 22; 9,1-13; 9,16-10,9; 10,13. 14; 11,1-8; 14,24. 25ᵃ-27; 17,1-6. 9-14; 18,1-6; 20,1. 3-6; 21,16. 17; 22,1-9ᵃ. 11ᵇ-14. 15ᵃ. 16-18; 28,1-4. 7-29; 29,1-4ᵃ. 5ᵇ-7. 9. 10. 13-15; 30,1-7ᵃ. 8-17. 27-33; 31,1-4ᵃ. 5. 8ᵃ 9ᵇ.; 37,1-5. 9-18. 20 (cfr *Driver Rothst.* Einl. 1896. p. 247, qui ibidem particulas recenset, quas *Cheyne* pro sua benignitate Isaiae relinquere dignatur). — Catholici omnes totius libri authentiam defendunt praeter *P. Schegg* (D. Proph. Isaias übers. u. erkl. 1850. II. p. 39 sq.), qui propheta mortuo ex eius concionibus ab uno ex eius discipulis cpp. 40.-66. collecta esse suspicatur. — Neque inter acatholicos modernos desunt authentiae propugnatores, inter quos praecipui sunt *Hengstenberg*, *Kleinert*, *Küper*, *Drechsler Hahn*, *Delitzsch* (1879. sed non amplius 1889), *Keil*, *Nägelsbach*.

256. — Nostri muneris non esse arbitramur, omnia et singula mira inventa, quibus uni alterive rationalistae pericopen quandam Isaiae impugnare placuit, accurate recensere et refutare; pleraque enim tam futilia sunt, ut ne aliis quidem rationalistis probentur et debitae oblivioni merito tradantur. Quapropter singularibus omnibus opinionibus omissis illas solas pericopas defendemus, quae a maiore saltem « criticorum » numero Isaiae abiudicantur. De secunda igitur parte (40.-66.) illisque prioribus vaticiniis, quae cum illa simul impugnant (13. 14.; 21,1-10; 24.-27.; 34. 35.; 36.-39.) maxime nobis erit agendum. Duo autem sunt argumenta, quibus integram quaestionem vincere sibi videntur rationalistae, alterum dogmaticum, alterum philologicum.

Secundum dogmatica enim eorum praeiudicia propheta nec plura scire potest nec plura praedicere, quam quicunque rebus suae aetatis attente et diligenter consideratis cum maiore minoreve probabilitate coniicit. « Isaiae aetate, inquit unus ex illis, Babylone nondum exstitit regnum Chaldaeorum, quippe quod a. 625. exortum sit; quomodo igitur fieri potuit, ut propheta eius interitum praediceret »? Atque alter : « Isaias non agit nisi de regno assyriaco, atque *ad summum* potuit *forte* praedicere, aliquando exoriturum esse imperium babylonicum, quod regno Iuda futurum sit periculo »; et tertius : « praedictiones depen-

dent ab historicis conditionibus illius aetatis, qua vivit propheta; Isaias ab Assyriis, Ieremias a Chaldaeis periculum imminere vaticinatur », quare quartus vaticinia omnia Isaiae abiudicanda docet, « quae ex aetatis eius conditionibus non explicantur »[1]. Ad sanae igitur philosophiae professores remittere debemus adversarios nostros, ut remotissima non minus quam vicina atque specialia non minus quam generalia Deo manifesta esse atque proinde a Deo revelari posse discant, Deum quoque in suis revelationibus esse liberrimum atque pro aeterna sua sapientia eligere ea, quae per hunc vel illum prophetam cum hominibus communicet. Num hominis est praescribere Deo, quae et qua ratione et quo ordine prophetis futura ostendat? Inepte ergo obiiciunt rationalistae, Isaiam prius debuisse annuntiare initium exsilii et tum demum reditum populi ex captivitate; ineptius interrogant, num nomina et numeri inspirari possint[2].

Alterum suum argumentum ornamenti potius gratia addunt. Scilicet ut rationalistica sua principia aliqualiter tegerent occultarentque, inter pericopas reiectas interque eas, quas retinere voluerunt, styli linguaeque quaesiverunt feliciterque detexerunt differentiam quandam. Negare quidem nequeunt, nec minus pulchrum esse stylum nec minus puram linguam reiectarum quam retentarum partium, at faciliorem esse politioremque sermonem secundae partis censent simulque diffusiorem verbosioremque; suis quoque proprietatibus linguam secundae partis a priore distingui[3]. Mira sane obiectio, quae scriptorem uno eodemque stylo iisdemque vocabulis locutionibusque semper uti iubet eumque vetat ne transversum quidem unguem ab illo loquendi usu discedere, quem ei proprium esse definiverunt nostri « critici ». Ubinam invenitur scriptor, qui per longam vitam eodem prorsus usus sit stylo? Quinquaginta circiter annis vaticinatus est Isaias : prima vaticinia (cpp. 2.-12.) iuvenis edidit Ozia, Ioatham et Achaz regibus, alia (cpp. 28.-37.) versus finem regni Ezechiae, alia (cpp. 40.-66.) senex grandaevus rege Manasse; num senem eadem celeritate vehementiaque dicendi usum esse dicemus, qua iuvenem? Accedit utriusque partis argumentum diversum; neque enim idem dicendi genus increpationibus comminationibusque prioris partis convenit, atque consolationibus alterius, quae in duplice liberatione describenda earumque bonis recensendis fere versatur. Neque illud est omittendum, prioris partis conciones periculis imminentibus publice coram populo esse habitas et postea tandem literis consignatas; alteram vero partem a sene Isaia statim esse conscriptam; in prioris igitur partis pericopis audimus oratorem loquentem, in altera legimus scriptoris elucubrationem; quis igitur miretur, quod in altera parte lenior, clarior, latior fluat sermo? Quae quum ita sint, parva styli differentia, quam adesse non negamus, ex

diversa temporis, argumenti, confectionis ratione satis superque explicatur. Linguam vero utriusque partis differre immerito obiiciunt adversarii nostri. Nonnulla ἅπαξ λεγόμενα in altera parte reperiri concedimus, pauciora autem esse monemus, quam in vaticiniis, quae Isaiae ab adversariis nostris relinquuntur, magnamque eorum partem ex argumento dependere certum est[4]. Porro ad idiotismos quoque isaianos, qui in altera parte frequentes reperiuntur, attentionem suam convertat oportet, quicunque ex sermone prophetae de pericopae cuiusdam authentia iudicium ferre voluerit. Ut unum exemplum afferamus, in solo cp. 1., quod uno alterove excepto omnes rationalistae genuinum Isaiae vaticinium esse asserunt, quadraginta quinque vocabula et formae reperiuntur, quae nusquam nisi in pericopis Isaiae abiudicatis iterum leguntur[5]. Ceterum iam saepius monuimus historiam linguae hebraicae tam parum nobis esse cognitam, ut ex libri vel pericopae alicuius lingua aetas eius cum certitudine numquam definiatur[6]. Quo plura autem Isaiae iam abiudicarunt, eo minus licet rationalistis de prophetae nostri dictione et lingua iudicium ferre.

Debilissima ergo sunt adversariorum argumenta; multo clarius autem idem apparebit, si argumenta, quibus reiectarum pericoparum authentia demonstratur, examini subiecerimus.

1. *Vatke* Einleitung. p. 627 « Zur Zeit des Jesaja gab es noch kein Chaldäerreich in Babel; denn dieses existirte erst seit 625; wie konnte der Prophet er daher dem Untergange nahe darstellen? » *Knobel* Der Prophet Jesaja. p. 89 : « Jesaja hat es stets mit dem assyrischen Weltreich zu thun, und *höchstens* konnte er *vielleicht* ein dereinst entstehendes babylonisches Weltreich und Gefahren von demselben für Juda weissagen ». *De Wette Schrader* Einleitung. p. 405 : « Die Vorhersagungen der Zukunft waren bedingt durch den jedesmaligen geschichtlichen Gesichtskreis. Ein Jesaja drohte mit den Assyrern, ein Jeremia mit den Chaldäern ». Similiter *Hitzig* (Schenkel's Bibellex. III. p. 250), *Bleek-Wellh.* (Einl. p. 336 sq.), *Davidson* (Introd. II. p. 459 sqq.), *König* (Einl. 1893. p. 322 sqq.), *Strack* (Einl. 1895. p. 81 sq. 85), *Driver Rothst.* (Einl. 1896. p. 248 sq.), *Cornill* (Einl. 1896. p. 156).

2. *Vatke* l. c. p. 626 : « Die Befreiung *kann gar nicht* vom Standpunkt des Jesaja aus geweissagt werden; denn dieser *musste* das Exil und *dann erst* die Befreiung aus demselben verkünden » (utique si historicum, non vero prophetam egisset omniumque rerum gestarum *Annales* scripsisset). *Ibid.* p. 627 : « Wie können Namen vorher inspirirt werden? » atque *ibid.* ridet eos, qui putant « die göttliche Allmacht könne auch Namen und Zahlen inspiriren ». Tacere tamen nolumus alios rationalistas non tam longe a sana ratione aberrare; ex. gr. *Dillmann* (Schenkel's Bibellexic. p. 614 sqq.) quamvis nomina Iosiae (3 *Reg.* 13,2), Cyri (*Is.* 44,38 sqq.), etc. esse praedicta neget, concedit tamen, saltem viciniores eventus prophetis fuisse revelatos. « Eine Menge solcher bestimmter Vorhersagungen ist uns von ihnen überliefert. Man mag die in den Geschichtsbüchern, also durch fremde und spätere Hand berichteten, als nicht sicher bezeugt bei Seite lassen; man mag andere als möglicherweise innerhalb der Grenzen einer freien Combinationsgabe liegend betrachten, so bleiben doch noch gar manche übrig, bei welchen auch diese Auskunft nicht zureicht. Wenn Jeremia (28,16 sqq.), dem Chananja zur Strafe seiner Lügenprophetie den

Tod im nämlichen Iahr verkündigte, der denn auch erfolgte (vgl. ähnliche Vorhersagungen an einzelne *Am.* 7,14 sqq., *Is.* 22,15 sqq., *Ierem.* 20,6; 29,31 sqq.), wenn Amos (6,11) schon lange voraus mit der Zertrümmerung des Hauses Israel und dem Rissigwerden der Hauses Iuda durch die Assyrer oder (1,3) mit des Abführung der Damascener nach Kir droht, wenn Jesaja durch Jahrzehnte hindurch zwar die scharfe Züchtigung Juda's durch die Assyrer, aber auch die schliessliche Niederlage dieser selber auf judäischem Gebiete und die Vergeblichkeit aller ihrer Angriffe auf Jerusalem predigt, wenn Jeremia wiederholt (25,11 sq.; 29,10; 27,1) die Dauer der babyl. Unterjochung auf etwa siebenzig Jahre angiebt..., so zeigen sie damit doch ganz überraschend treffende Blicke in die Zukunft... Die lange Reihe dieser Zeugen der göttl. Wahrheit voll Kraft, Feuer, Mannesmuth, Glaubensgrösse und todesmuthiger Zuversicht im Volke Israel ist doch eine in der Weltgeschichte einzig dastehende Erscheinung. Sie zu erklären, genügt weder die Berufung auf eine Naturanlage dieses Volkes noch auf die natürliche Fähigkeit des menschlichen Geistes, sondern sie kann nur verstanden werden als Fortsetzung derselben schöpferischen Offenbarungsthätigkeit Gottes, welche unter Mose die Gemeinde gestiftet hat, und als Vorbereitung derjenigen, welche in Christus sich vollendete ». Cfr etiam *Bleek-Wellhausen* Einl. p. 326. 334. Quod si autem Deus viciniores eventus prophetis manifestasse conceditur, multo minus intelligimus, cur remotiores eventus manifestari potuisse negetur.

3. Cfr *Knobel* Der Proph. Jesaja p. XXVI; *Vatke* Einl. p. 628; etc.

4. Vocabula phrasesque, quae a solo Isaia adhibentur, *septuaginta septem* numerari dicuntur in 1.-12., *octoginta* in duodecim aliis capitibus, quae a plerisque genuina habentur (17.-20.; 21,11-23, 18; 28.-33.), *septuaginta novem* in altera parte (40.-66.). Cfr *Kay* in The Speaker's Comment. V. p. 13. — Longum catalogum vocabulorum, quibus Isaiae non deberi alteram libri partem *Knobel* aliique demonstrare conantur, accurato examini iam subiecit *Reinke* Messian. Weissag. II. p. 517-536 nec quidquam illis effici clarissime ostendit; nihilominus eadem semper recoqui solent.

5. Cfr *Nägelsbach* Der Proph. Jesaja p. XXIX. — Merito ab authentiae propugnatoribus monetur, nomen divinum, quod Isaiae velut proprium et characteristicum est (קְדוֹשׁ יִשְׂרָאֵל, *Sanctus Israel;* cfr prophetae visionem inauguralem 6,1 sqq.) in utraque parte reperiri (*quater decies* in pericopis receptis, *quindecies* in impugnatis, *sexies* tantum in toto reliquo V. T.); praecedens vaticinium confirmari formula : *os Domini locutum est* (1,20; 21,17; 22,25; 25,8. — 24,3; 40,5; 48,15); vaticinia afferri formula : *Sic dixit Dominus* (*duodecies* in receptis, *vicies quater* in reiectis), aut imperfecto יֹאמַר יְהוָה, *dicit Dominus* (1,11. 18; 33,10.-40,1. 25; 41,21; 66,9); easdem similitudines, comparationes, figuras in utrisque pericopis usurpari etc. — *Nägelsbach* l. c. p. 769 sqq. catalogum vocabulorum dictionumque, quae in reiectis leguntur, exhibet additis textibus illis receptis, in quibus eadem adhibentur. Ex quo levem quandam differentiam adesse apparet, sed tantam simul consonantiam, ut eidem potius quam diversis auctoribus omnia vaticinia essent attribuenda, etiamsi hoc solo criterio res esset definienda. Quapropter etiam adversarii admittere coguntur Deutero-Isaiam, quem statuunt, diligenter studuisse vaticiniis Proto Isaiae; *Seinecke* (Der Evangelist des A. T. Leipzig 1870.), qui cpp. 40.-66. *post* Cyri decretum exorta putat, fatetur « kein späterer Prophet hat sich so mit dem Geiste des Jesaja genährt als der Verfasser von 40.-66.; *bei keinem findet sich so dessen charakteristische Ausdrucksweise reproducirt* »; simili fere modo de *Orelli* (Strach Zöckler Commentar. Jesaja u. Jeremia. Nördlingen 1887. p. 128), qui exeunti exsilio capita 40.-66. adscribit : « Die Berührungen führen darauf, dass der Verfasser, wenn er mit Jesaja nicht

identisch ist, *sich in dessen Buch, auch was die Form betrifft, eingelebt habe* ». De *Wette Schrader* (Einl. p. 412) cum *Gesenius* (Comm. III. p. 29) aliisque bene multis similitudinem illam dicunt « aut ex imitatione *aut aliunde* » explicandam esse (« muss aus Nachahmung *oder sonstwie* erklärt werden»); fateantur igitur nobiscum, illud *aliunde* esse idem, quod « ex identitate auctoris omnium vaticiniorum ».

6. *Bleek Wellhausen* (Einl. p. 335) iam confessus erat linguam vaticiniorum parum esse idoneam ad eorum aetatem definiendam : « Dieses Kriterium (sc. proprietates linguae) hat zur Zeit noch immer etwas *sehr Unsicheres* ».

257. — 1. Quoniam libri nostri origo est factum historicum, praeprimis pro more *historiam* interrogemus oportet, quid de ea referat. Iam constanti traditione inde ab antiquissimis temporibus omnia vaticinia, quae in nostro Isaiae volumine continentur, Isaiae filio Amos auctori tribui supra (255) diximus. Aetate Domini N. vaticinia, quae rationalistae prophetae nostro abiudicant, pro genuinis eius operibus esse habita, luculentis testimoniis demonstratur : eunuchus Candacis reginae Aethiopiae in suo prophetae exemplari legit c. 53.; in exemplari synagogae nazarethanae, quod Domino legendum tradebatur, adfuit c. 61.; sacri scriptores alias pericopas reiectas disertis verbis Isaiae attribuunt. Duobus saeculis antea Siracides de Isaiae vaticiniis ita loquitur, ut secundam libri partem illo tempore isaianam creditam esse omnes concedant; atque 3. a. Chr. saeculo, quum versio alexandrina adornaretur, librum nostrum eadem, quae hodie, vaticinia continuisse iterum omnes fatentur. Unde iure merito concludimus, Esdrae tempore, quum libri sacri colligerentur et in canonem coadunarentur, Isaiae volumen eadem, qua hodie forma exstitisse. Adversariorum igitur nunc est explicare, quomodo factum sit, ut vaticinia illa, quae paullo ante Esdrae aetatem exorta esse supponunt, immediate post eum longe antiquioribus Isaiae vaticiniis genuinis non tantum sint coniuncta, sed ita permixta, ut novi operis perfecta exorta sit unitas aptissimaque singularum partium dispositio. Reliquos libros propheticos maioribus saltem interpolationibus carere, ipsi « critici » docent[1]; cur igitur soli Isaiae tanta spuriorum vaticiniorum copia est attributa?

Olim quidem coniecit Eichhorn, vaticiniorum collectores quatuor volumina eiusdem fere longitudinis sibi praeparasse et tria priora vaticiniis Ieremiae, Ezechielis, Minorum implevisse; sed quum Isaiae oraculis quartum non impleri vidissent, eidem addidisse quidquid anonymorum vaticiniorum invenissent, donec volumen esset impletum[2]. Quam ridiculam sententiam nemo, opinor, hodie in medium afferre audebit; at nescio an prudenti iudici sententiae modernae magis probentur, quae aut casui aut « errori collectoris » permixtionem genuinarum et spuriarum pericoparum adscribunt[3]. Ex Minorum enim volumine constat, etiam parvula oracula nomine auctoris olim fuisse inscripta; neque id mirum, quoniam anonymum vaticinium omni ca-

reat auctoritate necesse est. Num quis forte sibi persuaserit, Iudaeos scriptis quibuscunque, dummodo vaticiniorum formam haberent, fidem adhibuisse neque inquisivisse, utrum vero agnitoque prophetae deberentur necne? Supponamus igitur secundam Isaiae partem et reliqua oracula reiecta non nisi versus exsilii finem in lucem prodisse; profecto recepta non essent, nisi eorum auctor tamquam genuinus Deus propheta fuisset cognitus; tam insignis ergo prophetae nomen statim ita esse oblivioni datum erit dicendum, ut vix centum annis postea nullo reluctante et contradicente opus eius potuerit Isaiae attribui, qui trecentis fere annis antea defunctus ex suppositione adversariorum parvulam tantum vaticiniorum de rebus omnino diversis collectionem reliquerat. Cur non potius Ieremiae est attributum aut Ezechieli aut uni ex Minoribus, qui de exsilio babylonico vaticinati erant?

2. Alterum argumentum historicum nobis praebent *antiquiores libri V. T.* — Esdrae tempore, quo scripta sunt Paralipomena, narrationes de expeditione Sennacherib, de morbo et sanatione Ezechiae, de legatione Merodach Baladan in libro, qui eodem titulo, quo noster, « Visio Isaiae filii Amos prophetae » inscribebatur, iam aderant, siquidem auctor lectores suos ad librum istum velut ad fontem suum remittit; atque eodem ordine, quo hodie, eas fuisse dispositas apparet, quoniam in Paralipomenis eodem ordine referuntur. Ordo autem hic non est chronologicus; tempore enim morbus Ezechiae et legatio Merodach Baladan expeditionem Sennacherib praecesserunt, at propheta suo soli fini intentus ordinem chronologicum negligendum duxit, ut vaticiniis suis de Assyriorum expeditione impletionem adderet et vaticinia de liberatione ex exsilio babylonico annuntiatione istius exsilii praepararet (250 n. 8 p. 309). Atqui probe adnotes velim, eandem ordinis inversionem non tantum in Paralipomenis inveniri, sed iam in 4 *Reg.* 18,13-20,19, quo in loco narrationes istae ad verbum fere repetuntur. Concludamus igitur oportet, auctorem librorum Regum, quem Ieremiam esse probabilibus argumentis ostendimus (99. tom. I. p. 293 sqq.) quemque medio circiter exsilio opus suum composuisse constat, illam narrationum dispositionem in libro Isaiae invenisse ideoque eandem adoptasse, licet per se operi historico minus conveniret. Sive enim narrationes ipsae ex libro nostro in librum Regum sunt transcriptae (id quod nobis veri similius esse videtur), sive ab auctore libri Regum et a redactore, quem statuunt « critici », libri Isaiae ex communi fonte sunt haustae, dubium non est, quin ordinis chronologici inversio in l. Regum apte non explicetur, nisi ex nostro libro mutuata esse dicatur. Porro omnes nobiscum facile consentient, neque Isaiam neque suppositum libri eius redactorem vaticinia nostra terminasse annuntiatione exsilii babylonici (39,5 sqq.); consequens ergo est, una cum narrationibus

medio exsilio alteram vaticiniorum partem de exsilii fine iam fuisse coniunctam neque proinde versus exsilii finem esse compositam [4].

Ulterius autem progressi prophetas, qui ineunte exsilio aut ante illud vaticinati sunt (Ezechielem, Ieremiam, Sophoniam, Habacuc, Nahum) vaticinia a « criticis » Isaiae abiudicata iam cognovisse et imitatos esse videmus. Quominus integrum argumentum explicemus, spatii angustiis impediti paucissima exempla afferemus, quae fini nostro plane sufficiunt [5]. Quin *Ezechiel* (32,19 sqq.) in suo carmine de Pharaonis interitu imitetur Isaiam (14,4 sqq.) de interitu regis Babylonis gloriantem, eo minus est dubium, quia ad idem Isaiae epinicion iam *Ezech.* 28,2. 7. 8. alludat. Accedit, quod Ezechiel dispositionem et ordinem integri nostri libri Isaiae prae oculis iam habuerit et imitatus sit. Is enim utriusque prophetae in suis libris disponendis est consensus, ut casui fortuito adscribi non possit sed iunior ab antiquiore dependere sit dicendus (cfr *infra* 277). — *Ieremiae* vaticinium de interitu Babylonis (*Ier.* 50,51.) cum Isaiae vaticiniis contra Babel (13; 14; 20,1-10; 40.-66.) consonare ab iisque certo quodam modo dependere tam clarum est, ut hanc praecipue ob rationem « critici » alii pericopen illam Ieremiae abiudicent, alii eam a Pseudo Isaia, quem fingunt, retractatam et interpolatam dicant [6]. At irrito plane conatu; si enim hac in re vincerent, innumeri fere alii loci remanerent, quibus Ieremias secundam Isaiae partem cognovisse demonstratur. Frequenter ultimis Isaiae capitibus (40,18-20; 41,23 sqq.; 42,17; 44,9-20 etc.) facete castigatur idololatria; eodem modo loquitur Ieremias (10,1-16) non raro in phrasibus quoque cum Isaia consentiens. Cum *Is.* 47,1-3 confer *Ierem.* 13,18. 22. 26 et omnia, quae ab Isaia, etiam a Ieremia invenies diligenter expressa; cum *Is.* 51,15 confer *Ierem.* 31,16 etc. [7]. — *Sophonias* (2,15) ad verbum fere repetens *Is.* 47,10, sicut in versu praecedente (2,14) ad *Is.* 13,21 sq. alludens de Ninive pronuntiat, quae de Babele dixerat alter. — Quin *Nahum* (1,15) victoriam de Ninive annuntians in memoria habuerit *Is.* 52,7 et 51,23, vix quisquam in dubium vocabit; eadem autem ratione 3,7. 10 imitatur Isaiam (51,19 sq.). — Sed ulterius haec prosequi opus non est; ne quis vero obiiciat, Pseudo Isaiam imitatum esse alios prophetas, duo tantum monemus, quum huius loci non sit omnes textus accurato examini subiicere [8]. Atque primum quidem omnino constat, Ieremiam et Sophoniam frequentem usum antiquiorum vaticiniorum fecisse; iure igitur concludimus, eos eadem ratione, qua a reliquis Isaiae vaticiniis dependent, etiam ab altera Isaiae parte dependere. Praeterea adversarii nostri ipsi concedunt, auctorem alterius partis aliorumque vaticiniorum reiectorum insignem fuisse scriptorem, etenim « magnum anonymum » (der grosse Unbekannte) eum nominant; sibi ipsi igitur adversantur, si eum undequaque dictiones, phrases, compa-

rationes suas collegisse contendant; num forte insignem scriptorem fuisse dicemus « insignem mendicum »?

At unum locum apud Ieremiam se invenisse gloriantur, qui alteram Isaiae partem illo tempore Ierosolymis ignotam fuisse demonstret. Scilicet quum Ieremias, quoniam contra civitatem sanctam vaticinatus esset, in iudicium adductus in mortis periculo versaretur, seniores ad eum defendendum Michaeae exemplum in medium attulerunt, qui quamquam contra civitatem vaticinatus erat (*Mich.* 3,12), a rege Ezechia non erat punitus, sed in honore habitus (*Ierem.* 26,16 sqq.). Atqui seniores, inquiunt adversarii, procul dubio ad Isaiae potius, quam ad Michaeae, vaticinia provocassent, si ea cognovissent[9]. Quae argumentatio multiplici modo peccat. Nam a.) in omnibus vaticiniis isaianis, quae a rationalistis reiiciuntur, duo tantum versus de destructione Ierosolymorum et templi agunt, iisque destructio non tam praedicitur, quam defletur (Is. 64,9. 10); in Ieremiae igitur causa, qui destructionem comminatus erat, inepte essent allati; e contrario Michaeas eodem modo, quo Ieremias, locutus erat. b.) Porro altera Isaiae pars, in qua versus illi leguntur, regis impiissimi, Manasse, a quo Isaiam occisum esse antiqua et certa traditio refert (250. n. 9. p. 310), tempore edita est; multo minus igitur a senioribus afferri potuerunt, qui de pii regis Ezechiae tempore loquuntur. Nonne si ad Isaiam provocassent, Ieremiae mortem postulassent? Demum c.) argumentum, si quid valeret, illa potius vaticinia, quae a rationalistis genuina declarantur, Ieremiae tempore ignota fuisse demonstrarent; siquidem futura civitatis sanctae et integrae Palaestinae desolatio clarissime et comminative praedicitur *Is.* 5,5 sqq.; 6,11 sqq. cfr 1,24. 31 etc.

3. *Fl. Iosephus* narrat Cyrum lectis Isaiae vaticiniis, quibus nomen suum praedictum sibique regnum universale promissum vidit, permotum esse, ut Iudaeis exsulibus reditum in patriam templique reaedificationem permitteret[10]. Quae narratio digna est, cui plena adhibeatur fides, quum Cyri ipsius decreto confirmetur. Nam « omnia regna terrae inquit, dedit mihi Dominus Deus coeli, et ipse praecepit mihi, ut ei aedificarem domum in Ierusalem, quae est in Iudaea » (2 *Paral.* 36,22; 1 *Esdr.* 1,2); unde autem, nisi ex vaticiniis nostris, quibus diserte continentur (44,28 sqq.), illud praeceptum illamque promissionem cognovit, et quomodo ad « Domini Dei coeli » agnitionem adductus est nisi praedictione illa? Recte quoque monent alii, agendi rationem Cyri Iudaeis reditum permittentis, tam diversam a modo, quo alii reges eo usque Iudaeos tractaverant et postea tractarunt, apte non explicari, nisi Iosephi narratio pro vera admittatur. Iam vero Cyrum ita leviter egisse, ut in oraculi sibi ostensi aetatem atque authentiam non inquirens a callidis Iudaeis sit deceptus, aut Iudaeos conficto vaticinio re-

gem in errorem inducere esse conatos, quis sibi persuaserit[11]? Restat igitur, ut vaticinium illud de Cyro, ac proinde integram alteram partem, a qua divelli nequit, non tantum iam Cyri tempore Isaiae auctori ab Iudaeis adscribi consuevisse, sed revera Isaiae esse dicamus.

4. Quibus historicis argumentis, quae authentiam omnium vaticiniorum extra prudens dubium iam ponunt, quartum addamus ex alterius partis indole desumtum. Eius enim auctor, licet prophetico spiritu sublatus sese exsulibus praesentem sistat, ut liberatione ex exsilio futurisque bonis messianicis praedictis eos consoletur et confortet, non ita tamen cum exsulibus versatur, ut temporis, quo revera vixit, prorsus oblitus et immemor curam aequalium suorum prorsus negligat. Ut futuris generationibus consuleret, procul dubio missus erat Isaias, sed proximum semper eius munus spectabat generationem, quacum vivebat, ut eam « ad Legem et testimonium » reduceret in illisque conservaret; quapropter non mirum, quod temporis, quo vivebat, frequentia quoque vestigia in altera vaticiniorum parte inveniamus. Ex multis pauca indicabimus[12].

a.) Praeprimis dignum est animadversione, quod propheta tam frequenter in idololatriam invehatur eiusque absurditatem demonstret. Inde a c. 40. usque ad finem libri vix pericopen invenies, in qua idololatria non damnetur (40,18 sqq.; 41,7; 42,17; 44,8; 45,20; 46,5 sqq. etc.). Iam vero non ignoramus quidem, exsules quoque ab idololatria non plane abstinuisse, at versus exsilii finem, quo tempore haec vaticinia exorta esse statuunt « critici », tam frequentem fuisse idololatriam, ut continuis his monitis indigeret, nemo sibi persuadebit, nisi qui exsilium fructum nullum attulisse nec populum emendasse contenderit. Quis autem id asserere audebit, si Iudaeos ex exsilio reduces ab omni idololatriae specie quam maxime abhorruisse viderit? Monita igitur haec propheta non destinavit exsulibus, sed aequalibus suis, qui ultimis eius annis praeeunte rege Manasse magis, quam patres eorum, idololatriae erant addicti. Quod quanta cum veritate asseratur, luce clarius apparet ex 57,3 sqq., quo in loco Isaias lectores suos alloquens omnes illas idololatriae species, quae tempore regis Manasse exercebantur, eis obiicit gravemque ideo poenam comminatur. Immo vero tota pericope illa (56,9-57,21) tam clare et evidenter tempus ante exsilium supponit, ut nonnulli « critici » eam ante exsilium quidem compositam sed exeunte exsilio a suo Deutero Isaia receptam esse asserant[13]. Perbelle sane effugium, neque minus leve quam facile! Nihilominus adversarios nostros parum iuvat; nam eadem ratione ultimis duobus capitibus (65,2 sqq.; 66,3.7) propheta de idololatria velut de futurae poenae causa loquitur aliisque in locis alia vitia castigat, quibus populus ante exsilium deditus fuerat[14].

b.) Frequenter quoque, ut lectores ab idololatria avertat et ad solum verum Deum colendum adducat, ad omniscientiam provocat, qua Deus res « *antequam oriantur* » praescivit et praedixit (41,23-26; 42,9; 43,9 sqq.; 45,21; 46,10; 48,3. 5. 16); pro argumento autem, quo divinum hoc attributum Domino competere ostendit, futura regni babylonici destructio populique liberatio per Cyrum efficienda ei inserviunt. Atqui si auctor vaticiniorum nostrorum, uti volunt adversarii, versus finem exsilii vixisset, quo tempore Cyrus iam babylonico regno bellum inferre coeperat primasque victorias reportaverat, argumentum istud non tantum foret levissimum, sed propheta illudere voluisse auditoribus suis esset dicendus, si velut aliquid novi et inauditi, quod soli Deo esset cognitum, proposuisset ea, quae ipsi partim iam viderant, partim non admodum difficili coniectura assequi poterant [15].

c.) Demum haud raro is rerum status supponitur, qui ante exsilium fuit. Propheta Ierusalem aliasque civitates alloquitur velut exsistentes (40,2. 9; 62,6 cfr 41,27; 51,17; 62,1 sqq.); templum supponit integrum esse et sacrificia offerri (56,5; 43,22 sqq.), regna potentissima esse Aegyptum, Aethiopiam, Sabaeam (43,3; 45,15), Iudaeos ab alienis potius populis, quam a Domino, auxilium petere (57,9 sq.) etc.; quae omnia profecto versus finem exsilii supponi nequiverunt [16].

Sed haec hactenus; ab interpretibus enim argumenta haec accuratius explicantur et vindicantur. Adversariorum obiectiones praecipuas iam examinavimus; aliae refutatione non indigent, quum rationalisticis textuum interpretationibus innitantur [17].

1. Excipiunt tamen *Zach.* 9-14, quae capita ante exsilium forte a propheta homonymo composita iunioris libro addita esse supponunt, sed immerito (*infra* 320.); in Isaiae autem libro *genuinorum et spuriorum vaticiniorum permixtionem* admittunt. *Ieremiae* quoque vaticinia nonnulla hodie a paucis spuria declarantur. Cfr *infra* 267.

2. *Eichhorn* Einleitung IV. p. 120 sq.; neque multum dissentit *Bertholdt* Einl. p. 1393 sq.

3. *Davidson* Introd. III. p. 61 « The present book of Isaiah is a growth. It is *an aggregate* of authentic and unauthentic pieces, accumulating by degrees to its present extent and disposition. Like the books of Psalms and Proverbs, it is *an anthology* », id quod demonstrare conatur omni vaticiniorum ordine negato. *Bleek Wellhausen* Einl. p. 354 : « Es kann nur erst *durch Versehen* von Seiten des oder der späteren Sammler geschehen sein, dass hier mit den jesajanischen Weissagungen zu einem Buche auch solche vereinigt sind, die andern und späteren Propheten angehören ». Quas ob causas altera pars cum priore sit coniuncta, ignorare se fatetur *De Wette Schrader* (Einl. p. 424), at quae de prioris partis collectione tradit (p. 423), non minus eius ignorantiam produnt.

4. Cfr *Knabenbauer* Erkl. d. Proph. Isaias p. 450; Comm. in Is. I. p. 5 sq. 596 sqq.

5. Hoc argumentum post *Reinke* (Mess. Weissag. II. p. 488 sq.) et *Himpel*( Tüb. Quartalschr. 1878. p. 463 sqq.) fusius explicat *Knabenbauer* (Comm. in Is. II. p. 9 sqq.). Ex protestanticis cfr *Küper* Jeremias libr. sacr. interpres et vindex p. 79 sqq. 106-

155; eiusdem das Prophetenthum des A. B. p. 236 sqq., 274-291; *Nägelsbach* Der Proph. Jesaja p. XXX sq., cuius catalogum textuum parallelorum paucis additis hoc loco transcribimus cum eodem monentes, eum nequaquam esse completum :

| | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| *Is.* 13. 14. | cfr | *Ierem.* 50. 51. | *Is.* 40,24 | cfr | *Ierem.* 12,2. | *Is.* 57,20 | » | *Ierem.* 49,23. |
| (per totum) | | | 44,9. 20 | » | *Hab.* 2,18 sqq. | 61,8 | » | » 32,40 sq. |
| 13,3 | » | *Soph.* 3,11. | 47,8 | » | *Soph.* 2,15: | 65,3 | » | » 32,29 sq. |
| 13,7 | » | *Ezech.* 7,17. | 51,7 | » | *Ierem.* 31,33. | 65,6. 7 | » | » 16,18; 32, 18. |
| 13,11 | » | » 7,29. | 51,15 | » | » 31,35. | | | |
| 13,21 | » | *Soph.* 2,14. | 51,17 | » | *Ezech.* 23,34 | 65,16 | » | » 4,2. |
| 14,5 | » | *Ezech.* 19,11. | 51,17 | » | *Hab.* 2,15 sqq. | 65,17 | » | » 3,16. |
| 24,17 sq. | » | *Ierem.* 48,43 sq. | 51,19 | » | *Nah.* 3,7. | 66,15 | » | » 4,13. |
| 33.34 | » | *Ierem.* 50. 51. | 51,20 | » | » 3,10 | 66,16 | » | » 25,31. 33. |
| 34,6 | » | *Soph.* 1,7. 8. | 52,1 | » | » 2,1. | 66,19 sq. | » | *Soph.* 3,9 sq. |
| 34,11 | » | » 2,4. | 57,19. 21 | » | *Ierem.* 6,14; 8,11. | | | |

6. *Ewald* (Die Propheten II. p. 491 sqq.), *Meyer* (Die prophet. BB. d. A. T. p. 350 sqq.), *Vatke* (Einl. p. 640) aliique duo ista capita reiiciunt; *Hitzig* (D. Proph. Jeremia p. 392 sqq.), aliique ea interpolata esse censent.

7. Nonnulli cum Hitzig Deutero Isaiae, quem fingunt, etiam adscribunt *Ierem.* 10,1-16; 30; 31; 33 etc., quippe in quibus etiam allusiones ad reiectas Isaiae pericopas non paucae inveniantur. Ceterum ipse *Vatke* l. c. p. 640 fateri cogitur : « ein Verdacht lässt sich nur erheben, *nicht beweisen* ».

8. Prophetas iuniores ex nostris vaticiniis hausisse, neque rem inverti posse diligenter demonstrant *Himpel* l. c. et *Küper* l. c.

9. Ita cum multis *Davidson* Introd. III. p. 39, *De Wette Schrader* Einl. p. 414; *Vatke* Einl. p. 628 etc.

10. *Fl. Ioseph.* Antiqu. XI. 1,2.

11. Cfr *Himpel* l. c. p. 326; *Knabenbauer* D. Proph. Is. 453, Comm. in Is. II. p. 12.

12. Egregie de indole hac secundae partis Isaiae agit *Himpel* l. c. p. 300-334; cfr *Knabenbauer* l. c. p. 451 sq., *Reinke* Mess. Weissag. II. p. 492 sqq. etc.; ex protestanticis *Keil* Einl. p. 274, *Hengstenberg* Christologie II. p. 199 sqq. etc.

13. *Ewald* l. c. II. p. 407, *Bleek Wellhausen* l. c. p. 344 aliique *Is.* 56,9-57,21 aut saltem usque ad 57,11 ante exsilium conscripta et a Deutero Isaia adoptata esse censent.

14. *Himpel* l. c.; *Keil* l. c.

15. *Himpel* l. c. p. 307 sq., 333 sq.; *Knabenbauer* l. c. p. 451 etc.; — *Keil* l. c. — Inepte *Vatke* p. 627 cum aliis ad 48,6-8 provocat, quibus clarissime demonstretur, annuntiationem eventum non praecessisse (« Das beweist haarscharf, dass diese Aussprüche gleichzeitig mit dem Erfolg gegeben sind »); miram enim argumentationem prophetae supponit, qui divinam omniscientiam ex iis demonstraverit, quae unusquisque illo tempore annuntiare potuit. Adversarii error inde exoritur, quod phrasin « *nunc creata sunt* » (עתה נבראו) de rei eventu explicet, quum de prima rei annuntiatione sit intelligenda, nisi prophetam sibi ipsi contradicere statuamus (41,23 sqq.; 43,9); cfr *Knabenbauer* D. Proph. Is. p. 523, Comm. in Is. II. p. 216.

16. Secundum adversarios auctor horum vaticiniorum in Babylonia vixit; quam sententiam defendere nequeunt, nisi ultimam saltem partem a reduce in Palaestinam additam esse cum *Bleek Wellh.* (p. 346) teneant. At mira est eorum varietas in definienda origine vaticiniorum; secundum *Bertholdt*, *Gesen.* etc., ultimae pericopae secundae partis sunt scriptae ante Cyri expeditionem contra Babyloniam; secundum *Hitzig* cpp. 43. 44. iam supponunt expugnationem Babylonis, secundum *Knobel* cpp. 40.-48. tempore illo editae sunt, quo Cyrus primas victorias de Babyloniis reportavit, secundum alios integra pars eodem tempore uno tenore conscripta est. Quis arbitrariis his explicationibus immoretur?

17. Quid enim dicemus, si ex gr. *Vatke* l. c. p. 627, ut versus exsilii finem vati-

cinia exorta esse demonstret, diligenter monet, omnia quae propheta de rebus iudaicis usque ad finem exsilii referat, historice vera demonstrari; illa autem, quae post exsilium futura esse speravit, non evenisse; nam gloriam novae Ierusalem, quae cp. 60. describatur, in colonia post exsilium fundata frustra quaeri? Ac si propheta de unica liberatione in tota secunda parte sit locutus eique nova Ierusalem nihil sit nisi civitas illa iudaica! — De obiectione, quam « critici » ex ordine desumunt, quo in codicibus Iudaeorum germanicorum prophetae sint dispositi (Ierem., Ezech., Is., Min.) cfr *supra* 246 n. 3 p. 287 sq.

## § 7. — *De praecipuis commentariis catholicis in Isaiae vaticinia.*

258. — Praeclara Isaiae vaticinia messianica, quibus Dominus et Apostoli tam frequenter usi erant, a primis Patribus magna cum diligentia iam sunt explicata; prae reliquis autem *S. Iustinus M.* in suo dialogo contra Tryphonem continuo ad ea provocat nonnullaque etiam accuratius interpretatur et vindicat. Primus tamen inter PATRES GRAECOS, qui continuos vaticiniorum commentarios ediderit, est *Origenes,* qui testibus S. Hieronymo et Eusebio triginta priora capita[1] totidem τόμοις seu voluminibus explanavit; ex illis vigesimum sextum Hieronymus iam non amplius invenit, reliqui quoque duobus minoribus fragmentis exceptis plane interierunt, non magno utique, ut videtur, exegeseos damno, siquidem in iis Origenem « liberis allegoriae campis evagatum esse et interpretatis nominibus singulorum ingenium suum fecisse sacramenta Ecclesiae » asserit Hieronymus. Ex viginti quinque homiliis, quas Origenes de Isaiae libro ad populum habuerat, novem latine a S. Hieronymo (nimia cum libertate, si fides est Rufino) translatae ad nos pervenerunt, interpretem autem, quum textui non inhaereant sed in locis moralibus et allegoricis accommodationibus versentur, vix quidquam iuvant. Demum scholiorum Origenis in Isaiam, quae S. Hieronymus commemorat, nihil nobis reliquum est[2]. Origenem proxime secutus est *Eusebius Caes.,* cuius commentarium, qui integer superstes est, non admodum magni aestimavit S. Hieronymus, quoniam historicam quidem interpretationem titulo repromittat, sed diversis sensibus evagetur. Ceterum literalem sensum Eusebius non neglexit, passim quoque veterum interpretum graecorum lectiones attulit (prolixiores, quam S. Hier.), et Iudaeorum explicationes aliquoties exquisivit; quocirca utilitate sua non caret[3]. Nec *Didymi Alex.*, quem S. Hieronymus in alteram libri partem (40-66) decem et octo tomos edidisse dicit, nec *Apollinaris,* quem « non tam commentarium, quam indices capitulorum » scripsisse idem testatur, nec *Theodori Heracl.*, nec *Eusebii Emes.* quidquam nobis restat praeter illa, quae in catenis sunt conservata[4]. *S. Basilii M.* commentarius sedecim prima capita complectitur, *S. Chrysostomi* autem commentarius prima octo tantum; at

idem sex homiliis visionem inauguralem Isaiae (c. 6.) explicavit; prior allegoricis explicationibus et moralibus accommodationibus abundat, atque S. Chrysostomus quoque, licet verbis textus accuratius inhaereat, pro more tamen a moralibus excursibus non abstinet[5]. Eos, quos nominavimus, longe superant duo alii interpretes, qui dogmaticis disputationibus divisi in explicando propheta nostro excellent, *Theodoretus* et *S. Cyrillus Alex.* Prioris commentarius brevis est et succinctus, sed succulentus; solum sensum literalem prosequitur et haud raro feliciter explicat. Multo copiosior est S. Cyrilli commentarius, qui etiam literalem et historicum sensum exhibet, sed pro Alexandrinorum more etiam allegoricis explicationibus satis dives est[6]. *Hesychius Ieros.* in suis κεφαλαίοις summum dumtaxat argumentum vaticiniorum indicat; *Procopius Gaz.* autem, uti in plerisque aliis suis commentariis, etiam in sua Epitome in Isaiam catenarum potius collectorem quam interpretem agit; multa ex Eusebio excerpsit interdum ad verbum fere describens, frequentius sensum Eusebii paucioribus verbis exprimens. Catenam quoque graecorum Patrum collegit *Ioan. Drungarius*[7].

Inter alios Patres orientales memoria prae ceteris dignus est *S. Ephraem*, cuius scholia non pauca in sua syriaca « Catena Patrum in Scripturas » Severus monachus edessenus conservavit; brevitati S. Ephraem quoque studuit, sed literali sua explicatione excellit. Quibus recentioris scriptoris syriaci, *Gregorii Barhebraei* adiungimus scholia, quum partim a S. Ephraem dependeant[8].

Pauciores numero quidem, quam graeci, sunt Patres latini, qui Isaiae vaticinia commentati sunt, sed inter eos est *S. Hieronymus*, qui reliquos antiquos interpretes vel ideo superat, quoniam hebraicum textum fere sequitur, dum reliqui omnes alexandrina versione, quae parum accurata est, haud raro impediebantur, quominus ad genuinum prophetae sensum pervenirent. Praeprimis literalem sensum investigat, sed eo non contentus, monet « post historicam veritatem spiritualiter esse accipienda omnia, et sic Iudaeam et Ierusalem, Babyloniam et Philisthiim... intelligenda esse, ut cuncta quaerantur in sensu »; quapropter onera contra populos externos (13.-22.) bis exponit, libro V. sensu literali, libr. VI. VII. sensu anagogico[9]. S. Hieronymus inter Latinos nec praedecessorem habuit praeter « sanctae memoriae *Victorinum martyrem*, qui cum Apostolo dicere poterat : etsi imperitus sermone, non tamen scientia », cuiusque commentarius interiit, neque proximis saeculis habuit sequacem. Etenim si *S. Paterii* notulas paucas exceperis, quas ex magistri sui *S. Gregorii M.* operibus excerpsit[10], primus est *Haymo Halberst.*, qui ipse a S. Hieronymo fere dependet; ex solis fere Hieronymi commentariis excerpta est *Walafridi Strabonis* Glossa ordinaria in Isaiam[11].

1. Integrum quidem Isaiae librum Origenes interpretatus esse videtur, sed iam ante Eusebium duae tertiae partes erant deperditae (*Eus.* H. E. VI. 32. M. 20,592) et soli triginta priores libri « μέχρι τῆς δράσεως τῶν τετραπόδων τῶν ἐν τῇ ἐρήμῳ » Eusebio innotuerunt. Inscriptio haec est versionis alexandrinae 30,6, quo in loco Vulg. « Onus iumentorum Austri ».

2. *Origenis* fragmenta et homiliae in Is. M. 13,217-254; homiliae etiam inter opera S. Hier. M. 24,937-972. De Origenis τόμοις cfr *S. Hier.* In Is. Prol.; l. V. Praef (M. 24,20 sq., 158); de modo, quo homiliae a S. Hieronymo translatae sunt cfr *Rufin.* Apol. II. 27 (M. 21,606).

3. *Eusebii* Comm. in Isaiam. M. 24,89-526; de quibus cfr *S. Hieron.* In Is. Prol.; l. V. Praef; in 18,2 (M. 24,21. 158. 184); neque tamen monere dubitat *Montfaucon* (In Euseb. Comm. Praef. M. 24,80) S. Doctorem « bene multa ex Eusebii commentariis expiscatum esse ».

4. *Theodori Heracl.* Fragmenta a Card. Maio collecta. M. 18,1308-1378.

5. *S. Basilii* Comm. M. 30,118-668; de cuius authentia, quae a Petavio, Garnerio aliisque addubitata est, cfr *Prud. Marani* Vita S. Basilii c. 42 (M. 29, CLXVI sqq.). *S. Chrysost.* Comm. et homiliae. M. 66,11-152.

6. *S. Cyrilli Alex.* Comm. M. 70,1-1450. — *Theodoreti* Comm. M. 81,215-494.

7. *Hesychii Ieros.* Capita Isaiae proph. M. 93,1369-1386. — *Procopii Gaz.* Epitome variarum exposit. in Isaiam. M. 87,1817-2717. — De *Drugarii* catena, quae typis descripta non est, cfr *Montfaucon* in Praef. ad Eusebii Comm. M. 24,81.

8. *S. Ephraem* Scholia in Is. 1-42 exstant in S. Doctoris Operum syriac. editione romana II. p. 20-97; ultimam partem recenter adiecit *Th. I. Lamy* (*S. Ephraem* Syri Hymni et Sermones. Mechliniae 1886. II. p. 109-214). — *Barhebraei* Scholia in Isaiam ed. Tullberg. Upsalae 1842.

9. *S. Hieronymi* Commentariorum in Isaiam libri duodeviginti. M. 24.17-678. Novam suam versionem plerumque literali sensu, alexandrinam allegorico exponit.

10. De *S. Victorino* cfr S. Hier. In Is. Prol. (M. 24,20); — *S. Paterii* Testimonia in Isaiam proph. M. 79,939 sqq.

11. *Haymonis Halberst.* Comm. M. 116,717-1086. — *Wal. Strabonis* Glossa ord. in Is. M. 113,1251-1316.

259. — Media aetate *Rupertus Tuit.* magnam Isaiae partem (1.-12.; 51.-65.) duobus libris ita explicavit, ut omnia fere de Christo et de ultimo Ierosolymorum excidio per Romanos faciendo intelligeret, in allegoricas autem accommodationes non divagaretur; reliqui vero saec. 12. interpretes tantum non omnes solas allegorias et tropologias sectati sunt, uti *Godefriedus Admont.* abbas in suo « libro de decem oneribus Isaiae » (cpp. 12.-23. et 30,6 sqq.), *Herveus Dol.* vel Burdig. in « Commentariorum libris octo », *Gerhohus Reichersperg.* in expositione duorum canticorum (*Is.* 12; 38,9 sqq.), *Alanus de Insulis* in « opusculo de sex alis Cherubim » (rectius : Seraphim; *Is.* 6.), quas poenitentiae actibus accommodat. Solus *Richardus Victorin.* in duobus libris de Emmanuel literali sensui inhaeret, ut catholicam sententiam de Virginis partu contra Iudaeos iudaizantesque doctores nonnullos defendat[1].

Meliorem viam inierunt interpretes scholastici, quorum opera typis sunt vulgata. Inter quos *Card. Hugo* allegoricas quidem explicationes satis multas affert, sed a literalibus plerumque accurate secernit et se-

cundo tantum in loco ponit; diligens quoque et non admodum raro felix est in singulis pericopis dividendis; ab integri autem libri divisione abstinet, quia chronologico ordine vaticinia disposita esse arbitratur. Allegoriis fere omnino omissis solum sensum literalem investigat *S. Thomas Aq.*, cuius commentarius in Isaiam, licet reliquis eius Scripturae expositionibus, ni fallor, inferior sit, inter meliores tamen prophetae explicationes non infimum sibi locum vindicat. Ieiuniorem eum esse neque eadem eruditionis copia insignem, nimium quoque eum esse in continuis divisionibus et subdivisionibus, non plane immerito censuerunt nonnulli, quare alii de ejus authentia dubitaverunt, alii eum a discipulo dumtaxat « reportatum » dixerunt; at genuinum opus est Doctoris Angelici ex eiusque autographo typis descriptum, neque ullo modo potest S. Doctore vocari indignum. Ex S. Thomae expositione non pauca *Nic. Lyranus* in suas Postillas transumsit, quamvis eum semel tantum nominet, ubi eius expositionem secundi signi regi Achaz dati immerito carpit et impugnat; ceterum Lyrani Postillae in Isaiam eadem laude sunt dignae, qua reliqui eius commentarii. Consuetum quoque suum modum in prophetiis nostris explanandis tenuit *Dionysius Carth.*[2]. Alii aetatis scholasticae commentarii in codicibus adhuc latent.

1. *Ruperti Tuit.* De Trinit. et operibus eius. In Is. proph. comment. libri duo. M. 167,1271-1362. — *Godefriedi Admont.* Liber de decem oneribus Isaiae. M. 174,1157-1210. Idem in suis homiliis (Dominic. 6. 9. 11 etc.; Festiv. 3. 6. 9 etc.) non paucas pericopas prophetae eodem modo explicavit. — *Hervei Dol.* Commentarius M. 181, 17-592. — *Alani de Insulis* Opusculum de sex alis cherubim. M. 210,265-280; interdum sub nomine S. Bonaventurae editum reperitur. — *Richardi a S. Vict.* De Emmanuelo libri duo. M. 196,601-666.

2. De authentia commentarii *S. Thomae* cfr *De Rubeis* Dissert. 2. (in calce Opp. S. Thomae. Ed. Parm. XIV. p. 403) et Innsbr. Zeitschr. für Theologie. 1878. p. 222. Lyranum secuti multi interpretes S. Doctoris expositionem in Is. 8. improbarunt velut iudaizantem; at hodie omnes eam universam admittunt, licet in particularibus quibusdam ab ea dissentiant; eandemque iam tradiderant SS. Ephraem et Chrysostomus, dissentientibus utique Eusebio, S. Hieronymo, S. Cyrillo et Theodoreto, qui c. 8. uti c. 7. de Emmanuele prophetam loqui arbitrati sunt.

Magnus est numerus interpretum, qui Isaiae explicando SAECULIS 16. ET 17. operam navarunt; quos quum omnes enumerare et diiudicare nequeamus, illos tantum recensebimus, quos reliquis praestare censemus. Tempore praecedit *Adamus Sasbout*, quem « literam docte ac pie apteque ad mores explicasse » iam monet Corn. a Lap.; inutiles tamen aliquas quaestiones eum tractare Calmetus arbitratur, licet eius « expositionem satis perspicuam, commentarium iudicio et accuratione laudabilem » recte pronuntiet. *Hect. Pinti* commentarium olim magni aestimatum fuisse, multae eius editiones demonstrant; literali sen-

sui secundum Vulgatam exposito addit annotationes ex hebr., chald., graeco textibus. Prae ceteris autem eminet *Franc. Forerii* « comment. in Isaiam ad hebraicam veritatem », quem non tantum Sixtus Sen. cornucopiam appellavit, sed antiqui quoque et moderni Protestantes magnis laudibus ornarunt[3]. *Hier. Osorius* in sua « Paraphrasi in Isaiam » non tam verba textus explicat, quam eorum sensum sententiarumque ordinem et nexum. Rabbinorum interpretationes refutare studuit *Leo a Castro* alexandrinam maxime versionem secutus[4]. Hisce saec. 16. interpretationibus addamus oportet *Ioan. Maldonati* († 1583) commentarium, quamvis non nisi diu post eius mortem medio saeculo 17. typis sit editus; inferiorem quidem eum esse celeberrima auctoris explicatione Evangeliorum, at plerisque, quos hucusque nominavimus, eum praestare censet Knabenbauer[5].

Saeculo 17. ineunte duo Isaiae interpretes floruerunt, qui quoniam idem nomen gesserunt interdum confunduntur; alter *Didacus Alvarez*, iuxta sensum literalem et moralem vaticinia exposuit, alter *Gabriel Alvarez* sensum literalem praesertim sectatus est, licet ipse quoque « modice et temperate quasi corollaria » tropologicas nonnullas et allegoricas explicationes addere non dubitat[6]. Praecipui tamen saec. 17. Isaiae commentatores sunt *Casp. Sanctius, Corn. a Lapide, Thom. Malvenda*. Laudes, quibus Calmetus Sanctium celebrat tamquam « virum eruditum, sapientem, solidum, literae inhaerentem et omnium quos noverit interpretem praestantissimum »; exaggeratas non dicet, qui Sanctii commentariis in Prophetas maiores ac praesertim in Isaiam operam studiumque impenderit. Duos alios, quamvis integrarum Scripturarum interpretes hoc loco enumerare non sit propositum, nominandos tamen censuimus, quia Cornelii a Lap. explicatio Isaiae optimis merito accenseri solet et Malvendae opus variis suis textus hebraici versionibus interpreti haud raro utilis est[7]. Alii qui eodem saeculo vaticinia nostra specialibus commentariis illustrare conati sunt, *Luc. Arconeus, Péan de la Coullardière, Laisne de Marguerie* etc. minoris sunt auctoritatis et utilitatis.

Saeculo 18. vix ullus claruit Scripturarum interpres praeter *Aug. Calmetum*, cuius isaianorum quoque vaticiniorum explicatio iure magni aestimatur. *I. B. Bossuet* dissertationem edidit de Is. 7., *A. B. Roboredo* sua « lucerna prophetica » nonnullos textus illustrare conatus est, *I. I. Duguet* viginti quinque prioribus capitibus notulas addidit, cui operi I. V. Bidal *d'Asfeld* tres alios tomulos adiecit; quibus longe praestant glossae, quas *G. F. Berthier* gallicae suae Isaiae versioni addidit et quae nostro saeculo saepius sunt typis repetitae[8]. Versus saeculi finem *I. L. Isenbiehl* magnam excitavit de Is. 7. controversiam, quum oraculum de Emmanuele contra traditionem unanimem

de futuro Isaiae filio explicare vellet; inauditam eius et erroneam opinionem impugnaverunt *H. Goldhagen* S. I., *I. Iung* S. I., *E. Kluepfel*, O. S. Aug., *F. C. Zwerger* aliique [9].

HAC NOSTRA AETATE demum satis multi vaticiniis Isaiae dissertationibus commentariisque suis novam lucem affundere studuerunt. *I. H. Kistemaker* et *M. Molkenbuhr*, O. Min., vaticinium de Emmanuele explicarunt [10]; omnia vaticinia messianica satis fuse interpretati sunt *L. Reinke*, *G. K. Mayer*, *Ioh. Bade* [11]; textus aliquos dogmaticos *I. Corluy*, integrum autem librum *Petr. Schegg*, *A. Rohling*, *Lehir*, *B. Neteler*, *Trochon*, *I. Knabenbauer* [12].

Inter acatholicos commentatores antiquiores excellit *Camp. Vitringa*, cuius « commentarius in librum prophetiarum Isaiae » (Leowardiae 1714. 2 vol. fol.) etiam catholico interpreti utilis iure dicitur; inter rationalisticos Isaiae interpretes praecipui sunt *Guil. Gesenius* (Der Prophet Jesaja mit einem vollständigen philol., krit. u. hist. Commentar. Leipzig 1820.-21 3 vol. 8°.) et *Aug. Knobel* (Der Prophet Jesaja. Leipzig 1843.; Ed. 4. curavit *L. Diestel*. 1872.); inter « orthodoxos » eminent *M. Drechsler* (Der Prophet Jesaja. Stuttgart 1845.-49. 3 voll. 8°. Secundi voluminis alteram partem nonnullis adiectis ediderunt F. Delitzsch et A. Hahn; tertii integri auctor est A. Hahn), *Fr. Delitzsch* (Bibl. Commentar über den Proph. Jesaja. Leipzig 1866. Ed. 3. 1879. Ed. 4. 1889), *C. W. Naegelsbach* (De Proph. Jesaja theologisch homiletisch bearbeitet. Bielefeld 1877). — Alios antiquiores enumerat *Rosenmüller* (Scholia in V. T. III. 1. p. X. sq.); recentiores recensentur a *Naegelsbach* (l. c. p. XXXIII sqq.) et a *Strack* (Einl. Ed. 4. 1895. p. 207 sq.).

3. *Ad. Sasbout.* Comm. in Isaiam praemisso tractatu de Scripturarum sensibus. Lovanii 1558. — *Hect. Pinti*, O. S. Hier., Comm. in Is. Lugduni 1561. et saepius. — *Fr. Forerii*, O. Praed., Comm. in Is. Venetiis 1563. et saepius; etiam receptus in Crit. sacr. IV. et in Migne Curs. compl. S. S. XVI.

4. *Hier. Osorii* Sen. Paraphrasis in Is. libri quinque. Bononiae 1577. et Coloniae 1584. — *Leonis a Castro* Comm. in Esaiam proph. ex ss. scriptoribus graec. et lat. confecta adversus aliquot commentaria et interpretationes quasdam ex rabbinorum scriniis compilata. Adiunguntur in fine periochae singulorum capitum Esaiae summam continentes; item concordia evangelica cum Esaia adductis in medium locis parallelis; item loci quinquaginta quos iuxta Septuaginta Interpretum graecam paraphrasim ex hoc propheta citant Apostoli et Evangelistae. Salmanticae 1570. fol.

5. *Ioan. Maldonati* S. I. Commentarii in praecipuos S. S. libros V. T., scilicet... in quatuor Prophetas Maiores Lugduni 1656. fol. (Comm. in Ierem., Ezech., Dan. iam editi erant Lugduni 1609).

6. *Didaci Alvarez*, O. Praed., Comment. in Is. iuxta sensum literalem et moralem cum annotationibus. Romae 1599.-1602. 2 vol. 4°. — *Gabriel Alvarez* S. I. Isaias expositus s. Comment. in Is. Lugduni 1623. 2 vol. fol.

7. *Casp. Sanctii* S. I. Comm. in Is. Lugduni 1615. et saepius. — Corn. a Lap. et Malvendae editiones alibi iam indicavimus.

8. *Calmeti* editiones alibi indicavimus. — *I. B. Bossuet* Explication de la prophétie d'Isaie sur l'enfantement de la Ste Vierge. Paris 1704. 4°. — *A. B. Roboredo*, O. Serv. B. V., Lucerna prophetica s. oracula prophetarum, quibus omnis disciplina illustra-

tur. Lucae 1715. 4°. Pars altera. Florentiae 1721. — *I. I. Duguet* Explication des vingt-cinq premiers chapitres d'Isaïe. Paris 1734.; *D'Asfeld* Explication etc. 1738. — *G. F. Berthier* S. I. Isaïe traduit en français avec des notes et des réflexions. Paris 1788. 1789. et saepe.

9. *I. L. Isenbiehl* Neuer Versuch über die Weissagung vom Emmanuel. (Göttingen) 1778. Reliqua huius controversiae opuscula enumerant *Reinke* Die Weissagung von der Jungfrau u. vom Immanuel p. 62 sq. et *Hurter* Nomenclator III. p. 589 sq.

10. *I. H. Kistemaker* Weissagung vom Emmanuel Is. 7-12. Münster 1824. — *M. Molkenbuhr* O. Min. De Emmanuele et prophetissa ab Is. c. 7. et 8. praenunciatis et quibusdam aliis prophetiis ab Isaia et psalmista relatis quoad Messiam. Monasterii 1810. — Authentiam Is. 13. 14 fuse defendit *Peter Schleyer* Würdigung der Einwürfe gegen die alttestam. Weissagungen an dem Orakel des Jesaia über den Untergang Babel's. Rottenburg 1835.

11. *L. Reinke* Exegesis crit. in Is. 2,2.-4. Monasterii 1838.; Die Weissagung von der Iungfrau u. vom Immanuel. Münster 1848.; Exeg. crit. in Is. 52,13-53,12. Monasterii 1836.; Die messian. Weissagungen bei den grossen u. kleinen Proph. I. II. Giessen 1859. 1860. — *I. Bade* Christologie des A. T. III. I. Der Prophet Isaias. Münster 1851. — *G. K. Mayer* Die messian. Weissagungen des Jesaias. Wien 1860.

12. *I. Corluy* S. I. Spicilegium dogmatico-biblicum. Gandavi 1864. I. p. 394-442; II. p. 82-111. — *Peter Schegg* Der Proph. Isaias übers. u. erkl. München 1850. 2 voll. — *A. Rohling* D. Proph. Jesaias übers. u. erkl. Münster 1872. — *Lehir* Les trois grands prophètes, Isaïe, Jérémie, Ezéchiel. Paris 1877. (Opus posthumum). — *B. Neteler* Die Gliederung d. B. Isaias. Münster 1870; Das B. Isaias aus d. Urtext übersetzt u. mit Berücksichtigung seiner Gliederung u. der auf seinen Inhalt sich beziehenden assyr. Inschriften erklärt. Münster 1876. — *Trochon* Les Prophètes. Isaïe. Paris 1878. — *I. Knabenbauer* S. I. Erkl. des Proph. Isaias. Freiburg 1881.; *eiusdem* Comment. in Isaiam. Parisiis 1887. 2 voll., qui (in germanico opere p. 31.-39, in latino I. p. 19-25) catholicos interpretes diligenter enumerat.

---

## CAPUT III.

### DE IEREMIAE LIBRIS ET DE PROPHETIA BARUCH.

### § 8. — *De Ieremiae prophetae vita et temporibus.*

260. — Versus finem regni Manasse natus est propheta ille, qui continua sua atque fortissima lucta contra regum, sacerdotum, populi impietatem multisque, quas in munere suo obeundo perpessus est, persecutionibus prae reliquis excelluit[1], neque tamen interitum regni Iuda impedire aut retardare, sed plangere tantum potuit: nomine quippe suo *Ieremiae* (« Deus proiiciet » sc. populum suum?) infelicem contribulium suorum sortem iam praesagivisse creditur[2]. Patria ei fuit Anathoth, quae civitas tertio a Ierosolymis milliario in tribu Beniamin sita a Iosue filiis Aaron erat attributa et a posteris Ithamar habitabatur[3]. Quare recte sentire arbitramur eos, qui contra Clementis Alex. aliorumque sententiam tenent, prophetae patrem Helciam, unum « de sacerdotibus, qui fuerunt in Anathoth in tribu Beniamin » (*Ier.* 1,1) alium fuisse atque Helciam summum sacerdotem, qui a. 18. Iosiae librum Legis a Moyse conscriptum in templo invenit; summi enim sacerdotes ex posteris Eleazari erant et Ierosolymis habitabant[4]. Ante nativitatem suam iam sanctificatus et ad munus propheticum electus (*Ier.* 1,5) viginti circiter annos natus munus suum obire iussus est a. 13. Iosiae[5]. Quod non nisi aliquantulum reluctans iuvenis divinae vocationi paruerit, mirum non est, si quae fuerit temporum illorum ratio consideratur.

Ezechiae, Isaiae amico, in throno davidico successerat filius Manasses, qui avi sui Achaz vestigia secutus inter omnes reges Iuda impiissimus longo regni sui tempore (696.-641.) flagitiis suis, quibus vel ipsos Chananitas superavit (4 *Reg.* 21,11), interitum regni acceleravit. Neque enim excelsa tantum ab Ezechia destructa restituit aut aras Baal et idolum Astartae erexit, sicut Achab impius rex Israel, sed etiam « in duobus atriis templi Domini exstruxit altaria omni militiae coeli, in ipso templo idolum posuit, filium suum per ignem Moloch sacrificavit, observavit somnia, auguria sectatus est, maleficis artibus inservivit, magosque et incantatores secum habuit » (4 *Reg.* 21,2 sqq.; 2 *Paral.* 33,3 sqq.), uno verbo cultum veri Dei abstulit idololatriam-

que chanaaniticam invexit. Populus autem, qui sub avo eius Achaz idololatriae iam deditus erat, Ezechiae conatibus, id quod ex Isaiae Michaeaeque vaticiniis satis elucet, ad Dominum Deum suum non erat reductus; quamquam externus cultus a Lege praescriptus tempore Ezechiae floruerat, animi non erant mutati et idolis in occulto sacrificatum erat; quare facile intelligitur, quomodo Manasses Iudam et habitatores Ierusalem seducere potuerit, ut eodem modo, quo ipse, facerent malum super omnes gentes, quas subverterat Dominus a facie filiorum Israel (2 *Paral.* 33,9). Frustra Deus eos tradidit in manus Assyriorum; Manasses quidem captivus in Babyloniam abductus egit poenitentiam, at Ierosolyma reversus, licet templum iterum aperiret cultumque legitimum restitueret, populum tamen ab idololatria plene revocare non potuit. Filium enim et successorem eius *Amon* (641.-639.) videmus « cunctis idolis, quae Manasses fabricatus erat, immolare et servire et multo maiora delinquere » (2 *Paral.* 33,22 sq.; 4 *Reg.* 21, 20 sqq.). Quam ob causam minatus est Deus : « Ecce ego inducam mala super Ierusalem et Iudam, ut quicunque audierit, tinniant ambae aures eius, et extendam super Ierusalem funiculum Samariae et pondus domus Achab, et delebo Ierusalem, sicut quis abstergit scutellam, abstergit et invertit eam » (4 *Reg.* 21,12 sq.). Qui tristis et perversus rerum status etiam primis *Iosiae* (639.-608.) annis perduravit. Octo enim dumtaxat annos natus patri suo successit neque quidquam a puero, qui in idololatria enutritus erat, potuisse mutari evidens est; sed « 8. regni anno, quum adhuc puer (sedecim annorum) esset, coepit quaerere Deum patris sui David et 12. regni anno mundavit Iudam et Ierusalem ab excelsis et statuis Astartae simulacrisque et sculptilibus » (2 *Paral.* 34,3).

Ieremias igitur, qui anno insequente (13. Iosiae) ad propheticum munus vocatus est, toto adolescentiae suae tempore effrenatam idololatriam, cui integer populus erat deditus, semper prae oculis habuerat; facile ergo iuventutem infirmitatemque excusare potuit, ut gravissimae et difficillimae vocationi sese subtraheret (*Ier.* 1,6); num iuvenis toti populo resistere eumque ad verum Deum revocare potuit? At quamprimum divini auxilii promissionem accepit, alacer sese subiecit, atque ab eo tempore « constitutus, ut evelleret et destrueret et dispergeret et dissiparet, sed etiam ut aedificaret et plantaret » (1,10), usque ad urbis destructionem nullis periculis perterritus neque persecutionibus tormentisque fractus munus suum fidelissime implevit. Verbum Dei nunc scriptis epistolis aut libris (29,1 sqq.; 36,2 sqq. 32 *Bar.* 6) nunc exhibitis signis symbolicis (18,1 sqq.; 19,1 sqq.; 27,2) annuntians, plerumque autem viva voce illud praedicans aut in templo (7,2; 26,1), aut in domo regia (22,1; 37,17), aut in portis urbis (17,

9), aut in domibus privatis (18,1; 19,1), aut in carcere (32,2) per quadraginta annos (1,3) fuit « civitas munita et columna ferrea et murus aereus toti terrae : regibus Iuda et principibus eius et sacerdotibus et populo universo » (1,18). Neque post urbis templique destructionem, quam Threnis suis planxit, populum reliquit. Apud pauperes, quos Chaldaei in terra devastata reliquerant, remanens (40,1-6), ut eos consolaretur et confortaret, frustra eos a fuga in Aegyptum avertere conatus est (40,7-42,22); fugientes autem in Aegyptum sequi coactus (43,1-7) etiam in terra aliena muneri suo non defuit. Neque enim ipsa clade chaldaica Iudaei ad meliorem frugem erant reducti; sed novo cum ardore antiquae se dederunt idololatriae, quare novis poenis praedictis propheta eos emendare studuit (43,8-44,30).

Vaticinia haec paucis annis post urbis destructionem pronuntiata prophetici eius muneris ultima sunt documenta; ubi et quando mortuus sit, non constat. Secundum *Tertullianum, S. Hieronymum, Ps. Epiphanium, S. Isidorum Hisp.*, quos sequuntur multi, Taphnis in Aegypto a contribulibus suis, quia illis totique Aegypto novam cladem per Nabuchodonosor inferendam praedixerat, lapidibus obrutus vitam finivit[6]; secundum iudaicam quandam traditionem una cum Baruch, fideli suo ministro, a Nabuchodonosor, qui 27. regni sui anno Aegyptum expugnavit, in Babyloniam abductus ibique mortuus est[7]. Quidquid de his traditionibus est, veri similius esse arbitramur prophetam usque ad medium circiter exsilium, i. e. usque ad regnum Evilmerodach (562.-560.), vitam protraxisse; cur enim ultimum libri caput aut ultimi versus ei abiudicentur, sufficiens non affertur ratio.

Praeter vaticiniorum suorum collectionem nobis reliquit Threnos de templi et urbis excidio epistolamque, qua Iudaeos in Babyloniam abducendos contra idololatriae periculum praemunivit quaeque hodie est caput 6. libri Baruch. Eum duos posteriores Regum libros scripsisse probabilis tenet sententia (99. tom. 1. p. 293 sqq.); demum de morte Iosiae quoque composuit Threnos (2 *Paral.* 35, 25), qui interierunt; de psalmis, qui ei attribuuntur, supra (188 p. 105) diximus.

1. *S. Isid. Pelus.* Ep. I. 298 (M. 78,356) Ieremiam merito appellat τὸν τῶν προφητῶν πολυπαθέστατον.

2. Nominis יִרְמְיָהוּ (pro quo brevior forma יִרְמְיָה 27,1; 28,5 sqq.; 29,1; *Dan.* 9, 2; *Esdr.* 1,1, unde Alexandrinorum Ἱερεμίας, *It.* Hieremias, *Vulg* Ieremias) variae propositae sunt etymologiae. *S. Hieronymus* (In Ierem. 23,10. M. 24,853) illam iam proposuit, quae hodie quoque multis pracplacet, a rad. inusitata ירם (*excelsus fuit*), unde Ieremias idem atque *Excelsus est Dominus.* Plerique tamen rectius, ut videtur, nomen derivent a רמה, iacere, ut יִרְמְיָהוּ sit יִרְמֶה יָהוּ, *proiicit Dominus* (cfr יִבְנְיָה = יִבְנֶה יָהּ, *aedificat Dominus* 1. *Chron.* 9,8).

3. Cfr *Ios.* 21,18; 1 *Paral.* 6,60; 3 *Reg.* 2,26. Abiathar ex posteris Ithamar iubetur

abire « in Anathoth ad agrum suum »; Ieremiae quoque familia ibi possedit agrum (*Ier.* 32,6 sqq.). De situ civitatis cfr *S. Hier.* In Ierem. 1,1 (M. 24,708), *Fl. Ioseph.* Antiq. X. 10; hodie vocatur Anâta estque viculus, uti iam S. Hieronymi aetate, qui « simplicitas eloquii, inquit, Ieremiae a loco in quo natus est, accidit. Fuit enim Anathothites, qui est usque hodie viculus » (In Ierem. Praef.)

4. *Clem. Alex.* Strom. I. 21 (M. 8,849), *Ps. Hier.* Quaest. hebr. in 1 Paral. 9,11 (M. 23,1443), quos sequuntur *Paulus Burg.*, *Sixtus Sen.*, *Maldon.* etc.; sed cfr *Sanct.* In Ierem. Prol. 1; *Del Rio* Comm. in Threnos. Praef. p. 12 etc. Ex recentioribus admodum pauci (*Eichhorn Umbreit* etc.) eandem tenuerunt; *Schneedorfer* (Das Weissagungsbuch des Profeten Jeremia. Prag 1881. p. 4) dubius haeret; errat autem si « *traditionem* » sententiae de identitate summi sacerdotis Helciae et patris Ieremiae favere dicit.

5. *S. Hieron.* In Ierem. 1,1 censet « Ieremiam, *quum adhuc puer esset*, prophetare incepisse »; id autem immerito colligit ex prophetae verbis : כִּי נַעַר אָנֹכִי (1,6.); nam Salomon, postquam circiter decem octo annos natus thronum ascendit, sese vocat נַעַר קָטֹן (S. Hier. « *parvulum* puerum » 3 *Reg.* 3,7) et a Davide vocatur נַעַר וָרָךְ (*S. Hier.* iterum : « puer *parvulus* » 1 *Paral.* 22,5); Ioseph quoque paullo antequam toti Aegypto praepositus est, vocatur נַעַר (*Gen.* 41,12).

6. *Tertull.* Adv. Gnost. Scorp. 8. (M. 2,137) et *S. Hier.* Adv. Iovin. II. 37 (M. 23, 350) de lapidatione quidem loquuntur, sed locum martyrii non indicant; eum tamen innuere videtur *S. Hier.* In Is. 30,6. 7. (M. 24,353 : « tradunt Hebraei, priusquam Nabuchodonosor Aegyptum caperet, Ieremiam et Baruch imminentem captivitatem morte vitasse ». Clare loquuntur *Ps. Epiph.* De vitis prophet. 8 (M. 43,400) et *S. Isid. Hisp.* De obitu et vita Patr. 38 (M. 83,142) : « apud Taphnas in Aegypto a populo lapidatur »; iidem tradunt sepulcrum eius Taphnis in honore haberi, quoniam eius precibus serpentes ab eo loco sint fugati et Aegyptii a noxio aspidum morsu erepti. Quae omnia in Martyrol. Rom. transierunt (Maii die 1., quo in loco pro « S. Epiphanius » legendum est « Pseudo-Epiphanius »). Dorotheus addit, Alexandrum M., quum in vaticiniis Ieremiae suas victorias vidisset praedictas, corpus prophetae Alexandriam transtulisse. — *Taphnae* ab Alex. et S. Hier., *Daphne* a Herodoto (Hist. II. 30) vocatur civitas aegyptiaca, quae in textu. hebr. תַּחְפַּנְחֵס appellatur; sedecim millibus passuum a Pelusio distans haud longe sita erat a finibus Palaestinae, atque eadem esse creditur, quae in monumentis aegyptiis dicitur *Tema Thabnet* vel *Thabanet* et correspondet hodierno *Tell Defenneh.*

7. Seder Olam rabba 26. cfr *Carpzov.* Introd. III. p. 130.

261. — Paullo postquam Iosias cultum legitimum restituere coepisset, Ieremiam propheticum munus suscepisse diximus; quo quomodo sit functus, brevi ultimorum regum Iuda historia narrata accuratius ostendere non est inutile. In ipsa sua vocatione symbolo ollae super igne aestuantis edoctus erat, ab aquilone imminere populo periculum venturasque esse gentes, quae divinum iudicium de idololatria populi Iuda exsecutioni mandarent (1,13 sqq.). Manasse abominationes tantae fuerant, ut poenae averti non amplius possent (15,1-4); pro sua tamen misericordia Deus, ut quam plurimos salvaret, antea populo suo pium regem Iosiam suscitavit et magnum prophetam Ieremiam; prior restituto cultu, destructis omnibus excelsis idolorumque altaribus deletis

peccandi occasionem a populi conspectu removit, alter ferventibus suis concionibus reformationem populi studiose fovit. Num propheta primis annis in sola patria munere sit functus, id quod nonnulli ex Anathothitarum persecutionibus, de quibus conqueritur (11,21 sqq.), non sine probabilitatis specie colligunt, an statim post vocationem Ierosolymis praedicare coeperit, ignoramus; id tamen videtur esse certum, eum ante 18. Iosiae annum Ierosolymis parum fuisse cognitum. Legatos enim de libro Legis reperto interrogaturos rex non ad Ieremiam misit aut ad Sophoniam, qui eodem circiter tempore vixit, sed ad Holdam prophetidem (4 *Reg.* 22,11-20). Quanta cum diligentia Iosias foedus, quod Legis repertae occasione una cum toto populo renovavit, et ipse servaverit et a populo servandum curaverit, fuse narratur a sacris scriptoribus[1]; quomodo autem Ieremias regem adiuverit, docent viginti priora capita libri eius, quibus continetur summa eorum, quae ultimis Iosiae annis praedicavit; docent quoque persecutiones, quas illo iam tempore quum in patria sua (*Ier.* 11,21 sqq.) tum ab ipsis suis consanguineis (12,6) perpessus est. Tam altas enim radices egerat idololatria, ut nec regis nec prophetae auctoritate evelli possent. Frustra excelsa et idola erant destructa; neque enim « circumcidi Domino nec auferre praeputia cordium suorum » volebant filii Israel (4,4), sed templo Domini confisi omnibus vitiis sese dederunt (7,3 sqq.). Quocirca etiam publica idololatria statim revixit, quando Iosias in infelici suo bello contra Aegyptios prope Mageddo devictus et occisus est (4 *Reg.* 23,29 sq.; 2 *Paral.* 35,20 sqq.). Nam secundus eius filius *Ioachaz,* quem populus sibi ipse regem constituit, « fecit malum coram Domino » avorum suorum exempla secutus (4 *Reg.* 23,32.). Post tres quidem menses a Nechao iam throno privatus et vinctus in Aegyptum abductus est[2], sed res in meliorem statum non sunt mutatae.

Fratrem enim eius natu maiorem Eliacim, quem populus antea respuerat, Pharao constituit regem vertitque nomen eius *Ioakim*. Undecim annis, quibus regnavit (608.-597.) « malum fecit coram Domino iuxta omnia quae fecerant patres eius », populo vix minus odiosus quam Deo. Ut tributum a Nechao impositum solveret, subditis magna onera imposuit (4 *Reg.* 23,33. 35), maioraque, ut magnifica sibi palatia exstrueret; « oculi enim eius et cor erant ad avaritiam et ad sanguinem innocentium effundendum et ad violentiam et oppressionem exercendam » (*Ier.* 22,13). Una cum Ieremia alii prophetae, inter quos Urias filius Semei de Cariathiarim, regem et populum ad sinceram conversionem, nisi interitum regni accelerare vellent, fortiter exhortati sunt; at Ieremias a sacerdotibus et pseudoprophetis et toto populo ad mortem postulatus solo magnatum favore sententiam capitis effugit, Uriam vero Ioakim ad se adduci iussit « et percussit eum gladio et

proiecit cadaver eius in sepulcris vulgi ignobilis » (26,1-24). Maturum igitur interitui fuit regnum, neque longe abfuit flagellum a Deo paratum. Assyria, qua olim usus erat Dominus ad populum suum puniendum et regnum Israel destruendum, propter superbiam suam reiecta interierat, sicut prophetae praedixerant (*Is.* 10,5 sqq. etc.); eius in locum successerat regnum Chaldaeorum. Eo autem tempore, quo Chaldaei in debellanda Assyria occupati erant, Aegyptii Asiam cis Euphratem sitam sibi subiecerant; quare vixdum Ninive capta Nabuchodonosor, quem pater eius Nabopalasar regni sui socium fecerat, exercitum contra Aegyptios duxit regemque Nechao a. 4. regis Ioakim (a. 605.) prope Charcamis devicit (*Ierem.* 46,2) rapidoque cursu Syriam et Palaestinam occupavit. Ierusalem quoque cepit, Ioakim tributarium fecit, iuvenes nobiles multos, inter quos Daniel, in Babyloniam abduxit asportavitque partem vasorum domus Dei et posuit ea in domo thesauri Dei sui[3]. Ab hoc anno incipiunt septuaginta captivitatis anni, quos Ieremias a. 4. Ioakim brevi ante Nabuchodonosoris victoriam clare praedixerat : « et erit universa terra haec in solitudinem et in stuporem et servient omnes gentes istae regi Babylonis septuaginta annis » (25,1. 8-11). At prima hac clade non correctus est rex; insequente enim anno (a. 5. Ioakim), quum Ieremias iussus a Deo vaticinia ministro suo Baruch dictasset, rex volumen sibi afferri iussit et combussit, prophetam ad mortem quaesivit, abscondit autem eum Dominus; ad maiores ergo poenas deveniendum erat, quas propheta praedixit (36,9-31). Tribus annis Ioakim mansit servus Chaldaeorum, deinde rebellavit; sed Nabuchodonosor, qui eo tempore in interiore Asia occupatus erat, contra eum misit turbas vicinarum gentium, quae terram devastabant; Ioakim ipse autem in hoc bello secundum prophetae praedictionem (22,18 sqq.; 36,30) ignobili morte occubuit.

Filius eius et successor *Ioachin* (Iechonias) patri in omnibus similis tribus tantum mensibus regnavit; praedixerat enim Deus : « dabo te in manu quaerentium animam tuam et in manu quorum tu formidas faciem, et in manu Nabuchodonosor regis Babylonis. Et mittam te et matrem tuam in terram alienam ibique moriemini, et in terram, ad quam levant animam suam ut revertantur illuc, non revertentur... Scribe istum virum sterilem; nec enim erit de semine eius, qui sedeat super solium David et potestatem habeat ultra in Iuda » (22,24-30). Revera Nabuchodonosor, quum interioris Asiae res composuisset, duces cum exercitu miserat, qui regnum Iuda propter rebellionem Ioakim punirent; obsederunt civitatem sanctam, quando Nabuchodonosor advenit et Iechonias, ut maiorem cladem a se averteret, cum matre sua et principibus regi sese ipse dedit. Cum omnibus principibus et ducibus et robore populi translatus est in Babyloniam, nihilque relictum

est exceptis pauperibus terrae (4 *Reg.* 24,10 sqq.), quibus Nabuchodonosor tamquam novum regem praefecit Iechoniae patruum Mathaniam, tertium Iosiae filium, cui nomen imposuit Sedeciam.

Undecim annis regnavit *Sedecias* (597.-586.) et fecit malum coram Domino iuxta omnia, quae fecerat Ioakim (4 *Reg.* 24,19). « Sicut ficus pessimae, quae comedi non possunt eo quod sint malae, ita Sedecias rex Iuda et principes eius et reliqui de Ierusalem erant, qui remanserant in urbe « (*Ier.* 24,8); « principes sacerdotum et populus praevaricati sunt iuxta abominationes gentium et polluerunt domum Domini », (2 *Par.* 36,14; cfr *Ezech.* 8,2-18), atque summa invaluit in iure dicendo negligentia et iniustitia (*Ierem.* 21,11 sq.); rex vero de iugo Chaldaeorum excutiendo quam de idololatria reprimenda et de moribus populi reformandis cum magnatibus deliberare maluit. Imbecillo enim erat ingenio consiliaque semper mutavit. Iam in principio regni, quum Nabuchodonosor, ut videtur, Aelamitis subiiciendis distineretur (49,34 sq.) cum legatis vicinarum gentium de repellendis Chaldaeis consilium inierat a pseudoprophetis seductus, licet Ieremias voluntatem Dei esse asseruisset, ut Iudaei sub Chaldaeorum dominio quieti remanerent (27,1 sqq.)[1]; nulla autem spe felicis exitus affulgente, Sedecias per legatos iram Nabuchodonosor placare conatus erat (28,1 sqq.). Quin etiam a. 4. regni, quum novi rebellionis conatus per pseudoprophetam Hananiam provocati essent (28,1-17), rex ipse Babylonem proficisci debuit (51,59). At occaecati divinae voluntati acquiescere nolentes aperta tandem rebellione finem regni destructionemque civitatis accelerarunt. Aegyptiorum auxilio fretus a. 8. vel 9. regni sui Sedecias fregit pactum, quod iureiurando confirmaverat (*Ezech.* 17,15 sqq.; cfr 2 *Paral.* 36,13) et a Nabuchodonosor defecit. Qui statim profectus in Reblatha ad Orontem consedit (4 *Reg.* 25,6), ut contra regem Iuda eiusque socios bellum administraret. Contra Ierusalem misit praecipuos suos duces, qui reliquis civitatibus occupatis mense 10. a. 9. Sedeciae urbem sanctam obsederunt (*Ier.* 39,1). Duobus annis duravit obsessio; sollemni legatione rex prophetam rogavit, ut apud Deum pro populo intercederet (21,1), quin etiam ut Dominum sibi propitium redderet, cum toto populo voto sese obstrinxit ad dimittendos omnes servos Hebraeos, quos contra Legem detinebant (34,8 sqq.). Ieremias vero certam fore urbis expugnationem semper praedixit deditionemque et fugam velut unicum salutis remedium suasit (21,3 sqq.; 32,3 sqq.; 34,2 sqq. etc.), neque sententiam mutavit, quando Aegyptiorum exercitu Chaldaei ab urbe obsessa ad tempus recedere sunt coacti (37,4 sqq.). Revera Aegyptii re infecta in terram suam reversi sunt, et Chaldaei interruptam obsessionem receperunt. Interea prophetae inimici eum ad Chaldaeos fugere voluisse praetexuerant durissimumque in carcerem

iniecerant; ex quo a Sedecia liberatus in atrio carceris custoditus est (37,10-20), donec iterum a principibus ad mortem postulatus permittente Sedecia in lacum, « in quo non erat aqua sed lutum » demissus est, ut fame periret. At etiam ex hoc periculo Deus eum liberavit per Abdemelech Aethiopem, qui precibus suis a rege obtinuit, ut denuo in vestibulo carceris propheta detineretur (38,1-13). Ibi permansit, usque dum post urbis expugnationem iussu Nabuchodonosoris liber abire permissus est. Mense 4. a. 11. Sedeciae dirupta est civitas et pars eius occupata; Sedecias fugit, sed in deserto Iericho captus et Reblatham ad Nabuchodonosor adductus coram se filios suos occidi vidit; deinde oculis effossis vinctus catenis abductus est in Babyloniam, ubi in carcere mortuus est (52,6-11 cfr 4 *Reg.* 25,4 sqq.). Ultimus fuit rex Iuda; mense enim 5. eiusdem anni Nabuzardan, princeps exercitus chaldaici, « succendit domum Domini et domum regis et domos Ierusalem omnemque domum combussit igne; et muros Ierusalem in circuitu destruxit exercitus Chaldaeorum » (4 *Reg.* 25,8 sqq.). Soli pauperes relicti sunt in Palaestina, quibus praefectus est Godolias, filius Ahicam; Ieremias autem habitavit cum eo in medio populi, qui relictus fuerat (*Ierem.* 40,1 sq.), usque dum Godolia occiso cum reliquiis in Aegyptum transmigrare coactus est (*Ier.* 42. 43.).

1. 4 *Reg.* 22. 23; 2 *Paral.* 34. 35.

2. 4 *Reg.* 23,33; *Ezech.* 19,4; *Ierem.* 22,10-12. Ieremias regem nominat *Sellum* (שַׁלּוּם); revera secundum 1 *Paral.* 3,15 Iosiae fuerunt quatuor filii : Iohanan, Ioakim, Sedecias, Sellum; primogenitus Iohanan iuvenis mortuus esse videtur, nam in Scriptura non amplius commemoratur; Ioakim et Sedecias, filii Iosiae, regnaverunt postquam Ioachaz in Aegyptum abductus est; Sellum igitur, quum a populo rex electus esset, nomen suum mutasse videtur (Ioachaz), sicuti etiam Ioakim vocatus est prius Eliacim et Sedecias Mathania (4 *Reg.* 23,34; 24,17). Cur 1 *Par.* 3,15 Sellum quarto loco ponatur, quum Sedecia esset maior natu (cfr 4 *Reg.* 23,31. 36; 24,18), non liquet.

3. Nabuchodonosorem, id quod nonnulli addubitant (*Nägelsbach* Der Prophet Jeremia p. VIII etc.), post victoriam apud Charcamis reportatam (a. 605) revera Palaestinam et Ierusalem occupasse non tantum constat ex 4 *Reg.* 24,1,2 *Paral.* 36,6, Dan. 1,2 sed etiam ex *Ierem.* 35,11 cfr 35,1 et ex Beroso apud *Fl. Ioseph.* Antiqu. X. 11 et c. Apion I. 19; quo teste Nabuchodonosor, quum in persequendis Aegyptiis et subiicienda Palaestina occupatus esset, morte patris audita in Babyloniam reverti est coactus. Secundum *Dan.* 1,1 quidem expugnatio urbis accidit a. 3. Ioakim, secundum alios a. 4.; quae temporis differentia aut ex eo explicanda est, quod duplex fuerit annorum Ioakim numerandorum modus, aliis annum mortis Iosiae, in quo per tres menses regnavit Ioachaz, regno Ioakim addentibus, aliis non addentibus, aut ex eo, quod Daniel in Babylonia scribens annum nominaverit, in quo Nabuchodonosor expeditionem suam contra Aegyptios inchoavit et Babylone profectus est, alii in Palaestina scribentes annum nominaverint, in quo Palaestinam et Ierusalem occupavit (Verbum בוא, quo utitur *Dan.* 1,1, plerumque quidem significat *advenire*, sed interdum etiam *proficisci : Ion.* 1,3 in Ioppe navem invenit בָּאָה תַרְשִׁי « quae pro-

ficiscebatur in Tharsis ». *Gen.* 37,30 etc.). Ea, quae scriptores profani et monumenta de Nabuchodonosore tradunt, collegerunt *Vigouroux* La Bible et les découvertes modernes IV. p. 293 sqq., *Brunengo* L'impero di Babilonia e di Ninive II. p. 260 sqq. etc.

4. *Ierem.* 27,1 pro « In principio regni *Ioakim*, filii Iosiae » legendum esse « *Sedeciae*, filii Iosiae » totum sequens vaticinium docet, uti recte monuit *Calm.* i. h. l. Antiquiores interpretes, ut difficultatem removerent, alii cum *S. Hier.*, *Rhab.* etc. inscriptionem ad praecedens caput traxerunt, ita ut vaticinii istius tempus *bis* (26,1 et 27,1) sit definitum (*Card. Hugo*, *Dion. Carth.*, *Mald.*, *Sanct.* etc.), alii quia hanc constructionem illegitimam esse videbant, iam ab initio regni Ioakim Ieremiam catenas gestasse putabant, quas deinde sub Sedecia ad reges vicinos mittere iussus sit (*Lyran.*, *Vatabl.*, *a Castro*, *a Lap.* etc.). Utraque explicatio contorta removetur admisso errore librarii; cfr *Knabenbauer* Comm. in Ierem. proph. Parisiis 1889. p. 337.

## § 9. — *De Prophetia Ieremiae.*

Praeter duos posteriores Regum libros, de quibus iam egimus, Ieremias duo opera prophetica (collectionem vaticiniorum et epistolam de idololatriae absurditate) unumque poeticum (Threnos de excidio urbis et templi) nobis reliquit. De quibus totidem paragraphis disseremus epistolam cum libro Baruch coniungentes, quippe cui in editionibus nostris adnexa sit. A vaticiniorum autem collectione initium capiemus, quoniam *Prophetia Ieremiae*, uti a Vulgata inscribitur, praecipuum eius est opus atque vere insigne documentum fidelitatis, qua quinquaginta circiter annis munere prophetico est functus.

### Quaestio I. — De duplici recensione libri.

262. — Antequam vero consuetas nostras quaestiones de operis argumento, ordine, origine, authentia aggrediamur, pauca sunt praemittenda de duplici recensione, qua nobis est conservatum. *Origenes* iam monuit, in alexandrina versione alio modo, quam in primigenio textu vaticinia esse disposita atque satis magnam inter graeca et hebraica exemplaria inveniri lectionum discrepantiam. Vehementius pro more suo conqueritur *S. Hieronymus*, in exemplaribus suo tempore usitatis ordinem librariorum errore esse confusum et multa deesse, promittitque sese iis quae desint ex hebraeo fonte digestis et completis novum ex veteri verumque pro corrupto et falsato prophetam lectoribus esse daturum[1]. Reapse longius, quam in plerisque aliis libris, versio alexandrina cum omnibus suis filiis a massorethico textu recedit. Ad ordinem quod attinet, vaticinia omnia contra exteras gentes, quae textus hebraeus eumque secutus S. Hieronymus in fine libri exhibent (46.-51.), Alexandrini medio libro (post 25,13) inserunt alioque ordine ea disponunt[2]. In textu ipso versio graeca interdum paucula vocabula vel etiam minora membra addit, vix tamen plura, quam in

aliis libris; sed multo frequentius omittit singula vocabula vel minora phrasium membra, immo aliquas phrases integras atque adeo pericopas duas, ut octava circiter parte graecus liber brevior sit hebraico et nostro latino[3]. Unde duplex quaestio ab interpretibus agitatur, quomodo scilicet magna illa differentia sit exorta, atque uter textus sit praeferendus[4].

Omittere licet illorum sententiam, qui variis admissis vaticiniorum collectionibus vel editionibus, quas propheta ipse aut iuniores redactores adornaverint, priorem quaestionem solvere volunt. Neque enim tantum fundamento historico caret, nec ad discrepantiarum originem explicandam requiritur, sed etiam hodiernorum textuum conditione refellitur. Profecto si duae collectiones vel editiones, quae a diversis redactoribus adornatae inter se non dependent, alexandrinae versionis et massorethicae recensionis essent fontes, multo maiorem quum in numero et ordine vaticiniorum, tum in lectionibus deprehenderemus diversitatem; substantialis autem differentia inter utrumque textum non adest. Altera vero ex parte ab eorum quoque discedimus sententia, qui sive librariorum sive interpretis negligentiae dumtaxat vel inscitiae vel festinationi omnes discrepantias attribuendas putant. Nam licet longe plerasque, praesertim minores, ex illis fontibus iure derivari concedamus[5], aliae tamen sunt eaeque graviores, quae apte non explicantur, nisi primitivum libri textum *consulto et deliberate* mutatum esse dicamus. Huc praesertim spectat diversus vaticiniorum contra gentes ordo, huc quoque iure trahitur omissio pericopae 39,4-13, quae, sicut modernis nonnullis interpretibus, quia contextum perturbet, parum probatur, etiam antiquo diasceuastae, quoniam difficultatem quandam creat, displicuisse videtur; huc etiam pertinere arbitramur omissionem nonnullarum sententiarum, quae quoniam alio in contextu iisdem fere verbis a propheta iam erant enuntiatae, abundare videbantur etc[6]. Num vero deliberatae hae mutationes graeco interpreti debeantur, an ab eo iam in suo exemplari hebraico sint repertae, controvertitur; rectius tamen illos iudicare censemus, qui illas versione graeca dicunt antiquiores. Nam Ieremiae interpres servili quodam modo saltem plerumque totidem fere verbis et eodem vocabulorum ordine, quantum fieri potest, retento hebraicum textum reddidit; suspicari igitur non licet eum arbitrario prorsus modo integras phrases aut sententias aut pericopas omisisse ordinemque vaticiniorum mutasse. Probabilior igitur est sententia, antiquitus duas recensiones hebraicas libri nostri exstitisse, quarum una fons est textus, quem transtulerunt Alexandrini, altera vero fons textus massorethici.

Interroganti, utra sit praeferenda, respondemus, neutram omni ex parte primitivo Ieremiae libro esse conformem, utramque suis ornari

virtutibus suisque deformari naevis, utramque autem vera gaudere auctoritate atque genuino textui inveniendo inservire. Revera utraque usi sunt sacri scriptores N. T.; nam si *Matth.* 2,18 massorethicam recensionem, ubi a graeca aliquantum discedit, secutus est (*Ierem.* 31, 15), *S. Paulus* (*Hebr.* 8,9) graecam recensionem allegat, licet a massorethica dissentiat (*Ierem.* 31,32)[7]. Utraque approbata est ab Ecclesia; alexandrina enim recensione usi sunt tantum non omnes Christiani sex primis saeculis et hodie utuntur pleraeque ecclesiae orientales; massorethicam recensionem, quam S. Hieronymus transtulit, inde a 6. saec. adhibuit et adhibet integer Occidens. Auctoritatem igitur utraque, ut S. Hieronymi argumento utamur, « vetustate et usu meruit ». Plenior est textus massorethicus, neque prudenti, opinor, potest esse dubium, quin maiores saltem pericopae, quibus alexandrinus textus caret (atque praesertim 33,14-26), authenticae sint et canonicae. Etenim ut taceamus, decreto tridentino, quo omnes libros sacros cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia catholica legi consueverunt et in Vulgata habentur, pro sacris et canonicis recipere iubemur, etiam pericopas Ieremiae maiores illas comprehendi[8], critica quoque argumenta illis favent, praesertim quum satis perspicuae sint rationes, quibus permotus alexandrinae recensionis diasceuastes eas omittere maluit[9]. De minoribus autem discrepantiis diiudicare criticorum est, qui interdum recensionem massorethicam, interdum alexandrinam praeferendam esse invenient. Ordine demum alexandrinam massorethicae praestare censemus. Parum aptum enim locum in nostris editionibus vaticinia contra gentes occupant, quum nec cum praecedentibus nec cum sequentibus ullum habeant nexum; neque quisquam nobis dixerit, cur auctor vel redactor vaticiniis contra gentes historicam relationem de excidio sanctae civitatis et templi et de sorte Iechoniae adnexuerit. In alexandrina autem recensione, quae vaticinia post 25,13 inserit, omnia optime cohaerent, immo massorethicus textus ipse innuit, illa olim ibidem suam sedem habuisse. Haec enim legimus (25,13) : « Et adducam super terram illam (Chaldaeorum) omnia verba mea, quae locutus sum contra eam, *omnia scripta in libro hoc, quae prophetavit Ieremias contra gentes* ». Nonne mirum videtur, quod Deus se adducturum dicat, « quae Ieremias prophetavit contra gentes »? Num similis loquendi modus alibi reperitur? Nonne magis mirum, quod ea, quae scripta dicuntur in libro hoc, necdum scripta erant « in libro hoc » nec statim erant scribenda, sed post viginti demum capita, quae de aliis agunt, velut appendix terminato libro addenda? Supponamus autem, olim immediate secuta esse vaticinia contra gentes, atque omnis difficultas evanescit. Verba enim « quae prophetavit Ieremias contra gentes » inscriptio sunt sequentium vaticiniorum, similis aliis novarum par-

tium inscriptionibus, nec ullo modo cum praecedentibus connectenda; ipsa autem massorethica recensio verba ita intelligenda esse docet, quum eadem 46,1 repetat. Accedit, quod singulorum quoque vaticiniorum contra gentes ordo mutationem in massorethica potius quam in alexandrina recensione factam esse suadent. Massorethica enim populos illo ordine exhibet, quo Ieremias (25,19 sqq.) illis calicem furoris divini propinare iubetur; iam vero Alexandrinos aptum hunc ordinem reliquisse, ut ei alium substituerent, cuius quae sit ratio non satis apparet, parum est probabile; optime vero intelligitur, massorethicae recensionis redactorem eodem tempore, quo vaticinia e loco suo in finem libri transposuit, eorum ordinem priori vaticinio (25,19 sqq.) adaptasse, ut externum saltem aliquem nexum inter cp. 25. et vaticinia illa indicaret. Confirmationis demum gratia addere liceat, Isaiam quoque et Ezechielem vaticinia sua contra gentes non velut appendicem libris suis addidisse, sed velut partem integrantem inseruisse[10]. Cum massorethica igitur recensione maiores pericopas ab alexandrina omissas recipimus; cum alexandrina ordinem a massorethica perturbatum restituimus; minores discrepantias secundum regulas sanae criticae diiudicandas arbitramur, eandem autem auctoritatem duobus illis testibus competere. Quorum testimonium, si est consentiens, non videmus quo cum iure respui possit[11]; immo vero, quoniam alexandrina et massorethica recensio in omnium vaticiniorum substantia consentiunt, egregium nobis praebent argumentum authentiae eorum demonstrandae.

1. *Orig.* Ad Afric. 4 (M. 11,56); *S. Hieron.* In Ierem. Prol. (M. 24,706); cfr Praef. in Ierem. : « Ordinem visionum, qui apud Graecos et Latinos omnino confusus est, ad pristinam fidem correximus ».

2. Duplici hac tabula, quam diversus sit ordo alexandrinus a massorethico, quocum censentit Vulgata, colligitur.

| HEBR. ET LAT. | | ALEXANDR. |
|---|---|---|
| 25,14-38 | = | 32,1-24; |
| 26,1-43,13 | = | 33,1-50,13; |
| 44,1-30 | = | 51,1-30; |
| 45,1-5 | = | 51,31-35; |
| 46,1-28 | = | 26,1-28; (Aegyptus). |
| 47,1-7 | = | 29,1-7; (Philisthiim). |
| 48,1-47 | = | 31,1-44; (Moab). |
| 49,1-5 | = | 30,1-5; (Ammon). |
| 7-22 | = | 29,8-23; (Edom). |
| 23-27 | = | 30,12-16; (Damascus). |
| 28-33 | = | 30,6-11; (Arabes). |
| 34-39 | = | 25,14-18; (Elam). |
| 50,1-51,64 | = | 27,1-28,64; (Babylon). |
| 52,1-34 | = | 52,1-34. |

| ALEXANDR. | | HEBR. ET LAT. |
|---|---|---|
| 25,14-18 | = | 49,34-39; (Elam). |
| 26,1-28 | = | 46,1-28; (Aegyptus). |
| 27,1-28,64 | = | 50,1-51,64; (Babylon). |
| 29,1-7 | = | 47,1-7; (Philisthiim). |
| 29,8-23 | = | 49,8-23; (Edom). |
| 30,1-5 | = | 49,1-5; (Ammon). |
| 6-11 | = | 49,28-33; (Arabes). |
| 12-16 | = | 49,23-27; (Damascus). |
| 31,1-44 | = | 48,1-47; (Moab). |
| 32,1-24 | = | 25,14-38; |
| 33,1-50,13 | = | 26,1-43,13; |
| 51,1-30 | = | 44,1-40; |
| 31-35 | = | 45,1-5; |
| 52,1-34 | = | 52,1-34. |

3. Maiores pericopae, quae in Alex. desiderantur, sunt 33,14-26 (vaticinium de

aeterna novi foederis duratione), et 39,4-13 (narratio de urbis occupatione et Ieremiae liberatione). Frequentiores sunt nonnullorum versuum omissiones; praecipuae sunt hae : 8,10-12; 10,5-8. 10; 11,7. 8; 17,1-4; 27,13. 14. 19-22; 29,16-20; 30,10. 11; 34. 11; 51,44-49; 52,2. 3. 15. 28-30. Longe frequentissima est incisorum vel phrasium minorum vel vocabulorum omissio. Phrasis נְאֻם יהוה (« dixit Dominus » *Vulg.*) in textu hebr. *plus centies et septuagies* legitur, in alex. *vix centies* est expressa; appositiones ad nomen divinum (Dominus *exercituum*, Deus *Dominus exercituum*, Deus *Israel*, Dominus *Deus* etc.), ab alex. fere relinquuntur; nomini personarum hebr. saepe addit nomen patris, alex. illud omittit, uti etiam omittit titulum nominibus additum (Ieremias *propheta*, Hananias *propheta* etc.). Circiter *duo millia septingenta* vocabula textus hebraici in alex. versione non esse expressa vulgo dicuntur; recte autem monet *Ant. Scholz* (Commentar zum Buche des Proph. Jeremias. Würzburg 1880. p. XXXIII) istam assertionem caute esse recipiendam, quoniam tam diversa sit linguarum hebraicae et graecae indoles, ut eiusmodi numeratio vix ac ne vix quidem institui possit.

4. Antiqui interpretes cum S. Hieronymo librariorum errori diversitatem attribuerunt et recensionem massorethicam secuti sunt, de alexandrina parum solliciti. Hac nostra aetate de duplicis recensionis origine et auctoritate accuratius disputari coeptum est; atque primus catholicus interpres, *F. C. Movers* (De utriusque recensionis vaticiniorum Jeremiae, graecae alex. et hebraicae massor.,indole et origine. Hamburgi 1837.) quaestionem agitavit, sed nescio annon liberius quam par est eam solvit. Supposuit enim aliqua Ieremiae vaticinia a Deutero Isaia, quem perperam admisit, esse retractata, duas deinde factas esse eorum collectiones, alteram incompletam exeunte exsilio per redactorem librorum Regum, alteram pleniorem paullo post per Nehemiam; hanc secundam esse fontem recensionis massorethicae; ex duabus antiquioribus autem adornatam esse circa Alexandri M. aetatem novam, quae sit mater recensionis alexandrinae; recensioni massorethicae a iunioribus nonnulla esse inserta, alexandrinam ab istis additionibus inmunem esse conservatam ideoque massorethicae praeferendam. Contra quae *A. Kueper* (Ieremias librorum sacr. interpres atque vindex. Berolini 1837. p. 167-202), ut integritatem et praestantiam massorethicae recensionis defenderet, omnes discrepantias ignorantiae et negligentiae graeci interpretis attribuit, qui alium textum, quam nostrum massorethicum, prae oculis non habuerit, sed arbitrario modo eum transtulerit. A quo tempore utraque sententia quum inter catholicos tum inter protestanticos interpretes patronos invenit. Ex recentissimis catholicis massorethicam recensionem omnino praeferunt (licet non negent, interdum in alexandr. genuinam lectionem esse conservatam) *Kaulen* (Einl. Ed. 3. p. 366, qui multas varietates ex festinatione, qua scriptum sit exemplar, a quo dependet alexandrina versio, explicat), *Zschokke* (Hist. sacr. p. 280), *Trochon* (Jérémie p. 16), *Schneedorfer* (Weissagungsb. d. Proph. Jerem. p. 16 sqq.), ex protestanticis *Graf* (Der Proph. Jeremia. Leipzig 1862. I. p. XL sqq., et Schenkel Bibellexicon III. p. 208, qui *soli* arbitrario vertendi modo graeci interpretis omnes varietates adscribit), *Keil* (Einl. 175 p. 553 sqq. et Comm. über d. Proph. Jeremia p. 23 sqq.), *Vatke* (Einl. p. 638 sq.), *de Orelli* (Die Proph. Jesaja u. Jeremia. Nördlingen 1887. p. 316 sqq.) etc. Alexandrinam vero recensionem omnino praeferunt ex catholicis *Ant. Scholz* (Der masoreth. Text u. die LXX Uebersetzung des B. Ieremias. Regensburg 1875. et Comment. z. Buche des Proph. Jeremias p. XXX sqq., et passim) atque, ut videtur, *B. Neteler* (Gliederung des B. Ieremias. Münster 1870.), qui omnes maiores pericopas, quae in alexandrina desunt (33,14-26; 39,4-13; 17,1-4), omittit, « quia contextum perturbent », sc. contextum a B. Neteler stabilitum; ex protestanticis huc pertinet *Bleek-Wellhausen* (Einl. p. 376 sqq.); minus confidenter sequuntur alexandrinam alii

Protestantes : *De Wette Schrader* (Einl. p. 431 sqq., *Schrader* p. 435 ad massorethicam magis inclinat), *Davidson* (Introd. III. p. 111 sqq., qui ordinem alexandrinum improbat, omissiones alexandrinas approbat), *Hitzig* (Der Proph. Jeremia p. XV et passim omissiones longe plerasque approbat). Alii mediam viam ineunt, uti *Knabenbauer* (Comm. in Ierem..p. 6 sqq.), qui utriusque recensionis lectiones accurate perpendendas censet, ut genuina inveniatur, in ordine tamen Massorethas praefert, et ex acatholicis *Naegelsbach* (l. c. p. XIX.) ac *Smith* (The Speaker's Comm. V. p. 323), quorum prior omnes discrepentias arbitrio, alter easdem festinationi graeci interpretis attribuunt, ambo alexandrinum ordinem praeferunt.

5. Negligentiae vel festinationi *librariorum* (sive hebraicorum sive graecorum) probabiliter adscribi oportet omissionem frequentem formulae « נאם יי (λέγει ὁ κύριος), appositionum ad nomina Dei vel aliarum personarum, vocabulorum, quae videbantur pleonastice posita (ex. g. 1,31 Τί σὺ ὁρᾶς; Καὶ εἶπα· Λεβῆτα ὑποκαιόμενον, ubi secundum massor. addendum erat : ἐγὼ ὁρῶ. 2,13 « et foderunt sibi *cisternas*, *cisternas* dissipatas » pro quibus Alex. καὶ ὤρυξαν ἑαυτοῖς λάκκους συντετριμμένους), nonnullorum versuum ὁμοιοτελεύτων (ex. gr. 27,13. 14). *Librariorum aut interpretis* culpae debetur satis frequens commutatio personarum (ex. gr. 2,25 ἡ δὲ εἶπεν *hebr.* dixisti; 2,30 ἐδέξασθε *hebr.* sumserunt) aut numeri (ex. gr. 2,18 ποταμῶν *hebr.* fluminis; 2,19 ἀποστασία *hebr.* rebelliones; 2,34 αἵματα *hebr.* sanguis) aut synonymorum (ex. gr. 2,26 οἱ υἱοί *hebr.* domus; 2,31 ἀκούσατε *hebr.* videte). *Interpreti* soli debentur discrepantiae, quae exortae sunt, quia vocabula debitis vocalibus non instruxit (ex. gr. 2,23 קֹלָהּ, φωνὴ αὐτῆς pro קַלָּה, velox; 2,34 אֵלֶּה, δρῦς pro אֵלָה, haec), aut quia sensum non percipiens nec recte vocabula coniungens coniecit potius quam vertit (ex. gr. 3,2 « sedes sicuti cornix in deserto »; 31,8 « Iudaei in festo paschatis revertentur », 46,15 « Apis fugit, taurus electus tuus non mansit »). Aliae variae lectiones exortae sunt quia aut librarii aut interpres literas inter se similes permutarunt ( ex. 2,16 יְרֵעוּךְ ἔγνωσάν σε ac si legisset יְדָעוּךְ; 2,19 פַּחְדָּתִי, *timor mei*, ηὐδόκησα, בָּחַרְתִּי). Ceterum similes discrepantiae in omnibus libris leguntur, in nostro tamen sunt longe frequentiores.

6. Ex. gr. 8,10-12 omitti videntur, quia iam legebantur 6,13-15; — 11,7. 8. quia similia leguntur 7,24 sqq.; — 17,3 sq. propter 15,13 sq. Alibi quoque brevitati studuisse videtur alexandrinae recensionis diasceuastes longiore textu quasi in compendium contracto illa omittens, quae aliis verbis eandem ideam exprimunt, illaque brevius reddens, quae fusius dicta videntur; cfr ex. gr. 10,4-10; 27,12-24; 41,14 etc. Similis forsitan fuerit ratio, qua permotus eximium vaticinium 33,14-26 omisit; etenim priora eius verba (33,15. 16) fere cum 23,5. 6 consentiunt, reliqua autem in aeternitate foederis asserenda versantur, quae iam 31,35-37 asserta est. Hanc sententiam probabilem esse nemo negaverit, qui attente considerat, quid diasceuastes alexandrinus in similibus casibus fecerit. Libenter autem concedo alias sententias non minus probabiles excogitari posse, quibus vaticinii illius omissio explicetur; omni autem probabilitate caret sententia *A. Scholz* (Comm. p. 399), qui vaticinium Ieremiae abiudicat et ad illud componendum quatuor iunioribus scriptoribus indiget, dum ipse *Hitzig* (Comm. p. 283 sqq.) duobus tribusve contentus est.

7. Ut Massoretharum textum alexandrino recte praeferri demonstrent, aliqui interpretes (*Kaulen* Einl. Ed. 3. p. 366; *Zschokke* Hist. sacr. A. T. p. 380) ad *Bar.* 1,9 et 2,23 provocant, cuius verba hebraico magis quam alexandrino consonent, atque ad 2 *Paral.* 36,20, ubi « expresse *Ierem.* 27,7, qui in alex. recensione omittatur, *ex ore Ieremiae* notetur ». Quae parum recte dici videntur. Nam *Bar.* 1,9 accuratius cum *Ier.* 24,1 *graeco,* quam *hebraico* consonat; neque enim tantum eandem vocem

illa in significatione secus inusitatam adhibet (δεσμώτης, quod ubique est *captivus*, in *Ier.* 24,1 et *Bar.* 1,9 est *claustrarius*, מַסְגֵּר), sed etiam de abductis δυνατοῖς loquitur, sicut *Ier.* de abductis πλουσίοις, licet in massorethica recensione de iis non sit sermo, nam שָׂרִים, quod est in Mass., ab Alex. et a Bar. etiam iam est redditum ἄρχοντες. — Item *Bar.* 2,23 ad verbum fere consonat cum *alex.* Ierem. 25,10. 11. — Ad 2 *Paral.* 36,20 quod attinet, auctor testimonio Ieremiae maxime videtur demonstrare *durationem* exsilii, quae fuerit *septuaginta annorum*; iam vero massorethicus *Ierem.* 27,7 nihil habet de septuaginta annorum duratione, sed captivitas eiusque septuaginta anni praedicuntur *Ier.* 25,11. 12 et 29,10, qui versus in utroque textu leguntur.

8. Idque eo magis, quia pericopae ab Alexandrino omissae a Syris *semper* sint agnitae, a Graecis autem, id quod multi codices docent, ex Theodotionis versione studiose receptae.

9. Praeter pericoparum in alexandrina recensione omissionem adversarii vix quidquam contra earum authentiam afferunt. Monet quidem *A. Scholz* (l. c. p. 400) nec stylum nec ideas versuum 33,14-26 esse Ieremiae, sed se ipse refutat immediate addens pericopen ex aliis Ieremiae textibus esse contextam (« ein Mosaik jeremianischer Stellen »). Tam parum autem desunt stylus et ideae Ieremiae, ut *Bleek-Wellhausen* (l. c. p. 379), licet pericopen eiiciat, tamen non improbabile censeat, eam a Ieremia post urbis excidium esse compositam et a iuniore manu in vaticinium cp. 33. insertam. At ne hoc quidem concedimus, quum nimis arcte 33,14-26 cum 4-13 cohaereant, quos continuant et confirmant. Ad 39,4-13 quod attinet, obiicit *Bleek Wellhausen* (l. c. p. 378), versibus insertis contextum interrumpi narrationemque reddi obscuram; *Scholz* (l. c. p. 443) integram pericopen 38,28 b — 39,14 velut inutilem reiicit, quia omnia aliis in locis aut quoad verbum aut saltem quoad sensum sint relata; simili modo *Hitzig* (l. c. p. 318 sq.) 38,28 b - 39,13 exceptis 39, 3. 11. 12., qui versus ei genuini sunt quia alibi similes non legantur; *Nägelsbach* autem (l. c. p. 273 sqq.) genuinis etiam accenset 39,13; alii alio modo. Interpretum est, hanc relationem cum aliis narrationibus de expugnatione urbis conciliare; illos autem, qui eam reiiciunt, interrogamus, quomodo factum sit, ui interpolator, quem supponunt, narrationem inseruerit, quam cum aliis pugnare et contextum perturbare dicunt. Multo rectius, ni fallor, dicemus, diasceuasten alexandrinae recensionis, quum easdem atque adversarii nostri difficultates in nostra pericope intelligenda inveniret, nodum eadem ratione, qua illos, scindere quam solvere maluisse eiectis versibus, qui ei displicebant.

10. *Is.* 13-27 (vaticinia contra gentes) medium locum occupant inter oracula de duabus Assyriorum expeditionibus (7-12 et 28-35); *Ezech.* 25-32 vaticinia illa etiam oraculis de Israel (3-24 ante urbis obsidionem, 33-39 post urbis destructionem) interponit. Simili quadam ratione Ieremiam librum suum disposuisse, Analysis docebit. (Cfr 263 n. 7 p. 377).

11. Quare non intelligimus, quaenam critica praecepta sequatur *Ant. Scholz* (Comment. p. XXXIII), qui non tantum omnes omnino pericopas textusque sive breves sive longos, si in alterutra recensione desiderentur, spurios declarat, donec argumentis criticis (quibus?) genuini demonstrentur, sed etiam circiter *centum versus*, licet utriusque recensionis confirmentur testimonio, pro iunioribus glossis habet, quas utique inspiratas esse admittit.

QUAESTIO. II. — **De libri argumento, ordine, indole.**

263. — Quemadmodum Isaiae liber, noster quoque multis constat concionibus prophetiisque, quae quadraginta annorum spatio, a 13. anno

scilicet Iosiae usque ad 5. mensem anni 11. Sedeciae (626.-586.) sunt editae, nonnullisque pericopis historicis, quae vaticiniis illustrandis inserviunt; velut appendix autem ei sunt addita historica nonnulla et prophetica, quae quum expugnatione sanctae civitatis sunt recentiora titulo libri non comprehenduntur[1]. Neque tamen, licet tam variis partibus constet, ei deest UNITAS ARGUMENTI. Integram Ieremiae Prophetiam esse « *vastationem* », uti integrum Isaiae librum « *consolationem* », olim tradiderunt Thalmudistae. Quae quidem non sine aliqua exaggeratione sunt asserta, siquidem Ieremias quoque, ne populum suum ad desperationem adduceret, spem melioris sortis futurae ei non ademit, sed continuis poenarum minis accurate definito captivitatis tempore promissiones liberationis et reditus non semel inseruit atque salutem messianicam praeclare descripsit[2]. Recte tamen Ieremias, praesertim si cum Isaia veteris oeconomiae evangelista et *divinarum misericordiarum praecone* comparatur, *propheta iustitiae divinae* appellatur. Etenim ut « iudicia divina loqueretur cum populo suo super omnem eius malitiam » (1, 14) est missus et « constitutus super gentes et regna, ut evelleret et destrueret et dissiparet et disperderet, et aedificaret et plantaret » (1, 10); qua in muneris descriptione iustitia Dei vindicativa quum quatuor vocabulis, divina misericordia duobus tantum designatur, mirum non est, quod priorem in eius libro longe praevalere videmus. Revera *iustitia divina* omnium vaticiniorum eius est quasi A et Ω, principium et finis. Illo enim in tempore positus, quo regnum Iuda mensuram peccatorum suorum impleverat neque amplius sincera conversione ad Deum suum revertere voluit, totus in eo est, ut populum electum atque tot tantisque beneficiis a Deo cumulatum summa sua et inaudita ingratitudine, continuo suo longanimitatis divinae abusu, pervicacissima sua, quae minoribus frangi non potuerat, contumacia ultimam cladem, regni urbis templi excidium, sibi ipsum attraxisse demonstret. Sicut igitur Isaiae multiplicia vaticinia idea divinae misericordiae, ita divinae iustitiae idea Ieremiae conciones et vaticinia et narrationes regit atque ad unitatem redigit.

Quam unitatem argumenti confirmat integri LIBRI ORDO aptaque partium eius dispositio. Secundum enim rationem temporis, quo singuli sunt habiti, prophetam sermones suos non disposuisse, eorum inscriptiones chronologicae clare docent[3], sed pro eorum argumento ita eos connexuit, ut iusta fuisse ultima Domini iudicia contra regnum foedifragum clarius demonstraret. Ad chronologicum, ut videtur, ordinem maxime attendentes non pauci interpretes ullum ordinem sive in alexandrina sive in massorethica recensione reperiri negarunt[4]. At si ad finem, quem sibi proposuerat propheta, attentionem nostram converterimus, in alexandrina recensione, cuius ordinem praeferendum

esse diximus (262)[5], aptam vaticiniorum omnium distributionem satis facile, opinor, deprehendemus[6]. Namque si appendicem, quae titulo non comprehenditur (40.-45. 52.), seposuerimus, integer liber in tres partes, quae ad eundem finem collineant, sua quasi sponte dispertitur. Post *exordium* enim, quo prophetae vocatio et missio describitur summumque operis argumentum indicatur (1,1-3,5) *primae partis* conciones (3,6-24,10), quae pleraeque Iosiae tempore videntur esse habitae, omnes eo tendunt, ut iudicium, quo Deus regnum Iuda destruendum decreverat, iustissimum esse doceant atque ineluctabile, quoniam populus emendari nolit. *Alterius partis* (25,1-13; 46-51; 25,15-38) vaticinia, quae pleraque a. 4. Ioakim edita esse recte dicuntur, quum exteris gentibus eandem, immo maiorem, quam regno Iuda, poenam annuntient, iterum Dei iustitiae demonstrandae inserviunt; quem eorum finem non obscure indicatum videmus in Dei ipsius interrogatione: « Ecce in civitate, in qua invocatum est nomen meum, ego incipiam affligere, et vos quasi innocentes et immunes eritis » (25,29)? Ne quis vero putet, adveniente poena et primis cladibus regnum Iuda ad poenitentiam conversam iustam iram divinam placare et avertere voluisse, *tertiae partis* (24,1-38,28) conciones et narrationes ostendunt, usque ad ultimum obsidionis momentum Iudaeos in sua contumacia perseverasse atque tantum abfuisse, ut divinis monitis ad poenitentiam adduci se sivissent, ut prophetam ipsum persequerentur, ad mortem quaererent, in carcerem iniicerent. « Mansit Ieremias in vestibulo carceris usque ad diem, quo capta est Ierusalem »; his verbis tertiam partem terminans diserte ostendit propheta, divinam iustitiam populum, qui omnia salutis media pertinaci et offirmato animo respuit, non punire non potuisse. *Epilogus* historicus (39,1-18) urbis expugnatione et Ieremiae liberatione breviter narrata confirmat praecedentia vaticinia[7]. Eidem autem fini *appendix* quoque, quam terminato libro Ieremias adiecit (40.-45. 52.), inservire videtur; Iudaeorum enim, quos Chaldaei in Palaestina reliquerant, continuatam inobedientiam erga Dei mandata renovatamque idololatriam narrans *longum* exsilium omnino necessarium fuisse demonstrat, ut populus emendaretur et ad magnificas illas, quas propheta non celaverat, benedictiones messianicas accipiendas praepararetur. Ex analysi, quam subiicimus, argumenti haec unitas clarius elucebit.

1. Titulus libri promittit vaticinia, quae Ieremias accepit « in diebus Iosiae, a 13. anno regni eius, et in diebus Ioakim usque ad finem anni 11. Sedeciae », qui annus completus quidem non fuit, sed terminabatur destructione regni et « transmigratione Ierusalem in mense quinto ». Hinc omnia, quae habentur in cpp. 40.-44. atque ultima parte cp. 52., quum post mensem quintum a. 11. Sedeciae sint gesta, pro appendice sunt habenda. Ioachaz et Iechonias, quia ternis tantum mensibus regnabant, in inscriptione sunt praetermissi; Iechoniae tamen tempori attribuendum est 22,24 sqq.

2. Vaticinia messianica *Ierem.* 3,14 sqq., 23,2-8; 30.-33.

3. Inscriptiones chronologicae sunt hae :

3,6 « In diebus *Iosiae* »;
21,1 Tempore *Sedeciae* (uno ex ultimis annis);
24,1 « Post translationem *Iechoniae* »;
25,1 « Anno 4. *Ioakim* »;
26,1 « In principio regni *Ioakim* »;
27,1 « In principio regni Ioakim » (lege *Sedeciae* cfr 261 n. 4 p. 367);
28,1 « Anno 4. *Sedeciae* »;
29,2 Post translationem *Iechoniae*;
32,1 « Anno 10. *Sedeciae*;
33,1 Tempore *Sedeciae*, versus obsidionis finem;
34,1 Tempore *Sedeciae*; obsidionis initio;
35,1 « In diebus *Ioakim* »;
36,1 « Anno 4. *Ioakim* »;
37,1 *Sedeciae* et obsidionis tempore;
38,1 Eodem tempore;
39,1 Anno 11. *Sedeciae*,
40,1 Post translationem populi in Chaldaeam;
45,1 « Anno 4. *Ioakim* »;
46,2 Anno 4. *Ioakim*;
49,34 « In principio regni *Sedeciae* »;
52,31 « *Anno* 37. *transmigrationis Iechoniae* ».

4. Cfr *Huet.* (Demonstr. evangel. Prop. IV. Ed. Ven. 1765. p. 278) : « Minime *temporum ordini* capitum series respondet, magnaque *rerum* est confusio ». *Haneberg* (Gesch. der Offenbarung p. 325) : « Die Unordung ist in jedem der beiden Texte gross »; *Kaulen* (Ed. 3. p. 364) : «Das Buch Ieremias enthält *in bunter Reihe* die Reden dieses Propheten... Die Anordnung ist in etwa chronologisch (?), allein im Ganzen ist kein Princip für dieselbe aufzufinden » etc. Simili modo inter Protestantes *Payne Smith* (The Speaker's Comm. V. p. 321) : « From the twentieth chapter all signs of any general arrangement vanish », quare censet Ieremiam morte impeditum esse, ne libro ultimam manum imponeret, eiusque discipulum Baruch collectanea prophetae in ordinem redigere non esse ausum. Fortius loquuntur antiquiores rationalistae : *Eichhorn* (Einl. IV. p. 165) : « Seine Reden scheinen in der grössten Unordnung nicht zusammengestellt, sondern zusammengeworfen », *Bertholdt* (Einl. p. 1423) : « Alles ist eben so durcheinander geworfen, als in dem Buche Jesaiah» etc. Moderni rationalistae ex variis collectionibus librum exortum docent, ut suppositum ordinis defectum explicent; cfr *De Wette Schrader* Einl. p. 437 sqq., *Reuss* Gesch. des A. T. p. 378, *Vatke* Einl. p. 638 etc.

5. Qui massorethicum ordinem praeferunt, plerique uti olim iam *S. Thomas* (Comm. in Ier. 2) et *Lyranus* (Postilla in Ierem. 1,11) duas partes praecipuas distinguunt : vaticinia de Iuda (2.-45.) et de gentibus (46.-51.). Priorem partem *S. Thomas* et *Lyranus* in duas sectiones, unam propheticam (2.-38.), alteram historicam (39.-45.) secernunt earumque subdivisiones fuse prosequuntur. Cum quibus fere consentit modernus interpres protestanticus *Naegelsbach* (Der Proph. Ieremia p. XVIII) distinguens sectionem oratoriam (2.-35.) et historicam (36.-45.). Plerique moderni tres prioris partis sectiones faciunt, ex. gr. *Trochon* (Jérémie p. 9) : Prédictions générales du futur jugement (2.-20.); prédictions spéciales du jugement dont les Chaldéens seront les instruments, et du salut par le Messie (21.-33.); travaux et souffrances du Prophète avant et après la prise de Jérusalem (34.-45.); eadem ratione dividunt *Schneedorfer* (Weissagungsbuch d. Profeten Ieremias p. XIII sqq.) et *Schenz* (Einl. p. 288 sq.) et ex protestanticis *Keil* (Bibl. Comm. ü. d. Proph. Ieremia p. 16 sqq.), qui huius divisionis videtur esse auctor. In tres quoque sectiones, sed alias, priorem partem dividit *Vigouroux* (Manuel II. p. 552), qui hanc totius operis divisionem indicat : 1. Réprobation et condamnation d'Israël à cause de ses crimes (2.-17.); 2. Confirmation de cette réprobation (18. 19.); 3. Exécution de la sentence (20.-45.); 4. Prophéties contre les peuples étrangers (46.-51.). *Kilber* (Analysis biblica I. p. 395 sqq.) etiam quatuor partes distinguit : 1. Sermones propheticos ad populum iudaicum (2.-17.); 2. sermones prophetico-historicos ad eundem (18.-36.); 3. narrationem de fatis Ieremiae, urbis et reliquiarum populi (37.-45.); 4. sermones propheticos de exteris gentibus (46.-51.). Sex demum partes facit *Knabenbauer* (Comm. in Ierem. p. 4 sq.).

6. Alexandrinam recensionem secutus *Ant. Scholz* (Comm. z. B. d. Proph. Jere-

mias p. XXVI sqq.) divisionem libri proponit in sex partes, quae denis concionibus vel narrationibus constent (I. cpp. 1.-10.; II. cpp. 21.-20.; III. cpp. 21.-24.; IV. 25,1.-.14 et cpp. 46.-51.; V. 25,15-33,26; VI. cpp. 34.-44.; Appendices duae cp. 45. et cp. 52.). Quae distributio parum nobis probatur, quoniam non apparet, quonam interno vinculo denae singularum partium sectiones colligentur, et conciones non paucae, ut denarius numerus efficiatur, in particulas discerpuntur; factitia igitur videtur esse divisio neque ex argumento aut fine operis nata sed extrinsecus ingesta. — Artificiosior quoque est divisio, quam proposuit *B. Neteler* (Gliederung des B. Jeremias. Münster 1870.). Opus enim distribuit in quatuor partes (1.-24.;-25,1-14; 46.-51.; 25,15-38;-26.-34.; - 35.-44.), quibus velut quinta pars accedunt 45. 52., Baruch, Threni, epistola Ieremiae. Singulas deinde partes in quatuor sectiones distribui statuit, singulas vero sectiones tribus membris constare. Internum tamen etiam invenire vult nexum, ita ut tria iudicia in prima sectione partis primae annuntiata fusius ex ordine explicentur quum in tribus reliquis sectionibus partis primae tum in tribus aliis partibus; secunda igitur sectio partis primae (7.-12.) respondeat secundae parti (25. et 46.-51.), tertia sectio (13.-17.) tertiae parti (26.-34.) etc. Num iste nexus, quem equidem non deprehendo, revera adsit, diiudicent doctiores.

7. Ieremias, qui praedecessorum suorum opera frequenter adhibuit, Isaiae priorem partem imitatus esse videtur. Nam sicut Isaias vaticinia sua de duabus Assyriorum expeditionibus ab invicem separavit vaticiniis suis contra gentes insertis prioremque partem historica narratione confirmavit, ita Ieremias quoque vaticinia sua *imminente* periculo pronuntiata vaticiniis contra gentes insertis ab aliis separavit, quae *praesente* periculo protulit, eaque etiam addita narratione confirmavit. Quoniam vero pauciora habet vaticinia messianica, in exordio leviter tantum illa indicat, dum Isaias in secunda exordii sui parte fusius, uti decuit, de regno messianico agit, quippe quod in libro eius longe maiorem locum occupet.

### 264. — Analysis prophetiae Ieremiae.

Exordium (1,1-3,5) praeter libri inscriptionem (1,1-3) exhibet

1. *vocationem et missionem prophetae*, qua muneris eius indoles adumbratur (1,4-19).
   - a.) Prophetam, quem ab utero sibi praeparavit, Deus vocat reluctantemque confortat, ut munus suscipiat (1,4-8), quod maxime quidem est ad denuntiandam populi stragem, sed etiam ad eum consolandum (1,9. 10).
   - b.) Duobus symbolis missionis indolem ei manifestat. Amygdala (« virga vigilans ») significat Dominum cito sententiam suam exsecutioni esse mandaturum (1,11. 12); olla ebulliens ab aquilone explicat, quae sit sententia exsecutioni mandanda : sc. punitio populi per gentes septemtrionales (1,13-16).
   - c.) Demum prophetam edocet, quae, ad quos, quomodo debeat concionari (1,17-19).
2. *Argumentum libri:* populum poena dignum esse et Deum eum esse puniturum (2,1-3,5).
   - a.) Dei amore beneficiisque spretis populus Dominum suum reliquit et idola secutus est (2,1-9).
   - b.) Quod crimen apud gentes inauditum, quae deos suos non relin-

quunt (2,10-13), licet omnium priorum calamitatum fuerit causa (2,14-17), etiam nunc perdurat (2,18. 19).

c.) Profecto inde ab antiquis temporibus semper et ubique populus secutus est idola (2,20-25), quamvis ei auxilio non essent (2, 26-29).

d.) Quare contra Deum, qui omni ratione eum ad se attrahere studuit, populus conqueri non potest, si nunc punietur (2,30-37). Sicut mulier a viro dimissa, si cum altero fuerit, a priore resumi nequit, ita populus, quum sincere converti nolit, a Deo relinquetur (3,1-5).

PARS PRIMA (3,6-24,10) *docet regni Iuda reprobationem esse iustam et ineluctabilem propter eius crimina et contumaciam.*

1. ***Prima concio*** (3,6-6,30) ***ineluctabilem esse poenam denuntiat, quia populus converti nolit***[a].

a.) Comparat propheta sortem Israelis cum sorte Iuda, ut Iuda ad poenitentiam sinceram incitet (3,6-4,2).

α.) Israelis a Deo reiecti sorte Iuda non est eruditus, sed eadem peccata committens et *simulate* tantum se convertens peior est, quam Israel (3,6-11);

β.) Israel enim a Deo ad poenitentiam invitatus et futurae felicitatis messianicae recordatus (3,12-20) aliquando *sincere* ad Deum revertetur et ab eo recipietur (4,1. 2).

b.) Imminentem poenam proponit, ut Iuda ad sinceram conversionem invitet (4,3-31).

α.) Quoniam Iuda sincere converti non vult, exardescit ira Dei (4, 3. 4); advenit ab aquilone poena tam terribilis, ut omnes perterreat : reges, principes, sacerdotes, prophetas, ipsum Ieremiam (4,5-10);

β.) Sicut ventus urens advenit propter peccata Ierusalem; omnes civitates obsidentur (4,11-18); quae videns propheta in gemitus prorumpit (4,19-22);

γ.) tota terra devastabitur, nec poterit artibus suis urbs meretrix calamitatem avertere (4,23-31).

c.) At quia vanae sunt hae invitationes, Deus populum punire debet (5,1-31).

α.) Frustra Deus quaerit iustos, ut Ierosolymis parcere possit; a maximo ad minimum perverterunt vias suas (5,1-9);

β.) sicut Israel, ita Iuda despexit verba Dei, quae per prophetas locutus est, ideo factis debet Dominus confirmare verba prophetarum (5,10-19);

(a) Eas solas pericopas velut conciones vel narrationes separatas distinguendas censemus, quas propheta ipse nova inscriptione distinguit; illas autem hac ratione non esse habitas sed ex variis concionibus antea habitis a propheta esse compositas facile apparet. *Concionum* igitur vocabulum latiore sensu usurpamus, neque reluctabimur, si quis 5,1; 9,1; 9,23 etc. novam sectionem vel concionem aptius inchoari censeat. — Prima haec concio dicitur esse prolata « in diebus Iosiae regis »; quatuor, quae sequuntur, tempus, quo sunt habitae, non indicant; nihil vero obstat, quominus eas etiam diebus Iosiae adscribamus.

γ.) quia Dominum omnipotentem et benignissimum timere et amare nolunt, Deus eis parcere non iam potest (5,20-29);

δ.) uno verbo (pseudo) prophetae sunt mendaces, sacerdotes cum iis consentiunt, populus haec amat, ideo iudicium non avertetur (5,30. 31).

d.) Hinc annuntiat calamitatem tamquam certam et ineluctabilem (6, 1-30).

α.) Exhortatur omnes, ut ex civitate fugiant, quia ab aquilone advenit hostes ad eam obsidendam propter eius peccata (6,1-8);

β.) nulli parcetur, quia omnes vitiis se dederunt (6,9-15) et cuncta monita divina reiecerunt (6,16-19);

γ.) propter solum externum cultum se esse evasuros inepte sperant (6,20. 21), hostis ab aquilone adveniens terribile exercebit iudicium (6,22-26);

δ.) nam Iuda in probatione inventus est tamquam argentum reprobum, quod proiicit Dominus (6,27-30).

2. *Secunda concio* (7,1-10,25) *populum immerito confidere docet externo suo cultu et lege accepta, siquidem criminibus suis sibi tantam poenam attraxit, quae quomodo averti potuerit indicat.*

a.) Vana est fiducia, quam populus in templo collocat et in sacrificiis (7,1-8,3).

α.) Si populus bene agere vellet, Deus semper cum eo maneret in templo; sed impium est templo confidere, si a criminibus non abstinent (7,2-11). Sicut Silo devastata est, devastabitur templum, quia monitis divinis non obediverunt (7,12-15).

β.) Quoniam idololatriae se dedit populus (7,16-19), Deus sacrificia eius polluta respuit, siquidem primum suum mandatum toties per prophetas inculcatum non observent (7,20-28).

γ.) Quare ipsa urbs iam luctum agere iubetur, quia eius filii iure talionis in ipsis peccatorum suorum locis plectentur (7,29-34) et eorum cadavera, utpote idololatrarum, cum idolis ignominiae tradentur (8,1-3).

b.) Vane gloriatur populus de lege accepta et vane confidit, quia Deus habitet in Sion (8,4-22).

α.) Ruina, quam descripsit propheta, averti posset, si populus ad Deum reverti serio vellet (8,4-7), at de Lege gloriantur quidem, sed operibus suis eam proiiciunt, quare proiicientur ipsi (8, 8-12);

β.) adveniente ruina in civitates frustra fugientes, ut se salvent (8, 13-18), vane interrogant, annon Deus habitet in Sion; nam idololatria sua Deum ad iram provocaverunt, nec amplius eis reliquus est adiutor (8,19-22).

c.) Hinc propheta malitiam populi deplorat, quae tantam ei attraxit cladem (9,1-22).

α.) Die ac nocte deplorare vult calamitatem populi sui (9,1), sed ne-

cessariam illam esse agnoscit propter multiplicia eius crimina (9,2-9);

β.) desolationem totius terrae destructionemque urbis deplorat (9, 10. 11), at earum incolae dispersi sunt, quia ipsi Legem Domini reliquerant (9,12-16).

γ.) Tam certum est iudicium, ut lamentatrices iam convocari iubeantur, quae magnam mortuorum stragem plangant (9,17-22).

d.) Media salutis in memoriam revocat, quae non adhibuerunt (9,23-10,16).

α.) Humanis auxiliis non est confidendum, sed in sola veri Dei cognitione salus quaerenda, qui misericors quidem est, sed etiam iustus omnesque populos peccatores punit (9,23-26);

β.) cavendum igitur ab idolis, quae infirma sunt (10,1-5), neque Deo potentissimo et timendo praeferenda sunt idola, quae opera sunt hominum risui digna (10,6-16).

e.) (Quia vero his monitis non paruerunt), filii Iuda in exsilium proiicientur, in quo stultitiam suam anteriorem deplorabunt (10,17-22) et Dominum suum rogabunt, ut populum suum non penitus destruat sed iram in hostes eius convertat (10,23-25).

3. *Tertia concio* (11,1-13,27) *poenam necessariam esse docet propter foedus violatum.*

a.) Poena propter violatum foedus tamquam certa praedicitur (11,1-17).

α.) Foedus olim cum Deo initum atque violati foederis poenas propheta incolis Ierusalem et omnium civitatum Iuda in memoriam revocare iubetur (11,1-8);

β.) quoniam vero incolae Ierusalem et Iuda se offirmant, ne foedus observent, et effrenatae idololatriae se tradunt, poenae statutae tam certo advenient (11,9-13), ut nec prophetae precibus nec externis populi ritibus averti queant (11,14-17).

b.) Certam autem esse poenam docet propheta, quia populus est contumax (11,18-12,16).

α.) Quae praeprimis demonstrat exemplo ex sua ipsius vita allato. Anathothitis enim, qui ipsum ad mortem quaesiverunt, ne amplius eis praedicaret, atque hac ratione salutis viam sibi ipsis obstruxerunt, plenus interitus a Deo est praedictus (11,18-23);

β.) conquerentem autem prophetam, quod poena ista non statim advenerit (12,1-4), consolatus est Deus primum quidem maiores ei persecutiones, quas a proximis suis sit passurus, praedicens (12,5. 6),

γ.) deinde suum ipsius ei proponens exemplum, qui illum populum, quem foedere haereditatem suam fecerat, in manus hostium et plenae vastationi tradi debeat (12,7-13);

δ.) foederis tamen sui non est immemor, siquidem « haereditatem suam » aliquando sit salvaturus eiusque hostes, nisi resipiscant, deleturus (12,14-17).

c.) Duabus similitudinibus castigat contumaciam, qua conversionem respuit populus et poenam necessariam reddit (13,1-17).

α.) Lumbare lineum, quod Ieremias emere, per aliquod temporis spatium gestare, deinde prope Euphratem abscondere iussus postea putridum invenit (13,1-7), symbolum est populi, quem Deus foedere velut lumbare sibi assumserat, sed propter contumaciam, qua monita eius audire recusavit, proiicere est coactus (13,8-11).

β.) Sicut omnis laguncula vino impletur, ita implebuntur omnes regni ordines ebrietate et sine misericordia proiicientur (13, 12-14), nisi contumacia deposita in luce (foederis) deambulent (13,15-17).

d.) In peroratione regi matrique eius amissionem coronae et populo transmigrationem annuntiat propheta (13,18-21); interrogantibus autem, cur id fiat, respondet foeda eorum peccata et contumaciam gravibus verbis et comparationibus exaggerans (13,22-27).

4. *Quarta concio* (14,1-17,27) *poenam precibus iam non amplius averti posse denuntiat.*

a.) Propheta pro populo orans triplicem experitur repulsam (14,1-15,9).

α.) Occasione magnae siccitatis propheta, ut Deum ad misericordiam flectat, calamitatis magnitudine descripta (14,1-6) rogat, ut propter nominis sui honorem misereatur populi (14,7-9).

Deus autem prophetam propter magna populi peccata vetat orare respondetque se nec ieiuniis nec sacrificiis placatum iri, sed gladio fame peste populum interemturum (14,10-12).

β.) Instat propheta, culpam esse pseudoprophetarum monens, qui populum seducant (14,13). Quibus reponit Deus, prophetas illos eadem ratione interituros, sed simul interitum populi confirmat stragisque magnitudinem describit (14,14-18).

γ.) Obtestatur propheta Deum, ut Sionis recordatus poenitentiam populi respiciens propter honorem nominis sui et propter foedus salutem praestet, quum ad alium recurrere nequeant (14, 19-22).

Respondet Deus, ne Moysen quidem et Samuelem, si adessent, populi gratiam esse obtenturos, atque gravissimam fore cladem iterum variis modis explicat (15,1-9).

b.) Qua repulsa afflictum et miseram suam sortem deplorantem prophetam Deus consolatur docetque, quomodo se gerere debeat (15,10-16,18).

α.) Prophetae de sua sorte conquerenti Deus auxilium promittit, sed a populo poenam non avertit (15,10-14); supplicantem tribulationesque suas enumerantem (15,15-18) consolatur exhortaturque, ut fortis munere suo fungatur (15,19-21).

β.) Deinde eum edocet, quomodo vivere debeat, ut sit vivum symbolum futurae sortis populi.

Nec uxorem ducere nec filios generare nec in domum luctus

intrare aut ad convivium accedere iubetur, ut praesagiat omnes filios in Ierusalem natos gladio et fame esse interimendos nec quemquam de tanta strage luctum esse acturum atque omnem laetitiam ablatum iri (16,1-9);

populo autem interroganti, unde sit tanta calamitas, denuntiare debet scelera, quorum debita poena sit exsilium (16,10-13), quod (futura liberatione simul leviter indicata) fusius explicat (16,14-18).

c.) Accuratius demum indicat futurae poenae causas (16,19-17,27).

α.) Prima causa est idololatria. Ad Deum conversus propheta sperat fore, ut aliquando ipsi gentiles inanitatem idolorum cognoscant (16,19. 20). Quam spem confirmans Deus se ideo puniturum esse populum dicit, ut quantum sit illud peccatum intelligat, quod quum stylo ferreo cordibus et altaribus eorum sit inscriptum, sese commisisse non possunt negare (16,21-17,4).

β.) Altera causa est fiducia, quam in hominibus collocant (17,5. 6), quum in solo Deo collocanda sit (17,7-13). Quibus Dei verbis permotus propheta suam exprimens fiduciam indirecte populum docet, quid agere debeat (17,14-18).

γ.) Tertia causa est Legis violatio; propheta enim omnes populi ordines exhortari iubetur, ut sabbathum observent (17,19-23); quod si fecerint, promittitur salus, si non fecerint, praedicitur interitus civitatis (17,24-27).

5. *Quinta concio* (18,1-20,18) *duarum actionum symbolicarum explicatione certam esse poenam denuntiat eamque per Chaldaeos inflictum iri praedicit.*

a.) Symbolum vasis a figulo mutati (18,1-23).

α.) Ieremias in domum figuli ire iussus videt eum pro arbitrio vas, quod sub eius manibus corruptum erat, in alteram formam mutare (18,1-4).

β.) Quod symbolum explicans Deus docet, se ipsum minas vel promissiones, quas de populo aliquo enuntiavit, mutare, si populus mutetur (18,5-10).

γ.) Hinc propheta populum ad conversionem exhortari iubetur; quoniam vero populus converti non vult, Deus de tanta pertinacia conquerens interitum ei annuntiat (18,11-17).

δ.) Quibus minis irritatus populus insidiatur prophetae, qui bona malis rependi videns ipse iam populi, qui emendari nolit, interitum a Deo precatur (18,18-23).

b.) Symbolum vasis a Ieremia confracti (19,1-20,6).

α.) Quoniam emendationis iam nulla remanet spes, Ieremias in vallem Ennom (in qua idolorum erant altaria) ad principes et sacerdotes descendens interitum urbis et stragem populi annuntiat (19,1-9), atque coram oculis eorum laguncularn conterit, quo discant, similem fore eorum interitum (19,10-13). Idem in atrio templi toti populo annuntiare iubetur (19,14. 15).

β.) Quibus auditis Phassur, praepositus templi, prophetam percutit et in carcerem iniicit; postridie autem Ieremias e carcere dimissus praeposito templi annuntiat, eum et totum populum in manus *regis Babylonis* traditum iri (20,1-6).

c.) Querelae prophetae de inutilitate et difficultate muneris sui (20,7-18).

α.) Quasi invitus ad munus propheticum vocatus est et omnia sua monita irrideri videt, nec tamen a munere suo cessare ei licet, quamvis continuas inimicitias et insidias ei attrahat (20,7-11);

β.) auxilium quidem divinum semper ei praesto fuisse cum gratiarum actione agnoscit (20,12-14);

γ.) attamen quam grave et onerosum ei sit muneris istius exercitium, edocet similibus, quibus olim Iob, verbis usus (20,15-18).

6. *Sexta concio* (21,1-24,10) *Sedeciae tempore habita completum iam populi atque maxime ducum eius interitum annuntiat,* postquam nec prima civitatis occupatio (a. 5. Ioakim) nec transportatio regis Iechoniae et optimatum populum ad conversionem adduxerant.

a.) Certus est interitus populi et regis (21,1-14).

α.) Sedeciae, quum Chaldaei bellum inchoassent, interroganti annon Deus populum suum sit liberaturus, respondet propheta, Deum ipsum pugnare contra Ierusalem regemque et populum in manus Nabuchodonosor esse traditurum (21,1-7);

β.) populo, ut sortem suam leviorem reddat, aliam viam non patere nisi deditionem (21,8-10), domum regis autem, si iustitiam non exerceat, maiorem sibi calamitatem esse attracturam (21,11-14).

b.) De regibus stirpis davidicae (22,1-23,8).

α.) Praemisso generali monito, quo docet ab exercitio iustitiae et ab observatione foederis dependere sortem domus regiae et regni (22,1-9),

β.) loquitur de tribus Sedeciae praedecessoribus :

de Sellum (Ioachaz), quem in Aegypto moriturum cum miseratione quadam praedicit (22,10-12);

de Ioakim, cui quia populum opprimat et iustitiam negligat (22, 13-17) mors ignobilis praedicitur et sepultura infamis (22, 18. 19);

de Iechonia. Superba Ierusalem omnes suos reges videbit in captivitatem abduci (22,20-23); iureiurando autem confirmat Deus, etiam Iechoniam cum matre sua abductum iri (22, 24-27), nec ullum ex eius posteris thronum esse occupaturum (22,28-30).

γ.) Indignis pastoribus, qui gregem disperdunt, reiectis promittit Deus, se populo iustos pastores esse suscitaturum (23,1-4) ac praecipue *iustum germen David*, in cuius diebus salus adventura sit populo (23,5-8).

c.) De pseudoprophetis (23,9-40).

α.) Pseudoprophetis, qui caeci caecos ducunt. ob eorum scelera cum indignatione annuntiat interitum (23,9-15);

β.) populo ab eorum, qui se ipsi mittunt, fraudibus cavendum esse monet (23,16-22);

γ.) vituperat illos, qui pseudoprophetarum somnia et verorum prophetarum vaticinia quasi permiscent (23,23-32);

δ.) increpat illos, qui vocabulo prophetico *Massa* (onus) abutentes veris prophetis irrident (23,33-40).

d.) Pro conclusione affert propheta visionem symbolicam, quam habuit initio regni Sedeciae (24,1-3); calatho ficorum bonarum significantur ii, qui cum Iechonia in Babyloniam abducti, quoniam converti coeperunt, spem salutis obtinent (24,4-7), ficis autem pessimis rex Sedecias cum principibus suis et reliquo populo, qui gladio fame et peste sunt perimendi (24,8-10).

Pars secunda (25,1-13; 46,1-51,64; 25,15-38) *Deum iustum eadem ratione, qua populum suum, etiam reliquas gentes punire docet*[a].

1. Pro *exordio* (25,1-13) huic parti praemittit propheta *vaticinium de iudicio per Chaldaeos contra Iuda et omnia regna vicina exercendo*, quod pronuntiavit « anno 4. Ioakim, qui est annus 1. Nabuchodonosor regis Babylonis » (25,1. 2)

a.) In memoriam revocatis prioribus suis monitis, quibus populum per viginti tres annos a malis eius viis revocare studuit, sed quibus obedire recusarunt (25,3-7),

b.) annuntiat propheta regnum Iuda et vicina regna in manus Nabuchodonosor traditum iri, ut ei serviant septuaginta annis, deinde autem Chaldaeos ipsos punitum iri (25,8-12);

c.) atque certo eventura esse omnia, quae scripta sint in hoc libro (contra gentes) asserit (25,13).

2. *Vaticinia Ieremiae contra gentes* (46,1-51,64).

*Vaticinia contra Aegyptum* (46,1-28).

a.) Vaticinium a. 605. pronuntiatum de Aegyptiorum clade ad Euphratem (46,2-12).

α.) In medias res abreptus exhortatur propheta exercitum Aegyptiorum ad pugnam, sed subito eum videt terga vertentem (46,3-6).

β.) Velut fluvius ripas suas transgrediens Aegyptiorum exercitus totam terram occupare voluit (46,7-9);

γ.) at dies ultionis est, quam sumit Deus de Aegyptiis (qui paucis annis antea pium regem Iosiam devicerant et occiderant); devincuntur Aegyptii, tota terra eorum ignominiam audit (46,10-12).

b.) Alterum vaticinium de Aegypto per Nabuchodonosor subiicienda (46,13-26).

α.) Urbes finibus vicinae ad pugnam se praeparare iubentur; sed inutiles sunt eorum conatus, tempus enim miserationis praeter-

(a) Quamquam ordinem, quo singula quoque vaticinia contra gentes in alexandrina recensione sunt disposita, utpote genuinum praeferendum esse censemus (262), in analysi tamen, ut facilius eam lector sequi possit, massorethicum singularum pericoparum retinere maluimus; praesertim quum *interno* vinculo singulae inter se in neutro textu colligari videantur.

iit (v. 17. הֶעֱבִיר הַמּוֹעֵד), Nabuchodonosor advenit nihilque restat Aegyptiis, nisi ut ad exsilium se praeparent (46,14-19)

β.) Nihil eos iuvant nec pulchritudo nec fortitudo nec prudentia; Deus enim punire vult Aegyptiorum idololatriam et humanam fiduciam, quare in manus Nabuchodonosor traduntur, sed spes felicioris sortis futurae eis relinquitur (46,20-26).

c.) Ultimo inciso parvulum vaticinium de feliciore sorte Iuda additur, quippe quae non eadem cum severitate, qua reliquae gentes, punietur (46,27. 28).

*Vaticinium contra Philisthaeos* (47,1-7).

Chaldaeorum exercitus ab aquilone adveniens tanto terrore omnes implet, ut ne filiorum quidem recordentur patres (47,1. 3); neque id mirum, siquidem omnes civitates maritimae devastabuntur nec requiescet mucro Domini, donec omnes destruxerit (47,4-7).

*Vaticinium contra Moab* (48,1-47).

a.) Vivide describit propheta singularum civitatum interitum totiusque terrae vastationem et populi stragem (48,2-10).

b.) Olim quidem dives et felix fuit Moab, sed propter idololatriam suam et vanam suam fiduciam destruetur (48,11-15);

c.) quare monentur vicini, ut carmine lugubri eius interitum plangant (48,16-25);

d.) Deus enim ei non parcet, quia superbe contra Dominum et contra Israel se erexit (48,26-30).

e.) Hinc misericordia abreptus propheta ipse interitum Moab deflet (48,31-39).

f.) In ultima demum stropha minas suas summatim repetit (48,40-46), sed spem felicioris sortis ei relinquit (48,47).

*Vaticinium contra Ammon* (49,1-6).

Ammonitae, quoniam terram Israel occuparunt, suam terram amittent et dispergentur (49,1-5), sed illis quoque fulget spes reditus (49,6).

*Vaticinium contra Edom* (49,7-22).

a.) Sapientia sua Edom se salvare non potest, quia Deus confusionem Esau decrevit (49,7-11) et iureiurando confirmavit (49,12. 13);

b.) propter superbiam suam Idumaea meruit destructionem nec munitiones eam salvabunt (49,14-18); velut leo enim adveniet destructor et magnus erit terror Idumaeae (49,19-22).

*Vaticinium contra Damascum* (49,23-27).

Cum reliquis urbibus Syriae septemtrionalis etiam Damascus punietur (49,23. 24), neque eius pulchritudo eam salvabit, sed hostes alliciet (49,25-27).

*Vaticinium contra Arabes* (49,28-33).

Exhortatur propheta hostes, ut Arabes diripiant, Arabes autem ut fugiant (49,28-30), atque iterum ad hostes conversus animum eis addit monens Arabibus non esse munitiones, at magnas divitias

(49,31. 32). Terra ita vastabitur, ut non amplius futura sit habitatio hominum (49,33).

*Vaticinium contra Aelam* (48,34-39) in principio regni Sedeciae.

Aelamitae confringentur et in omnes terras dispergentur, in eorumque terra ponet Dominus thronum suum (49,34-38); spes reditus eis relinquitur (49,39).

*Vaticinium contra Babylonem Chaldaeorum* (50,1-51,64).

a.) *Exordium.* Videt propheta Babylonem a populo septemtrionali iam captam, populum vero Israel Ierosolyma revertentem (50,2-5).

b.) *Babylon destruetur, quia contra Israel peccavit* (50,6-40).

α.) Hostes putaverunt impune se posse vexare Israel; sed ecce Israelitae Babylonem iam relinquere iubentur, quia in solitudinem redigetur civitas (50,6-13);

β.) omnes contra Babylonem arma capere monentur, ut Israelem ulciscantur, quem prius Assur, postea Nabuchodonosor devorare conati sunt (50,14-20);

γ.) Babylonem conculcare iubentur, ut templum Domini destructum ulciscantur (50,21-28);

δ.) Babylonios occidere iubentur, quia contra Dominum insurrexerunt et in sua superbia Israelitas dimittere noluerunt (50,29-34);

ε.) gladius igitur super omnes ordines Chaldaeorum veniet et Babylon devastabitur sicut Sodoma (50,35-40).

c.) *Babylon destruetur, quia eius interitum decrevit Deus propter eius peccata* (50,41-51,26).

α.) Populus ab aquilone venit contra Babylon; dum rex Babylon timet, hostes eius confortantur, quia Deus decrevit Babylonis interitum (50,41-46).

β.) Terribilis erit hostis adveniens nec ulli parcet, quoniam tota terra Sanctum Deum Israelis offendit; fugiant igitur omnes, nam est dies ultionis Domini (51,1-6);

γ.) ita cadet Babylon, ut resurgere nequeat, nam Deus populum et templum suum ulcisci decrevit (51,7-12).

δ.) Hostes Babylonem aggredi iubentur, quia eius interitum iureiurando confirmavit Dominus omnipotens, coram quo idola corruunt (51,13-19);

ε.) terribile sibi Deus elegit instrumentum, quo Babylonem, montem pestiferum, qui totam terram corrumpat, penitus destruat, ut nihil iam eius reliquum sit (51,20-26).

d.) *Divinum decretum contra Babylonem exsecutioni mandatur* (51,27-58).

α.) Convocantur undique milites contra Babylonem, quia exsecutioni mandatur divina sententia; Babylonii perterriti arma reliquunt (51,27-32).

β.) Babylon facta est sicut area, in qua trituratur, quia Israeli de sua calamitate conquerenti promisit Deus, se eius causam esse acturum (51,33-40);

γ.) capta est Babylon et Beli id eripitur, quod devoravit; Israel igitur

exire iubetur, nec timere, si illa auditurus sit, quae contra Babylonem flent (51,41-45);

δ.) omnibus enim gaudentibus corruent idola Babylonis et occidentur eius incolae; opprobrium Israelis aufertur (51,47-51);

ε.) Nulla spes salutis Babyloni est relicta; integra destruitur (51, 52-58).

e.) Pro *conclusione* narrat propheta, se Seraiae Babylonem profecturo vaticinium contra Babylonem scriptum tradidisse, ut illud ibi legeret lectumque in Euphratem deiiceret; qua symbolica actione certitudo impletionis indicaretur (51,59-64).

3. *Terminatur secunda pars vaticinio contra Iuda omnesque gentes simul sumtas* (25,15-38).

a.) Ieremias omnibus populis incipiens a Ierusalem et civitatibus Iuda calicem furoris divini propinare iubetur, ex quo ultimus bibiturus sit rex Babylon[a] (25,15-26);

b.) quod si bibere nolunt, cogantur; si enim Ierusalem punitur, quomodo gentes poenam effugient, quum omnes impios Deus sit iudicaturus (25,27-31)?

c.) Quam terribile sit illud iudicium, gravissimis verbis describit (25, 32-38).

Pars tertia (26,1-38,28) *concionibus et narrationibus suis ostendit populum prioribus Chaldaeorum expeditionibus ad poenitentiam agendam non esse permotum sed in sua perseverasse contumacia; ultimum igitur urbis excidium et longam captivitatem poenam fuisse iustissimam.*

1. Quoniam contumacia haec maxime ex eo elucet, quod prophetae, Dei legato, monitis fidem adhibere et obedire noluerunt Iudaei, Ieremias, ut ostendat, tempore ultimae obsidionis maiorem fuisse eorum pertinaciam, velut *exordium* huius partis praemittit *narrationem de modo, quo prophetae tractati fuerint tempore regis Ioakim* (26,1-24).

a.) In principio regni Ioakim Ieremias interitum templi et urbis, nisi populus convertatur, praedicens (26,1-6) a sacerdotibus et pseudoprophetis et toto populo ad mortem postulatur (26,7-11);

b.) sed coram populi principibus ad divinam suam missionem provocans liber dimittitur (26,12-19).

c.) Quis tamen fuerit etiam tunc regis et principum animus, docet occisio Uriae prophetae, qui eadem, quae Ieremias, contra civitatem vaticinatus erat (26,20-24).

2.) *De pseudoprophetarum machinationibus* (27,1-29,32)

a.) *Ieremias et Hananias* (27,1-28,17) *a. 4. Sedeciae*[b].

(a) Pro *Sesach* (שֵׁשַׁךְ 25,26) ex lege *Athbasch* legendum esse בָּבֶל, uti 51,2 pro « habitatores, qui cor suum levaverunt contra me » (יֹשְׁבֵי לֵב קָמָי) legendum est כַּשְׂדִּים (Chaldaei », diximus in *Introd. gener.* Ed. 2. n. 227. n. 4. p. 623

(b) De emendanda inscriptione 27,1 diximus supra 261 n. 4. p. 367; principium autem regni Sedeciae intelligi annum 4. regni eius elucet ex 28,1 « in anno *illo*, in principio regni Sedeciae in anno 4., in mense 5 » etc.

α.) Ieremias vincula, quae tamquam futurae captivitatis symbolum gesserat, ad vicinos reges per eorum legatos transmittit, ut illis annuntiet Deum decrevisse eorum subiectionem sub rege Babylonis, eosque monet, ne a pseudoprophetis se seduci sinant (27, 2-11).

Eadem ratione locutus est ad regem Sedeciam et sacerdotes populumque (27,12-18), praedicens omnia vasa sacra in transportatione Iechoniae nondum ablata transportatum iri Babylonem sed postea esse reversura (27,19-22).

β.) Contra vero Hananias pseudopropheta eodem tempore praedicit Deum contriturum esse Chaldaeos et post duos annos vasa sacra ablata et Iechoniam et omnes captivos esse reducturum (28, 1-4). Cui contradicens Ieremias ad eventum provocat, qui verbum Hananiae falsum esse sit demonstraturus (28,1-4).

γ.) Hanania autem praedictionem suam actione symbolica repetente et confirmante, Ieremias vaticinium suum de subeundo iugo babylonico repetere iussus Hananiae mortem vicinam tamquam poenam annuntiat, quae duobus mensibus post advenit (28, 10-17).

b.) *Ieremias et pseudoprophetae inter exsules* (29,1-32). Quoniam pseudoprophetae vanis suis promissionibus etiam exsules excitare conabantur, Ieremias per Sedeciae legatos eis literas transmisit (29, 1-3),

α.) quibus eos monuit, ut in Babylonia quieti viverent, neve a pseudoprophetis se seduci sinerent (29,4-9); septuaginta enim annos duraturum esse regnum babylonicum, atque tum demum eos esse reversuros magnasque promissiones impletum iri (29,10-15).

β.) Quae ut confirmet, magnas calamitates annuntiat, quae antea venturae sint super Sedeciam et Ierusalem (29,16-20), duobusque pseudoprophetis, qui eos perturbant, gravem poenam denuntiat (29,21-24).

γ.) Tertio pseudoprophetae, qui literis ex Babylonia missis sacerdotes et populum contra Ieremiam excitare conatus erat, etiam finem ignominiosum annuntiat (39,25-32).

3. *Vaticinia de futura felicitate Israel* (20,1-33,36) duplicem ob rationem hoc in loco esse posita videntur; primum quidem vanis pseudoprophetarum promissionibus, quibus populum seducebant, veras opponere voluit propheta, quae maiori consolationi erant populo; deinde vero ultimum finem ostendens, quem Deus in puniendo populo prae oculis habuit, adducere voluit populum, ut Deum non minus misericordem quam iustum esse clarius cognosceret.

A. *Vaticinium de totius populi liberatione et exaltatione* (30,1-31,40).

a.) *Exordium.* Ieremias *scribere* iubetur promissiones futurae liberationis (30,1-3).

b.) Futura salus promittitur integro populo (30,4-24).

α.) Deus totum quidem populum magna calamitate percutiet, sed ex

illa eum salvabit; iterum reducet eum in terram suam et novum ei suscitabit *David* (Messiam); nam, quum reliquas gentes perimit, Israelem castigat ad emendationem (30,4-11).

β.) Insanabili quidem vulnere percussus est Israel, ab omnibus derelictus, idque merito, quia peccavit; sed Deus ipse, qui hostes populi sui devastabit, eius vulnus sanabit (30,12-17);

γ.) reaedificabuntur templum et Ierusalem, populus regem suum recipiet et iterum erit Dei populus; tamdiu in impios egredietur furor Domini, donec decretum suum (de Israele) impleverit (30, 18-24).

c.) Salus non minor regno Ephraim quam regno Iuda promittitur (31, 1-26).

α.) Omnes tribus Israel Deus adunabit; etiam tribus septemtrionales reducet pristini sui amoris memor; ex monte Ephraim iterum in Ierusalem instituentur peregrinationes (31,1-6).

β.) Ab extremis terrae finibus omnes colliget et velut pater ducet; gaudio eos replebit et maioribus donis ditabit (31,7-14).

γ.) Rachel (mater Ioseph), quae filios in captivitatem abductos deflet, a fletu iam cesset; poenitentis enim Ephraim misertus Deus cito eum reverti iubet, ut novum videat, quod Deus creat in terra : *Femina circumdabit virum* (31,15-22);

δ.) atque Iuda quoque reducetur benedictionibusque divinis implebitur (31,23-26).

d.) Quanta futura sint bona populi iterum uniti, describitur (31,27-40).

α.) Israel et Iuda uniti erunt ager fertilis, quem Deus, sicut olim dissipavit, nunc plantabit, ut omnes eius iustitiam agnoscant (31, 27-30).

β.) *Novum* quoque *foedus* feriet Dominus cum domo Israel et cum domo Iuda multo perfectius foedere antiquo (31,31-34);

γ.) haec autem tam certo futura sunt, quam certo eveniunt illa, quae stabili lege Deus in rerum natura ordinavit (31,35-37);

δ.) demum delineato novae civitatis circuitu illa quoque loca includit, quae olim immunda fuerunt, in posterum autem sancta erunt, civitatemque aeternam fore promittit (31,38-40).

B. *Actione symbolica praedicitur liberatio populi et aeternum foedus* (32, 1-44).

a.) Anno 10. Sedeciae Ieremias in atrio carceris custoditus agrum in Anathoth situm a patruele suo Hanameel ex mandato divino emit, instrumentumque emtionis tradit Baruch, qui illud diligenter custodiat (33,1-15).

b.) Precatur Ieremias Deum, ut sibi revelet, cur agrum illum emere sit iussus, siquidem urbs iam proximo tempore sit destruenda (32,16-25);

c.) cui respondet Deus, destruendam quidem esse urbem propter magna eius peccata (32,26-35), sed captivitatem finem esse habituram et populum exstiturum sanctum, quocum pactum initurus sit

sempiternum (32,36-41), atque tunc homines iterum possessuros esse agros suos (32,42-44).

C. *Vaticinium de aeterno regno davidico* (33,1-26).

Ieremias in carcere vinctus orare iubetur, quia grandia Deus ei revelare velit de urbe, quae mox destruetur (33,1-5). Revelatio autem haec est:

a.) Reaedificabitur civitas et emundabitur et glorificabitur, ut exultationi et gloriae sit omnibus gentibus (33,6-9); iterumque erit gaudium in civitate, nova vita in tota terra (33,10-13);

b.) Davidi germinabitur *germen iustitiae*, atque semper erit rex in throno domus Israel, sicut semper offerentur sacrificia (33,14-18); tamdiu durabit pactum, quod pepigit Deus cum David, quamdiu pactum eius cum die et nocte durabit; semen autem David erit sicut stellae coeli (33,19-22).

c.) Errant igitur, qui regna Israel et Iuda putant a Deo esse reiecta; semper enim ex semine David erit princeps seminis Abraham, Isaac et Iacob (33,23-26).

4. *De continuata populi inobedientia et pervicacia in prophetam* (34,1-38,28).

A. *Eadem, quae antea, tempore obsidionis fuit populi inobedientia* (34,1-35,19).

a.) Initio obsidionis, quum integra terra (praeter Ierusalem, Lachis et Azecha) iam esset in Chaldaeorum potestate, Ieremias regi Sedeciae urbis quidem excidium certum fore praedicit, ipsum autem regem non gladio sed in pace moriturum et honorificam sepulturam inventurum (34,1-7). Quo vaticinio, ut videtur, permotus Sedecias incolas urbis adduxit, ut sollemni voto sese ad servos Hebraeos, quos contra Legem possederunt, dimittendos obligarent; at illi servos ex voto dimissos, quamprimum periculum evanuisse videbatur, iterum sibi subiugarunt (34,8-11).

b.) Hinc Deus per Ieremiam populum increpat de nova hac inobedientia et sollemnis voti violatione (34,12-16) votique violatores annuntiat gladio interituros (34,17-22).

c.) Ut peccati istius malitiae et poenae iustitia clarius appareat, adnectit propheta alterum vaticinium tempore regis Ioakim acceptum. Iussus enim Rechabitas invitare, ut vinum biberent, illi recusarunt, quia per eorum patrem Ionadab usus vini eis erat interdictus (35,1-11). Qua occasione obedientiam Rechabitarum erga eorum patrem cum Israelitarum erga Dominum inobedientia comparans Israelitis interitum, Rechabitis vero prosperitatem praedixerat (35,12-19).

B. *Eadem, quae antea, immo maior populi pervicacia contra prophetae monita usque ad ultimum obsidionis momentum* (36,1-38,28).

a.) Quis fuerit ante obsidionem animus Iudaeorum erga prophetae monita (36,1-32).

Anno 4. Ioakim imminente iam chaldaico periculo Ieremias iussus a Deo omnia vaticinia eo usque habita per Baruch literis man-

davit, ut ultimum faceret periculum, « num forte audiente domo Iuda universa mala, quae Deus cogitavit facere eis, unusquisque reverteret a via sua pessima et Deus propitius fieret eis » (36, 1-8). Magnam commotionem liber, quum publice legeretur, excitavit in populo et in principibus (36,9-19); rex vero, quum nonnulla audisset, volumen in ignem proiecit et Ieremiam ad mortem quaesivit (36,20-26); quare Deus regi maiora mala praedixit et Ieremiam in alio volumine eadem scribere iussit (36,37-32)

b.) Quae fuerit ultimo obsidionis tempore pertinacia populi contra prophetae monita (37,1-38,28).

Summum huius narrationis argumentum praemittit Ieremias, « nec Sedeciam nec ministros eius nec populum terrae obedivisse verbis, quae Dominus loquebatur per Ieremiam » (37,1. 2). Quam parum autem eis obediverint, docent facta.

α.) Eo tempore, quo Chaldaei, ut Aegyptios reiicerent, urbis obsidionem interruperant, Ieremias sollemni legatione a Sedecia interrogatus praedixit Chaldaeos reversuros et urbem expugnaturos esse (37,3-10). Licet igitur ab ipso rege tamquam verus Dei legatus esset agnitus, tamen tamquam transfuga in durissimum carcerem iniectus est (37,11-15).

Ex quo post Chaldaeorum reditum accitus a Sedecia, quum iterum interrogatus iterum interitum praedixisset, liber non est dimissus, sed in atrio carceris custoditus (37,17-21). Quoniam vero eadem semper praediceret, permittente rege a principibus in cisternam luto plenam iniectus est, ut fame periret (38,1-6); ex qua precibus Abdemelech Aethiopis servatus iterum in atrio carceris custodiebatur (38,7-13).

γ.) Tertia vice Sedecias eum consuluit, neque tamen eum propter metum principum et populi dimittere ausus est, « mansit vero Ieremias in atrio carceris usque ad diem, quo capta est Ierusalem » (38,14-28).

Epilogus (39,1-18) vaticinia Ieremiae confirmat narratis urbis expugnatione et destructione, regis et populi transportatione (39,1-10), quae Dei iustitiam erga peccatores demonstrant. Dei autem iustitia erga servos suos apparet in Ieremiae liberatione (39,11-14) et in promissione salutis Aethiopi Abdemelech facta, qui Ieremiam ex cisterna luti liberaverat (39,15-18).

Appendix (40,1-45,5; 52,1-34) duabus sectionibus constat, in quarum priore nonnulla collegit, quae thesi suae de iustitia divina demonstrandae inserviunt (40,1-44,30), altera vaticiniorum veritatem confirmat (45,1-5; 52,1-34).

1. *Iudaeorum in Chaldaeam non abductorum continuata inobedientia et idololatria* (40,1-44,30) iustam et necessariam *longam* captivitatem esse ostendunt.

a.) *Continuata Iudaeorum relictorum inobedientia* (40,1-43,13).

α.) Ieremias a Chaldaeis dimissus ad Godoliam se contulit, quem terrae praefecerat Nabuchodonosor (40,1-6) et apud quem etiam omnes reliquiae populi refugium quaesiverunt (40,7-12).

β.) Sed postquam Godolias ab Ismahel Ammonita occisus est (40,13-41,9), Iudaeorum reliquiae, quas ex Ammonitarum potestate Iohanan, unus ex ducibus Iudaeorum, liberaverat, ob Chaldaeorum metum in Aegyptum fugere statuerunt (41,10-18) eaque de re per Ieremiam interrogaverunt Dominum iuramento promittentes se Dei verbo esse obedituros (42,1-6).

γ.) Ieremias autem Deo interrogato salutem et prosperitatem promisit, si in Palaestina essent remansuri (42,7-12), interitum vero certum gravissimis verbis praedixit, si Aegyptum essent ingressuri (42,13-22).

δ.) At mendacia haec esse et Ieremiam a Baruch, qui reliquias Chaldaeis tradere velit, incitatum esse clamantes duces (43,1-3) cum toto populo in Aegyptum fugerunt secum trahentes Ieremiam et Baruch (43,4-7). Quare ingressis Aegyptum Ieremias symbolica actione, quam explicat, Aegyptum a Nabuchodonosor expugnatum et devastatum iri praedicit (43,8-13).

b.) *Eorumdem continuata idololatria* (44,1-30).

α.) Congregatis transfugis propheta in memoriam revocat, pristinas calamitates poenam fuisse idololatriae (44,1-6), eosque monet, ut ab illa abstineant (44,7-10), ne plenum interitum sibi attrahant (44,11-14).

β.) Verum contumax populus omnis respondet se ab idololatria abstinere nolle (44,15-19).

γ.) Ieremias igitur pristinas calamitates iterum idololatriae attribuens (44,20-23) omnibus, qui ita locuti erant, plenum interitum a Deo iureiurando confirmatum annuntiat (44,24-28), atque velut signum, quo vera esse sua verba cognoscant, proximam cladem Pharaonis Ephree (Hophra) praedicit (44,29. 30).

2. *Vaticiniorum suorum veritatem confirmat*

a.) relato parvulo *vaticinio de Baruch* (45,1-5), quod anno 4. Ioakim iam prolatum coram oculis suis impleri viderunt Iudaei. Baruch enim de dura sua sorte conquerens monitus est a Deo, ne sibi ipsi, dum totam terram puniri videret, grandia quaereret, contentus potius sit vitae et salutis promissione. Nec Chaldaeorum autem nec Iudaeorum, qui ei infensissimi erant (cfr 43,3), insidiae fideli ministro Ieremiae ullum damnum intulerant.

b.) Fusius repetita historia occupationis urbis (52,1-6), captivitatis Sedeciae et filiorum eius (52,7-11), destructionis urbis (52,12-14), translationis populi et vasorum sacrorum in Babylonem (52,15-30) demonstrat vera fuisse vaticinia sua minacia. Narrata autem exaltatione Iechoniae (52,31-34) iam impleri coepisse vaticinia sua consolatoria innuit.

265. — De Ieremiae GENERE DICENDI non omnino consentiunt interpretes. *S. Hieronymi* sententiam, qui « Ieremiam sermone quidem apud Hebraeos Isaia et Osee et quibusdam aliis rusticiorem, sed sensibus parem esse » iudicavit « simplicitatemque eloquii a loco in quo natus erat » (i. e. a *viculo* Anathoth) derivavit, aliqui recentiores interpretes adoptaverunt, licet eam aliquantulum mitigarent; eius enim « sermonem incultum et paene subrusticum » fuisse censent cum *Sixto Senens.* [1] At *Sanctius* « sane ego, inquit, hic nihil rusticum aut incultum video; ideo fortasse quia de re tanta iudicare non possum », atque *Ghislerius :* « nulla in illius elocutione est rusticitas; nam et hebraicae, quibus usus est, voces et phrases non minus purae sunt, quam quae ceteris in usu sunt prophetis, neque usurpatae ab illo metaphorae similitudinesque ita e rusticis semper sunt desumtae rebus, ut ipsius referre dicendae sint rusticitatem, nec eae, quibus rebelles convincere suis in sermonibus obnititur, rustici hominis sunt rationes. Quid de insignibus dicam eloquentiae tropis? quid de multiplici figurarum varietate, quibus non minus certe, quam Isaias, quando opportunum censuit, sua aspersit vaticinia... His ita se habentibus audeo dicere, Ieremiam etiam in isto prophetiarum libro eloquentissimum in omni sermonum genere sese exhibuisse. Legat, quisquis grandem de re magna ab eo exposcat sermonem, primum illius vaticinium, quod in 2. est libri eius capite, et intelliget vix fieri posse, ut grandiore elequentia iudaicus populus a vitio avertatur idololatriae. Si submisse ab eodem id ipsum pertractatum videre velit, expendat vaticinium secundum in c. 3.; si moderate magna praedicantem, legat in c. 4. vaticinium tertium ponderetque, quomodo in illo moderetur stylus » [2].

Inter quas extremas mediam quandam tenendam esse sententiam arbitramur. Satis multum procul dubio abest, ut ad Isaiae sublimitatem puritatemque assurgat Ieremiae elocutio illiusve varietatem aequet. Simplex enim plerumque est eius sermo; interdum laxior et remissior negligentiae cuiusdam specie non caret, interdum verbosior quoque, ut redundantiae vituperium non plane evitare videatur; lingua ipsa nonnullis vocibus formisque ad aramaismum propius accedit. At altera ex parte simplex iste sermo, quo sensus gravissimi et purissimi exprimuntur, atque redundantia ipsa, quae non est viri vocabula studiose conquirentis sed perturbatum animum acerboque dolore commotum prodentis, sua non carent pulchritudine. Neque desunt, in quibus altius assurgit; in vaticiniis enim suis contra gentes ad Isaiae sublimitatem haud raro prope accedit.

Illud demum prophetae nostro quam maxime est proprium, quod se ipse saepius repetat atque ad praedecessorum suorum verba alludat eaque suis inserat; neque similitudinibus tantum imaginibusque iis-

dem utitur, sed integras quoque phrases, interdum longiores, vix pauculis verbis mutatis bis terve repetitas apud eum invenies [3]. Quae repetitiones, etsi negligentiae cuiusdam suspicionem interdum provocent, pleraeque tamen videntur studiose receptae; neque enim varietate delectare, sed eadem veritate iisdem verbis inculcata percutere animos voluit propheta. Hinc in octo vaticiniis continua illa accusatio : « Et misi ad vos omnes servos meos prophetas, per diem consurgens diluculo et mittens; et non audierunt me, nec inclinaverunt aurem suam »; hinc ter iisdem fere verbis repetit, se a Deo impeditum esse, ne pro populo precibus suis intercedat etc [4]. Similis autem est ratio frequentium allusionum ad Legem (maxime ad Deuteronomium) et ad aliorum prophetarum vaticinia [5]. Tempus enim iam advenerat, quo minae contra Legis transgressores a Moyse aliisque prophetis annuntiatae exsecutioni erant mandandae; ut contra pseudoprophetarum igitur vanas promissiones populum muniret suaque vaticinia esse divina demonstraret, sapientissime et aptissime praedecessorum suorum verbis locutus eorum vaticinia in memoriam illi revocavit. Quare non fortuitae sunt crebrae illae allusiones, sed consulto quaesitae.

1. *S. Hier.* Praef. in Ierem.; cfr Comm. in Ierem. VI. Prol. (M. 24,900) : « quantum in verbis simplex videtur et facilis, tantum in maiestate sensuum profundissimus est ». *Sixt. Senens.* Bibl. sacr. ed. Milante I. p. 20 etc. Ex modernis cfr *De Wette Schrader* Einl. p. 441 sq. : « Seine Schreibart ist ohne Haltung in Ausdruck u. Rhythmus, ungleich, manchmal kräftig u. gedrungen, häufiger aber ermattend und in's Breite zerfliessend, voll Wiederholungen u. stehender Gedanken u. Ausdrücken, aber nicht ohne gewisse Reize... Ieremia's Symbolik ist in den Visionen dürftig u. matt, u. in den häufigen symbolischen Handlungen ohne sonderliche Erfindung; nur die beiden letzten sind nachdrucksvoll. Die Sprache trägt das Gepräge ihrer Zeit u. ist schon sehr ausgeartet ».

2. *Sanctii* Comm. in Ierem. Proleg. 3.; *Ghislerii* Comm. in Ierem. Prol. c. 3.; ex modernis cfr *Naegelsbach* Der Prophet Ieremia p. XIV sq., qui poeticam praesertim indolem vaticiniorum celebrat.

3. Cfr ex. gr. 1,18-19 et 15,20; 5,9. 29 et 9,8; 6,12-15 et 8,10-12; 7,31 et 19,5: 9,14 et 23,15; 11,20 et 20,12; 15,2 et 43,11; 16,14. 15 et 23,7. 8; 23,19. 20 et 30,23. 24 etc.

4. *Ier.* 7,25 sqq.; 11,7 sq.; 25,4; 26,5; 29,19; 35,15; 44,4. — 7,16; 11,14; 14,11.

5. Accuratius in hanc quaestionem inquisivit *A. Küper* Ieremias librorum sacrorum interpres atque vindex. Berolini 1837. a quo reliqui fere dependent. Ut calumniam Petri v. Bohlen reiiceret, qui Ieremiam Deuteronomium confinxisse contenderat, *I. L. König* (Alttestamentliche Studien II. Das Deuteronomium u. der Prophet Jeremiah. Berlin 1839.) linguam utriusque libri accurate comparavit.

QUAESTIO III. — De Prophetiae Ieremiae origine et authentia.

266. — Anno 4. Ioakim Ieremias vaticinia sua, quibus inde ab a. 13. Iosiae populum ad Legis observantiam revocare studuerat, literis mandare iussus est, ut omnibus collectis periculum faceret, « si forte au-

diente Iuda universa mala, quae Deus eis facere decrevisset, reverteretur unusquisque a via sua pessima et a Domino iniquitatum et peccatorum remissionem impetraret ». Advocatus igitur Baruch filius Neriae, « scripsit ex ore Ieremiae omnes sermones Domini, quos locutus erat ad eum ». Postquam autem rex primum illud volumen combussit, Ieremias « tulit volumen aliud et dedit illud Baruch, qui scripsit in eo ex ore Ieremiae omnes sermones libri, quem combusserat Ioakim, et insuper additi sunt sermones multo plures quam antea fuerant »[1]. Quo in libro, licet Iudaeis ad poenitentiam adducendis proxime esset destinatus, vaticinia contra gentes quoque contenta fuisse, docet Dei mandatum : « scribe in eo omnia verba, quae locutus sum tibi adversum Israel et Iuda et *adversum omnes gentes* », et confirmat altera concio eodem a. 4. Ioakim habita, in qua impletum iri asserit propheta, omnia quae locutus sit contra Babyloniam et « *quae scripta sint in libro isto* »[2]; si enim vaticinium contra Chaldaeos, quod ultimum erat implendum, in libro isto continebatur, reliqua iudicia per Chaldaeos iam mox contra alias gentes exercenda profecto ab eo non aberant. Quemadmodum autem minas, ita etiam futurae sortis melioris promissiones scribere iussus est Ieremias, ut populo exsuli essent solatio (30,2). Quando illas scripserit, non innuit, at vix a vero aberrabimus, si eodem fere tempore, quo primas minas suas, eum promissiones quoque literis mandasse dicemus : illo scilicet anno 4. Ioakim, quo Nabuchodonosor post victoriam apud Charcamis de Aegyptiis relatam prima vice Ierusalem voce terroris implevit et primos exsules in Babyloniam abduxit (30,5 sqq.).

Iam ista opera, quae Ieremias sese scripsisse testatur, nostri libri canonici quasi germen et principium fuisse evidens est, neque licet dubitare, quin prioris operis magna pars in nostrum sit transumta. Viginti enim prima capita integra (1,4-20,18), quum concionibus constent ante a. 4. Ioakim habitis atque efficacissimam exhortationem ad poenitentiam constituant, eodem ordine, quo hodie ea possidemus, in priore illo opere adfuisse, haud immerito asseritur. Duae quoque partes cp. 25 (25,1-13. 15-38), quarum prior a. 4. Ioakim edita est, et omnia vaticinia contra gentes (46.-51., excipe dumtaxat 51,59-64), nihil continent, quod illo tempore a propheta scribi non potuerit. Quare libri nostri canonici origo facile explicatur, quum sit primitivi operis editio aucta[3]. Etenim urbe temploque deletis Iudaei in captivitate degentes eo erant adducendi, ut scelerum suorum enormitate pertinacique sua contumacia tandem aliquando agnitis ad poenitentiam sinceram agendam conversi iustam Dei iram placare studerent. Quem in finem Ieremias primitivo suo operi ea inseruit vel adiecit, quibus constabat, illos inde ab a. 4. Ioakim non tantum usque ad obsidionis initium pri-

mis cladibus non fractos in eadem, in qua antea, contumacia permansisse, sed etiam toto obsidionis tempore continua Legis violatione et legati divini persecutione Domino suo restitisse. Primitivi igitur operis concionibus illis, quibus populi Iuda scelera iam ante a. 4. Ioakim castigaverat (1,4-20,18), novam addidit sectionem, qua eadem scelera usque ad ultimos Sedeciae annos viguisse ita ostendit, ut incolas Iuda et Ierusalem post priores clades in terra relictos ficis pessimis iure merito comparari appareret (21,1-24,10). Vaticiniis contra gentes, quae pleraque iam impleta erant, nihil aliud videtur addidisse nisi confirmationem sententiae contra Babylon iam antea promulgatae (51,59-64). At duabus his primitivi operis partibus tertiam addidit, qua quis tempore obsidionis fuerit status populi, quae eius perversitas et pervicacia, describit[4]. Verum quoniam timendum erat, ne populus penitus a Deo sese derelictum arbitratus ad desperationem perveniret, partibus additis magnifica illa inseruit vaticinia de iusto germine David suscitando (23,1-8), de totius populi liberatione et exaltatione deque aeterna regni davidici duratione (30.-33.), quae partim (30. 31.) iam ante a. 4. Ioakim scripta quidem erant, sed in primitivum opus non recepta. Hac igitur fere ratione exortus est liber ille, quem titulus describit: *Vaticinia Ieremiae ab a. 13. Iosiae usque ad transmigrationem Ierusalem in m. 5. a. 11. Sedeciae prolata* (cfr 1,2. 3); scriptus autem merito dicitur paullo post urbis destructionem, illis forte mensibus, quos propheta apud Godoliam peregit. Ultimo demum vitae tempore appendicem adiecit (40.-45. et 52.), postquam forte inter Iudaeos in Babylonia degentes eandem, quam apud aegyptiacos Iudaeos, recrudescere idololatriam vidit. Cur vero Ieremias ipse appendicem libro addidisse negetur, nulla est ratio, nisi quis demonstret, eum octogesimum quintum aetatis annum attingere non potuisse[5].

1. *Ierem.* 36,1 sqq. 32. — *Nägelsbach* (D. Proph. Ierem. p. XV) monet prophetam tempus, quo secundum exemplar terminavit, non indicasse concluditque illud non esse terminatum nisi post destructam urbem, quum propheta apud Godoliam degeret aut probabilius iter in Aegyptum iam esset ingressus; ad iter aegyptiacum enim alludi 2,16. 36. sq. Quam sententiam, quum allusiones illae textui non sine vi ingerantur, erroneam esse, totus contextus cp. 36. docet; quo constat alterum istud exemplar eundem ob finem, atque prius, esse conscriptum ac proin statim a. 5. (vel rectius a. 4., quum in numero 36,9, latere videatur error) Ioakim esse terminatum.

2. *Ierem.* 36,2; 35,13. — Rationalistae prophetam vaticinia sua omnia e memoria dictare potuisse negant (« dem treuesten Gedächtnisse wäre das unmöglich gewesen » *Hitzig* Der Proph. Jeremia p. 299; cfr *Bertholdt* Einl. p. 1421 etc.) consentque iam antea singula in singulis foliis exstitisse atque a. 4. Ioakim a propheta esse in unum volumen transcripta. Quae explicatio non tantum verbis prophetae minus consonat, sed etiam plane est superflua; siquidem priora vaticinia, uti per se patet, non ad verbum erant exprimenda, sed eorum summa quaedam scribenda. Ceterum qui prophetam concionantem inspiraverat, eundem scribentem vel dictantem inspiravit.

3. Loquimur autem de alexandrina recensione; certe qui massorethicum ordinem genuinum esse putat, maiorem difficultatem in libri nostri canonici origine explicanda invenit.

4. In primitivo opere vaticinia contra gentes ultimum locum occupasse, ita ut illud duabus partibus constiterit, ex eius descriptione (36,2) videtur elucere : « quae locutus sum *adversum Israel et Iudam* et *adversum gentes* ». Prima concio, quae introductionem sequitur, de Israele (3,5 sqq.) et Iuda (4,3 sqq.) agit, sequentes de sola fere Iuda.

5. Si anno 20. aetatis Ieremias ad munus propheticum vocatus est, sexaginta annos natus erat, quum urbs et templum destruerentur, atque octoginta quinque, quo tempore Iechonias post Nabuchodonosoris mortem ab eius filio Evilmerodach e carcere eductus est. Chronologia igitur non impedit, quominus omnia usque ad ultimum versum a Ieremia conscripta esse dicamus.

267. — Arbitrariis atque gratuitis systematis, quibus moderni « critici » originem libri explicare conantur, refutandis non immorabimur; omnia enim in eo iam peccant, quod ullum ordinem in toto opere inveniri negant ideoque illud quasi casu et fortuito variis retractationibus longo temporis decursu exortum esse supponunt[1]. Ad authentiam potius operis nos convertemus, easque opiniones « criticorum » solas recensebimus, quae pericopas nonnullas prophetae nostro abiudicant, postquam antea paucis verbis argumenta adumbraverimus, quibus nixa constans synagogae et Ecclesiae traditio librum nostrum Ieremiae auctori attribuit divinumque credidit.

Rarius quidem, quam Isaiae, Ieremiae vaticinia in Novo Testamento adhibentur; attamen Dominus ipse iam eius verbis velut scripturisticis usus est, quando ementes et vendentes ex templo eiecit; S. Matthaeus addito Ieremiae nomine vaticinium eius in caede infantium impletum docet alterumque nomine iterum addito attulit de agro figuli emto; .S Paulus non semel, ut Novum Foedus Veteri praestare doceret, ad eum provocavit[2]. Antiquiora autem praesto sunt testimonia. Siracides de Ieremia ita loquitur, ut integrum nostrum opus eum prae oculis habuisse certum sit : reges enim Iudaeorum dicit incendisse sanctam civitatem illiusque vias desertas reddidisse « in manu Ieremiae » i. e. propter Ieremiam, quatenus eius verba audire noluerunt sed eum persecuti sint, « nam male tractaverunt eum, licet in utero erat consecratus propheta, ut eradicaret et affligeret et perderet, similiter aedificaret et plantaret »[3]. Brevi post exsilium finitum Esdras monet Dominum suscitasse Cyrum, « ad explendum sermonem, quem locutus erat per os Ieremiae » (2 *Par*. 36,32; 1 *Esdr*. 1,1); versus finem autem exsilii Daniel « intellexit in libris (בַּסְּפָרִים, ἐν ταῖς βίβλοις sc. sacris, quibus iam adnumerabatur prophetia nostra) numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Ieremiam prophetam, ut complerentur desolationis Ierusalem septuaginta anni »[4]. Testimonia igitur authen-

tiae et divinae auctoritatis libri nostri ad ipsam usque eius originem ascendunt, siquidem non nisi post medium exsilium est terminatus.

Quare integrum librum, qui etiam tota sua indole unum omnium vaticiniorum auctorem esse satis prodit, nemo hucusque reiicere ausus est, at hoc nostro saeculo « critici », ut aliquid fecisse viderentur, saltem nonnullas pericopas ex eo discerpere conati sunt. Praecipuas illo ordine afferemus, quo a De Wette Schrader proponuntur, qui ut ea, quae certiora putavit, primo in loco poneret, ab ultimis capitibus initium facit[5].

1. *De Wette Schrader* Einl. p. 438 sqq. reiectis hypothesibus, quas *Movers* (De utriusque recensionis vaticiniorum Ieremiae... indole ac origine) et *Hitzig* (Der Proph. Ieremias p. XII sqq.) proposuerant, utpote nimis artificiosis cum Ewald hac ratione originem explicavit. Iosiae iam aetate Ieremias libellum quendam ediderat (cpp. 3.-6.), maiorem autem librum scripsit a. 4. Ioakim (cfr 36, 1 sqq.) eumque, quum a rege combustus esset, auctum iterum edidit in principio regni Sedeciae; antea eum non esse editum, quia pericopas post a. 4. Ioakim conscriptas (sc. 11.-13.; 22, 10.-23, 40. 25. 35. 36. 45.) continuerit. Nostrum autem librum post destructam urbem esse editum doceri putat inscriptione (1, 1-3), scriptum autem esse ante Ieremiae iter in Aegyptum. Constitisse illud quinque partibus: 1.) introductione prophetica (cp. 1.); 2. septem increpationibus populi Israel (cpp. 2.-24.); 3. conspectu omnium populorum, quum ethnicorum tum Iudaeorum (25. 46.-49.); 4. promissionibus (30.-33.) et appendicibus historicis (34. 35.); 5. epilogo (36. 45.). Dudum postea in Aegypto edita esse cpp. 37.-44. atque in priorem librum inserta 46, 13.-26, novis vero curis retractata et mutata 2, 10-19. Versus finem exsilii Iudaeum quendam in Babylonia degentem composuisse et inseruisse cpp. 50. 51. et nonnullos versus cp. 25. Satis diu postea vaticinia contra gentes e loco suo remota et in fine libri collocata esse, atque tunc demum additum cp. 52.; sed antea iam, nescio quo tempore et quem in finem, inserta fuisse 28, 1; 39,1. 2. 4-13. Quam arbitrario haec omnia et sine ullo fundamento statuantur, demonstratione non indiget.

2. *Matth.* 21, 13 (*Ierem.* 7, 11); 2, 17 sqq. (*Ier.* 31, 15); 27, 9 (*Ierem.* 18. 19. 32. Cfr *infra* 320); *Rom.* 11, 27 et *Hebr.* 10, 16 sq. (*Ier.* 31, 33 sq.; *Hebr.* 8, 8-12 (*Ier.* 31,31-34).

3. *Eccli.* 49, 8 sq.; cfr *Ierem.* 1, 5. 10; 20, 1 sqq.; 36, 26; 37, 11 sqq. etc.

4. *Dan.* 9, 2; cfr *Ierem.* 25, 11 sq.; 29, 10.

5. *De Wette Schrader.* Einl. p. 428. Cfr easdem vel similes obiectiones in *Vatke* Einl. p. 640; *Reuss* Geschichte des A. T. p. 425; *Bleek-Wellhausen* Einl. p. 378 sq.: *Davidson* Introd. III. p. 98 sqq. etc. — Spinozae obiectiones, qui primus libri nostri authentiam impugnavit, utpote obsoletas neque ab ullo amplius allatas, omittimus; refutatas illas invenis a *Goldhagen* Introd. III. p. 416-419.

1. Primae obiectioni, quae ultimum caput a Ieremia scribi *potuisse* propter 52,31 sqq. negat, immorari superfluum est; supponit enim id, quod demonstrandum est, sc. prophetam vitam suam usque ad a. 560. a. Chr. (i. e. usque ad octogesimum quintum vel sextum aetatis suae) non protraxisse[6].

2. Vehementius et maiore argumentorum numero impugnatur vaticinium contra Babel (50,1-51,58 vel 51,64), quod alii quidem plane reiiciunt velut a iuniore scriptore versus finem exsilii exaratum et Ieremiae nomine fraudu-

lenter insignitum, alii autem, licet genuinum illud habeant, multis versibus a iuniore manu interpolatum dicunt[7]. Priorum praecipua argumenta non tam critica aut exegetica sunt, quam dogmatica (cfr 256 p. 341 sqq.): Sedeciae scilicet tempore (ita fere argumentantur), quo vaticinium illud editum dicitur (51,59), chaldaicum imperium in flore erat virium suarum, Medorum vero regnum sese extendere nondum coeperat; fieri ergo non potuit, ut propheta aliquis Babylonem per Medos destructum iri praediceret. Porro eadem aetate, cui vaticinium adscribitur, Ieremias annuntiavit, Nabuchodonosorem Iudaeos esse devicturum, Medos et Persas destructum iri (25,25; 49,34); contribules suos exhortatus est, ut se Chaldaeis subiicerent et quieti in Babylonia degerent (cpp. 27.-29.). Sibi ipse igitur contradixisset, si imperii Chaldaeorum proximum interitum praedixisset (51,33), contribules ad fugam ex Babylonia exhortatus esset (50,8. 28; 51,6. 45), Medis victoriam promisisset (51,11. 28). In toto demum vaticinio Ierusalem destructa, templum dirutum, populus in captivitate degens supponuntur (50,5. 28. 33; 51,11. 24. 28. 34. 51 etc.); atqui Sedeciae tempori haec non conveniunt[8]. — Quam integram obiectionem praeiudiciis rationalisticis inniti, evidens est; quamprimum enim Deus per prophetas illa quoque praedicere posse conceditur, quae humanae intelligentiae impervia sunt, sua sponte tota corruit. Quodsi integro saeculo antea Isaias interitum regni babylonici, antequam exortum erat, iam praedixit, profecto Ieremias illum praedicere potuit, quando regnum prae oculis habuit; neuter procul dubio ex humana, uterque autem ex divina scientia cum illis supranaturaliter communicata. Immo vero non in hoc solo vaticinio, sed iam 4. anno Ioakim Babylonis interitum praenuntiaverat (25,12. 26) ibique etiam addiderat, prius Iudaeos aliosque populos punitum iri per Chaldaeos, atque tum demum, post reliquos, Chaldaeos poenas esse luituros; quaenam in his praedictionibus est contradictio? Eadem demum ratione, qua in magna libri sui secunda parte Isaias (40.-66.) spiritu translatus quodam modo videtur in exsilii aetatem atque exsules, quasi coaevi sui essent, interdum allocutus et consolatus est, Ieremias quoque, quando in nostro vaticinio interitum Babylonis descripsit, in visione sua in futurum tempus translatus erat ideoque de urbe et templo destructis, quasi de rebus praeteritis, de populo in Palaestinam redeunte, quasi de re praesente, loquitur. Haec omnia difficultatem non creant eis, qui verae philosophiae principiis imbuti Deum profitentur omniscium, qui pro sua sapientia hominibus interdum futuros eventus manifestare dignatur.

Ut primam hanc obiectionem, quae vulgarem rationalismum nimis sapit, aliquantulum exornarent, alias ratiunculas conquisiverunt, quibus Ieremiae aut integrum vaticinium aut eius saltem particulas nonnullas abiudicarent. Logicum idearum nexum desiderari monent[9], ac si philosophicam quandam dissertationem propheta scribere voluisset; variis potius pro more suo picturis interitum Babylonis nobis ob oculos ita ponit, ut completam nobis eius imaginem efformare possimus; neque ullo modo illum idearum nexum, quem poetica vel prophetica descriptio postulat, in vaticinio nostro deesse, analysis supra (264 p. 386 sq.) tradita docet. — Nonnulla vocabula adhiberi contendunt, quae ex Ezechielis vaticiniis desumta sint; mirum sane, quod duo-

bus scriptoribus, qui eodem fere tempore scribunt (Ezechiel a. 5. Ioakim ad munus propheticum vocatus est), eadem verba adhibere non liceat, nisi furti literarii incusari velint; at quomodo demonstrabunt adversarii nostri, seniorem Ieremiam vocabula illa ab Ezechiele, non vero iuniorem Ezechielem illa a Ieremia didicisse[10]? — Nominibus propriis auctorem vaticinii nostri ludere aiunt, id quod verum prophetam non deceat. Num forte Ieremias ipse 20,3 aut 25,26 iisdem vel similibus lusibus non indulget? — Nonnulla ex prioribus Ieremiae vaticiniis (50,40 sqq. ex 49,18 sq., et 6,22 sq.; 51,15-19 ex 10,12-16 etc.), alia ex Isaiae vel potius ex Deutero Isaiae vaticiniis (*Ierem.* 50,27; 51,40 ex *Is.* 34,6 sqq.; *Ierem.* 51,60 sqq. ex *Is.* 34, 16 etc.) dicuntur transcripta, ideoque aliqui « critici » pericopen nostram a Deutero Isaia, quem sibi confingunt, aut editam aut retractatam esse volunt[11]. At ultimum hoc argumentum qua ratione ab authentiae impugnatoribus afferri queat, non satis intelligimus; Ieremiae enim omnino esse proprium, ut sua ipsius aut praecedentium prophetarum verba repetat, omnes fatentur (265 p. 393 sq.); ergo ex repetitionibus istis authentica potius quam spuria demonstratur pericope. Vaticinium contra Moab (cp. 48.) a nullo, quia plurimas contineat ad Isaiae « Onus contra Moab » (*Is.* 15. 16.) allusiones, spurium declaratur; quo ergo pacto nostrum ob allusiones vel repetitiones spurium aut interpolatum declarare licet[12]?

3. Porro vaticinia messianica (30. 31. 33.), si adversariis credimus, a Deutero Isaia esse retractata, docet styli similitudo, confirmant autem alia argumenta; nam 33,18. 21. inepte inseruntur levitae; 33,24 videtur sermo esse de Samaritanis; *Zach.* 8,7 sq. ad *Ierem.* 31,7. 33 provocat velut ad dictum prophetarum illorum, qui restaurationi templi adfuerunt[13]. — Styli autem similitudo maior non est, quam omnibus iis in locis, in quibus Ieremias praecedentes prophetas imitatur; a conficto ergo suo Deutero Isaia desistentes Ieremiam veri Isaiae librum cognovisse « critici » nobiscum admittant, atque omnis difficultas disparebit. Levitae (הַלְוִיִּם הַכֹּהֲנִים « levitae sacerdotes » i. e. sacerdotes generis levitici cfr *Deut.* 17,9 etc.) autem non inepte sed aptissime inseruntur; sicut enim reges *legitimos* i. e. davidicos, ita sacerdotes *legitimos* i. e. ex genere levitico semper adfore propheta praedicere vult[14]; Samaritanorum nullum adest vestigium; Zacharias (8,1 sqq.) demum procul dubio ad nostras, sicut ad aliorum prophetarum, promissiones respicit, at erronea est explicatio, quae 8,9 de iisdem sermonem fieri supponit[15].

4. Exhortatio, quae legitur 10,1-16, tota debetur Deutero Isaiae; nam monitum, ut Israelitae a divinatione gentilium idololatriaque caveant, uti etiam versus chaldaicus (10,11) insertus, produnt auctorem tempore exsilii degentem, stylus autem docet auctorem illum esse Deutero Isaiam[16]. — Finis prophetae illa in pericopa is est, ut Israelitas a fiducia in idolis ponenda avertat (cfr *supra* 246 p. 308); iam vero quam necessaria talis exhortatio ante exsilium fuerit, luce clarius ex 44,16 sqq. elucet. Cur Ieremias ipse chaldaicum versum (10,11) monito suo inserere non potuerit, non intelligimus; eum enim linguam chaldaicam ignorasse, quae iam dudum antea nobilioribus Israelitis cognita erat (*Is.* 36,11), nemo dixerit; quo-

minus autem responsum, quod ethnicis dandum erat, ethnicorum lingua auditoribus suis suggereret quid prohibuit? Demum de styli similitudine iterum dicere opus non est.

5. Demum cpp. 27.-29. a iuniore manu retractata dicuntur, quia recentiores nominum formae (ירמיה, צדקיה, יכניה etc.) reperiantur, Ieremias saepius הנביא (28,5. 6. 10 sqq.; 29,1) vocetur, et 27,7. 16-21 in alexandrina recensione aut desint aut alio modo legantur[17]. — At in toto libro nomina, quae יהו- terminantur, interdum pleniore illa forma, interdum breviore (יה-) leguntur; num etiam 21.1; 26,18; 35,3; 36,4 etc. etc., a iuniore manu sunt retractata, quum in illis abbreviata nominum forma adhibeatur? Num forte etiam *Os.* 1,1 et *Am.* 1,1 sunt retractata, quia eadem nomina regum, quae *Is.* 1,1 pleniore forma exhibet, abbreviata usurpant? Quod autem tribus istis capitibus, quae de *pseudo* prophetarum machinationibus agunt, Ieremias suo nomini titulum muneris, quo legitime fungebatur, adiungere voluerit, quis mirabitur? Id igitur solum difficultatem quandam creat, quod aliqui versus in alexandrina recensione desint; demonstrandum autem erat, massorethicae recensionis diasceuasten illos ex suis addidisse. Si vero 27,16-21 ideo dicuntur a iuniore manu adiecti, quia « vaticinium ex eventu confictum » contineant, rationalisticum quidem videmus praeiudicium, minime vero criticum argumentum. Sed nimium spatium hisce obiectionibus iam attribuisse nobis videmur; inter ipsos enim rationalistas non desunt, qui omnium Ieremiae vaticiniorum authentiam et integritatem acriter defendant[18]; unde adversariorum argumenta gravia non esse apparet.

6. Ex catholicis quoque, antiquioribus et recentioribus, interpretibus non pauci ultimum caput « adiectum esse a Baruch theopneusto aut, id quod probabilius videatur, ab Esdra itidem theopneusto ex iis, quae ipse fortassis Ieremias conscripserat » (Goldhagen Introd. II. p. 414) coniiciunt; at aliud argumentum non habent nisi illud quod supra indicavimus. Quod si aliqui ad clausulam 51, 64. (« hucusque verba Ieremiae ») provocant, nimis facile eius authentiam admittunt; etenim in alexandrino textu deest nec ullus ei est locus, si ordo recensionis alexandrinae est praeferendus.

7. Primus hoc oraculum *Eichhorn* (Einl. IV. p. 211) reiecit, quem plurimi secuti sunt; inter recentiores cfr *Davidson* (Introd. III. p. 106 sqq.), *Reuss* (Gesch. d. A. T. p. 425 sq.), *Driver Rothst.* (l. c. p. 285 sqq.), *Strack* (l. c. p. 89), *Cornill* (l. c. p. 171 sq.). — Illud a Ieremia quidem scriptum, sed a Deut. Isaia retractatum et interpolatum cum *Movers* dicunt *Hitzig* (D. Proph. Jerem. p. 392), *de Wette Schrader* (l. c.), alii. De interpolationum numero adversarii dissentiunt; *Graf* (D. Proph. Jeremia p. 580 sqq.) et *Nägelsbach* (Der Proph. Jerem. p. 342. 355) solos 51,15-19 utpote ex 10, 12-16 transumtos reiciunt; *De Wette Schrader* praeterea reiiciunt 50,39-46 et 51,44-48; recens interpres catholicus *Ant. Scholz* (Comm. p. 552 sqq.) ex centum quatuor vaticinii versibus quinquaginta duos vel tres dicit (a iuniore scriptore inspirato) insertos. Singulos versus vindicare, munus est interpretis non admodum difficile; nobis hoc loco *praecipua* rationalistarum argumenta adscripsisse sufficit.

8. Ita fere *Davidson* l. c. et *Reuss* l. c. ea, quae alii dixerant, colligentes.

9. *Reuss* l. c. p. 426 « Das Ganze verräth keinen natürlichen u. logischen Gedankengang. Es sind einzelne wiederholende Ansätze, Vorblicke u. Rückblicke abwechselnder Folge ». Iam vero hic est Ieremiae describendi mos, ut variis strophis ab

eadem re inchoans ad ulteriora procedat; cfr ex. gr. vaticinium contra Aegyptum 46, 3 sqq., atque iterum v. 9. sqq.

10. Cfr. de hoc argumento *Keil* Einl. p. 289 et Comm. p. 497, qui ostendit « ne unum quidem ex vocabulis obiectis soli Ezechieli esse proprium ».

11. Ita fere *de Wette Schrader* l. c., *Reuss* l. c. p. 425 etc.

12. Egregie iam *Kueper* Ieremias librorum sacr. interpres. 1837. p. 106 sqq.) primorum adversariorum obiectiones refutavit. Ex recentioribus interpretibus catholicis conferri potest *Schneedorfer* (Weissagungsb. d. Proph. Jerem. p. 701 sqq.), ex acatholicis *Keil* (Comment. p. 496 sqq. et Einl. p. 287 sqq.).

13. *De Wette Schrader* l. c. p. 429 sq.

14. Cfr quae de his capp. disputat *Küper* l. c. p. 171 sqq.

15. Cfr *Knabenbauer* Proph. min. II. p. 303.

16. *De Wette Schrader* l. c. p. 430 sq.; *Davidson* l. c. p. 94 « they savour too strongly of the Deutero-Isaiah to be properly claimed for Jeremiah »; nihilominus idem fateri cogitur : « *some* ressemblance to Jeremiah's style and manner is visible here and there ».

17. *De Wette Schrader* l. c. p. 431 sq. Ipse *Davidson* (l. c. p. 101), qui in omnibus fere de Wettium aliosque rationalistas germanicos sequitur, huius obiectionis fundamenta censet esse leviora : « It is hazardous to infer glosses and an extensive elaboration from these phenomena »; at fundamenta ipsa vacillare non animadvertit.

18. Inter modernos « criticos » *Ewald* ex gr. solum vaticinium contra Babel respuit, atque illud ipsum defendit *Graf*, qui alios quosdam versus reiicit ab Ewald receptos; *Bleek-Wellhausen* quoque integram fere alexandrinam recensionem admittit; recte vero monet ipse *Reuss* (l. c. p. 403), omissionem textus in alexandrina recensione sufficiens interpolationis argumentum non praebere; quare cum Ewald solum vaticinium contra Babel diserte impugnat. At illi quoque « critici », qui multo plura reiiciunt, inter se raro consentiunt; suum quisque sensum sequens respuit quae displicent, retinet quae placent, de argumentis parum sollicitus.

## § 10. — *De Lamentationibus Ieremiae.*

268. — Alter libellus, qui Ieremiae auctori attribuitur, denominatione a carminum, quibus constat, genere desumta a rabbinis קִינוֹת (naeniae, carmina lugubria)[1], ab Alexandrinis θρῆνοι, in Vulgata « *Threni i. e. Lamentationes Ieremiae prophetae* » appellatur. Quinque tantum continet carmina, quorum quatuor priora sunt alphabetica, quintum solo versuum viginti duorum numero ad alphabetismum accedit. In duobus primis sola initia stropharum, quae ternis versibus constant, alphabetum exhibent; in tertio terni versus, quibus strophae formantur, a nova litera ex ordine alphabeti incipiunt; in quarto bini versus ita sunt coniuncti, ut prior alphabeti seriem sequatur[2].

Idem omnium est ARGUMENTUM, planctus scilicet de civitatis sanctae et regni Iuda ultimo excidio[3]. Fuse illud describit *S. Gregorius Naz.* : « Ieremias, inquit, contribules suos ob priores calamitates deflet atque captivitatem babylonicam deplorat; erant enim haec lacrymis et gemitibus digna. Quomodo enim non maximis digna lamentis excisa

moenia, urbs solo aequata, sacrarium eversum, votiva dona compilata, profani pedes in loca non adeunda irrumpentes, profanae manus circa res eas, quas tangere nefas erat, luxuriantes, prophetae silentes, sacerdotes abducti, senes absque misericordia tractati, constupratae virgines, iuventus cadens, flamma aliena et hostilis atque sanguinis fluvii pro sacro igne et cruore victimarum, Nazaraei raptati, luctus canticis subrogati... manus mulierum misericordium invalescente obsidione non victum filiis porrigentes, sed potius ad cibum sibi parandum eos dilacerantes? Annon haec gravia et plus quam gravia, non iis solum, qui tum ea pertulerunt, sed iis quoque qui nunc audiunt? Equidem, ut de me loquar, quoties hunc libellum in manus sumo Threnosque lectito (id autem facio, quoties secundarum rerum insolentiam coercere huiusmodi lectione studeo), vocem mihi intercludi sentio lacrymisque obruor eamque calamitatem velut ob oculos positam videre mihi videor ac Ieremiae collamentor »[4]. Quibus verbis S. Doctor argumentum ita delineavit, ut nemo dubitare iam possit, quin poeta revera Ierusalem a. 11. Sedeciae per Chaldaeos captam et devastatam describere voluerit, at simul quoque magnam artem innuit, qua idem variis lineis et ductibus imaginem tantae calamitatis adumbraverit. Licet vero idem sit omnium carminum argumentum, alia tamen et alia ratione in singulis proponitur, uti ex hac ANALYSI elucet.

PRIMUM CARMEN (1,1-22) *in desolatione civitatis destructae plangenda maxime versatur*. Duas eius esse partes monuit iam S. Thomas[5]:

*In priore* (1,1-11) poeta ipse desolatam civitatem deplorat,
- quippe quae ab omnibus amicis derelicta (1,1-4) et inimicis propter sua peccata tradita (1,5-8) Deo audaciam hostium et populi miseriam ob oculos ponat (1,9-11).

In *altera* (1,12-22) per prosopopoeiam
- Ierusalem desolationem suam deflens sistitur (1,12-17), quae iustam esse suam poenam confitens (1,18. 19) sibi solatium, hostibus poenam efflagitat a Deo (1,20-22).

ALTERUM (2,1-22) *Deum excidii huius auctorem esse docet*. Iterum duae partes apte distinguuntur.

*Prior* (2,1-10) Deum civitatem destruentem depingit.
- Etenim adumbrato urbis et regni excidio (2,1. 2) Deum exhibet, qui velut hostis populum suum debellans (2,3-5) suum ipsius templum cultumque (2,6. 7) una cum civitate destruit (2,8-10).

Quae videns poeta in *altera parte* (2.11-22)
- prius quidem suum ipsius dolorem exprimit (2,11. 12), deinde frustra quaerens, quomodo Sionem consoletur. in hac sententia, Deum iustum haec fecisse, conquiescit (2.13-17) et Sionem exhortatur, ut continuis precibus Deum flectat (2,18-22).

In TERTIO (3,1-66) *personam populi induens suas ipsius et populi calamitates*

*ita describit, ut ex desperationis abysso ad novam spem sese erigat*[6]. Tres partes distinguimus cum S. Thoma.

In *prima* (3,1-18) in calamitatum, quas perpessus est, descriptione totus versatur poeta earumque magnitudine ita abripitur, ut quasi desperabundus exclamet : « periit spes mea a Domino ».

At sola Domini recordatione quasi ad se revocatus, in *altera* parte (3,19-39) infinitae misericordiae divinae memor ad Deum se convertit (3,19-24), qui homines puniens eorum praesertim utilitatem et salutem sectatur (3,25-39).

Quamobrem in *tertia* parte (3,40-66) novam, quam concepit, spem prodit quum humili culparum confessione (3,40-54) tum auxilii efflagitatione (3,55-66).

QUARTUM CARMEN (4,1-22) *disertius iam monet peccata esse calamitatum causam.* Duae sunt partes, quibus epiphonema additur.

In *priore* parte (4,1-11) calamitatum magnitudinem ob oculos ponit, eis pristinam felicitatem comparans (4,1-5) atque tantas eas esse docens, quia peccatis suis Iudaei ipsos Sodomitas superaverint (4,6-11).

In *altera* (4.12-20) peccata accuratius describit, sanguinem scilicet innocentem a pseudoprophetis et sacerdotibus effusum (4,12-16), vanam fiduciam, qua populus auxilium gentium imploraverat (4,17-20.)

*Epiphonemate* (4,21. 22) Idumaeis de Iudaeorum excidio gloriantibus eandem sortem annuntiat.

QUINTUM (5,1-22) « oratio Ieremiae prophetae » quidem inscribitur, sed *integri populi est oratio*, qui « post multiplicia lamenta, inquit *S. Thomas*, sese convertit ad precationis remedium ». Etenim ut Dominum ad misericordiam exercendam convertat,

prius ei in memoriam quasi revocat quum miseriam omnimodam, quam ob patrum suorum suaque ipsius peccata patitur (5,1-7), tum singulorum ordinum calamitates (5,8-14), atque praeprimis cultus divini templique destructionem (5,15-18),

atque deinde eum rogat, ne in aeternum sibi irascatur (5,17-22).

1. In bibliis hebraicis modernis libellus eadem ratione, qua libri mosaici, a primo quo inchoatur vocabulo אֵיכָה (« eheu! quomodo ») inscribitur; at nec Origenes nec S. Hieronymus, qui reliquas Iudaeorum inscriptiones tradiderunt, hanc cognoverunt; teste enim *S. Hier.* (M. 28, 929) *Cinoth* hebraice inscribebantur.

2. Cur in 2,16. 17; 3,46-51; 4,16. 17. literae ע et פ locum suum mutaverint, non liquet. Suo iam tempore *Maldonatus* (Comment. in Ierem. etc. Moguntiae 1611. Praef. in Thren. p. 248) in Threnis « artificium maius, quam in ceteris prophetiis » detegere sibi visus est. « Carmine enim scribit non certis quidem numeris temporum ac pedum, ut Latini et Graeci solent, sed certo fere numero syllabarum... In primo carmine sub singulis literis alphabeti terni *dodecasyllabi* versus concluduntur; in secundo quoque alphabeto terni versus sub una eademque litera continentur, quorum primus *sexdecim*, reliqui duo *duodecim* syllabarum sunt; in tertio terni versus non solum sub una litera ponuntur, sed ab eadem etiam inchoantur, quorum unus non servato ordine *quatuordecim*, alii *duodecim* syllabarum esse solent. Quartum simile

est primo ». Etiam secundum *Bickell* (Carmina hebraica metrice p. 112 sqq.) quatuor prima carmina *dodecasyllabis* constant; *Gietmann* vero (De re metrica p. 58 sq.) ternos illos versus *undecim* syllabarum esse censet, uterque quintum heptasyllabis constare aiunt. Ceterum de versuum horum genere cfr *supra* n. 162. p. 11.

3. Quoniam ex 2 *Paral.* 35,25 Ieremiam de Iosiae morte elegias composuisse constat, *Fl. Iosephus* autem (Antiqu. X. 5, 1) Ieremiae elegias de Iosiae morte adhuc exstare asserit, recte concludunt plerique interpretes, Iosephum nostros Threnos de Iosiae morte intellexisse. Eandem sententiam non semel tradit *S. Hieronymus* quum in Comm. in Zach. 12,11 (M. 25, 1589) tum c. Pelag. II. 22. 23 M. 23,586 : « De ipso (Iosia) Ieremias loquitur, quamquam hoc plerique secundum anagogen intelligant de Domino Salvatore : Spiritus faciei nostrae Christus dominus captus est pro peccatis nostris (*Thren.* 4,20) ». Eadem quoque in Paraphrasi chald.exprimitur (4, 20): « Rex *Iosias*, qui erat dilectus nobis sicut spiraculum spiritus, qui est in naribus nostris, et erat unctus oleo unctionis Domini, captus est in reti occisionis *Aegyptiorum* ». A Thargumista hanc explicationem receperunt iuniores interpretes iudaici, uti Iarchi; a S. Hieronymo autem satis multi interpretes christiani, postquam in *Glossam interlin.* transierat; eam enim invenies apud *Card. Hugonen* (qui eam admittit, licet eam « fabulam iudaicam » dicat), *S. Bonav.* (In Thren. Prooem.), *S. Thom.* (Thren. 4, 20), *Lyranum* (ibid.) aliosque. Immerito igitur *Agellius* (Lament. Ierem. Romae 1589. Prooem.) illam *Thren.* 4, 20 explicationem traducit velut « blasphemiam iudaicam », atque immerito quoque versum illum proprio sensu de Christo Salvatore intelligere vult [a]; recte autem eam impugnat, quatenus omnino alius fuit rerum status post Iosiae mortem, atque ille qui in Lamentationibus describitur. Quare etiam longe plerique interpretes nec omnia carmina nec quartum de Iosiae tempore intelligunt, sed omnium Lamentationum argumentum statuunt ultimum Ierusalem et regni Iuda excidium per Chaldaeos. Immo ipse *S. Hieron.* idem argumentum indicat (Praef. in Ierem.) « civitatis suae ruinas quadruplici planxit alphabeto » et in Is. 63, 3 (M. 24, 636) : « Ieremias in Lamentationibus plangit eversionem Ierusalem ».

4. *S. Gregor. Naz.* Hom. 7. 18 (M. 35, 744).

5. Vel potius *Thom. Wall.* s. *Anglus*, cui commentarii in Ierem. et Lament., qui inter opera S. Thomae Aq. edi solent, rectius adscribi videntur.

6. Immerito nonnulli Ieremiam suas ipsius calamitates deflere negant; neque enim tantum integra prima pars ita est comparata, ut prophetae optime conveniat, sed nonnulla etiam *soli* prophetae conveniunt (cfr 3,14 et *Ierem.* 20,7; — 3,17 sq. cfr. *Ierem.* 20,14 sqq. — 3,52-54 et *Ierem.* 38,6 sqq. — 3,64-66 et *Ierem.* 17,18). At personam quasi induit omnium piorum, immo totius populi, ideoque ex singulari transit ad pluralem (3,22. 39 sqq.) atque calamitates propter peccata se ferre profitetur.

(a) Cui explicationi versio Alex. et Vulg. (Χριστὸς Κύριος, *Christus Dominus*) procul dubio favet, quum *Dominus* sit יהוה, nec unquam aliquis rex humanus in Scriptura dicatur *Unctus Dominus;* sed verba hebr. משיח יהוה rectius redduntur *Christus Domini.* « Hieronymus, inquit *Mariana* (i. h. l.), haec verba de Christo intellexit, et *ideo* vertit *Christus Dominus* ». Id quidem minime; nam S. Doctor versum de Iosia interpretatus est (In. Zach. 12,11 et c. Pelag. II. 23) et eum « per anagogen » (c. Pelag.) « iuxta spiritalem intelligentiam » (In Zach.) ab aliis de Salvatore explicari adnotavit. Num verba haec ex antiqua Itala rentinuerit, an eius versioni postea sint addita, non liquet; nec in Alexandrinae nec in Vulgatae codicibus vestigium alterius lectionis (Christus Domini Χριστὸς Κυρίου) haberi videtur, nihilominus interpretes, qui cum Theodoreto inter Patres et Agellio inter recentiores verba exclusive et directe de Christo Salvatore intelligant, paucissimi sunt; neque id mirum, siquidem integer contextus eam explicationem excludit.

269. — **Threnorum auctorem** Ieremiam esse usque ad nostram fere aetatem nemo in dubium vocavit; verum « critici » nostri satis pulchram manere prophetae coronam arbitrati, etsi hoc folio careret[1], ei hanc gloriam eripere voluerunt; at irriti fuerunt eorum conatus; unanimis enim et constans synagogae et Ecclesiae traditio, quae Threnos Ieremiae adscribit, tantum abest, ut internis rationibus, ad quas confugerunt adversarii nostri, infirmetur, ut illis non parum corroboretur[2].

Synagogae traditionem nos iam docet *Fl. Iosephus*, qui quum Threnos a Ieremia de morte Iosiae conscriptos sua aetate superstites assereret, alios, quam nostros, intelligere non potuit[3]; eandem confirmant Thalmudistae (« Ieremias, inquiunt, scripsit librum suum, librum Regum et Threnos ») et Thargum chaldaic., in quo Lamentationes hac phrasi inchoantur : « Dixit Ieremias propheta et magnus sacerdos »[4]. Clarius autem, si fieri potest, Iudaeorum sententiam exprimit locus, quem Threni olim in eorum canone occuparunt. Hodie quidem Lamentationes in tertia canonis sui parte inter quinque Megilloth, quae statis festis diebus leguntur, collocant, at usque ad 4. fere aerae nostrae saeculum Threnos cum vaticiniis Ieremiae semper coniunxerunt et pro uno opere habuerunt. Disertis verbis id testatur *Origenes* palaestinensem canonem recensens : Ἰερεμίας σὺν θρήνοις καὶ τῇ ἐπιστολῇ ἐν ἑνί, Ἰερεμία, quae repetens *S. Hilarius* : « Ieremias cum lamentatione et epistola »[5]. Exeunte deinde 4. saec. *S. Epiphanius* libros enumerans, « quos Iudaei ab illo inde tempore, quo ex babylonica servitute reversi sunt, habuerunt » eadem ratione nominat « Ieremiam prophetam cum Lamentationibus et epistolis tam eius quam Baruchi »[6]. At S. Epiphanii aetate Iudaei libros istos separare coeperunt, cuius rei testis nobis est *S. Hieronymus*. In Prologo galeato enim viginti *duos* esse libros canonicos Iudaeorum monet in eorumque enumeratione Lamentationes prorsus omittit, non quia Iudaei eas pro canonicis non habuerunt, sed quia eas sub nomine Ieremiae comprehenderunt. Nam in eodem Prologo duas alias iudaici canonis divisiones indicat, in viginti *septem* et in viginti *quatuor* libros. Atque de priore haec tradit : « Quinque literae duplices apud Hebraeos sunt : Caph, Mem, Nun, Pe, Sade, aliter enim scribuntur per has principia medietatesque verborum, aliter fines; *unde et quinque a plerisque libri duplices aestimantur :* Samuel, Melachim, Dibre haiamim, Esdras, *Ieremias cum Cinoth i. e. Lamentationibus suis* »; de altera vero haec : « *Nonnulli* Ruth et *Cinoth* inter hagiographa scriptitant et hos libros in suo putant numero supputandos, ac per hos esse priscae Legis libros viginti quatuor ». Unde omnino constare puto, antiquos Iudaeos palaestinenses, de quorum canone loquuntur Patres nominati, Threnos cum vaticiniis Ieremiae, utpote duo eiusdem auctoris opera coniunxisse, atque ita explicatur cur *S. Melito*

*Sard.* saec. 2. palaestinensis canonis libros enumerans Threnos omiserit [7]. Cum Palaestinensibus autem Alexandrinos consensisse non tantum docet idem locus, quem Threni in Hellenistarum bibliis semper retinuerunt, sed etiam praefatiuncula quaedam, quae ex graecis editionibus in Vulgatam nostram transiit : « Et factum est, postquam in captivitatem redactus est Israel et Ierusalem deserta est, sedit Ieremias propheta flens et planxit lamentatione hac in Ierusalem et amaro animo suspirans et eiulans dixit » [8]. Immerito igitur synagogae traditio in dubium vocata est.

De Ecclesiae traditione vix opus est dicere; unum argumentum attulisse sufficit. Nemo sane dubitat, quin Threni semper canonicis libris sint adnumerati : iam vero inter catalogos Scripturarum sacrarum paucissimi sunt, qui Threnos enumerant; eorum autem omissionem nemo explicabit, quin nobiscum admiserit eos, utpote a Ieremia conscriptos, sub eius nomine contineri. Enumerantur quidem a *SS. Athanasio* et *Cyrillo Ieros.* et, si quis eorum canonem 60. genuinum habet, a Patribus *Con. Laodiceni,* ita tamen, ut cum vaticiniis prophetae nostri eos coniunctos fuisse appareat [10]; omittuntur vero inter Graecos a *SS. Gregorio Naz.* et *Amphilochio,* inter Latinos a *Rufino, Conc. Hipponensi* et *Carthag., SS. Augustino, Innocentio I., Isidoro Hisp., Cassiodoro* iunioribusque plerisque. Unde factum est, ut ab ipsis quoque *Patribus Tridentinis* (et Florentinis) non sint nominati; Ieremiam enim eorum auctorem esse, tam persuasum erat Tridentinis, ut in dogmatico suo decreto, in quo libros canonicos cunctos enumerare voluerunt, nihil posuerint nisi « *Ieremias cum Baruch* », Ieremiae nomine vaticinia eius et lamentationes complexi [11].

Quam unanimem et constantem traditionem confirmat libelli indoles. Atque primum quidem ea est desolationis et calamitatum descriptio, qua testem aequalem et ocularem prodi ipsi adversarii fateri cogantur; brevi enim post urbis templique destructionem Ieremiae aetate Lamentationes compositas esse vix non omnes concedunt. At non tantum *testis* calamitatum fuit auctor, sed ex eorum numero, qui illas ipsi pertulerant, immo plura, quam reliqui, passus erat (cfr 2,11; 3,1-66; 4,17-20; 5,1-22); non pauca vero cum illis, quae Ieremias sese passum esse in Vaticiniis testatur, ita consentiunt [12], ut auctorem aut Ieremiam esse aut Ieremiam sese fingere voluisse sit dicendum; iam vero illius fictionis admittendae nulla suppetit ratio. Detexisse quidem sibi videntur adversarii inter Vaticinia et Lamentationes oppositionem quandam, quae eidem auctori utrumque librum attribui vetet; in Vaticiniis calamitates illas describi velut poenas peccatorum a Iudaeis Ieremiae aequalibus commissorum, in Lamentationibus easdem dici poenas peccatorum patrum eorum [13] : « Patres nostri peccaverunt, et non sunt; et

nos iniquitates eorum portavimus » (*Thren.* 5,7). Mira sane obiectio, quae nec Threnorum nec Vaticiniorum accuratae lectioni innititur. Nonne uni isti Threnorum loco, qui peccatis patrum calamitates attribuit, multo plures addi possunt, qui Ieremiae aequales suis ipsorum peccatis Dei poenas sibi attraxisse docent? « Maior effecta est *iniquitas filiae populi mei* peccato Sodomorum » (4,6); « *nos inique egimus* et ad iracundiam provocavimus » (3,42), « vae *nobis*, quia peccavimus » (5,16) etc [14]. Nonne eadem ratione, qua in Threnis, etiam in Vaticiniis calamitates peccatis patrum attribuuntur? « Heu, Domine... qui reddis iniquitatem patrum in sinum filiorum eorum post eos » (32,18). Secundum Vaticinia igitur et Threnos filii peccata patrum suorum portaverunt, quia eadem non tantum non expiarunt, poenitentiam non agentes, sed imitati sunt et aggravarunt : « Patres vestri dereliquerunt me et Legem meam non custodiverunt, sed et vos peius operati estis quam patres vestri » (16,11 sq.). Tantum igitur abest, ut Threni hac in doctrina a Vaticiniis dissentiant, ut plenus sit eorum consensus, licet pro duorum librorum diversa indole propheta in Vaticiniis, ut populum ad poenitentiam adducat, auditorum suorum culpas vehementius obiurget, in Threnis maiore cum dolore conqueratur. — Levior, si fieri potest, altera est obiectio, quod secundum *Thren.* 2,9 « prophetae non invenerunt visionem a Domino », Ieremias autem etiam post destructam urbem revelationes a Domino acceperit [15]. Satis enim clarum arbitramur esse, eadem ratione negari prophetis visionem, sicut Legi exsistentiam (« non est Lex et prophetae eius non invenerunt visionem a Domino »), i. e. quemadmodum Lex non amplius erat populo tutelae, ita visiones ei non amplius erant consolationi; prophetae quidem aderant, at in maxima illa miseria non acceperunt a Domino visionem, qua populus ad meliorem spem erigi potuerit.

Argumenti in Vaticiniis et Lamentationibus tractati similitudinem fusius persequi omittimus, at de dictione et lingua addemus pauca. Ieremiam diximus sententias suas saepius in Vaticiniis repetere atque frequenter ad praecedentium prophetarum et Moysis libros, maxime ad Deuteronomium alludere. Atqui idem fieri in Threnis videmus; eaedem usque reccurrunt imagines, similitudines, eadem allusionum, praesertim ad libros mosaicos, multitudo, iidem, qui in Vaticiniis, modi loquendi, idem sermonis color. Quae omnia exemplis demonstrare superfluum est, siquidem adversarii ipsi ea iam attulerunt [16]. At nonnullas locutiones monent in Threnis usurpari, quae in Vaticiniis non adhibeantur, atque satis multas in Vaticiniis reperiri, quas frustra in Threnis quaesieris; immo vero aliquas expressiones ex Ezechiele esse desumtas, qui Ieremia sit recentior [17]. Quae quamvis tam gravis habeatur obiectio, ut unus alterve ex catholicis interpretibus ea permotus

in adversariorum castra transierit[18], nobis tamen satis levis esse videtur. Ut enim taceamus, multa ex vocabulis immerito afferri, quia in Vaticiniis revera inveniantur licet non eadem prorsus forma, qua in Threnis, aut quia in Threnis ipsis semel tantum vel bis usurpentur, in Vaticiniis autem etiam multa ἅπαξ λεγόμενα reperiantur, illud praesertim est considerandum, aliam esse poeticam, aliam prosaicam linguam, ita ut nemo mirari possit, certum numerum vocabulorum Threnis esse proprium[19]. Porro duobus exemplis auctorem ab Ezechiele dependere demonstrant adversarii, at infelici manu ea elegerunt. Quod si enim putant, phrasin כְּלִילַת יֹפִי (2,15) ex *Ezech.* 27,3 esse desumtam, ubi *Tyrus* hoc epitheto ornetur, non attenderunt in Ps. 50 (49),2 Sionem iam vocari מִכְלַל יֹפִי, poetam autem textum prae oculis habuisse, in quo *civitatis sanctae* pulchritudo celebretur (« haeccine est urbs, quam *dicunt* perfectam pulchritudine? »). Alterum exemplum desumunt ex 2,14 : verba enim נְבִיאַיִךְ חָזוּ לָךְ שָׁוְא וְתָפֵל sine dubio ex *Ezech.* 12,24; 13,6 sqq. desumta esse, quum ab Ezechiele solo phrasis חָזָה שָׁוְא et cum ea coniunctum vocabulum תָּפֵל adhibeantur. Recte autem responsum est, obiectionem, si concederetur, non demonstrare Ieremiae Threnos esse abiudicandos, siquidem illud vaticinium Ezechielis, ex quo vocabula desumta dicuntur, saltem quinque annis ante destructionem urbis sit editum ac proinde Ieremiae innotescere et ab eo in Threnis adhiberi potuerit. Num vero sit adhibitum, valde est dubium; etenim תָּפֵל alio sensu ab Ezechiele(« calx, qua paries illinitur »), alio ab Ieremia (« insulsum » « vanum ») adhibetur; et quum Ieremias frequenter dicat in Vaticiniis pseudoprophetas « vidisse mendacium », (חָזָה שֶׁקֶר), non apparet ratio, cur in Threnis dicere nequiverit eos « vidisse vana » (חָזָה שָׁוְא), si docere voluit in tanta calamitate pseudoprophetarum vaticinia populo consolationi non fuisse[20]. Sed haec sufficiunt; nam si artificiosiorem esse obiiciunt adversarii carminum formam, quam ut Ieremiae attribuatur[21], absurdiorem esse arbitramur obiectionem, quam ut responso sit digna.

1. *Reuss* Gesch. des A. T. p. 398 : « Dem Seher son Anatot bleibt sein Kranz reich genug, wenn etwa dieses Lorbeerblatt darin fehlte ». — Ineunte saec. praecedente *H. von der Hardt* primus Threnos Ieremiae abiudicavit atque Danieli cum tribus eius sociis et regi Iechoniae eos attribuit; dubitationem renovavit anonymus in *Tüb. Quartalschrift* (1819. p. 69) ea permotus ratione, quod artificiosa carminum forma Ieremiam non decuerit, quem secuti sunt multi protestantici et rationalistici interpretes, inter quos praecipui *Ewald* (Poet. Bücher d. A. T. I. 2. p. 326) Baruch vel alium Ieremiae discipulum eos composuisse tenuit, *Nöldeke* (Die alttestam Literatur in einer Reihe von Aufsätzen. Leipzig 1868. p. 142 sqq.) argumentum ex traditione maxime impugnat, *Naegelsbach* (Die Klagelieder Bielefeld 1868. p. XI sqq.) ex lingua Threnorum demonstrare conatur, Ieremiam non esse eorum auctorem. Ab

hisce fere dependent *de Wette Schrader* (Einl. p. 531), *Vatke* (Einl. p. 597), *Reuss* (l. c.), *Wellhausen* (in notis ad Bleek Einl. p. 388 sqq.) aliique. — *Thenius* (Klagelieder p. 121 sqq.; Kurzgef. Exeget. Handbuch XVI. Leipzig 1855.) duo carmina (2. 4.) Ieremiae, tria alia diversis Ieremiae amicis attribuit, sed vix quemquam invenit, qui ipsi consentiret. Unum esse omnium auctorem communis hodie omnium est sententia.

2. Cfr de hac quaestione praeprimis *Floeckner* (in Tüb. Quartalschr. 1877. p. 187-280); deinde ex catholicis interpretibus : *Schneedorfer* (D. Klagelieder des Proph. Jerem. 1876. p. 11 sqq.), *Trochon* (Jérémie. 1885. p. 332 sqq.), *Knabenbauer* (Comm. in Danielem, Lament., Baruch. 1891. p. 367 sqq.), et ex introductoribus *Herbst Welte* (II. 2. p. 66), *Aug. Scholz* (III. p. 367 sqq.), *Kaulen* (Ed. 3. p. 371 sq.), *Vigouroux* (II. p. 569), *Zschokke* (p. 282. — Ex acatholicis conferri prae ceteris meretur *Keil* (Comm. ü. d. Proph. Jeremia u. die Klagelieder. p. 548 sqq.).

3. Immerito hoc negatur a *Flöckner* (l. c. p. 195 sqq.), qui putat usque ad Iosephi aetatem volumen aliorum Threnorum, inter quos illi de Iosiae morte, conservari potuisse, atque ad hos *Fl. Ioseph.* (Antiqu. X. 5,1) alludere. At non attendit, Fl. Iosephum (c. Appion. I. 8.) disertis verbis negare, praeter viginti duos libros canonicos alia scripta Artaxerxe antiquiora inter Iudaeos reperiri. Nisi quis igitur assereret voluerit, librum aliquem, quem Iudaei tempore Christi pro *canonico* habuerunt, immediate postea perisse, firmum remanet nostrum argumentum.

4. *Baba bathra* 14. *Marx* (Traditio rabbin. veterrima de ll. V. T. origine p. 49.) in eandem sententiam allegat *Moed qatan* 26 a. et *Raschi* ad Thren. 1, 1, qui Threnos vult fuisse eum librum, quem Ioakim combussit (*Ierem.* 36). *Flöckner* l. c. p. 209. addit *Midrasch Rabba* in Thren. 1, 1 et *Midr. Ialkut* l. e. l.

5. *Orig.* In Psalm. 1. (M. 12,1084; cfr. *Euseb.* H. E. VI. 25. M. 20,581); *S. Hilar.* Prol. in l. Psalm. 15 (M. 9,241).

6. *S. Epiph.* Haer. 8,6. (M. 41,213).

7. *S. Hieron.* Prol. galeat. — *S. Melit. Sard.* apud Euseb. H. E. IV. 26. (M. 20, 396). — Non satis intelligimus, cur *Floeckner* l. c. p. 205 sqq. in dubium vocet, in palaestinensi canone Threnos olim cum Ieremiae Vaticiniis fuisse coniunctos. Testimonia enim Patrum profecto non infirmantur, etsi « nec quomodo, nec cur, nec quando » separati sint, cum certitudine definire possimus. Ceterum aetatem separationis satis nobis indicat Prologi galeati testimonium, si cum antiquioribus comparatur. Ex eo enim constat, exeunte saec. 4. *tres* modos librorum numerandorum et disponendorum apud Hebraeos exstitisse, eumque qui viginti duos libros cum Origene numerabat fuisse communiorem; unde iure concludimus, eo tempore Lamentationes a Vaticiniis separari coepisse, ut singulis annis die 9. Ab ad templi destructionem plangendam adhiberentur. Thalmudistis igitur, qui commodiorem libelli usum in liturgia spectabant, debetur separatio.

8. A nonnullis antiquioribus interpretibus quaestio mota est, utrum praefatiuncula haec gaudeat auctoritate *canonica* necne (cfr *Bonfrer.* Praeloquia in S. S. V. 7); affirmarunt olim del Rio et Gretser, at multo plures negarunt, idque iure merito. S. Hieronymus enim, quum in hebr. desit, eam plane omisisse videtur, neque enim ab antiquioribus interpretibus latinis (Rhabano, Paschasio) attingitur nec a sequentibus (Hugone, Lyrano) pro parte Scripturae habetur, nec in melioribus codicibus (Amiat. etc.) aut correctoriis (Dominic., Sorbon.) invenitur. Theodoretus quoque eam non commemorat, licet in graecis codd. fere omnibus habeatur; exsulat quoque a syra editione.

9. Recte *Flöckner* l. c. p. 209 : « Mit einer Bestimmtheit, die zu der Zahl u. dem Gewichte der Gründe in umgekehrtem Verhältnisse steht, behauptet Noeldeke, dass

die Abfassung der Klagelieder durch Jeremias bei den Juden nie die Sicherheit einer mit kirchl. Auctorität versehenen Tradition gehabt habe. »

10. *S. Athan.* Ep. fest. 39 (M. 26,1177) : Ἱερεμίας καὶ σὺν αὐτῷ Βαρούχ, Θρῆνοι, Ἐπιστολή. — *S. Cyrill.* Ieros. Catech. IV. 35 (M. 33, 500) : Ἱερεμίου μία μετὰ Βαρούχ καὶ Θρήνων καὶ Ἐπιστολῆς. — *Conc. Laod.* can. 60 (cfr *Intr. gen.* Ed. 2. p. 107 sq.

11. Catalogos praecipuos vide in *Introd. gener.* Ed. 2. pp. 93 sqq. 106. etc.

12. Cfr. *supra* 268 n. 6. p. 405.

13. *Noeldeke* (l. c.). *De Wette Schrader* (l. c. p. 531 sq.) asserit contradictionem inter *nonnulla* dicta (*einige* Aussprüche) prophetae et auctoris Threnorum inveniri, at allegat tantum *Thren.* 5, 7 et *Ierem.* 31,29. 30).

14. Cfr. etiam *Thren.* 1,5. 8. 14. 18; 2,14; 3,39 sqq. — *Floeckner* l. c. p. 231 sqq.

15. *Vatke* Einl. p. 597 : « Der Propheten gedenkt er *kaum*; NUR 2,9 sagt er, dass auch sie kein Gesicht mehr von Iahveh erlangen »; Threnos legisse non videtur; et genuini (2,9. 20) et falsi (2,14; 4,13) prophetae commemorantur.

16. *De Wette Schrader* (l. c. p. 531) haec exempla affert, quibus argumentum atque dictionem utriusque libri affinem esse demonstret : 1,8 sq. cum *Ierem.* 4,30; 13, 21 sq. 26; — 1,20 et 4,13 cum *Ierem.* 14,7. 18; — 2,14 cum *Ierem.* 14,13; — 1,16; 2,11; 3,48 sq. cum *Ier.* 8,21 sqq.; 9,16 sqq.; 10, 19 sqq. etc.; — 3,52 cum *Ier.* 15, 26 sq.; — 3,1 sqq. cum *Ierem.* 15,10 sqq. 15 sqq.; 17,5 sqq. 14 sqq.; 20, 7 sqq. 14 sqq. — בְּתוּלַת בַּת עַמִּי 1,15 et 2,13 cum *Ierem.* 14,17 et 46,11; — מָגוֹר 2,22 cum *Ier.* 4,25; 10,3. 10; — זוֹלֵל 1,11 cum *Ier.* 15,19 מַחֲמוּדִים pro מַחֲמַדִּים 1,11; — נִידָה pro נִדָּה 1,8; — לוֹא pro לֹא etc. etc. Alia exempla plura addunt *Keil* (l. c. p. 555) et *Flöckner* p. 249 (allusiones ad Pentat.), p. 256 sq. (repetitiones) etc.

17. Argumentum hoc fuse evolvit *Nägelsbach* l. c. p. XI-XV.

18. Ex. gr. *B. Neteler* Gliederung des B. Jeremias p. 132 : « Von den Klageliedern hat Nägelsbach in vollständig überzeugender Weise bewiesen (sic!), dass sie wegen ihrer grossen sprachlichen Verschiedenheit vom Buche Jeremias von dem Verfasser dieses Buches nicht herrühren können ».

19. Tertiam partem vocabulorum, quae in Threnis sed non in Vaticiniis occurrere asseruerat Nägelsbach, ostendit *Keil* (Comm. p. 554) in Vaticiniis legi, sed non eadem utique forma grammaticali; ex. gr. בְּקֶרֶב quod *Thren.* 3,45 legitur, utique in Vaticiniis non habetur, sed *Ier.* 6,1 invenitur מִקֶּרֶב, deinde בְּקִרְבִּי *Thren.* 4,15,20 et *Ier.* 23,9, בְּקִרְבָּהּ *Thren.* 4,13 et *Ierem.* 6,6; — item לֹא חָמַל *Thren.* 2,2. 17. 21 etc. in 3. pers. *perf.* quidem non invenitur in Vaticiniis, sed in *imperf.* *Ierem.* 13,14; 15,5 etc. — Praeterea recte *Keil.* (l. c.) : « Die Klagelieder sind keine prophetischen Mahn =, Straf = u. Trostreden, keine Weissagungen, sondern lyrische Dichtung, die ihren eigenen verschiedenen Spachgebrauch hat ». Cfr etiam *Floeckner* l. c. p. 252 sqq. et *Knabenbauer* l. c. p. 372 sq.

20. De his exemplis, quae ex Ezechiele dicuntur desumta, cfr *Keil* l. c. p. 550 sq.

21. Ita iam anonymus in Tüb. Quartalschr. 1819. p. 69; *De Wette Schrader* l. c.; p. 531; *Reuss* l. c. p. 399.

## § 11. — *De Prophetia Baruch et de Epistola Ieremiae.*

Licet Prophetia Baruch et Epistola Ieremiae neque argumento inter se cohaereant neque eiusdem sint auctoris, duos tamen hos libellos coniungimus, non tantum quia in Vulgata, in qua epistola est cap. 6.

Baruch[1], coniuncti sunt, sed etiam quia ambo ex deuterocanonicorum sunt numero et iisdem fere argumentis divina eorum auctoritas demonstratur. Epistolam tamen Prophetiae praemittimus, ne scripta, quae Ieremiae auctori debentur, alio interposito discerpamus.

### Quaestio I. — De Epistola Ieremiae (Bar. 6.).

**270.** — « Epistola, quam misit Ieremias ad abducendos captivos in Balyloniam a rege Babyloniorum, ut annuntiaret illis secundum quod praeceptum est illi a Domino », tota in eo est, ut inanitate idolorum demonstrata Iudaeos contra timorem et cultum idolorum praemuniat.

Post breve enim exordium, in quo propheta captivis in Babyloniam abducendis praenuntiat, eos diu ibi esse permansuros (6,1. 2), statim proponit thema suum : caveant ne idola, quae in Babylonia magno in honore habeantur, ipsi timeant aut honorent; memores autem sint, solum Dominum esse adorandum (6,3-6). Variis deinde argumentis, quae certo ordine logico non videntur esse disposita, docet idola illa, licet auro splendeant coronisque et armis sint munita, nec sua ornamenta nec se ipsa posse defendere (6,7-15), omnibus viribus esse destituta, ut nec videre, nec sordes a se avertere, nec ambulare aut sese, si ceciderint, erigere possint (6,16-26), a sacerdotibus suis male tractari (6,27-32) neque tamen quidquam boni aut mali rependere posse (6,33-41), libidinibus ea coli (6,42-44), a vilibus artificibus ea esse confecta et ab hostibus debere abscondi (6,45-50), omnimoda impotentia ita laborare, ut omni vel vilissimo vase sint inutiliora (6,51-58), nulla vero ratione cum sole aliisque rebus maiore vi a Deo praeditis posse comparari (6,59-68), immo similia ea esse avium formidinibus, quae in cucumerariis ponuntur, aliisque rebus inanimatis (6,69-71); qui igitur sese ipse opprobriis commaculare nolit, caveat a simulacris (6,72).

Epistolae AUCTOREM esse Ieremiam asserit inscriptio, neque ulla est ratio, cur ei fidem denegemus, praesertim quum non desint, quibus confirmetur. Procul dubio Ieremiae abiudicanda esset Epistola, si verum esset, quod adversarii asserunt[2], primigeniam eius linguam esse graecam ; at assertum suum argumentis demonstrare nequeunt. Licet enim hebraicus eius textus hodie desit atque graecum exemplar satis pura lingua sit conscriptum paucioribusque hebraismis, quam Prophetia Baruch, scateat, nondum sequitur, Epistolam ex hebraico non esse translatam. Immo vero ex hebraismis, quos adesse ad unum omnes fatentur, nonnulli non admisso textu hebraico commode non explicantur[3].

Quo praeprimis pertinent satis frequens temporis futuri usus iis in locis, in quibus de rebus praesentibus aut consuetis est sermo (6,10. 11. 33. 34. 67 etc. [4]), atque continua temporum varietas. Hebraicum quoque exemplar primigenium arguit constructionum quarundam mutatio, qua eadem in phrasi constructioni graecae inchoatae substituitur hebraica. Profecto si

eodem in versu legitur : ψευδῆ δ'ἔστι (τὰ εἴδωλα) καὶ οὐ δύνανται λαλεῖν (6,8), aut τὰ θηρία αὐτῶν ἔστι κρείττω, ἃ δύνανται ἐκφυγόντα εἰς σκέπην ἑαυτὰ ὠφελῆσαι (6,67), apta ratio, cur singularis cum plurali permutetur, non redditur, nisi interpretem pluralem secundi membri in suo textu hebraico invenisse et retinuisse dixeris, in priore autem membro, quum verbum (היה) non esset expressum, consuetam constructionem adhibuisse. Quomodo explicabitur phrasis : ἐκμάσσονται τὸ πρόσωπον αὐτῶν (6,12), nisi admittatur, interpretem in suo hebraico textu legisse נִכְּחוּ פְּנֵיהֶם (« abluuntur facies eorum »)? Si autem τὸ πρόσωπον dixeris esse accusativum adverbialem eundem, qui habetur 6,20 : μεμελανωμένοι τὸ πρόσωπον αὐτῶν, pronomen αὐτῶν in utroque loco usui graeco semper contradicit et ex vocabulo פְּנֵיהֶם, quod interpres *coram oculis* habuit, explicetur necesse est. Atque mira illa constructio : τοῖς λίθοις ὡμοιωμένοι εἰσὶν τὰ ξύλινα καὶ τὰ περίχρυσα κτλ. (6,38), nonne admisso primigenio textu hebraico facilius explicatur? Quae exempla, etsi per se sola hebraicam epistolae originem non demonstrent, inscriptionis tamen, quae hebraicum adfuisse textum supponit, testimonium corroborant et confirmant.

Alterum argumentum, quo nixi adversarii Epistolam prophetae abiudicant, ex 6,2 (3) desumunt, quo in loco exsilium, quod secundum *Ierem.* 29,10 futurum erat septuaginta annorum, duraturum esse dicitur « annos plurimos et tempora longa *usque ad generationes septem* »; quibus verbis censent auctorem Epistolae plus ducentos annos exsilio attribuisse atque proinde Ieremiae contradixisse [5]. — Verum nescio annon ex hac antiphania eundem esse Epistolae et Vaticiniorum auctorem rectius concludatur. Nam tam cognitus erat numerus annorum a Ieremia praedictus (cfr *Dan.* 9,2; *Zach.* 7,5; 2 *Paral.* 36,21), ut iunior scriptor, si sese, uti supponunt adversarii, Ieremiam fingere voluisset, certe eundem numerum posuisset. Vera contradictio autem inter duas istas temporis definitiones non habetur, nisi « generatio » (γενεά, quae sine dubio posita est pro hebr. דּוֹר) triginta vel quadraginta annorum spatium designare temere asseritur; nullibi enim in Scriptura definitus annorum numerus vocabulo דּוֹר designatur; aeque parum ex *Iob.* 42,16 deduci potest, illo designari triginta annos, atque ex *Gen.* 15,16 eodem centum annos comprehendi; דּוֹר a rad. דּוּר (in orbem ire) proxime designat *periodum*, de cuius duratione nihil definit, quae igitur multorum aut paucorum annorum esse potest, nec quidquam aliud istis « septem generationibus » dixit Epistolae auctor, quam duabus aliis expressionibus : « annis plurimis et temporibus longis » [6].

Tertio loco obiiciunt Ieremia indignam esse Epistolam, quippe quae in sua forma imitetur *Ierem.* 29,4-23 et in suo argumento *Ierem.* 10,1-16 [7]. Ad formam quod attinet, tota imitatio in eo consistit, quod *Ierem.* 29. etiam sit epistola quaedam, quae tamen si ad modum, quo argumentum suum tractat, attenditur, a nostra toto coelo distat, ut vix duo scripta invenias, quae magis sint dissimilia. Argumentum quidem idem tractatur *Ierem.* 10,1 sqq. et in nostra Epistola, id quod profecto nihil admirationis habet, siquidem Ieremiam sese ipsum saepius repetere iam diximus; at alio plane modo explicatur argumentum in utroque loco, licet eundem finem prose-

quatur; in vaticinio enim plane sublimi ratione infirmis idolis opponit Deum potentissimum et tremendum, in Epistola vero variis argumentis collatis idolorum infirmitatem modo ad vulgi intelligentiam magis accommodato demonstrat. Scilicet una cum Iechonia omnes magnates omnesque artifices aliique, qui in populo eminebant, in captivitatem erant abducti « nihilque relictum erat exceptis pauperibus populi terrae » (4 *Reg.* 24,14); horum igitur, qui cum Sedecia in Babyloniam abducendi erant, captui sese accommodare voluit propheta ideoque vulgaria illa argumenta congessit.

Tantum igitur abest, ut Ieremia Epistola sit indigna aut aliis adversariorum argumentis demonstretur spuria, ut eam temporum personarumque rationi optime respondere totaque sua indole testimonium inscriptionis confirmare censeamus. Etenim a.) Iudaeos in Babylonia maximo idololatriae periculo fore expositos propheta profecto non ignoravit; muneri autem suo prophetico defuisset, si periculum illud pro viribus avertere non esset conatus. Re enim vera Iudaei, qui cum Ieremia in Aegyptum fugerant, omnes suas calamitates ex eo derivarunt, quod idolis debitum cultum non praestitissent: « ex quo tempore, inquiunt, cessavimus sacrificare reginae coeli et libare ei libamina, indigemus omnibus et fame et gladio consumti sumus » (*Ierem.* 44, 18). Facile igitur intelligitur, captivos in Babyloniam abductos, si idola illa, quibus Chaldaei suas victorias attribuebant, sollemnibus pompis circumduci omniaque vasa templi Domini eadem ratione, qua idola populorum devictorum, velut spolia dei cuiusdam devicti coram victoribus diis Bel et Merodach deponi videbant, multo facilius ad idololatriam potuisse seduci[8]. Quapropter argumentis eorum intelligentiae accommodatis infirmitas illorum idolorum, quorum potentiam et fortitudinem celebrabant Chaldaei, quasi ad oculos eis erat demonstranda; et quoniam in principio captivitatis, quando post longae obsidionis terrores prima vice splendorem ethnici cultus spectabant, multo maius erat perniciosi illius erroris periculum, illud provideri et praecaveri necesse fuit. Cuinam autem, nisi Ieremiae, qui non tantum ad destruendum et evellendum, sed etiam ad aedificandum et plantandum erat constitutus (*Ier.* 1,10), hoc praecavendi munus incubuit et quisnam melius et efficacius, quam propheta ille, qui vaticiniorum suorum impletione genuinus legatus Domini erat probatus, populo infelici inanitatem idolorum illorum demonstrare potuit? Porro b.) demonstratio ipsa quoque satis diffusa atque repetitionibus et ad Legem allusionibus repleta[9] omnino convenit cum prophetae modo disserendi. Quibus accedit c.) quod tam accurata idololatriae chaldaicae descriptio tradi non potuerit a scriptore quodam, qui ex adversariorum hypothesi diu post Babylonis destructionem vixerit. Neque enim pompas qualescunque idolaque qualiacunque nobis describit, sed pompas illas idolaque illa,

quae hodie iterum in monumentis chaldaicis post plus viginti quinque saecula detectis et effossis repraesentata conspiciuntur[10]. Num quis sibi persuaserit, Iudaeum aliquem hellenistam (graece enim scriptam esse Epistolam supponunt adversarii) post Alexandri M. aetatem in chaldaicam idololatriam inquisivisse, ut conficto hoc libello eam refutaret?

Optimo itaque iure nostro Epistolae, quae Machabaeorum tempore iam sub Ieremiae nomine allegatur[11], authentiam admittimus; si autem genuinum est prophetae opus, ad divinam eius auctoritatem haud immerito concludimus; praecipuum tamen argumentum, quo eius inspiratio demonstratur, praebet Ecclesiae traditio (273 p. 426).

1. In graecis codicibus plerisque (Vatic., Alex. etc.) et in plerisque versionibus prophetia Baruch immediate adiungitur vaticiniis Ieremiae, deinde sequuntur Threni, atque tertio in loco Epistola Ieremiae.

2. Epistolae authentiam reiiciunt omnes interpretes protestantici, qui unanimes quoque sunt in graeca eius origine asserenda. Cfr ex recentioribus *De Wette Schrader* (Einl. p. 603), *Keil* (Einl. p. 755 sq.), *Reuss* (Gesch. des A. T. p. 634), *Fritzsche* (Handbuch zu den Apocryphen I. p. 205), *Schueren* (in Herzog's P. R. E. I. p. 502). *Davidson* (Introd. III. p. 432), *König* (Einl. 1893. p. 484), *Cornill* (Einl. Ed. 3. 1896. p. 274 sq.) etc. — Ex catholicis recentioribus soli *Iahn* (Einl. II. p. 867) et *Aug. Scholz* (Einl. III. p. 646 sqq.) authentiam negant, atque alter quidem ideo tantum, quia a *S. Hier.* (in Ierem. Praef. M. 14,706) Epistola ψευδεπίγραφος nominetur; sed quae sit S. Hieronymi auctoritas in quaestione de deuterocanonicis, satis, opinor, ostendimus in *Introd. gener.* Ed. 2. p. 112 sqq.

3. De hac quaestione cfr *Welte* (Einl. in d. deuterokan. BB. p. 152 sqq.), *Reusch* (Erkl. des B. Baruch. 1853. p. 78 sqq.), *Kaulen* (Einl. Ed. 3. p. 374), *Knabenbauer* (Comm. in Danielem, Threnos, l. Baruch, 1891. p. 448 sq.).

4. *Fritzsche* (l. c. p. 209. 214 etc.) futura illa de iis, quae forsitan acciderint, explicare vult; sed haec explicatio non nisi forte ad 6,11 quadrat.

5. Hoc quoque argumentum a plerisque (cfr n. 2.) affertur. Quomodo *Keil* (l. c. p. 256) asserere potuerit : « Diese Umdeutung (der siebenzig Iahre in sieben Generationem) führt auf eine ziemlich *späte Abfassung in Aegypten* », nemo intelliget. Quid Aegyptiis commune est cum septem generationibus?

6. Cfr *Reusch* (l. c. p. 84); *Kaulen* (l. c. p. 379). *Welte* (l. c.) librarii vel interpretis mendum admittere mavult, qui pro ג'דורות (*tres* generationes) scripserit vel legerit ז'דורות (*septem* generationes); quae explicatio praeferenda saltem est sententiae *Houbigantii*, qui graeci librarii errorem admisit scribentis γενεῶν pro δεκάδων. — *Fritzsche* (l. c. p. 207), si asserit auctorem expressionibus suis ἔτη πλείονα καὶ χρόνον μακρόν spatium longius quam septuaginta annorum indicare voluisse, sua quidem praeiudicia, sed non sensum auctoris sequitur.

7. Cfr *De Wette Schrader* l. c., *Vatke* l. c. etc.

8. De exsilii periculis egregie agit *Vigouroux* La Bible et les découvertes modernes IV. p. 303 sqq.

9. Velut versus quidam intercalaris semper recurrit monitum, ne idola timeant neve pro diis ea habeant (6,15. 22. 28. 39. 44. 46. 49. 51. 55. 63. 64. 68); cfr etiam 6,14 et 6,49. 56 sq. etc. — Egregie *Scholz* (l. c. p. 648), *Kaulen* (l. c. p. 378), *Knabenbauer* (l. c. p. 509 sq.) monent, toto in loco 6,27-33 cultum idololatricum ita describi, ut eius oppositio ad cultum a lege praeceptum appareat (cfr *Lev.* 10,6; 12,4; 15,9 sqq.; 21,5; *Deut.* 14,28 sq.).

10. Cfr de hoc argumento *Vigouroux* l. c. IV. p. 309 sqq. et tabl. LXIX, ubi adnotat. « la procession des idoles est décrite tout au long par Jérémie comme s'il avait eu notre bas-relief sous les yeux ». *Eandem* sculpturam desumtam ex *Layard* Monuments of Nineveh I. p. 65 exhibet *Fillion* Atlas archéol. Pl. XCI. 15. Cfr etiam *Menant* Babylon et la Chaldée, Paris 1875. p. 230 sq. — Ieremias in uno ex suis itineribus in Chaldaeam (*Ierem.* 13,1 sqq.) cultum Chaldaeorum oculis suis spectare potuerat.

11. 2 *Mach.* 2,2. « Ieremias... dedit illis legem, ne obliviscerentur praecepta et *ut non exerrarent mentibus videntes simulacra aurea et argentea et ornamenta eorum* ».

### Quaestio II. — De Prophetia Baruch (Bar. 1-5).

271. — *Baruch* (Benedictus), cui libellus noster inscribitur, filius fuit Neriae filii Maasiae atque proin frater Saraiae, qui cum rege Sedecia Babylonem profecturus secum deferre iussus est vaticinium Ieremiae contra Chaldaeos, ut eo in Euphratem deiecto certum fore Babylonis interitum significaret (*Ierem.* 51,59 sqq.). Intimiore autem, quam frater eius, vinculo Baruch prophetae erat coniunctus, cuius individuus et fidelis erat minister. Iam a. 4. Ioakim Ieremias vaticinia sua minacia de Iuda et Israel colligere et scribere iussus illa discipulo suo Baruch dictavit; qui nullo periculo perterritus ea publice coram toto populo in templo atque privatim principibus praelegit, eadem quoque, postquam rex prius volumen combussit, altera vice ex ore Ieremiae conscripsit (*Ierem.* 36.). Una cum magistro irae regis fuga sese eripere coactus tantam calamitatem et laborem suum, quem irritum esse putavit, aegre tulisse videtur, sed speciali vaticinio eum consolatus est Deus (*Ierem.* 45.); atque ab eo tempore semper eum cum propheta invenimus. Quando propheta tempore obsidionis urbis in carcerem iniectus agrum emit, ut symbolica actione futurum populi reditum ex captivitate significaret, adfuit Baruch atque tabulas emtionis custodiendas accepit (*Ierem.* 32,6 sqq.)[1]. Post ultimum urbis excidium cum Ieremia a Chaldaeis liber dimissus in Palaestina remansit; tanta autem eius erat cum propheta familiaritas, ut Iudaei a propheta moniti, ne in Aegyptum fugerent, consilium illud Barucho attribuerent atque utrumque secum in Aegyptum abducerent (*Ier.* 43,1-7). Haec de Baruchi vita ex Ieremiae vaticiniis haurimus; ex nostro libello pauca addere licet. Anno 5. post urbis destructionem Baruch fuit in Babylonia (*Bar.* 1,1 sqq.) probabiliter a Ieremia missus, quem etiam absentem exsulum in captivitate degentium semper memorem fuisse eosque consolari et exhortari non cessasse, vaticinia eius docent (cfr *Ierem.* 29.). In Babylonia librum nostrum captivo regi Iechoniae magnaeque exsulum congregationi praelegit, quibus tantopere placuit, ut illum fratribus in Ierusalem relictis transmittendum censerent. Collectis igitur pecuniis vasisque nonnullis argenteis, quae in templi usum Sedecias fecerat, redemtis miserunt Baruch ipsum, ut haec omnia Ierosolyma deferret atque librum

suum in templi destructi ruinis diebus sollemnibus praelegendum curaret (*Bar.* 1,3-14). Alia certa de eius vita non sunt tradita; verisimilitudine tamen non caret traditio rabbinica, eum ex hoc itinere babylonico in Aegyptum ad magistrum suum esse reversum, sed postea una cum eodem a Nabuchodonosor (a. 578.) in Chaldaeam esse reductum ibique mortuum[2].

ARGUMENTUM libelli est consolatorium. Deum quidem peccata Israelis gravissimis calamitatibus punivisse docet, at eundem poenitentia populi et fidelitate in Lege observanda placatum iri pristinasque suas promissiones esse impleturum. Duplici autem parte argumentum hoc ita explicatur, ut post introductionem (1,1-14) populus humili confessione peccata sua velut iustam calamitatum causam detestatus spem restitutionis exprimat eamque ardenti precatione accelerare studeat (1,15-3,8), in altera propheta veram sapientiam, quae in Lege contineatur, tamquam viam salutis celebret eamque ingredientibus salutem promittat (3,9-5,9)[3]. Accuratiorem idearum nexum brevi ANALYSI exponemus.

INTRODUCTIO (1,1-14) praeter inscriptionem (1,1. 2) duo continet:

1. narrationem, qua auctor refert libro Baruch praelecto Iechoniam reliquosque exsules pecunias sacrificiis in domo Dei offerendis destinatas collegisse easque cum vasis nonnullis sacris per Baruch Iudaeis palaestinensibus transmisisse (1,3-8);
2. epistolam exsulum, qua donorum suorum fine explicato rogant, ut pro Nabuchodonosor eiusque filio Baltassar oretur atque liber, quem transmittunt, publice in domo Dei statis diebus praelegatur (1,9-14).

PARS PRIOR (1,5-3,8) *populi poenitentis precationem exhibet.*

1. Quae inchoatur confessione peccatorum inde a mosaico tempore non obstantibus prophetarum monitis commissorum (1,15-22), quibus Deus terribilem poenam a Moyse praedictam de populo non emendato sumere coactus sit (2,1-10);
2. transit ad divinae misericordiae implorationem pro motivis adducens peccati agnitionem (2,11-13), divini nominis honorem (2,14-16), dolorem de peccatis conceptum (2,17-20).
3. Iustitiam quoque poenae profitentur (2,21-26), at si ita impletae sunt minae a Moyse iam annuntiatae (2,27-29), sperant quoque fore, ut impleantur promissiones, quae poenitentibus sunt propositae (2,20-35).
4. Qua spe nixus populus ferventer orat, ut pristinorum peccatorum oblitus Deus praesentem poenitentiam respiciat (3,1-8).

PARS ALTERA (3,9-5,9) *prophetae exhortationem continet.*

1. Celebrata vera sapientia, quae in Lege continetur, veram viam salutis monstrat (3,9-4,4).
   a.) Velut exordium praemittit, filios Israel in calamitatem irruisse, quia fontem verae sapientiae reliquerint (3,9-13), unde monet discendum esse, ubi inveniatur sapientia, quae bona omnia affert (3,14).

b.) Non invenitur autem apud divites terrae ac proin thesauris non obtinetur (3,15-21), nec apud sagacissimos populos, ac proin sagacitate non acquiritur (3,22. 23), nec apud gigantes, ac proin potentia ius ad illam recipiendam non praebet (3,24-28); humanis igitur adiumentis non invenitur (3,29-31).

c.) Deus solus omniscius eam cognoscit eamque dedit filiis Israel, ut ipse deinde in terra appareret et cum hominibus conversaretur (3,32-38).

d.) Sapientia autem haec in Lege continetur, quae igitur utpote via ad salutem amplectenda et diligenter retinenda est (4,1-4).

2. Qua via monstrata exsules ad fiduciam exhortatur; Israel enim, sicut a sapientia recedens in calamitatem irruit, ita ad Legem, i. e. ad sapientiam, revertens salutem inveniet (4,5-5,9).

a.) Post brevem praefationem, qua calamitatem, licet sit peccatorum poena, ad interitum et perditionem non esse monet (4,5-8),

b.) introducit Iersusalem ipsam civitates vicinas et filios suos in captivitatem abituros alloquentem. Atque civitatibus quidem luctum suum manifestat de filiis suis ob eorum culpam in captivitatem abductis (4,9-16),

filios autem suos consolatur; se quidem eos adiuvare non posse, sed a Deo, ad quem clamare debeant, venturum esse auxilium et captivitatis finem (4,17-29).

c.) Quae confirmans propheta ipsam Ierusalem consolatur promittens punitionem hostium (4,30-35), reditum filiorum (4,36. 37), novam civitatis gloriam priore maiorem (5,1-9).

Ex analysi tradita UNITAS operis satis opinor elucet; licet utriusque partis forma omnino differat, idem tamen argumentum in utraque tractatur, ut nulla prorsus sit ratio, cur duo diversa scripta in unum volumen coagmentata dicamus[4]. Atque profecto argumenta, quibus duobus diversis auctoribus libellum deberi demonstratur, satis sunt levia[5]. Primum et praecipuum ex linguae dictionisque diversitate desumitur; longe puriorem esse linguam graecam in altera, quam priore in parte, longe sublimiorem vehementioremque alterius partis dictionem. Quae omnia libenter concedimus, sed inepte afferri arbitramur. De lingua statim (272.1) dicemus; hoc loco adnotasse sufficit, pro diversa utriusque partis forma diversam esse dictionem; nam quis in humili viri poenitentis precatione eandem dictionis stylique sublimitatem et vehementiam exspectat, quam in prophetica exhortatione? At in altera parte minus, quam in priore, ad antiquiores libros respici aiunt; se ipsi tamen refutant adversarii nostri, quum in altera Isaiae, in priore Ieremiae vaticinia adhiberi concedant[6]. Tertio demum loco de alexandrina eruditione loquuntur, quae alteram partem alexandrino cuidam auctori deberi demonstret; at alexandrinae eruditionis nullum adest vestigium[7].

1. Num Baruch, id quod asserit *Fl. Iosephus* (Antiqu. X. 9,1), cum Ieremia *captivus* in carcere sit retentus, ex prophetae narratione non elucet; Iosephum autem ex alio fonte narrationem suam hausisse, vix crediderim.

2. Cfr *supra* 260. — Secundum alios rabbinos Baruch cum Ieremia in Aegypto lapidatus est, secundum alios a. 12. post urbis excidium in Babylonia mortuus, secundum alios vitam protraxit usque ad aetatem Esdrae, cuius magister fuisse narratur (Cfr *Reusch* l. c. p. 72). — Baruchi nomine etiam apocrypha aliqua inscribuntur, inter quae praecipua *Apocalypsis Baruch* (syriace et latine edita a *Ceriani* Monumenta sacra et prof. V. 2. p. 113 sqq. et I. 2 p. 73 sqq.; latine tantum a *Fritzsche* Libri apocr. p. 654 sqq.; cfr *Intr. gen.* Ed. 2. p. 227). In eius fine habetur « *epistola ad novem tribus et dimidiam* », quae velut *Baruch epistola prior* in codicibus syriacis nostro libello (« epistolae secundae ») interdum praemittitur; foetus est monachi syriaci; exstat in. *Polygl. Walton.* IV. syriace et latine, syriace tantum in *Lagarde* Libri apocr. syriace. p. 88 sq. Reliqua minoris sunt momenti.

3. Communiorem divisionem a Lyrano indicatam sequimur; cfr *Kilber* (Analys. bibl. I. p. 427 sqq.), *Welte* (Einl. in d. deuterokan. BB. p. 134), *Trochon* (Jérémie p. 389), *Knabenbauer* (Comm. in Dan., Thren., Bar. 1891. p. 443) etc. — *Kaulen* (Einl. Ed. 3. p.374) priorem partem iam a 1,10 inchoat, alii (*Iahn*, *Ackermann*, *Zschokke*) exordium usque ad 3,8 extendere videntur. — Neque desunt qui quatuor sermones propheticos separatos statuunt (1,15-2,35; 3,1-8; 3,9-4,5; 4,6-5, 9. Cfr *Reusch* l. c. p. 53 sqq.), licet eos arcte inter se cohaerere concedant. *Haneberg* (Gesch. d. bibl. Offenb. p. 399 sq.) integrum librum (*Bar.* 1-6) ex quatuor diversis scriptis exortum putat : ex Iudaeorum precatione a. 4. Sedeciae a Baruch conscripta (1,10-2,23), ex Epistola Ieremiae a. 11. Sedeciae composita (6,1-72), ex considerationibus quibusdam a Baruch haud diu post excidium urbis editis (2,24-5,9), ex historica demum introductione, qua Baruch a. 5. post excidium urbis tria prima scripta in unum volumen compegit (1,1-9). De difficultatibus historicis, quibus permotus primam partem (1,10-2,24) iam a. 4. Sedeciae attribuit statim dicemus (272. 2).

4. Ex recentioribus ita censent *Fritzsche* (Handbuch z. d. Apocryphen I. p. 168), *Merx* (in Schenkel Bibellexicon I. p. 377), *Reuss* (Gesch. d. A. T. p. 530 sqq. et 633 sqq.), *Schürer* (Herzog P. R. E. Ed. 2. I. p. 500 et Gesch. des jüdischen Volkes. Leipzig 1886. p. 722), *Cornill* (Einl. Ed. 3. 1896. p. 273) etc.

5. Quare etiam alii protestantici (cfr *Keil* Einl. p. 751) et rationalistici interpretes (*De Wette Schrader* Einl. p. 601; *Vatke* Einl. p. 753) unitatem libelli defendunt. *Davidson* (Introd. III. p. 426) allatis adversariorum argumentis concludit : « We do not see sufficient cause to separate the two parts ot the book between two authors ».

6. Ceterum in altera parte non desunt allusiones ad Ieremiae libros : Cfr 3,12 et *Ier.* 2,13; — 3,16 et *Ier.* 27,1; 28,14; — 3,22. 23 et *Ier.* 49,7; — 4,6 et *Ier.* 4,27; 5,18; — 4,9 sqq. et *Thren.* 1,1 sqq. etc.

7. Argumenta omnia recitavimus a *Fritzsche* l. c. allata, quem *Schürer* l. c. caecus sequitur. Ad eruditionem alexandrinam quod attinet, Fritzsche ipse fatetur, modum, quo sapientia describatur, non esse alexandrinum, ideoque ad tres expressiones recurrit, quibus alexandrina eruditio demonstretur : 3,23, μυθόλογοι; 3,24 ὁ οἶκος τοῦ θεοῦ (= mundus); 4,7 δαιμόνια (= idola, quibus sacrificatur). Sed quid, si eas expressiones graeco interpreti attribuimus? Num forte *Ps.* 95 (96) alexandrino philosopho debetur, quia in alexandrina versione legimus : πάντες οἱ θεοὶ ἐθνῶν δαιμόνια (אלילים)? Num etiam Paulum ab Alexandrinis didicisse dicemus, quae 1 *Cor.* 10,20 scribit? In 3,24 οἶκος τοῦ θεοῦ est coelum, quatenus in eo Deus inhabitat; οἶκος τοῦ θεοῦ autem (coelum) et terra (τόπος τῆς κτήσεως αὐτοῦ) simul constituunt *mundum*. Restat

ergo vox μυθόλογοι, quae cui hebr. voci responderit ignoramus quidem, sed non magis *auctoris* scientiam alexandrinam probat, quam similes S. Hier. locutiones (*Is.* 13, 22 sirenes; *Ier.* 50,39 fauni; *Ezech.* 8,14 Adonis) probant, *prophetis* latinam vel graecam mythologiam notam fuisse.

272. — A quo AUCTORE et quo *tempore* opus nostrum sit conscriptum, inscriptio disertis verbis docet : « Haec sunt verba libelli, quae scripsit *Baruch*, filius Neriae .. in a. 5... postquam ceperant Chaldaei Ierusalem eamque combusserant igne » (1,1.2). Cur enim Barucho scribae tantum partes attribuamus eumque dictante Ieremia haec literis mandasse cum antiquioribus interpretibus nonnullis dicamus, nulla prorsus adest ratio[1]; quin vero annus 5. ab ultimo civitatis excidio sit numerandus, non potest esse dubium, siquidem nec in prima expugnatione, quando a. 4. Ioakim Daniel cum primis captivis abductus est, nec in secunda, quando Iechonias cum omnibus magnatibus et thesauris templi regiique palatii transportatus est, civitas sancta incendio est deleta. Multo minus autem in prioribus illis expugnationibus factum est, quod refert *Bar.* 2,2 sq. Dominum super Ierusalem adduxisse mala, quae non sunt facta sub coelo, « ut manducaret homo carnes filii sui et carnes filiae suae »; at similia de tertia expugnatione conqueritur Ieremias in *Thren.* 2,20; 4,10[2].

Attamen omni auctoritate testimonium inscriptionis destitui asserunt tantum non omnes acatholici[3], ex quibus nonnulli libellum nostrum iniquissimo modo diiudicant[4]. Si vero interrogaveris, cui tandem auctori vel cui tempori adscribendus sit, de auctore nihil definiri posse tibi respondebunt, nisi Barucho opusculum immerito adscribi; de tempore autem adversarii inter se dissentiunt; alii enim de ultima regni persici periodo, alii de primorum Ptolemaeorum aetate, alii de machabaico tempore loquuntur, alii demum definiunt exeunte 1. saec. p. Chr., postquam Titus Ierusalem et templum delevit, libellum esse conscriptum; Pseudo Baruch enim contribulibus suis persuadere voluisse, urbis destructionem esse iustam poenam, quia Iudaei Vespasiano et Tito (Nabuchodonosori filioque eius Baltassar) obedientiam praestare noluerint[5]. Pro variis, quas defendunt, sententiis varia quidem argumenta afferunt adversarii, sed ad tres classes omnes reducimus : alia enim desumuntur ex graeca lingua, quam primigeniam libelli esse nonnulli asserunt; alia ex erroribus historicis, quos in eo inveniunt omnes; alia ex nonnullis textibus, qui aut ex graeca Ieremiae versione aut ex libris Nehemiae et Danielis transcripti dicuntur. De singulis pauca.

1. Mirum est, quanta sit adversariorum discordia, si de lingua primigenia libelli nostri quaestio agitatur; alii integrum librum hebraice esse conscriptum defendunt (*Ewald, De Wette, Davidson, Kneucker* etc.), alii saltem prioris partis (1,1-3,8) hebraicam originem agnoscunt (*Fritzsche*, *Schürer*), alii

integri libri primigeniam linguam esse graecam mordicus tenent (*Hävernick, Keil*). Res tamen satis clara est. Licet enim *S. Hieronymus* librum Baruch hebraice reperiri neget[6] atque hodie textus eius hebraicus revera desideretur, olim eum exstitisse et a Iudaeis esse adhibitum certum est. Urgere nolumus Origenis et S. Epiphanii testimonia, qui quum librum nostrum inter Iudaeorum palaestinensium libros canonicos viginti duos recenseant, certe eius textum hebraicum cognoverunt, neque testimonium *Constit. Apost.*, quae Iudaeos quotannis die 10. mensis Gorpiaei vastitatem a Nabuchodonosor inductam Threnis Ieremiae et libello Baruch plangere asserunt[7]; nam certius nobis praesto est argumentum. Origenes enim in suis Hexaplis *integrum* libellum Baruch obelis et asteriscis suis distinxit, quibus quae abundabant quaeve deficiebant in recensione graeca cum hebraico textu comparata indicaret. Cuius rei testes sunt codices superstites, inter quos syrohexaplaris Mediolanensis ter adnotat : « hoc positum non est in hebraeo » atque alicubi etiam Theodotionis versionem diversam adscribit[8]. Cui testimonio, quo res extra omne prudens dubium ponitur, confirmationis gratia addi oportet innumeros hebraismos nonnullaque menda, quae interpreti graeco hebraicum textum aut non satis intelligenti aut perverse legenti attribuenda sunt[9].

Longe frequentiores in priore (1,1-3,8), quam in altera parte durioresque esse hebraismos ultro fatemur, immerito autem inde concludi censemus, alteram graece esse conscriptam; alia enim ratione differentia haec facilius et rectius explicatur. Etenim prior pars integra fere populi poenitentis precatione constat, qua teste auctore Constit. Apost. in synagogis quotannis excidium urbis plangebatur; in usum igitur liturgicum transiit; quare fieri facile potuit, ut interpres in liturgica hac oratione vertenda a textu hebraico longius recedere religioni sibi duceret, in altera autem parte stylo et ingenio indulgeret? Praeterea probabile est, in synagogis aegyptiacis iam primitus precationem illam graece esse recitatam, atque translationem illam primitivam, quae antea ore erat tradita, ab interprete integri libri partim esse receptam. Adde duas partes, id quod iam adnotavimus, toto argumento suo intime inter se cohaerere unumque opus constituere; quare si prior pars hebraice conscripta esse conceditur, alterius partis hebraica origo negari nequit. Ceterum signis diacriticis Originis, quibus *integer* libellus in codicibus hexaplaribus distinguitur, quaestio est definita.

1. Cfr de hac quaestione *Lansell.* In Bar. 1,1. Praecipua ratio eorum, qui Ieremiae auctori libellum attribuerunt, fuit nonnullorum Patrum mos, qui eius verba sub Ieremiae nomine citaverunt, scilicet quia in eorum codicibus cum vaticiniis Ieremiae erat coniunctus.

2. *Maldonat.* (In Bar. 1,1), *Malvenda* (In Bar. 1.2), *Calmet.* (Proleg. in Bar.), *Haneberg* (Gesch. d. bibl. Offenb. p. 399 sqq.) aliique nonnulli annum 5. numerant a transportatione Iechoniae censentque Baruch una cum Seraia fratre suo regem Sedeciam a. 4. regni eius in Babyloniam esse comitatum (cfr *Ierem.* 51,59) illa praesertim ratione permoti, quod templum et altare adhuc exstare supponantur (*Bar.* 1,10), de qua difficultate statim dicemus.

3. Excipiendi sunt Anglicanus *G. Whiston* (A dissertation to prove the apocryphal

book of Baruch canonical. London 1727.), Calvinista *C. F. Moulinié* (Notice sur les livres apocryphes de l'A. T. Genève 1828. p. 78 sqq.), Iudaeus *L. Herzfeld* (Geschichte Jisrael's. Braunschweig 1847. I. p. 317 sqq.), qui etsi Barucho auctori librum neget, satis prope tamen ad veram sententiam accedit. Optimis enim libris in exsilio scriptis libellum nostrum adnumerat, censet autem ab anonymo exsule tres particulas (1, 15-3,8; 3,9-4,36; 5,1-9) esse compositas easque exsilio finito ab alio anonymo addita praefatione (1,1-15) in unum volumen esse compactas. Quae sententia unitate libri iam refutatur, at satis demonstrat nihil in libello inveniri, quod ab adversariis recentiori aetati iure attribuatur.

4. Nonnulla testimonia collegit *Reusch* l. c. p. 57; *Lutherus* tam vilem habuit libellum, ut Barucho Ieremiae ministro prorsus sit indignus : « Sehr gering ist dieses Buch, wer auch der gute Baruch ist; denn es ist nicht glaublich, dass Ieremiae Diener, der auch Baruch heisst, nicht sollte höher u. reicher im Geiste sein, denn dieser Baruch ist «. Iniquius *Keerl* (die Apocryphen p. 69) : « Die Schrift ist das elende Machwerk eines unwissenden Betrügers » Ceterum plerique moderni interpretes acatholici aequius iudicant.

5. Aetati regis Artaxerxis Ochi libellum attribuit *Ewald*, qui postea sententia sua mutata solam priorem partem persicae, alteram macedonicae aetati dedit. A quo recedit *Davidson* (Introd. III. p. 428) hebraicum textum circa a. 300., graecum circa a. 150 exortum asserens; *Reuss* (Gesch. d. A. T. p. 530 sqq. 633 sq.) priorem partem tempori duorum priorum Ptolemaeorum, alteram saec. 1. a. Chr. attribuit; *Fritzsche* (l. c. p. 173), *Keil* (Einl p. 753), *De Wette Schrader* (Einl. p. 602), *Vatke* (Einl. p. 753) etc. tempus accurate definiri non posse consentientes libellum saeculo 1. a. Chr. aut. ineunti saec. 2. adscribunt; *Hitzig* (Zeitschr. für wissenschaftl. Theol. 1860. p. 262 sqq.), *Kneucker* (D. B. Baruch; Geschichte u. Kritik etc. Leipzig 1879.), *Schürer* (Gesch. des jüd. Volkes. p. 723), *Cornill* (Einl. Ed. 3. p. 273 sq.) demum detexerunt, librum versus finem saec. 1 *post* Chr. esse scriptum.

6. *S. Hieron* Comm. in Ierem. Prol. (M. 24,706) : « Libellum Baruch, qui vulgo editioni Septuaginta copulatur *nec habetur apud Hebraeos*... nequaquam censui disserendum »; cfr etiam Praef. in Ierem.

7. *Orig.* In Ps. 1 (M. 12,1084) recensens libros « *iuxta Hebraeos* » *additis hebraicis eorum nominibus* : Ἱερεμία σὺν Θρήνοις καὶ τῇ ἐπιστολῇ ἐν ἑνί Ἱερεμία. Dubitari potest, utrum ἡ ἐπιστολή sit solum Bar. 6., an integer liber Bar.; si prius admittendum est, quum Epistola Ieremiae vix unquam sola inveniatur, concedatur necesse est, libellum Baruch nomine Ἱερεμίας comprehendi, siquidem in multis graecis codicibus libellus vaticiniis Ieremiae adnectitur et Threnis ab Epistola Ieremiae separatur. Clarius *S. Epiphan.* haer. 8,6 (M. 41,214) etiam libros viginti duos (vel septem) enumerans, quos Iudaei post exsilium babylonicum possederint : τὸν προφήτην Ἱερεμίαν μετὰ τῶν Θρήνων καὶ Ἐπιστολῶν αὐτοῦ τε καὶ τοῦ Βαρούχ. Mirum quod *Keil* (l. c.) et *De Wette* (l. c.) hoc testimonio omisso solum illud afferant ex De pond. et mens. 5 (M. 43,245), ubi epistolas ab Hebraeis admitti negat. — *Constit. Apost.* V. 20 (M. 1,896).

8. Cfr *Ceriani* Monumenta sacra et profana I. 1. p. 15. 138 etc.

9. Non sine ratione *Davidson* (l. c. p. 427) irridet « durum laborem », quo Hävernick et Keil omnes hebraismos removere studuerint. Longum exemplorum catalogum exhibet *Welte* (l. c. p. 135 sqq.); nos pauca adscribemus, quae *Reusch* (l. c. p. 73) recte censet explicari non posse nisi ad textum hebraicum recurratur : ὡς ἡ ἡμέρα αὕτη (1,20; 2,6. 11. 26) = כַּיּוֹם הַזֶּה, « sicut est hodie »; — ὧν ἡμάρτομεν (1,17) = אֲשֶׁר חָטָאנוּ, « *qui* peccavimus »; — ἐργάζεσθαι (1,22; 2,21. 22. 24) = servire, quia עבד, *operari* et *servire*; — καταβάλλομεν τὸν ἔλεον ἡμῶν κατὰ πρόσωπόν σου (2,19), ubi

ἔλεός respondet hebr. תְּחִנָּה, quae vox *misericordiam* et *precationem* significat : « proiicimus precationem nostram coram te » etc. Ex altera parte 4,20 σάκκος τῆς δεήσεως, ubi δέησις = עֱנוּת, *afflictio* (cfr *Ps*. 21. [22], 5); — 4, 15 ὅτι pro οἵ non recte translato hebr. אֲשֶׁר; 3,23 μεῤῥάν videtur exortum ex vocabulo מדן vel מדין non recte lecto; cfr etiam 3,11. 30. 31. 33. 35; 4,5. 9. 14 etc.

2. Non defuerunt neque desunt acatholici interpretes, qui ad libri authentiam impugnandam Baruchum a. 5. post urbis destructionem in Babyloniam venire aut coram Iechonia captivo librum suum legere potuisse negant; at prudentiores has difficultates merito omittunt, quum evidens sit nihil obstare, quominus Baruch a. 1. vel 2. post destructionem urbis cum Ieremia in Aegyptum profectus a magistro suo quatuor vel tribus annis postea ad consolandos et exhortandos exsules in Babyloniam sit missus ibique etiam coram Iechonia, cuius captivitas, quum se ipse in manus Chaldaeorum dedisset, non admodum erat dura, librum suum legerit.

« At, inquit *Keil*, etsi haec demus, tota tamen narratio contra historicam veritatem peccat : etenim Ioakim summus pontifex fuisse dicitur (1,7), vasa sacra argentea, quae Sedecias fecerat et Nabuchodonosor asportaverat, Iudaeis asseruntur esse restituta (1,8), Baltassar vocatur filius Nabuchodonosor (1,11 sq.) » [10]. — Tanti viri tamen pace « *summum pontificem* » (Hoherpriester) vocari Ioakim negaverim; vocatur enim ὁ ἱερεύς, quatenus nimirum eo tempore, quo Iosedec, qui iure haereditatis summum sacerdotium tenuit, in captivitate erat, parvae Iudaeorum communitati, quae in Ierusalem iterum sese formaverat, praeerat et inter alios sacerdotes vices summi sacerdotis videtur gessisse; ex eius genealogia scilicet non immerito colligitur, eum ex summi sacerdotis familia fuisse [11]. — Porro quam difficultatem creent vasa sacra argentea in Iudaeam reportata (1,8), non videmus, nisi quis Sedeciam eiusmodi vasa fecisse cum effrenatis rationalistis negaverit [12]. Res enim satis clara videtur esse. Primis duabus civitatis expugnationibus Nabuchodonosor pretiosiora vasa aurea templi abstulerat et idolis suis consecraverat (*Dan*. 1,2; 2 *Paral*. 36,7; 4 *Reg*. 24,11 sqq.); quare Sedecias, ne cultus templi interrumperetur, pro aureis argentea vasa conficienda curavit. Quae in tertia expugnatione etiam ablata quidem sunt, sed ob vilitatem suam in idolorum templis non collocata, ita ut Iudaei in Babylonia degentes ea redimere et Ierosolyma remittere potuerint; a Cyro demum restituta sunt vasa aurea, « quae posuerat Nabuchodonosor in templo dei sui » (1. *Esdr*. 1,7). Optime igitur omnia conciliantur nec difficultati est locus. — Tertiam obiectionem de Baltassar filio Nabuchodonosor saltem Keil afferre non debuit, quippe qui, ut *Dan*. 5. contra rationalistarum difficultates defendat, fuse ostendere conatur, Evilmerodach, filium et successorem Nabuchodonosor, alio nomine vocatum esse Baltassar [13].

« Sed auctor, inquit, sibi ipse contradicit, quia Ierosolymis destructis templum, altare, cultum perdurasse supponit (1,10. 14), et vix 5. anno post urbem deletam iam populum dicit παλαιωθῆναι ἐν γῇ ἀλλοτρίᾳ » (3,10) [14]. — Prior difficultas facile solvitur allatis *Ier*. 41,5 et 1 *Esdr*. 2,68, quibus ex textibus apparet a.) etiam ruinas templi destructi vocatas esse « domum

Domini » eadem ratione, qua *Bar.* 1,10. 14; b.) etiam post destructum templum in eius ruinis sacrificia non plane cessasse, ac proin ibi altare adfuisse. Nam viri Sichemitae venerunt « munera (מִנְחָה, sacrificia incruenta) et thus habentes in manu, ut offerrent in domo Domini » (*Ier.* 41,5). Quod si Keil (l. c.) monet, aliud esse « dona afferre ad domum Domini » et aliud « ἀναφέρειν ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον », id nequaquam negamus, sed in memoriam illi revocamus ea, quae ipse ad *Ierem.* 41,5 adnotavit, saltem incruenta sacrificia etiam post templi destructionem in eius ruinis oblata esse, illumque interrogamus, quo argumento demonstrare velit, cruenta non esse oblata, quoniam ipse dubitet, an voluntaria sacrificia incruenta sine cruentis unquam offerre licuerit [15]. — Altera obiectio adversario nostro parum videtur esse digna, quum ignorare nequeat, in alexandrina versione verbum παλαιοῦσθαι hebraico בִּלָּה (*emarcuit*) respondere neque proin longum temporis spatium supponere; Ieremias brevi post destructionem iam conqueritur : ἐπαλαίωσε (בִּלָּה) τὰς σάρκας μου (*Thren.* 3,4) [16].

3. Tertio demum loco obiicitur in nostro libro graecam Ieremiae versionem esse adhibitam et nonnullos textus ex Danielis et Nehemiae libris esse desumtos [17]. — Ad primum assertum quod attinet, distinctione opus est. Praeprimis libelli nostri auctorem in multis prope ad Ieremiam accedere et nonnulla ex Ieremiae vaticiniis desumsisse non tantum non negamus, sed asserimus, quoniam sententiam nostram, Baruchum Ieremiae discipulum opusculi auctorem esse, non parum corroborat [18]. Graecum quoque libelli nostri interpretem cognovisse graecam vaticiniorum versionem non diffitemur, immo non videmus rationem, cur eundem esse et Ieremiae et Baruchi interpretem negemus. Quibus concessis auctorem ipsum adhibuisse graecam Ieremiae versionem negamus, neque ullo argumento id demonstrari posse evidens est; adversarius noster graecam esse libelli originem erronee supponit. — Alterum quoque obiectionis assertum negamus; licet enim magna similitudo sit inter *Bar.* 1,15-18 et *Dan.* 9,7. 8, 10; *Bar.* 1,20 sq. et *Dan.* 9,11. 14; *Bar.* 2,1 sq. et *Dan.* 9,12 sq.; *Bar.* 2,7-17 et *Dan.* 9,13. 15-18, immerito concluditur, Baruchum haec ex Daniele desumsisse, sed rectius asserimus, Danielem haec a Barucho esse mutuatum. Scilicet prior pars est precatio populi poenitentis, quae a Baruch a. 5. post urbis destructionem composita et publice coram Iechonia populoque lecta atque Ierosolyma transmissa, ut in templi ruinis diebus festivis recitaretur, Danieli incognita non fuit; quid ergo mirum, si Daniel lecto Ieremiae volumine (*Dan.* 9,2). in quo forte iam tum temporis etiam Baruchi prophetia continebatur, iisdem verbis finem exsilii a Deo exorat, quibus iam a multis annis integer populus ad divinam misericordiam implorandam usus est. Immo vero quum in oratione, qua 2 *Esdr.* 9,6 sqq. populus Dei misericordiam implorat, nonnullae (etsi rariores) allusiones ad Baruchi precationem inveniantur [19], maiore cum iure concludimus, illam in usum quotidianum populi transisse atque Danielem eius verba usurpasse.

10. *Keil* Einleitung p. 752, cuius obiectiones, utpote recentiores, describendas duximus; ceterum eaedem fere proferuntur a *Fritzsche* (l. c. p. 169 sq.), *Davidson*

(Introd. III. p. 429), *De Wette Schrader* (Einl. p. 602) aliisque acatholicis interpretibus.

11. Cfr genealogiam Ioakim *Bar.* 1,7 cum I *Paral.* 6,13 (5,39).

12. Inter quos ex. gr. *Fritzsche* l. c. p. 179 asseverare audet : « Zedekia liess keine silbernen Geräthschaften machen; es ist Verwechslung mit Salomo; s. I Reg. 14,26 sq. » — Fritzsche ipse permutat Salomonem eiusque filium Roboam, de quo 3 *Reg.* 14,26 sq.; utique ibi non agitur de *vasis sacris* in usum templi, sed de *scutis*, nec de novis vasis *argenteis*, sed de novis scutis *aereis*; nihilominus Fritzschio credere tenemur, auctorem nostrum ex isto loco didicisse, Sedeciam fecisse vasa argentea pro aureis!!

13. *Keil* Einl. p. 422 sq.; *eiusdem* Comm. ü. d. Proph. Daniel p. 135-148. — Alii censent, Baltassarem *Bar.* 1,11 et *Dan.* 5. non *filium*, sed *nepotem* Nabuchodonosori ex eiusdem filia fuisse, nimirum Nabonidi, ultimi regis Babyloniae, filium, cuius nomen Baltassar in inscriptionibus cuneiformibus legitur (cfr *Vigouroux* La Bible et les découvertes modernes IV. p. 453-481; *Schrader* Keilinschr. u. A. T. p. 433 sq. etc.). Nihil obstare censemus, quominus *Dan.* 5. ille Nabonidi filius intelligatur, quin etiam si id admittitur, relatio prophetae monumentis profanis haud parum confirmatur; at *Bar.* 1,11 Baltassar filius Nabuchodonosor stricto sensu intelligatur oportet. Quomodo enim Baruch (« orate pro Nabuchodonosor rege et pro Baltassar filio eius ») Evilmerodach, qui patri in throno successurus erat, nomen omittere eiusque in locum nomen nepotis substituere potuit, qui quum per matrem dumtaxat a Nabuchodonosor descenderet, ius ad thronum non habuit? Praeterea a. 5. post destructionem Ierusalem (a. 581) Baltassar, filius Nabonidi, nondum erat natus; iuvenis enim erat, quando Cyrus Babyloniam expugnavit. Cfr *infra* 284. p. 469 sq.

14. *Keil* Einl. p. 752; *Davidson* l. c.

15. *Keil* Comm. ü. d. Proph. Jeremia p. 405; *eiusdem* Archaeologie I. p. 215. — Ceterum eiusmodi sacrificia incruenta voluntaria fuisse licita demonstrat *Haneberg* Relig. Alterthümer Ed. 2. p. 421, at id non obest argumento nostro.

16. Ab antiquioribus acatholicis aliae quoque historicae difficultates allatae sunt, quas a *Goldhagen* (Introd. II. p. 442 sqq.), *Welte* (Einl. in d. deuterokan. BB. p. 147 sqq.) aliisque refutatas omittimus, quoniam recentiores ab iis afferendis abstinent.

17. *Keil* Einl. p. 752 sq.; *De Wette Schrader* p. 602 sq. etc. Keil, qui graecam libri nostri originem admittit, consonantiam eius cum graeco Ieremia maxime urget; rationalistae autem, qui Danielis librum non nisi tempore machabaico exortum esse asserunt, alteram difficultatem magis premunt.

18. Cfr ex gr. *Bar.* 1.12; 2,21 et *Ier.* 29,7; — 2,3 et *Ier.* 19,19; *Thren.* 4,10; — 2,9 et *Ier.* 44,27; — 2,23 et *Ier.* 7,34; 25,10; — 2,24 et *Ier.* 8,1; — 2,31 et *Ierem* 24,7 etc. Aliqua exempla alterius partis *supra* 271. n. 6 p. 419 attulimus.

19. Allusiones ad 2 *Esdr.* non citantur, nisi *Bar.* 1,16 et 2 *Esdr.* 9,32; — 2,11 et 2 *Esdr.* 9,10.

### Quaestio III. — De Prophetiae Baruch et de Epistolae Ieremiae canonicitate.

273. — Quoniam nec Baruchi libellus nec Epistola Ieremiae in hodierno canone Iudaeorum habentur, Protestantes quoque eos inter apocrypha scripta amandarunt, hac in re aeque parum cum antiqua synagoga atque cum antiqua Ecclesia consentientes. Quemadmodum diximus, Daniel in sua oratione ita sequitur priorem libelli Bar. partem, ut eius verba omnino sua faciat (*Dan.* 9); Iudas Mach. autem et synedrium

ierosolymitanum in sua epistola ad Iudaeos alexandrinos Epistolam Ieremiae pro auctoritate allegant (2 *Mach.* 2,2); quin in alexandrinorum Iudaeorum bibliis et libellus et Epistola fuerint, nemo dubitaverit. Hinc iam elucet, quanto in honore antiqua synagoga utrumque scriptum habuerit, atque vix opus est testimonia Origenis, Constit. Apost., S. Epiphanii in memoriam revocare, quibus illa in canone iudaico olim fuisse ostendimus (272. n. 7). Multo frequentiora sunt testimonia, quibus Ecclesiae fides de eorum canonicitate demonstratur; inter quinque primorum saeculorum Patres plus *triginta* sunt, qui *Bar.* 3,36-38 aut sub eius nomine, aut sub nomine Ieremiae, aut nomine suppresso velut textum Scripturae allegant[1]. Primus inter illos est medio saec. 2. *S. Athenagoras*, qui in sua « Legatione pro Christianis » verba illa affert tamquam unius ex prophetis, « οἳ κατ' ἔκστασιν τῶν ἐν αὐτοῖς λογισμῶν, κινήσαντος αὐτοὺς τοῦ θείου Πνεύματος, ἃ ἐνεργοῦντο ἐξεφώνησαν, atque Baruchi verbis adnectit duas sententias Isaiae (41,4; 45,5). Eodem saeculo exeunte *S. Irenaeus* integram orationem, qua propheta Ierosolymis reditum filiorum novamque priore maiorem gloriam promittit (*Bar.* 4,39-5,9), sub nomine Ieremiae allegat. Eadem ratione *Clemens Alex.* quatuor textus Baruchi interdum tamquam Ieremiae, interdum tamquam divinae Scripturae (ἡ θεία λέγει γραφή) verba profert. Teste *S. Hippolyto* Noetus exeunte saec. 2. iam verbis *Bar.* 3,36 sqq. abusus est, ut suam haeresin stabiliret; S. Martyr autem non negato sed explicato Baruchi testimonio eum refutavit[2]. Attamen antiquissima haec testimonia sufficiunt, quoniam inde a S. Irenaei tempore librum frequenter pro auctoritate a Patribus afferri adversarii concedunt[3].

Epistola Ieremiae rarius quidem, quam Prophetia Bar., a Patribus allegatur; neque id est mirum, siquidem Christianis instruendis et haereticis refutandis argumentum eius parum est adaptatum. Attamen exeunte saec. 2. et ineunte saec. 3. *Tertullianus* et *S. Cyprianus* eam addito Ieremiae nomine pro auctoritate afferunt, aetate autem Constantini M. *Firmicus Maternus* in suo opere « de errore profanarum religionum » integram fere epistolam transcripsit. Eodem tempore *SS. Athanasius* et *Cyrillus Ieros.* canonem suarum ecclesiarum describentes enumerant « Ἱερεμίας καὶ σὺν αὐτῷ Βαροὺχ, Θρῆνοι, Ἐπιστολή »[4]; in catalogis latinae Ecclesiae omitti solet, quia cum Baruch erat coniuncta.

1. Longa serie eos enumerat *P. Tailhan* in *Kilber* Analysis bibl. (Paris 1856) I. p. 428; — textus patristicos, quibus Prophetiae et Epistolae usus ecclesiasticus demonstratur, diligenter collegit *Reusch* Erkl. d. B. Baruch p. 3-21.

2. *S. Athenag.* Legatio pro Christ. 9 (M. 6,908); *S. Iren.* c. haer. Y : 37 (M. 7, 1219); *Clem. Alex.* Paed. I. 10 (*Bar.* 4,4 et 3,913); II. 3 (*Bar.* 3,16-19) (M. 8,357. 359. 360. 436): *S. Hippol.* c. Noet. 2. 5. (M. 10,805. 809 sq.).

3. *Fritzsche* (l. c. p 174) : « Seit Irenaeus wird es von griech. u. latein. Vätern

besonders wegen 3,35-37 ausserordentlich häufig citirt »; *Keil* (Einl. p. 755) : « Das Buch wird seit Irenaeus von den griech. u. latein. Kirchenvätern oft angeführt »; *Davidson* (Introd. III. p. 430). « From the position it occupied in the LXX, before or after the Lamentations, it was usually considered an appendix to Jeremiah, and was treated very much in the same way, having equal authority assigned with that book... It is unnecessary to say that the terms thus applied to the work by the Fathers cannot be weakened or nullified by any perfunctory remark about *their general sense*. The epithets *divine Scripture* and *the Holy Spirit teaching* etc. are sufficiently specific to prevent Protestants from explaining them away ». Nihilominus *Fritzsche* l. c. non dubitat addere : « Die Protestanten haben es mit Recht (quo cum iure?) unter die Apocryphen gestellt », concedit autem : « indessen ist es von ihnen bis in die neueste Zeit herab in der Regel zu geringschätzig beurtheilt worden ».

4. *Tertull.* Scorp. c. Gnost. 8 (M. 2,137); *S. Cypr.* De orat. dom. 5 (M. 4,522); *Firm. Matern.* De error. 29 (M. 12,1044 sq.); *S. Athan.* Ep. fest. 39 (M. 26,1176. 1436); *S. Cyril. Ier.* Cat. IV. 35 (M. 33,500); cfr *Introd. gen.* Diss. I. c. 2. p. 69-122.

## § 12. — *De praecipuis commentariis catholicis in Ieremiae libros et Prophetiam Baruch.*

274. — Inter Patres orientales, qui Ieremiae libris interpretandis operam suam impenderunt, primus iterum est *Origenes*, quem vaticinia quadraginta quinque homiliis, Threnos quinque voluminibus (τόμοις) illustrasse referunt Eusebius et Cassiodorus[1]. Quatuordecim ex homiliis origenianis S. Hieronymus latine reddiderat; quae omnes nobis latine sunt conservatae atque duodecim ex iis etiam graece cum septem aliis, quas Hieronymus non verterat. Ex catenis praeterea excerpta sunt satis multa fragmenta Scholiorum et Commentariorum, quibus Origenes Vaticinia et Lamentationes explicaverat[2]. *Eusebius Caes.* in suis Eclogis propheticis pauca admodum ex Ieremiae Vaticiniis, pauciora ex Threnis et Baruch attigit; *S. Chrysostomi* autem una dumtaxat exstat homilia in Ieremiae textum quendam (10,23), qua liberi arbitrii adversarios perstringit; paucissima quoque nobis supersunt *S. Cyrilli Alex.* fragmenta[3]. *S. Ephraem* pro more suo breviter sensum literalem maxime sectatus est in Vaticiniis Ieremiae commentandis; scholia eius in Threnos in Severi Edesseni catena nuper inventa et edita sunt. Integrum demum commentarium eumque egregium, in quo etiam solus sensus literalis exhibetur, nobis transmisit *Theodoretus* duodecim tomis, quorum decem priores Vaticinia, undecimus Baruch, duodecimus Threnos complectuntur; orationem tamen Ieremiae (*Thren.* 5) eiusque Epistolam (*Bar.* 6.) praetermisit[4]. Proxime eum secutus est *Olympiodorus* omnia scripta, etiam illa a praedecessore omissa, commentariis instruens, quorum non supersunt nisi fragmenta in catenis conservata, quae concinnavit I. M. Caryophilus Cret[5].

Pauca de Ieremia nobis reliquerunt orientales, pauciora Latini Patres. Inter quos primus, ne dicam solus, nominandus est *S. Hieronymus*, qui

ne ipse quidem integra prophetae nostrae Vaticinia interpretatus est, sed mediam fere eorum partem (*Ier.* 1-32). Si fides est Cassiodoro, S. Doctor viginti libros in Ieremiam exaravit, quorum sex tantum sint conservati[6]; probabilius autem est, eum opus ad finem non perduxisse. Senex enim grandaevus tribus ante mortem annis illud inchoavit et per intervalla tantum, id quod ipse conqueritur, multis curis occupatus et haeresi pelagiana in Oriente reviviscente distentus, dictavit; unde etiam explicatur, cur commentarius hic, qui inter propheticos est ultimus, reliquis sit inferior[7]. Quatuor, quae secuta sunt, saecula in Ieremia explicando nihil praestiterunt, nisi quis notulas illas, quas *S. Paterius* ex magistri sui *S. Gregorii M.* operibus excerpsit, commentariis Ieremiae adnumerare velit. Ineunte autem saec. 9. *Rhabanus Maurus* satis diffusam expositionem super Ieremiae Vaticinia et Threnos edidit, in priore parte « ea quae a B. Hieronymo edita sunt, per singula loca disponens interpositis etiam aliorum doctorum sententiis, quas de eodem propheta protulerunt », in altera « ex aliorum prophetarum expositionibus hieronymianis excerpens, quae ipse de hoc propheta videbatur commemorasse ». Glossa ordinaria quoque *Walafridi Strabonis* usque ad c. 32. dependet a S. Hieronymo, in reliquis a Rhabano. Baruch ab utroque omittitur[8].

1. *Euseb.* H. E. V. 24 (M. 20,577); *Cassiod.* De inst. div. lit. 3 (M. 70,1114).

2. *Origenis* Homiliae in Ierem. M. 13,255-544; Selecta in Vaticinia. M. 13.545-604; Selecta in Threnos. M. 13,605-662; — S. Hieronymi interpretatio quatuordecim homiliarum inter S. Hier. opera. M. 25,611-724.

3. *Eusebii Caes.* Eclogae proph. I. 33-39. M. 22,1160 sqq.; — *S. Chrysost.* Hom. in Ierem. 10,23. M. 56,153 sqq.; *S. Cyrill. Alex.* fragmenta ex Ghislerii catenis excerpta M. 70,1451-1458.

4. *S. Ephraem* In Ierem. explanatio. Opp. syr. II. 98-162; In Threnos fragment pauca. Ibid. p. 163 sq.; pleniorem scholiorum in Threnos editionem curavit *I. Th. Lamy* (S. Ephr. Hymni et sermones. Mechliniae 1886. II. p. 217-227). S. Ephraemi scholiis adiungimus *Gregorii Barhebraei* Scholia in Ieremiam edid. *Koraen* etc. Upsalae 1852. 3 voll. — *Theodoreti* In divini Ieremiae prophetiam interpretatio. M. 81, 495-806.

5. *Olympiodori* Fragmenta in Ierem. M. 93,627-780. — *Catenam I. Math. Caryophili Cret.* recognitam a Leone Allatio, atque eiusdem catenas in Lamentationes et Baruch ex eiusdem Allatii versione primus edidit *Mich. Ghislerius* in suo commentario (Lugd. 1623.); postea videntur esse solae editae : Catenae graecorum Patrum graece et latine ex versione Leon. Allatii. Lugduni 1628. (cfr *Lelong* Bibl. sacra p. 603).

6. *Cassiod.* De instit. div. lit. 3 : « Ieremiam S. Hieronymus *viginti* libris commentatus esse monstratur, ex quibus sex tantum potuimus invenire ». Eadem ex Cassiod. repetit *Rhab. Maur.* In Ierem. Prol., sed quomodo id « monstretur », non indicant.

7. *S. Hieron.* Commentariorum in Ierem. ll. sex. M. 24,705-936; cfr Prol. in ll. 1. 2. 4. — *Tractatus in Lamentationes Ieremiae* inter opp. S. Hier. editus (M. 25,827-832) ab aliis Ven. Bedae, ab aliis Rhabano Mauro attributus, sed neutro dignus, nihil continet praeter mysticas quasdam annotatiunculas de singulis alphabeti hebr. literis · iuniores tamen interpretes eas repetere solent.

8. *S. Paterii* Expositio super Ierem. M. 79,967-982. — *Rhab. Mauri* Expositionis super Ierem. ll. viginti. M. 111,793-1272. — *Wal. Strabonis* Glossa ordin. in Ierem. M. 114, 9-62.

MEDIA AETATE Ieremiae Threni Vaticiniis frequentius videntur esse explicati. Longam Lamentationum expositionem quinque integris libris ita dedit *Paschasius Radbertus*, ut « non minus ad civitatis ruinam, quam ad Ecclesiae damna et animarum discrimen » eas referret; *Guibertus Abb.* solam tropologiam in iis interpretandis secutus est, *Rupertus Tuit.* vero in suis commentariis in Ierem. proph., in quibus paucissima de Vaticiniis, plurima de Threnis exhibet, ad sensum literalem maiorem attentionem convertit, at *Hugo a S. Vict.*, etsi librum suum inscribat « adnotatiunculas elucidatorias in Threnos secundum multiplicem sensum et *primo secundum literalem* », allegoriis iterum integrum fere locum attribuit duoque sola capita absolvit[9]. Inter *scholasticos interpretes* quoque *S. Bonaventura* et *Ioannes Latheburius*, O. Min., mysticam et tropologicam Threnorum explicationem praetulerunt[10], literalem autem, mystico non plane relicto, *B. Albertus M., Card. Hugo, S. Thomas, Nicol. Lyranus. B. Albertus M.* etiam libellum Baruch, *S. Thomas* vaticinia Ieremiae bonis commentariis illustrarunt; consueto suo more Ieremiae et Baruch libros interpretati sunt *Card. Hugo, Lyranus*, *Dionysius Carth.*[11].

SAECULO 16. sola Ieremiae Vaticinia explicaverunt *Silv. Meucius* et *Andr. Capella,* sola capp. 2-4 Ieremiae *Andr. Masius,* Vaticinia et Threnos *Nat. Taillepied,* omnes tres libros *Ioan. Maldonatus,* solos Threnos *Petr. Nunn. Delgado*, *Hect. Pintus, Ant. Agellius*[12]. Praecedentia tamen tempora fertilitate sua longe superavit prima pars SAECULI 17., sive numerum sive praestantiam commentariorum spectas. Omissis totius Scripturae aut multorum V. T. librorum expositoribus, ex quibus tamen hoc loco mentione speciali dignus est *Thom. Malvenda,* quinquaginta illis annis omnia nostra scripta (Vatic. Thren. Bar.) explicata sunt a *Christophoro de Castro*, *Petr. de Figueiro*, *Christ. Costero, Casp. Sanctio*, quibus addendus *Mich. Ghislerius,* licet non integrum Vaticiniorum librum absolverit[13]. Vaticiniis solis curam suam impendit *Thom. de Beira,* soli cp. 1. vaticiniorum *Ben. Mandina*[14]; solis Threnis *I. B. Navarette*, *Mart. Del Rio*, *Ioannes a Iesu*, *Seb. Costa de Andrada*, *Bald. Iunius*, *Franc. de Lemos*[15]; soli prophetiae Baruch *Laelius Bisciola* et *Petr. Lansellius*[16]. Interroganti, quinam ex his sint praeferendi, respondebimus, copia rerum Mich. Ghislerium omnes superasse nec posse eius opus facile negligi; accurata tamen et diligenti explicatione praestare Sanctium, in Threnis interpretandis Martinum Del Rio et in Baruch Lansellium videri praeferendos. Altera pars saec. 17. et SAECULUM 18., si *Aug. Calmeti* commentarium exceperis, ni-

hil protulerunt, quod praecedentis aetatis commentariis comparari possit; nominari tamen merentur *Modestus a S. Ioan. Evang.*, qui Threnos satis diffuso commentario auxit, et *Lud. de Poix,* qui Ieremiae et Baruch vaticinia gallice explicavit[17].

Nostra aetas antiquis nova quaedam opera addidit. Quaestiones criticas de Ieremiae vaticiniis tractaverunt *F. C. Movers* et *Ant. Scholz;* Vaticinia Threnos Baruch Epistolam gallice *Trochon,* latine *I. Knabenbauer* commentati sunt, Vaticinia et Threnos germanice *L. Schneedorfer*, sola Vaticinia *Ant. Scholz.* Vaticiniorum dispositionem *B. Neteler* haud feliciter explicare conatus est; vaticinia messianica *G. C. Mayer, L. Reinke, I. Bade*, libellum Baruch *F. H. Reusch* egregiis commentariis instruxerunt[18]. De Ieremia eiusque operibus etiam *Emin. Meignan* (Les Prophètes d'Israel. Paris 1892. p. 617-674; 719-746) plenius atque uberius disseruit.

Maior est acatholicorum interpretum numerus; antiquiores enumerat *Carpzov.* Introd. III. p. 170 sqq., 188 sqq. Inter recentiores praestare censemus *C. W. E. Nägelsbach* (Der Proph. Jeremia Bielefeld 1868.; Klagelieder 1868.) et *C. F. Keil* (Bibl. Comm. über d. Proph. Jeremia u. d. Klagelieder Leipzig 1872.); magnae quoque utilitatis est opusculum saepius a nobis allegatum *Aug. Kueper* Ieremias librorum sacr. interpres atque vindex. Berolini 1837. Alios commentatores enumerat *Nägelsbach* Jeremia p. XXI sq., Klagelieder p. XVII, uti etiam *Strack* (Einl. Ed. 4. 1895. p. 208). — Libellum Baruch ab acatholicis neglectum rationalisticis commentariis auxerunt *O. F. Fritzsche* (Kurzgef. exeg. Handb. zu den Apocr. I. Leipzig 1851) et *I. I. Kneucker* (Das B. Baruch. Geschichte und Kritik, Uebersetzg und Erklg. Leipzig 1879).

9. *Paschasii Radberti* In Threnos ll. quinque. M. 120,1059-1256; — *Guiberti Abb.* Tropologiae in Lament. M. 156,451-488; — *Ruperti Tuit.* Comm. in Ierem. M. 167, 1363-1420; — *Hugonis a S. Vict.* Adnotatiunculae M. 175,255-322.

10. *S. Bonaventurae* Opp. Romae I p. 428-463; — *Ioan. Latheburii* († c. 1460.) Expositio moralis in Lamentat. S. l. 1482.

11. *B. Alberti M.* Opp. ed. Iammy VIII. — Utrum commentarii in Ieremiae Vatic. et Thren. inter opera S. Thomae Aq. editi Doctori *Angelico*, an Thomae Wallensi (*Anglico*) debeantur, in controversia versatur.

12. *Silv. Meucii de Castilione*, O. S. Aug., Interpretatio in Ierem. Coloniae 1577.; — *Andr. Capella* (prius S. I., dein O. Carth., demum ep. Urgell.) In Ierem. comment., quibus Vulg. dilucidatur et cum hebr. origine, LXX interpretatione paraphrasique chald. confertur. Carthusia Scalae Dei 1580.; — *Andr. Masii* Notae in Ier. 2-4 in Crit. sacr. IV. — *Nat. Taillepied,* O. Min., Comm. in Ierem. Paris 1583.; in Thren. 1582. — *Ioan. Maldonati* S. I. Comm. in Ierem., Bar., Ezech., Daniel. Lugduni 1609. (opus posthumum); — *P. N. Delgado* Expositio Thren. Hispali 1530.; — *Hect. Pinti* O. S. Hier., Comm. in Ierem. Lament. Lugduni 1561. (*Lelong* enumerat eiusdem Comm. in Ierem. Vaticinia; at in Pinti [† 1584.]Opp. omnia Lugd. 1584. 3 voll. fol. non invenitur); — *A. Agellii,* Cler. Reg., In Lament. Comment. ex auctoribus graecis collectus etc. Romae 1598.

13. *Chr. de Castro* S. I. Commentariorum in Ier. prophetias, lament., Bar. libr sex. Paris 1609.; — *Petr. a Figueiro,* Cler. Reg., Paraphr. in Prophetias Ierem. e

Com. in eiusdem Lament. Lugduni 1615. (Opp. I.); — *Christ. Costeri* In Ierem. Proph. et Bar. Comment. Moguntiae 1616.; — *Casp. Sanctii* S. I. Comm. in Ierem. (Vatic. Thren. Ps. 136) Lugduni 1618.; in Bar. 1621.; — *Mich. Ghislerii*, Cler. Reg., In Ieremiam (i. e. in cpp. 1-5) comment. iuxta sensum liter., myst., moral., et iuxta lectiones Vulg., Hebr., Chald., Graec. cum catena graec. Patrum gr. et lat. a I. M. Caryophilo Cret., recognita a L. Allatio. Item in Lament. et Bar. cum iisdem catenis graecis et latinis ex versione Allatii. Lugd. 1623. 3. voll. fol.

14. *Thom. de Beira*, O. Min., Considerationes literales et morales super Ieremiam. Olyssipone 1633.; — *Ben. Mandina*, Cler. Reg., Expositio in primum Ieremiae caput. Neapoli 1620. fol.

15. *I. B. Navarette* Comm. in Thren. cum expositione text. hebr. et graeci et chald. Cordubae 1602.; — *Mart. del Rio* S. I. Comment. liter in Threnos. Lugduni 1608.; — *Ioan. a Iesu*, O. Carm., Lamentationum Ieremiae interpretatio in tres paraphrases hist., alleg., tropol. discreta. Neapoli 1608.; — *Seb. Costa de Andrada* Comm. in Thren. et in orat. Ieremiae. Lugduni 1609.; — *Bald. Iunii* O. Min., Lamentationes Ieremiae triplici sensu expositae. Antwerpiae 1632.; — *Fr. de Lemos* O. S. Ben, Comm. super Threnos. Matriti 1649.

16. *Lael. Bisciola* S. I. Discursus tres super epist. Baruch ad captivos. Comi 1621., — *Petr. Lansellii* S. I. Comm. in Baruch (in eius opere : Biblia sacra cum notationibus Emm. Sa et scholiis Ioan. Menochii et, ubi deficiunt, suis. Antwerpiae 1624. Commentarius Lansellii merito receptus est in Bibl. Venet. vol. XIX.

17. *Modesti a S. Ioan. Ev.*, O. Carm., Elucidatio literalis, moralis et anagogica in Threnos Ieremiae. Pragae 1715. sqq. 3 voll.; — *Lud. de Poix*, O. Cap., Les prophéties de Jérémie traduites de l'hébreu, précédées d'analyses et accompagnées de remarques et de notes etc. Paris 1780. 6 voll. in-12; Les prophéties de Baruch etc. Paris 1788.

18. *F. C. Movers* De utriusque recensionis vaticiniorum Ieremiae indole et origine. Hamburgi 1837.; — *Ant. Scholz* Der masoretische Text u. die LXX Uebersetzung des B. Jeremias. Regensburg 1875. — *Trochon* Jérémie, Lamentations, Baruch. Paris 1878. — *I. Knabenbauer* S. I. Comment. in Ierem. proph. Parisiis 1889; Comment. in Danielem proph., *Lamentationes et Baruch*. 1891. — *I. Schneedorfer* Weissagungsb. des Proph. Jerem. Prag. 1881; Klagelieder 1876. — *Ant. Scholz* Comm. z. B. des Proph. Jerem. Würzburg 1880. — *B. Neteler* Gliederg des B. Jerem. Münster 1870. — *G. C. Mayer* Die mess. Weissaggen bei Ieremias u. Ezechiel (Wien 1865); *L. Reinke* Die mess. Weissaggen III. (Giessen 1861); *I B. Bade* Christologie des A. T. III. 2. (Münster 1852). — *F. H. Reusch* Erkl. des B. Baruch. Freiburg 1853.

## CAPUT IV.

### DE PROPHETIA EZECHIELIS.

### § 13. — *De Ezechielis vita et munere.*

275. — De Ezechielis prophetae vita praeter pauca, quae ex eius libro colligimus, nihil certi nobis est traditum. Si « trigesimum annum », quo primam se visionem habuisse testatur, de eius aetate intelligere licet, natus est a. 622., eo fere tempore, quo pius rex Iosias libro Legis in templo reperto restaurationem cultus novo cum ardore promovit et paucis annis postquam Ieremias iuvenis ad propheticum munus est vocatus[1]. Filius fuit Buzi, cuius nomen alibi non commemoratur[2], ex sacerdotali genere ortus; et quum sacerdos diserte nominetur, iure concludimus, eum sacerdotali ministerio in templo functum esse[3]. Quando Nabuchodonosor a. 597. Ierosolymis secunda vice expugnatis Iechoniam regem cum omnibus eius principibus populique robore in Babyloniam abduxit nihilque praeter pauperes in civitate et terra sancta reliquit, Ezechiel fuit unus ex captivis[4]. Cum haud parvo contribulium numero in Tel Abib iuxta fluvium Chobar domicilium suum fixit ibique cum uxore sua, quam exsilii sui anno 9. morte amisit, in paupere, ut videtur, domo habitavit[5]. Anno 5. exsilii sui sublimi divinae maiestatis visione, quam primis libri capitibus describit, ad propheticum munus est vocatus eoque inter exsules per viginti duos saltem annos ita est functus[6], ut magna apud exsules polleret auctoritate. Licet enim non deessent, qui vaticinia eius irriderent, seniores tamen populi apud eum congregabantur, ut eum consulerent[7]. Miraculorum quoque patratorem eum fuisse iuniores scriptores (fide tamen non digni) tradunt : « non secus ac Elias et Eliseus Iordanis aquas et Moyses maris undas, Ezechiel sicco vestigio Chobaris fluminis amplissimi traiiciendi auctor fuisse traditur Israelitis, quam plurimis ex Chaldaeorum insecutoribus in illo demersis. Idem fertur uberrima piscium multitudine a Deo precibus impetrata populum israeliticum fame paene exactum recreasse; idem vindice iustitia permotus venenatorum serpentum morsibus Deum suum a Danitarum Gaditarumque sceleribus dicitur vindicasse »[8]. Quibus fabellis aliquantulum certior est traditio, quam iam innuit *S. Athanasius*, alii antiqui scriptores et *Martyrologium Rom.* receperunt, prophetam

« a iudice quodam populi Israel, propterea quod eum de cultu idolorum arguisset, apud Babyloniam interfectum et in sepulcro Sem et Arphaxad, Abraham progenitorum, sepultum esse » [9]. Quo autem anno supremum suum diem obierit, prorsus ignoratur; illud unum iure asseritur, eum non statim postquam a. 570. ultimum suum vaticinium contra Aegyptum pronuntiavit, mortuum esse sed tempus sufficiens ei fuisse, ut vaticinia sua colligeret volumenque suum ipse terminaret [10].

1. *Ezech.* 1,1. *S. Hieronymus* (Praef. in vers. Ezech. Cfr etiam *Orig.* In Ezech. hom. 1. [inter Opp. S. Hier. M. 25,730]) trigesimum aetatis annum intelligit, sed in Commentario (M. 25,17) hanc sententiam reiicit annis numeratis ab a. 18. Iosiae, quo inventus est in templo liber Legis. Alii ab ultimo anno iubilaei numerant, alii ab initio regni Nabopalasar, patris Nabuchodonosor. At ab invento libro Legis aut ab initio regni Nabopalasar aeram quandam esse inchoatam non magis demonstratur, quam Iudaeos secundum iubilaeos numerasse suos annos. Certi igitur nihil definiri potest, sed probabilius annus aetatis intelligitur; cui sententiae non obstat mensis et diei adiunctio. Cfr *Knabenbauer* Comm. in Ezech. 1890. p. 19 sq.

2. *Ezech.* 1,3. Secundum opinionem, qua tenent, patres prophetarum in S. S. nominatos etiam fuisse prophetas, fabulantur rabbini *Buzi* (בּוּזִי, *irrisus, despectus*) cognomen fuisse Ieremiae prophetae a populo suo despecti, Ezechielem igitur Ieremiae fuisse filium. Cfr *Sanct.* Comm. in Ezech. Prol. 1; *Carpzov.* Introd. III. p. 194. — *Pseudo Gregor. Naz.* (Significatio in Ezech. M. 36,669) tradit Ezechielem Ieremiae *ministrum* ante Baruch fuisse.

3. *Ezech.* 1,3, ubi appositio הַכֹּהֵן cum Ezechielis, non cum patris Buzi, nomine coniungenda est. — Quo cum iure *Ps. Epiph.* De vitis proph. 9 (M. 43,401) Ezechielem *levitam* tantum fuisse asserat, non magis constat, quam quo auctore idem (l. c.) assentientibus *S. Isidoro Hisp.* (De ortu et obitu patrum 75. M. 83,143) aliisque eum dicat natum in civitate *Sarira* (Σαρηρά); nec inter civitates sacerdotales aut leviticas nec inter aliarum tribuum civitates Sarira invenitur.

4. *Ezech.* 1,2; 33,21 (« transportationis nostrae »); 40,1; cfr *Ierem.* 29,1 sqq.; 4 *Reg.* 24,14 sqq.

5. *Ezech.* 3.15 (*S. Hier.* nomen civitatis vertit « acervum novarum frugum »); 8,1; 24,18; 12,1-7. — A nonnullis fluvius *Chobar*, ad cuius ripam Ezechiel visione divinae maiestatis dignatus est (1,1. 3; 3,15. 23; 10,15. 22), intelligitur *Chaboras*, qui per Mesopotamiam prope Circesium in Euphratem influit; parum autem recte, ut videtur, siquidem Chobar dicitur flumen « *in terra Chaldaeorum* »; canalis potius intelligendus est aut fluvius haud longe a Babylone.

6. *Ezech.* 1,2. Hae notae chronologicae in eius libro leguntur :

| | |
|---|---|
| 2,1. Die 4. mens. 5. an. 5. transmigrationis Iechoniae; | 30,20. Die 7. m. 1. a 11. |
| 8,1. Die 5. mens. 6. an. 6. | 31,1. Die 1. m. 3. a. 11. |
| 20,1. Die 10. m. 5. a. 7. | 32,1. Die 1. m. 12. a. 12. |
| 24,1. Die 10. m. 10. a. 9. | 32,17. Die 15. m. ?. a. 12. |
| 26,1. Die 1. m. ? a. 11. | 33,21. Die 5. m. 10. a. 12 (rectius : 11.) transmigrationis nostrae [a]. |
| 29,1. Die 11. m. 10. a. 10. | 40,1. Die 10. m. 1 (?) a. 25 transmigrationis nostrae, a. 14. post urbis excidium. |
| 29,17. Die 1. m. 1. a. 27. | |

(a) Cum *Theodoreto* (Comm. in Ezech. M. 81,1148) modernisque nonnullis interpretibus lectio-

7. Cfr *Ezech.* 8,1; 11,25; 14,1; 20,1, 24,18 sqq.; 33,30 sqq.; 2,6 etc.

8. Cfr praesertim *Ps. Epiph.* De vitis proph. 9 (M. 43,401), a quo iuniores omnes dependent, etiam *Sanct.* l. c. Prol. 4, *Villalpandus* l. c. p. X. etc. Mirum est, quod refert *Clem. Alex.* Strom. I. 15 (M. 8,776) aliquos putasse, Ezechielem et Pythagoram eandem esse personam aut Pythagorae praeceptorem. Cfr *Huet.* Demonstr. evang. Prop. 4. (Ed. Ven. 1765. p. 291.)

9. *S. Athan.* Or. de incarn. Verbi 37. (M. 25,160) : « Ezechiel passus est, at nor pro populo, sed quia adversa populo eventura praedicebat »; (*Ps. Chrys.*) Op. imperf. in Matth. hom. 46 (M. 56,895) : « Misi ad te Isaiam et serrasti eum : misi ad te Ieremiam et lapidasti eum; misi Ezechielem et tractum super lapides excerebrasti eum »; cfr etiam *Ps. Epiph.* l. c., *S. Isid. Hisp.* De vita et obitu patrum 75; *Martyrol. Roman.* 10. april. etc.

10. Secundum *Fl. Joseph.* Antiqu. X. 5,1 Ezechiel duos libros reliquit; nihilominus c. App. I. 8 unum solum Ezechieli attribuisse videtur, atque recte iam Huetius suspicatus est, Ezechielis librum hodiernum olim in duas partes ita distinctum fuisse, ut novem ultima capita (visio de futuro templo etc.) separatum libellum constituerent; revera in codicibus aliquoties prior aut altera pars sola invenitur (cfr *Nestle* in Theolog. Literaturzeitung 1886. p. 219). — Patres in suis operibus aliquos textus sub Ezechielis nomine allegant, qui in eius opere non inveniuntur (cfr ex. gr. *Clem. Alex.* Paedag. I. 10 M. 8,357 : « Dicit per Ezechielem : Si conversi fueritis ex toto corde vestro et dixeritis : *Pater*, audiam vos tamquam populum sanctum », quae fusius nullo nomine addito tamquam propheticum dictum affert *S. Clem. Rom.* 1 Corinth. 8; *Tertull.* De carne Christi 23. M. 2,790 : « Legimus apud Ezechielem de vacca illa, quae peperit et non peperit » etc.). Num ista ex apocrypho aliquo derivanda sint, an partim saltem ex operibus alterius *Ezechieli* (ὁ Ἐζεκίηλος ὁ τῶν Ἰουδαϊκῶν τραγῳδιῶν ποιητής) desumta; non constat. De tragoediarum scriptore Ezechielo cfr *Clem. Alex.* Strom. I. 23 (M. 8,901), *Euseb.* Praep. evang. IX. 28. 29. (M. 21,736 sqq.) etc.

276. — Infelicissima tempora, in quae incidit Ezechielis vita, supra (261 p. 362 sqq.) adumbravimus. Quo infeliciora autem erant et Israelitis periculosiora, eo magis clariusque Deus misericordiam suam infinitam manifestavit fidelitatemque, qua populi peccatis criminibusque non obstantibus promissiones patribus olim factas servavit illibatas. Eidem enim aetati tot periculis plenae suppares fuerunt Ieremias, Ezechiel, Daniel : Ieremias a. 13. Iosiae vocatus propheticum munus saltem usque ad 2. annum post urbis excidium et probabiliter usque ad Iechoniae exaltationem post Nabuchodonosoris mortem exercuit (627.-584. vel 560.); Daniel a. 2. Nabuchodonosor i. e. a. 5. Ioakim spiritu prophetico repletus ultimam, quam nobis descripsit visionem, a. 3. (1.) Cyri habuit (603.-536.); Ezechiel a. 5. Sedeciae propheta vocatus munere suo saltem sedecim annis post urbis templique destru-

nem *syriacam*, quam etiam nonnulli codd. *hebraici* (septem apud Kennikott et unus apud De Rossi; cfr *De Rossi* Variae lectiones III. p. 164) et pauci minusculi *graeci* tuentur, « anno *undecimo* » omnino praeferendam ducimus; nulla enim ratione explicatur, quomodo nuntius de capta urbe (capta est m. 5. a. 11. Sedeciae) non nisi septemdecim mensibus postea in Chaldaeam sit allatus. Varias explicationes iam proposuit *Sanctius*, at nullam sibi probari fassus est; modernorum autem novi conatus non sunt feliciores.

ctionem functus est (592.-570.). Neque soli fuerunt istius aetatis prophetae; ex iis, qui nobis vaticinia scripta transmiserunt, Sophonias ultimis Iosiae annis floruit, Habacuc ultimis Iosiae aut primis Ioakim annis, Baruch, fidelis Ieremiae minister, a. 5. post urbem deletam libellum suum conscripsit. Omni autem, qua potuit, ratione Deus populum occaecatum et obstinatum ad se revocare conatus est; neque enim in Palaestina degentibus tantum, sed exsulibus quoque et dispersis Israelitis providit. Eodem tempore, quo Ieremias et Baruch Ierosolymis, Daniel et Ezechiel in Chaldaea vaticinati sunt; urbe tandem deleta illos, qui ob Chaldaeorum metum in Aegyptum fugerunt, secuti sunt Ieremias et Baruch, illi vero, quos Nabuchodonosor in Chaldaeam abduxit, ibi invenerunt Ezechielem et Danielem.

Iam inter prophetas illos Ezechiel singularem omnino locum occupat, de quo pauca dicemus. Cum Daniele comparari nequit, licet uterque in terra aliena propheticum spiritum acceperint; Daniel enim in aula regia degens *munere* prophetico nunquam est functus, sed velut in alta specula constitutus praesentium immemor sola futura praevidit et praenuntiavit[1]; Ezechiel autem solus est inter prophetas, qui eo tempore, quo antiquus theocratiae status corruebat, vocatus est, ut in terra aliena exsules ad novum, qui condendus erat, statum praepararet. Ieremiae vaticiniis edocemur, Iudaeos superstitiosa quadam sanctuarii fiducia abreptos prophetis urbis sanctae templique destructionem praedicentibus credere noluisse; postquam urbs bis iam erat a Chaldaeis expugnata et longe maior incolarum pars cum pretiosissimis vasis sacris thesaurisque regiis in Chaldaeam erat transportata, reliqui in vana sua fiducia a falsis prophetis confirmati periculum mox cessaturum exsulesque cum rege Iechonia et vasis sacris reversuros esse sperarunt. Eadem autem vana fiducia exsules ipsi tenebantur, atque inter eos quoque surrexerunt pseudoprophetae, qui propinquo reditu promisso eos conturbabant atque a poenitentia agenda retinebant. An. 4. Ioakim Ieremias non tantum pseudoprophetis ierosolymitanis resistere, sed etiam falsos exsulum prophetas, qui in Chaldaea et in Iudaea ipsa vanam illam fiduciam propagarunt, literis ad exsules datis refrenare et reprimere cogebatur (*Ier.* 28. 29.). Anno insequenti (5. Ioakim) Deus genuinum inter exsules prophetam suscitavit Ezechielem, quem constituit « custodem domui Israel », ut verba divinitus accepta ei annuntiaret eamque ad Dominum suum reduceret (*Ezech.* 1,2; 3,16 sqq.). Difficile erat munus ei impositum; ad durum enim et obstinatum populum mittebatur, qui infelici sua sorte magis erat exacerbatus, ut nullus propheta Ezechiele frequentius contumaciam populi increpet[2]. Singulari igitur indigebat fortitudine, quam ei, uti nomine eius iam erat praesagitum (יְחֶזְקֵאל, *Deus confortat*), Dominus impertivit[3]. Qua instructus

vanam illam fiduciam, quae exsules a sincera conversione retinebat, destruere aggressus est, eademque ratione, qua Ieremias Ierosolymitanos, ipse captivos symbolicis suis actionibus vaticiniisque edocuit, ultimum reipublicae excidium averti non posse, quoniam peccatorum mensura esset plena. In hac muneris parte Ieremiae omnino similis est Ezechiel, quum uterque iustissimum esse iudicium, quod Deus erga populum suum exercuit, peccatis criminibusque quum populi tum sacerdotum et principum descriptis luculentissime doceant.

At hac parte Ieremiae munus absolvitur, quem *iustitiae divinae prophetam* supra (263) appellavimus; destructa enim urbe, si paucas illas orationes, quibus profugorum aegyptiacorum idololatriam increpat (*Ier.* 44), excipimus, Ieremiae vocem non amplius audimus; Ezechieli enim reservatum erat, ut tamquam *fidelitatis divinae propheta,* Deum populum suum non plane reiecisse, exsules doceret. Namque regno antiquo destructo et domo Dei ipsa deleta magnum erat periculum, ne exsules desperabundi omni melioris sortis spe abiecta aut se a Domino prorsus derelictos aut Dominum ipsum ab ethnicorum idolis devictum esse putarent. Procul dubio omnes antiquiores prophetae atque etiam Ieremias una cum poena etiam futuram felicem sortem annuntiaverant; at omnia illa vaticinia ita cum domo davidica, cum urbe sancta, cum templo videbantur esse connexa, ut iis sublatis et deletis impleri ipsa non amplius possent. Facile igitur fieri potuit, ut exsules, qui medios inter idololatras translati iam ante urbis excidium splendore ethnici cultus seducti ad idololatriam inclinaverant (*Ezech.* 10,3. sqq.; 20,20 sqq.), nunc Legem plane abiicerent et idola sequerentur. Cui maximo periculo ut occurreret, missus est Ezechiel. Eo ipso, quod ex exsulum numero in terra idololatra prophetam sibi suscitavit custodemque domui Israel, evidentissme iam demonstravit Dominus sese populum suum non dereliquisse. Septem annis ante urbem deletam eum suscitavit, ut imminens excidium annuntians et antea describens et actionibus suis symbolicis quasi ob oculos ponens (4.5.12.) vaticiniorum suorum minacium impletione genuinus Dei legatus probaretur, cui etiam laetiora annuntianti fides denegari non posset. Itaque quo tempore omnes res videbantur conclamatae, surgit Ezechiel, ut Dominum fidelem suis promissis stare ostendens animos exsulum nova spe repleat atque ita ad Deum reducat. Davidica domus throno quidem privata et deleta esse videbatur, sed magnae cedri Dominus servaverat tenerum ramusculum, qui in monte excelso plantatus totam terram sit impleturus, Davidemque velut novum pastorem dabit gregi sanctificato (17,22. sqq.; 34, 23; 37,24). Templum erat deletum, cultus abolitus, sacerdotes dispersi, terra sancta et urbs in manibus ethnicorum profanatae. Sed novi templi futuri imaginem delineat propheta, quod prius longe sit superatu-

rum (40. sqq.), in quo gloria Domini sit habitatura in aeternum (43, 1 sqq.), in quo novi sacerdotes levitaeque cultum purum sint exercituri (44.45.), ex quo flumen sit proditurum, cuius aquae cuncta sint vivificaturae (47,1 sqq.). Urbis quoque novae novaeque divisionis terrae delineat imaginem (47,13 sqq.), ut nemini iam remaneat dubium, quin novus rerum status priori infinities sit praeferendus. Dubitantes autem, quomodo haec fieri et populus destructus reviviscere possit, ducit propheta in campum ossibus mortuorum plenum, qui ad omnipotentis Dei vocem ad novam vitam resurgunt (37,1 sqq.).

Sed haec accuratius persequi, opus non est; id unum addamus, Deum, quum per Ezechielem priores suas promissiones renovaret clariusque proponeret, id praesertim intendisse, ut fidelitate sua manifestata populum ad Legem revocaret. Septuagies enim circiter per prophetam haec verba repetit : « *et scietis* (vel : et scient gentes), *quia ego* IAHVE ». Quae sit huius divini nominis vis et significatio, alibi diximus[4]. Deus, quando olim Moysen elegit, ut promissiones antea patribus factas foedere cum eorum filiis inito et terra, quam promiserat, tradita impleret, hoc nomine ipsi quam maxime proprio cognosci et agnosci voluerat. Qui enim patribus sese manifestaverat tamquam *El Schaddai,* Deum omnipotentem, qui quae promittit dare potest, filiis esse voluit *Iahve* i. e. *ille qui est,* qui ab aeterno et in aeternum per se solum est ideoque omnis mutationis incapax promissis suis fidelis stat. Hinc *Iahve* est nomen Dei, quatenus secundum promissiones patribus factas populum foedere sibi coniunxit foederisque conditiones ex sua parte semper implet. At nonne foedus ipsum destruebatur, quum populus terra illa, quam velut maiorum benedictionum typum et pignus acceperat, privatus inter gentes dispergeretur? Id quidem minime, respondet propheta noster; dispersio potius ipsa, quoniam populo foedus violanti in Lege iam erat annuntiata, ei pro signo et argumento inservit, quod foedus a *Iahve* semper observari demonstret : Dominus enim, si fidelis est in poenis, quas comminatus est, populo peccanti immittendis, fidelis quoque erit in praemiis populo poenitenti et ad ipsum revertenti promissis praestandis. Hanc ob causam continuum illud : « *et scietis quia ego Iahve* », Deus qui mutationis incapax foedus olim initum observo et observabo. Certa quadam ratione Ezechiel igitur Moysis ministerium complet; Moyses populum ad terram promissam adducens in nomine illo Israelitis velut tesseram dederat, qua certi fierent, Deum omnes suas promissiones esse impleturum; Ezechiel populo ex terra illa eiecto et disperso idem nomen divinum inculcat velut tesseram, qua certi fiant omnes promissiones divinas etiam nunc manere integras; exsilium ipsum non esse nisi poenam a fideli Deo inflictam, ut promissiones suas populo poenitenti praestare posset; ad Deum igi-

tur eos reverti debere, qui impii mortem non vult, sed ut revertatur a via sua et vivat (18,23. 32; 33,11. 19).

Interroganti, quos fructus diuturnum Ezechielis inter exsules ministerium tulerit, respondebimus, contumacem quidem domum Israel fuisse (prophetam enim Domini audire noluit, quia Dominum ipsum audire noluit 3,7. cfr 33,31), neque tamen omni fructu caruisse continuos prophetae labores. Plerasque enim conciones suas habuit, antequam a. 5. post urbem deletam Baruch in Chaldaeam advenit[5]; magnum autem exsulum numerum illo iam tempore ad Dominum suum esse reversum, quum zelus docet, quo ad cultum in templi ruinis restaurandum eleemosynas contulerunt, tum praesertim pulcherrima illa precatio, qua peccata sua poenitentes agnoscunt, iustam esse poenam profi'entur, divinam misericordiam implorant (*Bar.* 1,1-3,8). Clarius argumentum nobis exhibet exsulum in patriam reditus; praeter Danielem, qui in aula regia versabatur, solus Ezechiel (atque forte per aliquos annos etiam Ieremias senex grandaevus) inter Iudaeos in Babylonia ministerio prophetico functus est; tanta autem fuit reducum ab omni idololatria aversio, ut tres prophetae post exsilium florentes de ea vix unquam loquantur. Nonne Ezechielis laboribus hanc populi conversionem iure adscribimus?

1. Cfr *supra* n. 246. p. 286 et *Introd. gener.* Ed. 2. n. 15. p. 31 sq.

2. « *Domus exasperans* (*contumax* בֵּית מְרִי) est appellatio, qua (excepto *Is.* 30,9) solus Ezechiel inter prophetas populum designat idque frequentissime (2,5. 7. 8; 3,9; 12,2. 3. etc.).

3. Duplex est nominis יְחֶזְקֵאל (*Alex.* Ἰεζεκιήλ cfr *Eccli.* 49,10) explicatio; alii enim יֶחֱזַק אֵל (*praevalet Deus*), alii Pathach correpto in Segol pro יְחַזְקֵאל pro יְחַזְּקֵאל pro יְחַזֵּק אֵל (*Deus corroborat*). Quam alteram explicationem praeferendam ducimus, quoniam Dominus ipse (*Ezech.* 3,6-8) ad hanc nominis potestatem alludit, uti recte iam admonuerunt *Pradus Villalpandus* (Comment. I Praef. p. X) : « Omnis domus Israel forti fronte est (חִזְקֵי מֵצַח) et duro corde; ecce dedi faciem tuam fortiorem (חֲזָקִים) faciebus eorum et frontem tuam duriorem frontibus eorum... Cuius loci sensus haud inconcinnus indicatur huiusmodi : Nihil tibi timendum ab eorum fronte, obdurata videlicet scelere et malitia. Tu enim es *Ezechiel* i. e. virtute roboratus et confortatus a Deo ». Sunt qui hanc ob causam nomen prophetae in eius vocatione inditum censeant; at nulla est ratio, cur id admittamus, quum satis multa nomina sint prophetica (Isaias, Ieremias etc.).

4. Cfr *supra* nn. 33. 34. (tom. I. p. 105 sqq.); *Knabenbauer* in Stimm. a. M. L. 1879. XVII. p. 283; XVIII. p. 31; *eiusdem* Comm. in Ezech. 1890. p. 8. 76 etc.

5. Solum vaticinium 29,17-21 et magna visio de templi urbis terrae restauratione (cpp. 40.-48.) sunt itinere Baruchi recentiora. Cfr *supra* 275. n. 6. p. 433.

## § 14. — *De Ezechielis libro.*

277. — Thalmudici, ut ordinis quo tres maiores prophetas disponunt

rationem explicent, Ieremiam omnem esse vastationem dicunt, Ezechielem a vastatione incipere et desinere in consolationem, Isaiam denique integrum esse consolationem, ideoque Ieremiam primum, Isaiam ultimum, intermedium autem poni Ezechielem, ut vastatio cum vastatione, consolatio cum consolatione coniungatur[1]. Quo asserto duorum priorum minus accurate, aptissime vero Ezechielis ARGUMENTUM indicarunt quippe quod pro eius munere supra (276) descripto duplex sit. Revera in priore libri parte, quae vaticinia usque ad m. 10. a. 9. Sedeciae i. e. usque ad initium obsidionis urbis pronuntiata continet, totus in eo est, ut frustra sperare ostendat exsules, sese libertatem mox esse recuperaturos urbemque et templum conservatum iri; flagitiis enim et idololatria sua Iudaeos Deum quasi coegisse, ut gravissimam hanc poenam populo suo infligeret. In ultima vero parte, i. e. in vaticiniis inde a m. 10. a. 12. (vel rectius 11.) Sedeciae post urbem deletam pronuntiatis, animos ad novam spem et fiduciam erigit reditu ex exsilio promisso et novi regni (messianici) splendore descripto. Quae duo ad plenam *unitatem* illa idea rediguntur, qua totum librum regi diximus, Deum initi cum populo foederis semper memorem fidelissimum esse quum in minis tum in promissionibus suis. Neque vaticiniis contra gentes pronuntiatis, quibus propheta minaces suos sermones contra Israel a consolatoriis separat, unitas ullo modo perturbatur; siquidem ipsa quoque fidelitatem docent Dei, qui licet ad tempus ministerio gentium utatur ad populum suum peccantem affligendum et humiliandum, eas tamen in fine proiiciet et destruet, ut in earum ruinis novum regnum secundum suas promissiones suscitet et stabiliat. Argumentum in analysi statim accuratius describemus.

Ad libri ORDINEM quod attinet, prophetam in colligendis et disponendis vaticiniis ad *solam* chronologiam non attendisse, satis docent dies, quibus vaticinia assignat (275. n. 6); at iidem etiam aliquam chronologiae rationem habitam esse docent[2]. Etenim omnia vaticinia, quibus Iudaeis instantem regni interitum annuntiavit, chronologice esse disposita videmus (cpp. 1.-24.). Illo autem die, quo Ierusalem obsideri coepta est (die 10. m. 10. a. 9.), silere i. e. de Iudaeorum sorte non amplius loqui iubetur, usque dum captae urbis nuntium acceperit (24,25 sqq.); quo nuntio accepto apertum est os eius, atque chronologico ordine iterum disposita sunt vaticinia de futura sorte feliciore Iudaeorum (cpp. 33.-48.); in solis igitur vaticiniis contra gentes (cpp. 25.-32.) vel si mavis contra Aegyptum (cpp. 29.-32.) relicto ordine chronologico realem quendam praetulit propheta. Ad quae si attendimus, libri integri DIVISIONEM esse tripartitam apparet; nam *introductionem*, qua prophetae vocatio et institutio describuntur (1,1-3,22), in *prima* parte sequuntur vaticinia, quibus ante obsidionem pronuntiatis

ineluctabile esse ultimum regni excidium praedicitur (3,23-24,27); *altera* autem pars gentibus, quae de regni israelitici interitu exsultant, graviorem sortem annuntiat (25,1-32,32); *tertia* demum consolationibus suis animos Israelitarum urbis et templi destructione fractos ad novam spem erigit (33,1-48,35)[3]. Alii tamen duas tantum partes statuendas esse censent, ut *prior* vaticinia contra Iudaeos (3,22-24,27) et contra gentes (25,1-32,32) contineat, *altera* Israelis restaurationem hostiumque eius destructionem praedicat (33,1-39,29) et gloriosum regnum messianicum describat (40,1-48,35)[4].

Si quis autem Ezechielis et Isaiae libros inter se conferre voluerit, etiam alio modo duas partes definire poterit. Ultima capita enim Ezechielis (40.-48.), quae symbolicam regni messianici descriptionem exhibent, tota sua indole a reliquo libro differre, facile omnes concedent; merito igitur illa secundae Isaiae parti (40.-66.) comparamus, quae ipsa quoque in salute messianica describenda fere versantur; hinc duae Ezechielis, uti Isaiae, partes, quarum prior (*Is.* 7.-36. et *Ezech.* 3,23-24,27) de praeparatione ad salutem messianicam agit, altera (*Is.* 40.-66. et *Ezech.* 40.-48.) eandem describit. Eadem autem ratione, qua Isaias in priore sua parte primum ostendit, infidelitate sua regem Achaz Assyriorum invasionem sibi attraxisse (*Is.* 7,1-12,6), Ezechiel primum docet urbis excidium averti non posse propter Iudaeorum scelera (*Ezech.* 3,23-24,27). Sequuntur deinde vaticinia contra gentes apud Isaiam (23,1-27,13) et apud Ezechielem (25,1-32,32). A quibus transit Isaias ad vaticinia tempore Ezechiae pronuntiata, eaque terminat descripto iudicio divino contra Edom tamquam typo iudicii contra impios, quo felicitas iustorum perfecta adducitur (*Is.* 28,1-35,10); atque simili modo Ezechiel a vaticiniis contra gentes transit ad vaticinia sua post deletam urbem prolata eaque terminat descripta clade impii hostis Gog, qua adducitur perfecta piorum felicitas (*Ezech.* 33,1-39,29)[5]. Tanta igitur est in utriusque libri dispositione similitudo, ut casui fortuito attribui non possit, atque Ezechiel completum Isaiae librum ea forma, qua hodie illum possidemus, prae oculis habuisse sit dicendus; unde iure merito Ezechielis dispositione authentiam secundae partis Isaiae confirmari asserimus. Nihilominus in tradenda analysi primam divisionem, quae tripartitum esse librum statuit, utpote simpliciorem retinendam esse duximus.

1. Quae sit ordinis huius ratio, *supra* 246. n. 3 p. 287 diximus.

2. Vaticinia, quibus dies non assignatur, circa idem tempus, quo praecedens vaticinium, esse pronuntiata, communior est et verior sententia.

3. Tres partes iam distinguunt *Card. Hugo* (In Ezech. 25,1) et *Lyranus* (In Ezech. 2,1); sed quoniam 35,1 sqq. Idumaeae vastatio et 38. 39. clades regis Gog praedicuntur, secundam partem usque ad 39,29 protraxerunt. *Kilber* (Analysis bibl. I.

p. 431 sqq.) in eo dissentit, quod primam partem non nisi ab 8,1 incipiat (Ministerium contra Iudaeos 8,1-24,27; Ministerium contra gentes 25,1-32,32 [et 35,1-15]; Ministerium ad utrorumque solatium 33,1-48,35). Artificioso modo tres partes in quaternas sectiones distribuit *Neteler* (Gliederung des B. Ezechiel. Münster 1870.: I. 1-7; 8-13; 14-19; 20-24; — II. 25; 26,1-28,19; 28,20-30,19; 30,20-32,32; — III. 33,1-36,15; 36,16-39,29; 40,1-43,11; 43,12-48,35). Tres partes etiam faciunt *Kaulen* (Einl. p. 324 sqq.), *Schenz* (Einl. p. 309), *Welte* (Kirchenlex. Ed. 2. IV. 1160, qui tamen quatuor numerat, quoniam visionem inauguralem [1-3] pro separata parte statuit). Ex protestanticis huc spectant *Kliefoth* (Das B. Ezechiels. 1864.), *De Wette Schrader* (Einl. p. 444), *Davidson* (Introd. III. p. 141), *Vatke* (Einl. p. 644) etc.

4. Cfr *Vigouroux* (Manuel bibl. II. p. 579), *Trochon* (Ezéchiel. Paris 1880. p. 5), *Zschokke* (Hist. sacr. A. T. p. 291), *Knabenbauer* (Beiträge zur Würdigung des Proph. Ezech. in Stimmen aus Maria Laach. XVII. XVIII. et iterum in Comm. in Ezechielem 1890. p. 3 sqq.). — Ex acatholicis cfr *Hitzig* (D. Proph. Ezech. p. IX), *Hengstenberg* (Christologie II. p. 532), *Keil* (Einl. p. 297; Comm. p. 5 sq.), *Schroeder* (D. Proph. Hesekiel. p. 11 sqq.) etc. Inter huius sententiae patronos controvertitur, utrum vaticinia contra gentes (25.-32.) ad priorem, an ad alteram partem sint trahenda, an transitum quendam a priore ad alteram constituant.

5. Quatenus Ieremias quoque in sui libri dispositione secutus sit Isaiam, diximus *supra* 263. n. 7. p. 377.

## 278. — II. Analysis Prophetiae Ezechielis.

Introductio (1,1-3,31) *exhibet prophetae vocationem et institutionem*. Quemadmodum Isaias, Ezechiel quoque sublimi divinae gloriae visione inauguratur,

1. Tempore et loco visionis indicatis (1,1-3) eam describit. Vidit enim quatuor animantia, quae Cherubim (cfr 10,20. 21) fuisse postea cognovit (1,4-14), ducentia currum (1,15-25), cui insidebat maiestas divina (1,26-29)[a].
2. Qua visione prius perterritus, sed mox confortatus (2,1. 2)
   a.) audit, se ad populum rebellem esse mittendum, quare ut fortis sit monetur (2,3-7);
   b.) quem nuntium populo afferre debeat, edocetur iussus comedere volumen plenum vaticiniis tristibus (2,8-3,1);
   c.) quod postquam comedit (3,2. 3), a Deo confortatur, ut munus suum obire possit (3,4-9), et tamquam divinus legatus ad populum suum mittitur (3,10. 11).
3. A spiritu divino in locum missionis suae transportatus (3,12-15) post septem dies in silentio peractos a Deo constituitur custos populo suo edoceturque, quae legationis suae sit sanctio sive relate ad ipsum, sive relate ad populum (3,16-21).

Prima pars (3,22-24,27) *ineluctabile esse proximum urbis et regni excidium praedicens docet Deum fidelem esse in minis olim contra populum peccantem prolatis.*

(a) De animantium figuris visionisque apparatu cfr *Vigouroux* La Bible et les découvertes mod. IV. p. 324-369; de visionis ac symbolorum significatione *Knabenbauer* Comm. in Ezech. 1890. p. 33-41; *Em. Meignan* Les Prophètes d'Israel. 1892. p. 676-685.

I. Reali et verbali vaticinio (3,22-7,27) *praedicuntur certus urbis interitus et populi infelix sors.*

1. Prophetae in campum egredi iusso iterum apparet gloria Dei eique praecipit, ut instantem calamitatem prius in se repraesentet atque suo tempore populo verbis annuntiet (3,22-27).
2. *Duplex autem est reale vaticinium, quod in se repraesentare debet* (4,1-5,17).
   a.) In latere cocto depingere iubetur urbem obsessam (4,1-3) eamque intuens recumbensque super latus sinistrum trecentis nonaginta diebus portare iniquitatem Israel et super latus dexterum recumbens quadraginta diebus portare iniquitatem Iuda (4,4-8), vili quoque et foede concocto cibo, qui solus ei toto tempore conceditur, calamitates obsidionis figurare (4,9-17).
   b.) Deinde comam radere iubetur eiusque partem comburere, partem gladio percutere, partem tertiam nonnullis pilis conservatis in campo dispergere (5,1-4). Quam symbolicam actionem explicat Dominus tamquam iudicium contra incolas Ierusalem exercendum secundum eius causam (5,5-9) et modum (5,10-17).
3. *Sequitur duplex verbale vaticinium de eadem re* (6,1-7,27).
   a.) In priore omnibus locis, in quibus filii Israel idololatriam exercuerant (i. e. omni terrae Israel) idololatrisque ipsis interitus praedicitur (6,1-7), ita tamen ut nonnullis spes conversionis relinquatur (6,8-10); quae poena iusta est, licet gravissima (6,11-14).
   b.) Carmine quodam lugubri iudicium mox instare annuntiatur (7,1-27). Scilicet exitii adventuri decretum (7,3. 4) tribus strophis ita evolvitur, ut in prima illud iamiam instare doceatur (7,5-11), in altera eius gravitas describatur (7,12-18), in tertia spes omnis praecidatur (7,19-27).

II. Die 5. m. 6. a. 6. visione de interitu urbis (8,1-11,25) *edocetur propheta, quae sint tam gravis poenae causae.*

1. *Prophetae* ecstatica visione in urbem et templum translato (8,1-4) *ostenditur idololatria incolarum in templo :*
   a.) in porta septemtrionali templi videt idolum zeli (Baal) adoratum (8,5. 6),
   b.) in interiore quadam templi parte omnibus idolis domus Israel (vitulis etc.) a septuaginta senioribus thus offerri videt (8,7-12),
   c.) dum in templi atrio mulieres publice Thammuz (Adonidem) venerantur (8,13. 14),
   d.) et sacerdotes solem adorant (8,15-18).
2. *Ut tanta flagitia puniantur,* clamante Domino (9,1)
   a.) accedunt sex viri armati et unus scriba, atque hic quidem omnes innocentes litera *Thau* signare (9,2-4), illi cunctos occidere iubentur, qui signati non sunt, incipientes a templo per totam civitatem (9,5-9).
   b.) Quibus peractis scriba iubetur ex throno Dei prunas ignitas sumere, quas super civitatem spargat (10,1-7), gloria autem Dei (cuius ap-

paritio describitur uti 1,5 sqq.) e templo egressa super Cherubim in porta orientali consistit (10,8-22).

3. *Antequam autem civitatem relinquit Deus,*

a.) prophetam impiis principibus propter eorum peccata mortem annuntiare iubet (11,1-12),

b.) eundemque, quum subita morte unius ex principibus perterritus esset, consolatur reditu et plena conversione reliquiarum praedictis (11,13-21).

4. Tum templo et urbe relictis gloria Domini requievit in monte Olivarum (11,22. 23), propheta autem ad se reversus exsulibus annuntiavit omnia, quae viderat (11,24. 25).

III. Tertio vaticiniorum cyclo (12,1-19,14) *a praedictione captivitatis regis et populi exorsus propheta causas calamitatis accuratius describit.*

1. *Duplici actione symbolica infelicem sortem regis Sedeciae et populi praedicit* (12,1-28).

a.) Futuram Sedeciae fugam, captivitatem, caecitatem populique transportationem in se portendere iubetur (12,1-7) populoque interroganti significationem portenti explicare (12,8-16);

b.) altero signo futuram calamitatem populi terraeque desolationem portendit (12,17-20) populumque edocet, nec cassas fore nec in longum differendas prophetarum minas (12,21-28).

2. *Cuius calamitatis causa prima est corruptio eorum, qui populo invigilare debuerunt* (13,1-14,23).

A. Atque primum quidem pseudoprophetas castigat (13,1-23).

a.) Vae dicit pseudoprophetis, quia se divinas visiones vidisse mentientes (13, 1-9) vanis suis promissionibus populum in errorem inducunt (13,10-16);

b.) vae quoque dicit mulieribus, quae lucri studio ductae mendacibus vaticiniis ad vanam fiduciam populum seducunt (13,17-23).

B. A prophetis ad seniores populi venit (14,1-23).

a.) Senioribus, qui per prophetam Deum interrogant, Deus respondere renuit, quia in cordibus suis idololatriam retineant (14,1-4); idololatris enim, nisi se convertant, Deus non respondet nisi interitu eorum, qui interrogant, et interitu prophetarum, qui respondere volunt (14,5-10), ut hac ratione populus edoceatur (14,11).

b.) Terram autem idololatram fame, feris, bello, peste ita puniet, ut ne iustissimorum quidem virorum (Noe, Daniel, Iob) precibus calamitas avertatur (14,11-23).

3. *Altera causa est integri populi corruptio, quam parabolis illustrat* (15,1-17,24).

A. Sicut lignum de vite praecisum prorsus est inutile et igne comburitur, ita Ierusalem (utpote palmes abscissa) comburenda est (15,1-8).

B. Longiore parabola totam historiam religiosam Israel describit (16,1-63).

a.) Virginem (Ierusalem) origine sua abiectissimam et miserrimam (16,1-

a.) certae morti Deus eripuit maximisque donis ornatam sibi desponsavit (16,6-14;
b.) at ingrata sponsa pulchritudine sua confisa libidinibus pravis (idololatriae) se dedit (16,15-23) undequaque conquisitis idolis, quibuscum fornicaretur, donisque suis ea sibi acquirens (16,24-34).
c.) Sed per eosdem punietur, per quos ad peccatum pervenit (16,35-42), atque iustissima erit poena, quia donis gratuitis divinis ita abusa est, ut vel ipsam Samariam et Sodoma superaverit (16,43-52).
d.) Memor autem foederis sui Deus reducet Ierusalem ad gloriam promissam tali electa via, ut gloriari de propriis meritis non amplius possit sed confundi tantum (16,53-63).
C. Tertia parabola apostasiam politicam Israel adumbrat (17,1-24).
a.) Narrat parabolam de duabus aquilis et de vite, quae ab una erat plantata, sed ad alteram inclinavit ideoque destructa est (17,1-10),
b.) eamque explicat de Nabuchodonosor (aquila priore), qui pro rege Iechonia abducto constituerat Sedeciam (vitem); sed foedere, quod iuramento confirmaverat, violato Sedecias a rege Aegypti (altera aquila) auxilium quaesivit, ideoque cum toto populo captivus abducitur, quia contra Dei voluntatem egit (17,11-21).
c.) Nihilominus domus davidica non peribit, sed Deus ipse tenerum ramum conservabit, qui in magnam arborem excrescet (17,22-24).

4. Ne vero putent Israelitae, se ob maiorum dumtaxat peccata nunc pati neque proinde se ipsos conversione indigere, ut ea, quae in fine duarum praecedentium parabolarum promissa sunt, consequantur, *Deus eos edocet, unumquemque sua ipsius peccata expiare* (18,1-32).
a.) Proponit principium universale, omnem animam suis ipsius peccatis interire (18,1-4);
b.) nam vir, qui Legem observat, sibi quidem vitam acquirit (18,5-9), sed filium Legem violantem non salvabit (18,10-13);
c.) similiter autem peccatoris filius, si patris peccata non imitatur sed Legem observat, vitam sibi acquirit, licet pater eius in peccatis sit mortuus (18,14-20).
d.) Peccator quoque, qui poenitentiam agit, vitam habebit, uti iustus, si iustitia abiecta peccato se tradit, mortem sibi attrahit (18,21-29).
e.) Quapropter omnes ad Deum se convertant oportet, ut salutem consequantur (18,30-32).

5. Terminat hunc vaticiniorum cyclum *carmine parabolico, quo interitum domus regiae et populi plangit* (19,1-14); itaque cycli finis initio eius (12,1-28) respondet.
a.) Quoniam reges davidici regibus ethnicis (leonibus) similes esse voluerunt, unus ex eis (Ioachaz) abductus est captivus in Aegyptum (19,1-4), alter (Iechonias? Sedecias?) abductus est (abducetur) in Babyloniam (19,5-9).
b.) Populus autem, olim vitis fecunda, iam evellitur et in desertum proiicitur (19,10-14).

IV. Quarto vaticiniorum cyclo (20,1-23,49), cui dies 10. m. 5. a. 7. prae-

figitur, *causas poenae et poenam ipsam ita proponit propheta, ut iudicium divinum non tantum populo emendando sed etiam gloriae divinae manifestandae inservire ostendat.*

1. *Interrogantibus senioribus Deus* respondere iterum abnuens (20,1-4) eis *conspectu historico* (qui parabolae cp. 16. respondet) *proposito necessitatem poenae ostendit* (20,5-44).

a.) Populus sine ullis suis meritis a Deo electus in Aegypto iam rebellem se exhibuit et idololatriae deditum; at propter honorem nominis sui Deus eum ibi delere noluit (20,5-9). In desertum educti et patres (20,10-17) et filii (20,18-26) eadem ratione rebelles fuerunt iterumque Deus propter nomen suum iis pepercit.

b.) Demum in terram promissam introducti eodem modo, quo prius, idolis serviunt (20,27-29), et nihilominus Deum consulere audent; at Deus eis non respondebit sed in desertum gentium dispersos severo iudicio purgabit (20,30-38).

c.) Atque hac ratione gentem sibi creabit mundam, quae in terram suam reducta ipsi sit servitura (20,39-44).

2. *Annuntiatio iudicii venturi* (20,45-21,32) (quae respondet visioni cpp. 9.-11.).

A. Parabola incendii saltus meridiani annuntiat regni Iuda destructionem (20,45-48).

B. Quae parabola, quum populo difficilior esset (20,49) explicatur annuntiato gladio horrendo super Ierusalem venturo (21,1-27).

a.) Dominus minatur, se gladium suum immissurum in Ierusalem (21, 1-7) gladiique horrorem describit (21,8-17).

b.) Gladius autem hic erit gladius regis Nabuchodonosor, quem Dominus ducet versus Ierusalem (21,18-24) pontificatu et throno privandam, donec venturus sit (Messias), cui iure competant (21,25-27).

c.) Idem quoque gladius Ammonitas Israelitis irridentes penitus destruet (21,28-32).

3. Quemadmodum poenam futuram parabola et proprio sermone annuntiaverat, ita nunc *causas poenae proprio sermone et parabola describit* (22,1-23,49).

A. Nudo sermone peccata Ierusalem proponit (22,1-31).

a.) Caedes et idololatria peccata praecipua sunt, quibus Ierusalem interitum suum accelerat (22,1-6), at his coniuncta sunt multa alia scelera, quae poenam merentur (22,7-16).

b.) In toto Israel non inveniuntur nisi scoriae igne conflatorii expurgandae (22,17-22).

c.) Severum igitur iudicium requiritur, quia omnes ordines (prophetae, sacerdotes, principes, homines privati) vitiis sunt dediti (22,23-31).

B. Idem argumentum prosequitur propheta parabola (simili illi quam cp. 16. proposuerat), qua utriusque regni Israel et Iuda idololatriam castigat (23,1-49).

a.) Duas sorores (Samariam et Ierusalem), licet in Aegypto iam fornicatae essent, Deus sibi desponsavit (23,1-4); at natu maior Oolla

(Samaria) fornicata iterum est cum Assur et Aegypto ideoque in Assyriae potestatem tradita (23,5-10).

b.) Quibus non edocta altera Ooliba (Ierusalem) maiora flagitia cum Assur, Chaldaeo et iterum cum Aegypto commisit (23,11-21); propterea tradet eam Dominus in manus Chaldaeorum (23,22-31), ut eadem ratione, qua soror eius, puniatur (23,32-35).

c.) Gravioribus demum verbis utriusque simul fornicationem perstringit (23,36-44) atque iudicio adulterarum et homicidarum eas iudicandas esse annuntiat (23,45-49).

V. Vaticinia promulgata ipso die, quo Ierusalem obsideri coepta est, *die 10. m. 10. a.* 9. (24,1-27).

1. Hunc diem sibi adnotare iubetur propheta (24,1. 2) populoque sub parabola ollae, in qua frusta carnis penitus concoquuntur, instantem urbis et incolarum sortem describere (24,3-14).

2. Deinde Deus annuntiat prophetae, uxorem eius esse morituram, eumque de illius morte luctum agere vetat (24,15-17). Eadem die mortua est uxor atque propheta iussa Dei exsecutus interroganti populo respondet, templum urbemque destructum iri neque de iis luctum esse agendum (24,18-24).

3. Demum tacere (contribulibus suis) iubetur, donec nuntium de urbis interitu accipiat (24,25-27).

Pars altera (25,1-32,32) *septem gentibus interitum annuntiat*. Pleraque promulgata sunt eo tempore, quo Ierusalem obsidebatur et propheta populo suo tacebat.

I. Sex populis vicinis *annuntiatur interitus, quia de interitu regni Iuda gavisi sunt* (25,1-28,26).

1. Paucis tantum versibus poenam excidii propter iniuriam Israelitis illatam annuntiat *Ammonitis* (25,1-7), *Moabitis* (25,8-11), *Idumaeis* (25,12-14), *Philisthaeis* (25,15-17).

2. Longius et magnificentius est vaticinium contra *Tyrum eiusque regem* (26,1-28,19).

A. Anno 11. Tyri ipsius interitus praedicitur et carmine plangitur (26, 1-27,36).

a.) Indicato Tyri peccato (26,1. 2.) eius ruina in genere annuntiatur (26, 3-6). Deinde hostis nominatur eiusque labores describuntur, quibus Tyrum tam complete diruet (26,7-14), ut omnes insulae de eius ruina stupore afficiantur (26,15-18), nec quisquam amplius eius vestigia reperiat (26,19-21).

b.) Pulcherrima elegia describit pristinam Tyri opulentiam et potentiam sub imagine navis magnifice exornatae (27,1-11), quae undequaque merces et opes conquirit (27,12-25), sed subito naufragio cum cunctis suis divitiis a mari deglutitur (27,26. 27), atque ab omnibus plangitur (27,28-36).

B. Simili modo regis Tyri interitus praedicitur (28,1-19).

a.) Regis castigatur superbia (28,1-5), propter quam morte infami peribit (28,6-10).

b.) In carmine lugubri prius singularis eius magnificentia describitur (28,11-14), qua ad superbiam adductus (28,15. 16) proiici meruit et interire (28,17-19).

3. Sequitur breve vaticinium contra *Sidon*, quae quia contra Israel peccavit plane interibit (28,20-24), dum Israel ipse ex captivitate revertetur, ut omnes cognoscant, quodnam sit Dei in puniendis gentibus consilium (28,25. 26).

II. Aegypto *sex vaticiniis interitus annuntiatur* (29,1-32,32).

1. Die 11. m. 10. a. 10. *Pharaoni universaeque Aegypto praedicitur excidium* (29,1-16).

a.) Pharao, quia se ipse putat creatorem sui regni et potentiae suae, a Deo proiicietur, ut omnes habitatores Aegypti verum Deum cognoscant (29,1-6).

b.) Quoniam sese exhibuit baculum arundineum populo Israel, integra terra eius per quadraginta annos in desertum redigetur (29,6-12); quibus finitis Aegyptus resurgens non erit nisi regnum humile, in quo Israel fiduciam suam non amplius sit positura (9,13-16).

2. *Adiungitur alterum vaticinium*, licet multo tardius sit promulgatum (die 1. m. 1. a. 27.), *quo praecedens accuratius definitur* (29,17-30,19).

A. Deus annuntiat se Nabuchodonosori Aegyptum dedisse tamquam mercedem, quia in devastanda Tyro strenue exsecutus sit decretum divinum (29,17-21).

B. Quae fusius persequens,

a.) vicinum esse diem iudicii toti Aegypto annuntiat (30,1-5);

b.) isto die omnis potestas Aegypti confringetur per Nabuchodonosor, qui magnam faciet hominum stragem et terram devastabit (30,6-12);

c.) destruentur idola Aegypti et munitiones eius; iuvenes eius gladio cadent et filiae eius captivae abducentur (30,13-19).

3. *Tertium vaticinium* (promulgatum die 7. m. 1. a. 11., postquam Aegyptii, qui Ierosolyma obsessa liberare voluerant, a Chaldaeis erant devicti) praedicit Deum debilitaturum esse brachium Pharaonis et confortaturum brachium regis Chaldaeorum (30,20-26).

4. *Quartum* die 1. m. 3. a. 11. promulgatum *comparatione Pharaonis cum rege Assyriae eius interitum annunciat* (31,1-17).

a.) Praemissa interrogatione, cui magnitudo Pharaonis comparari possit (31,1. 2),

b.) describitur Assyria velut magnifica cedrus Libani ita elevata super omnia arbusta, ut aliae omnes arbores ei inviderent (31,3-9), sed superbia elatam succiderunt et proiecerunt alieni (31,10-14), et ruina eius stupore implevit omnes gentes (31,15-17).

c.) Haec erit sors Pharaonis (31,18).

5. *Quintum* die 1. m. 12. a. 12. promulgatum *est elegia quaedam de interitu Pharaonis* (32,1-16).

a.) Pharaonem, draconem maris, gentes ex aquis extrahunt et bestiis devorandum tradunt (32,1-5);

b.) interitus eius in coelo et in terra stuporem excitat (32,6-10).

c.) Quae explicans docet Deus, regem Babylonis occupaturum et devastaturum esse Aegyptum (32,11-16).

6. *Sextum* die 15. m. ? a. 12. promulgatum *altera est elegia de interitu Aegypti* (32,17-32). Pharao deducendus est ad inferos (32,17-21), ubi inveniet socios malorum, qui olim potentes fuerunt in terra Assur (32,22. 23), Aelam (32,24. 25), Mosoch et Thubal (32,26-28), Edom (32,29. 30), quorum societate sese consolabitur (32,31. 32).

Pars tertia (33,1-48.35) *exhibet vaticinia consolatoria, quibus Deus se fidelem esse in promissis suis probat.*

I. *Pro huius partis introductione Deus falsam fiduciam, quam filii Israel ponunt in promissionibus, destruit prophetae munus iterum inculcans et praeiudicium populi impugnans* (33,1-33).

1. *Instructio prophetae tradita, qua innuitur, quid opus sit, ut quis promissionum particeps fiat* (33,1-16).

a.) Custos terrae, qui de adveniente periculo incolas monuit, expers est culpae, etsi incolae moniti sibi non caveant (33,1-6); eadem ratione propheta custos datus populo expers erit culpae, si populum monuerit (33,7-9).

b.) Monere autem debet populum, qui peccata sua agnoscit, Deum non mortem peccatoris, sed eius conversionem velle; sciant autem oportet, hanc esse viam Domini, ut iustus, qui peccat, non salvetur, peccator, si resipuerit et poenitentiam egerit, vitam obtineat (33,10-20).

2. Indicato deinde tempore, quo ad haec loquenda os suum sit apertum, die 5. m. 10. a. 12. (11.) accepto nuntio expugnatae urbis (33,21. 22)

a.) *destruit propheta fiduciam eorum*, qui quia filii sint Abrahae ius ad terram promissam sese habere arbitrantur (33,23. 24); peccatoribus enim terra illa non est destinata, ideo omnes illi, qui remanserant, eiiciendi sunt (33,25-29).

b.) Propheta ipse edocetur, qui futuri sint fructus praedicationis eius (33,30-34).

II. Vaticinia de restitutione Israel eiusque futura gloria (34,1-39,29).

1. *Pastorum populi infidelium locum occupabit bonus pastor* (34,1-31).

a.) Praecipua ratio interitus populi in eo est sita, quod a pastoribus regebatur, qui sua quaerentes gregem aberrare siverunt (34,1-6), quare pastores illos reiicit Deus (34,7-10).

b.) Atque ipse deinde gregem suum in omnes terras dispersum iterum congregabit (34,11-17) eumque ab ovibus rebellibus mundabit (34, 18-22),

c.) ac demum gregi purificato suscitabit genuinum pastorem David (34,24. 25) et cum grege inibit foedus pacis benedictionibus effusis in terram, in qua populus Israel securus ab hostibus habitabit (34,26-31).

2. *Deus, dum Idumaeam gentesque alias devastationi tradet, Israeli pristinum splendorem restituet propter honorem nominis sui* (35,1-36-38).

A. Edomitarum gentiumque destructio, Israelis restitutio (35,1-36,15).

a.) Idumaeae devastationem annuntiare iubetur propheta (35,1-4). Quoniam enim Edomitae semper inimico animo Israelem persecuti sunt, ideo interficientur (35,5-9), et quia terram Israel occupare voluerunt, eorum terra devastabitur (35,10-15).

b.) Quae Edomitis minatus est, ea ad omnes gentes vicinas extendit, quippe quae, quia Israelis haereditatem ambierunt, humiliandae sint (36,1-7).

c.) E contra Israelis montes ad novum splendorem resurgent eumque perennem (36,8-15).

B. Cur Deus restiturus sit Israel (36,16-38).

a.) Israel polluerat nomen Domini in terra sua, ideo dispersus est; sed dispersus quoque polluit nomen Domini inter gentes, ita ut Deus nomini suo sancto providere sit coactus (36,16-21).

b.) Propter nomen suum igitur Israelitas iterum colliget, in terram suam reducet, aqua munda lavabit, corde novo donabit, ut in praeceptis divinis ambulantes sint iam Dei populus (36,22-28).

c.) Reduces autem ditabit omnibus bonis, ut pristinorum peccatorum non nisi poenitentes recordentur (36,29-32); unde nova gloria divino nomini accedet apud omnes gentes in circuitu (36,33-36).

d.) Confirmationis gratia repetit Deus, se multiplicaturum esse populum Israel (36,37. 38).

3. *Duabus parabolis resuscitationem et unionem Israel vaticinatur* (37,1-28).

A. Resuscitatio Israel (37,1-14).

a.) Visione imaginaria ducitur propheta in campum repletum ossibus mortuorum, qui vaticinante propheta nova vita donantur (37,1-10);

b.) quae visio de populo explicatur voce divina ad novam vitam resuscitando (37,11-14).

B. Unio duorum regnorum (37,15-28).

a.) Propheta duobus lignis nomina duorum regnorum inscribere lignaque manu sua coniungere iubetur populoque interroganti respondere, eadem ratione duo regna iterum in unum esse coalitura (37,15-20).

b.) Quam unionem ulterius describens Deus promittit, se utriusque regni incolas esse reducturum et sub uno rege uniturum et a peccatis mundaturum (37,21-23), ita ut sub servo suo David futuri sint populus sanctus, quocum novum foedus pacis aeternum sit initurus (37,24-28).

4. *Victoria de hostibus innumeris duce Gog novum regnum in novissimo tempore aggressuris promittitur* (38,1-39,29).

A. Hostium in aggrediendis Israelitis consilio opponitur Dei consilium aggressionem permittentis (38,1-23).

a.) Deo incitante Gog cum multis populis barbaris in novissimis diebus veniet contra terram Israel, in qua reduces quieti habitant (38, 1-9), ut improvidos aggrediatur et depraedetur (38,10-13).

b.) Deus autem eum adducet, ut ipse in eius clade glorificetur (38, 14-16); nam contra hostem illum, quem antiqui prophetae iam annuntiarunt, Deus in ira sua suscitabit gladium omnesque plagas, atque omnes gentes cognoscent, quia Deus est Dominus (38,17-23).

B. Describitur hostium strages et victoriae fructus indicatur (39,1-29).

a.) In montibus Israel Gog cum omnibus copiis suis peribit, nam Deus nunc defendet populum suum (39,1-7).

b.) Stragis horror variis imaginibus exaggeratur. Tantus erit occisorum numerus, ut Israelitae armis eorum septem annis ignem alant (39,8-11), septemque mensibus ad eorum cadavera sepelienda indigeant (39,12-16), propheta autem bestias omnes ad prandium invitare iubeatur cadaveribus occisorum illis paratum (39,17-20).

c.) Hoc iudicio cognoscent gentes et Israel, Dominum populum suum antea propter peccata eius in hostium manus tradidisse (39,21-24), nunc autem reduces non amplius esse derelicturum, quia in illos spiritum suum effudit (39,25-29).

III. Prophetica descriptio novi regni Israel (40,1-48,35). Templum destructum iacebat, cultus sacer cessaverat, populus Israel e terra sua eiectus erat; ex his igitur desumit propheta symbola ad novum regnum messianicum describendum : novum videt templum, novum cultum, novam terrae distributionem.

1. *Novi templi descriptio* (40,1-42,20), cuius summa dumtaxat capita indicamus, quia singula, nisi addatur explicatio, non intelliguntur.

a.) Die 10. m. 1. (?) a. 25. prophetae in montem excelsum terrae Israel translato ostenditur novum templum ibi erectum (40,1-4).

b.) Ex ordine deinde describuntur atrium exterius (40,5-27), atrium interius (40,28-46), templi vestibulum (40,47-49), sanctum et sanctum sanctorum cum aedificiis adiacentibus (41,1-26), aedificia in atriis erecta (42,1-14), spatium, quo aedificia sancta a profano loco separantur (42,15-20).

2. *Novi cultus descriptio* (42,1-46,24).

A. Novum templum inauguratur (43,1-44,3).

a.) In templum terminatum videt propheta maiestatem divinam eadem ratione, qua egredientem spectaverat, iterum ingredientem (43, 1-5), auditque Deum pollicentem, se ibi semper remansurum populum autem divina mandata in posterum esse observaturum (43,6-12).

b.) Descripto deinde altari holocaustorum (43,13-17) edocetur propheta quomodo sit consecrandum (43,18-27);

c.) demum monetur, portam orientalem, per quam ingressus est Dominus, semper fore clausam principemque solum in ea celebraturum epulas sacrificales (44,1-3).

B. Praecepta de sacerdotibus (44,4-31).

a.) Propheta populum docere iubetur, Deum nolle pristinum cultum immundum, sed haec praecepta esse observanda (44,4-8) :

b.) Uti alienigenis in templum intrare non licet, ita levitis quoque, quia in excelsis olim ministrarunt, sacerdotio fungi non licebit, sed inferiora tantum ministeria in templo obire (44,9-14).

c.) Soli sacerdotes levitae ex familia Sadoc, quia semper fideles manserunt, sacerdotio fungentur (44,15. 16). Eorum deinde officia et iura accuratius explicantur (44,17-31).

C. Praecepta de oblationibus et sacrificiis (45,1-46,24).

a.) Terram sorte dividentes certam portionem cultui (templo, sacerdotibus, levitis) alteramque principi offerant (45,1-7), qui in posterum populum tributum non onerabit, sed iustitiam exercebit (45,8-12).

b.) Quae et quanta populus principi offerre teneatur, definitur, ut ex iis sacrificia parentur (45,13-17).

c.) Sacrificia enumerantur in festis (45,18-25), in sabbathis et neomeniis (46,1-12), singulis diebus offerenda (46,13-15),

d.) quibus adduntur nonnulla de donis principis (46,16-18) et de locis, in quibus epulae sacrificales sacerdotum et populi praeparentur (46,19-24).

3. *Terrae promissae immutatio et nova distributio* (47,1-48,35).

a.) Terra immutatur torrente, qui sub limine templi egrediens et continuo crescens mare mortuum implet omniaque sanat, ad quae pertingit (47,1-12).

b.) Novis terminis definitis terra inter duodecim tribus aequali modo ita distribuenda praecipitur, ut suam quoque haereditatem advenae ubique habeant (47,13-23).

c.) Quae divisio accuratius definitur. A septemtrione incipientes habitabunt septem tribus, inter quas ultima Iuda (48,1-7); a cuius terminis incipit territorium templo et urbi, sacerdotibus, levitis, principi reservatum (48,8-22), atque deinde Beniamin sequitur cum aliis quatuor tribubus (48,23-29).

d.) Demum nova civitas describitur, cuius nomen erit DOMINUS IBI (48,30-35).

279. — III. Ad libri INDOLEM transeuntes primum monemus, linguam, qua utitur Ezechiel, non esse valde puram sed non paucis formis ad aramaismum inclinare; id quod facile intelligitur, quum non tantum satis recens sit, sed etiam in terra aliena degens vaticinia sua promulgaverit et scripserit. Id autem etiam habet singulare, quod multa vocabula ab aliis scriptoribus non adhibita usurpet, sive illa ipse efformavit sive ex vulgari populi lingua adoptavit[1], « Sermonem eius nec satis disertum nec admodum rusticum, sed ex utroque medio temperatum » dixit S. Hieronymus (Praef. in Ezech.), idque recte, si eum pro tristi temporum conditione gravem potius et austerum, quam ornatum sermonem elegisse censeat. Iisdem dictionibus formulisque continuo repetitis monotonia quaedam exoritur, quam si voluisset facile evitasset. Plus centies verba Domini eadem formula « כֹּה אָמַר אֲדֹנָי יי (« *haec dicit*

*Dominus Deus* ») inchoantur verbisque Domini plus octogies inseritur « נאם אדני vel נְאֻם יי (« *dixit Dominus* »), plus septuagies recurrit illud « *et scietis, quia ego Dominus* », plus centies Deus prophetam appellat « *fili hominis* »; frequentes quoque sunt formulae : חַי אָנִי (« *vivo ego* »), שִׂים פָּנֶיךָ (« *verte faciem tuam* »), « *manus Domini cecidit super me* », « *oculus meus parcet* » aliaeque similes; Israel saepissime vocatur « *domus rebellis* » (V. exasperans), idololatria « *abominationes* » etc. Licet igitur elegantia desit, Ezechielis tamen sermo habet aliquid, quod lectores quasi abripit; nam « vi, impetu, pondere, granditate neminem ex omni scriptorum numero eum unquam aequasse », non immerito dixit Lowth[2]. Virum enim a Deo confortatum uti nomen, ita sermo prodit; verum *Ezechielem,* qui constantissimus et pertinacissimus zelo divino abreptus flagitia abominationesque populi sui persequitur atque profligat, a durioribus quoque increpationibus, a crudioribus imaginibus et descriptionibus nequaquam abhorrens, ut auditorum vel lectorum animos horrore vitiorum impleat. Ceterum sermo eius rei tractandae ubique quam maxime est adaptatus; quapropter non desunt pericopae, in quibus simplici omnino et didactico modo incedit

Sed de aliis dictionis ezechielianae characteribus iam dicendum est, qui effecerunt, ut liber noster obscurissimis V. T. semper sit adnumeratus. Ad eius *obscuritatem* respiciens S. Gregorius Naz. Ezechielem iam vocavit τὸν τῶν προφητῶν θαυμασιώτατον καὶ ὑψηλότατον, et τὸν τῶν μεγάλων ἐπόπτην καὶ ἐξηγήτην μυστηρίων καὶ θεαμάτων[3]. Frequentius autem et disertius de ea conqueritur *S. Hieronymus* ad rabbinicum quoddam praeceptum alludens, quod iam commemoraverat *Origenes* « Ezechiel, inquit, principia et finem tantis habet obscuritatibus involuta, ut apud Hebraeos istae partes cum exordio Geneseos ante annos triginta non legantur »; atque iterum in Commentarii prooemio : « Aggredior Ezechiel prophetam, cuius difficultatem Hebraeorum probat traditio; nam nisi quis apud eos aetatem sacerdotalis ministerii, i. e. tricesimum annum, impleverit, nec principia Geneseos nec Canticum Cant. nec huius voluminis exordium et finem legere permittitur, ut ad perfectam scientiam et mysticos intellectus plenum humanae naturae tempus accedat ». In explicando autem libro tantam invenit difficultatem, ut « Scripturarum arcanum et mysteriorum labyrinthum » ultimam eius partem appellaret, « cuius perfectam scientiam veritatis sibi vindicare non auderet », eiusque obscuritatem tenebris hypogaeorum compararet : « Dum essem Romae puer, inquit, et liberalibus artibus erudirer, solebam cum ceteris eiusdem aetatis et propositi pueris diebus Dominicis sepulcra apostolorum et martyrum circuire crebroque cryptas ingredi, quae in terrarum profunda defos-

sae ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora sepultorum, et ita obscura sunt omnia, ut propemodum illud propheticum compleatur : descendant in infernum viventes (*Ps.* 54,16) et raro desuper lumen admissum horrorem temperet tenebrarum, ut non tam fenestram, quam foramen demissi luminis putes; rursumque pedetentim acceditur et caeca nocte circumdatis illud virgilianum proponitur: Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent (Aen. II). Hoc mihi dictum sit, ut prudens lector intelligat, quam habeam sententiam super explanatione templi Dei in Ezechiel, de quo scriptum est : Nubes et caligo sub pedibus eius (Ps. 96,2) et rursum : Tenebrae latibulum eius (Ps. 17,12 »[4].

Similia conqueruntur alii interpretes conquestique sunt ipsi primi vaticiniorum auditores ratione simul obscuritatis indicata : « Numquid non per parabolas loquitur iste » (20,49)? Neque enim ex verborum structura, quae raro impedita est, plerumque plana et facilis fluit, exoritur libri nostri obscuritas; sed longe maior eius pars visionibus constat, actionibus symbolicis, parabolis ideoque aliquid perplexi habet et aenigmatici. Minime quidem aliis prophetis visiones aut actiones symbolicae aut parabolae desunt; in nostro autem libro frequentiores sunt et alio modo proponuntur. Alii visiones suas paucis verbis adumbrare potius quam describere solent; Ezechiel autem suas non tantum describit, sed depingit ad singula et minuta animum attendens atque magna cum sollicitudine ea persequens. Haud dissimiles sunt visiones, quibus Isaias et Ezechiel inaugurati sunt prophetae (*Is.* 6; *Ezech.* 1. 2.), at Isaias, uti non plane inepte monuit Abarbanel, eam velut civis urbanus describit, cui res splendidae et magnificae sunt familiares, Ezechiel autem velut vir rusticus, qui rem nunquam visam secundum singulas eius partes curiosus perlustrat atque perscrutatur[5]. Eadem aliarum visionum (cpp. 8.-11.; 37.; 40.-48.) est ratio, in quibus describendis scrupulosus est, ne quid eorum, quae viderat et audierat, omittat. Idem quoque eius est mos in actionibus suis symbolicis enarrandis. Paucissimis verbis eas indicat Ieremias, ut fusius illas explanet et applicet; noster autem explicatione aliquoties omissa summa cum diligentia describit, qua ratione obsidionem urbis (cp. 4.), dispersionem et destructionem populi (cp. 5.), sortem regis Sedeciae (cp. 12.) aliaque in se figurare debuerit. Quam maxime autem idem character in eius parabolis et similitudinibus apparet. Omnes prophetae regna et terras imaginibus rerum animatarum et inanimatarum repraesentant; neque ab illis discedit Ezechiel, si Iuda et Israel idololatriae deditae ab eo dicantur duae meretrices libidinibus suis pessimis frena laxantes (cpp. 16.23.), aut si domus davidica ei est cedrus vel vitis vel leaena cum leunculis suis (cpp. 17. 19.), aut Assyria cedrus excelsa

(cp. 31.), Aegyptus crocodilus (cpp. 29. 32), Chaldaea et Aegyptus duae aquilae rapaces (cp. 17.), Tyrus navis ornatissima mercibusque pretiosis onusta (cp. 27.) etc. Similia enim apud alios leguntur; verum Ezechiel eas non leviter et strictim, quemadmodum illi, attingit, sed studiosus secundum singulas earum partes absolvit et diligentissime eas exornat et amplificat; in amplificationibus autem ipsis raram prodit eruditionem et doctrinam. Pulcherrimam lege navis Tyri descriptionem (27,4-25), nec quidquam desiderabis, quo superbissimi emporii opulentia et potentia demonstretur; at simul attende, quantam scientiam geographicam pericope illa manifestet. Non minorem architecturae scientiam invenies in novi templi descriptione (40,5 sqq.), sive ad aedificiorum dispositionem, sive ad singularum partium ornatum attentionem converteris. Aliis in imaginibus miram invenies audaciam. Frequens est apud omnes fere populos in cladium descriptionibus mentio ferarum, quibus hostium cadavera devoranda proiiciuntur; sed nemo praeter Ezechielem hanc imaginem ita excoluit, ut hostium cadaveribus dapes sacrificales instrui fingeret, ad quas ferae volucresque invitarentur (39,17-20). Satis frequenter ultra limites, quos natura posuit rebus, imagines suas exaggerat neque a figuris depingendis abhorret, quae animo concipi vel repraesentari vix possunt; quo sane pertinent Cherubim currum divinae maiestatis ducentes (1,5 sqq.) etc.

Iam vero in hac descriptionum ubertate, eruditione, audacia praecipuam obscuritatis causam sitam esse recte dicemus. Ut enim praetermittamus, exuberante illa rerum minutarum copia mentem non parum distrahi, gravius est, quod saepenumero illa, quae in visionibus maioris momenti sunt, aut in actionibus symbolicis parabolisque ad ideam exprimendam vere pertinent, difficillime ab aliis distinguantur, quae ornatus potius aut amplificationis gratia videntur esse addita. Unde facile fit, ut ibi mysteria quaerantur, ubi nulla sunt, atque alia negligantur, quae ideae exprimendae vel accuratius definiendae inserviunt. Procul dubio erraret, qui singulis navis Tyri partibus nescio quid significari putaret[6]; eidem autem erroris periculo sese exponit, qui ex singulis visionum symbolorumque minutis partibus mysteria excutere velit.

1. Multa vocabula Ezechieli propria enumerant *Keil* (Einl. p. 296 sq.) et *Trochon* (Ezéchiel. 1884. p. 10); sed cfr quae de his catalogis adnotat *Knabenbauer* (Comm. 1890. p. 11); de aramaismis Ezechielis cfr *Keil* l. c. p. 55 sqq.

2. *Lowth* De poesi sacra Hebraeorum p. 244.

3. *S. Gregor. Naz.* Or. 2,64; 25,14 (M. 35,473. 1217); *Theodoretus* (Comm. Prol. M. 81,812) Ezechielis librum declarat τῆς προφητείας τὸ βάθος.

4. *Orig.* Comment. in Cantic. Prol. (M. 13,63). — *S. Hieron.* ad Paulin. ep. 53,7; Comment. in Ezech. Lib. I. Prolog.; Lib. XIV. Prolog.; in Ezech. 40,5 etc. (M. 22, 547; 25,17. 392. 468).

5. Cfr *Carpz.* Introd. III. p. 197; *v. Orelli* in Herzog P. R. E. Ed. 2. IV. p. 466.

6. Secundum *Villalpandum* navis est tyrannis, arbor navis est rex, funes sunt principes et duces, qui regem sustinent, vela sunt acies instructae etc. Ad quae recte iam monuit *Corn. a Lap.* « non esse necesse singula explicare », immo vero non licet singula hac ratione explicare.

280. — Quibus de totius libri indole disputatis nonnulla de ultimis eius capitibus (cpp. 40.-48.) addamus oportet, quae obscurissima atque unam ex interpretum crucibus esse omnes fatentur. Ad tres classes varia systemata, quibus explicari solent, apte revocamus. Alii enim proprio verborum sensui eique soli inhaerendum censent; de templo igitur et cultu ierosolymitano loqui prophetam, sed secundum alios, ut templi salomonici memoriam conservet, secundum alios, ut templum a reducibus post exsilium aedificandum praeformet, secundum alios demum (Iudaeos aut iudaizantes), ut templi Messiae aetate (aut tempore millenii) erigendi ideam adumbret. Item de cultu antiquae synagogae eum agere volunt, aut liturgicis praeceptis, quae ante exsilium observata sunt, collectis, aut novis praeceptis, quae a reducibus sint observanda, praeformatis, aut descripto cultu, qui tempore Messiae vel millenii Deo sit exhibendus. Cum prima hac interpretum classe eatenus consentit altera, quatenus ipsa quoque prophetam proprio sensu de templo et cultu antiquae synagogae agere tenet; in eo autem dissentit, quod praeter hunc sensum proprium et literalem simul admittat altiorem significationem typicam, quum restauratio templi ierosolymitani et cultus levitici umbra sit et figura perfectioris templi spiritualis a Messia excitandi et perfectoris cultus in Ecclesia exhibendi. Quare etiam prophetam in nonnullis sensum proprium et literalem omnino reliquisse et immediate ad typum transisse tenent; « solent enim, inquit *Corn. a Lap.*, prophetae a typo ad antitypum, a litera ad allegoriam avolare ac subinde ea commiscere ». Tertiae demum classis interpretes proprio sensu relicto in integra visione nihil vident nisi symbolicam et poeticam futuri regni messianici i. e. Ecclesiae descriptionem; quemadmodum sub figura navis ornati undequaque merces conquirentis propheta descripsit Tyri pulchritudinem et opulentiam, ita sub figuris templi vastissimi in alto monte erecti, cultus levitici splendide restaurati, terrae admirabili flumine foecundatae et inter duodecim tribus advenasque aequali modo distributae eum descripsisse censent.spiritualis regni messianici pulchritudinem, sanctitatem, universalitatem. Ad primam classem soli pertinent Iudaei et rationalistae; catholici interpretes omnes aut secundae aut tertiae classis interpretationem sequuntur[1]. Atque Patres quidem tertiae potius, quam secundae, videntur favisse. « Neque enim hoc, inquit *S. Hieronymus*, de illo tempore dicitur, quod quidam imperiti Iudaeorum volunt, quando sub Zorobabel et sub Iesu filio Iosedec templum exstructum est

prophetantibus Aggaeo et Zacharia. *Hoc enim templum, quod nunc describitur, et ordo sacerdotii terraeque divisio et fertilitas multo augustius est, quam fuit quod Salomon exstruxerat;* illud autem, quod aedificatum est sub Zorobabel, in tantum parvum erat et prioris comparatione nihili, ut qui prius templum viderant et postea hoc aspiciebant, eiularent doloremque lacrymis testarentur ». Atque *S. Ephraem*, qui ad allegoricas explicationes parum inclinat, in huius pericopae explicatione omnia pro symbolis habet, « Reliqua, inquiens, in novi templi aedificio prophetae ostensa ad Ecclesiam Christi pertinere planum est »; *S. Gregorius M.* autem prophetam « nihil de civitate, quam viderat, iuxta literam dicere » monet; « nam spiritaliter de ea loquitur, quam spiritaliter contemplatur »[2].

Quam tertiam sententiam solam tenendam esse, nos quoque paucis argumentis ostendemus contra illos praesertim primae classis interpretes, qui Ezechielem in ultima libri parte cultum a Iudaeis post exsilium iterum exercendum praeformasse asserunt praeceptis collectis liturgicis, quae ante exsilium in usu fuisse recordabatur aut quae nova ipse finxit[3]. Scilicet in « *Ezechielis Thora* », uti loquuntur, primum detexerunt fundamentum « codicis sacerdotalis », i. e. illius legislationis leviticae, quae in Pentateuchi quidem libris intermediis legitur, sed secundum eorum opinionem post exsilium exorta et « pia fraude » quadam Moysi auctori attributa est[4]. Longissime autem a vero aberrare huius sententiae patronos, non admodum difficile est demonstratu.

Etenim 1. novem ultima libri capita unam solam constituunt visionem, cuius partes ita inter se sunt connexae, ut eadem omnes ratione explicentur oporteat, neque ullo modo solam intermediam partem proprio, primam autem et tertiam improprio sensu interpretari liceat. Quicunque igitur Ezechielem leges rituales Iudaeis ex babylonico exsilio reducibus observandas tulisse censet, etiam admittat necesse est eum praescripsisse, quomodo novum templum sit exstruendum, nova civitas aedificanda, nova terrae divisio facienda. Plane eodem iubendi modo, quo secundum adversariorum nostrorum sententiam distinctionem inter levitas et sacerdotes introduxit (44,9 sqq.), utitur in assignanda terrae portione, quae templo, urbi, sacerdotibus, levitis, principi est destinata (45,1 sqq.); eodem plane modo, quo de sacrificiis loquitur (45,18 sqq.), definit terrae terminos novamque divisionem (47,13 sqq.). Iam vero nemo, opinor, sibi persuadebit Ezechielem templum ab urbe sancta voluisse separare miramque illam introducere divisionem, quam fuse cpp. 45. et 48. describit. Quod si haec igitur improprio et symbolico sensu explicanda sunt, improprius quoque et symbolicus sensus admittendus est in eius praeceptis ritualibus.

2. Accedit, quod praecepta illa nunquam sunt observata, id quod explicari nequit, si Ezechiel, quem legitimum et verum Dei prophetam fuisse Iudaei omnes agnoverunt et agnoscunt, leges illas velut ex mandato Dei observandas promulgasset. Nonnullae quidem, quoniam etiam in Pentateucho continebantur, observatae sunt; aliae, in quibus a Pentateucho discrepat, in usum nunquam sunt deductae. Neque in levioribus tantum, quae forsitan negligi potuerint, sed in gravioribus quoque « Thora Ezechielis » a « Thora Moysis » discedit[5]. Leve quidem est, si in neomeniis Ezechiel vitulum unum et sex agnos et arietem, Moyses duos vitulos et septem agnos et arietem (*Ezech.* 46,10; *Num.* 28,11), aut pro holocausto dierum paschalium prior septem vitulos et septem arietes, alter duos vitulos et septem agnos (*Ezech.* 45,23; *Num.* 28,19) offerri iubent. Leve autem non est, si Ezechiel hierarchicum sacerdotum ordinem ignorat neque unquam de summo sacerdote loquitur, qui in mosaica legislatione tam altum locum occupat. Num eius recordatus non est, an eius dignitatem abrogare voluit? Si autem eam abrogavit, qui factum est, ut quinquaginta circiter annis postea exsilio soluto Aggaeus et Zacharias summum sacerdotem iterum agnoscant atque eius ornamenta in Pentateucho descripta cognoscant (*Agg.* 1,1 etc.; *Zach.* 3,1 etc.)? Neque leve est, quod omnibus sacerdotibus id praecipiat, ad quod Pentateucho solus summus sacerdos obligatur (*Ezech.* 44,21; *Lev.* 21,13), aut quod duo tantum festa maiora (paschatis et tabernaculorum) praescribat, pentecosten omittat, aut quod magnum expiationis diem prorsus silentio premat etc. Qui tot et tantas differentias inter leges rituales ab Ezechiele descriptas interque eas, quas Iudaei sive ante sive post exsilium observarunt, attente consideraverit, nobiscum fatebitur, prophetam codicem legum ritualium tradere noluisse neque sensu proprio leges eius esse intelligendas.

3. Tertio demum loco monemus, non semel tantum sed saepe per integram pericopen prophetam cavisse, ne sensu proprio verba sua intelligerentur. Profecto si statim a principio de monte altissimo (הַר גָּבֹהַּ מְאֹד) loquitur, in quo templum ab ipso descriptum situm fuerit (40,2), nemo non videt eum in « montem domus Domini in novissimis diebus firmiter fundatum in vertice montium et elevatum super colles, ad quem confluent omnes gentes » (*Is.* 2,2; *Mich.* 4,2) prophetico spiritu esse translatum. Si Dominum quidem sollemniter templum ingredientum videt (43,1 sqq.), sed arcae foederis in templo locum non relinquit, procul dubio de tempore illo loquitur, quo filii Israel « non amplius dicent : arca testamenti Domini, neque ascendet super cor eorum neque recordabuntur illius, sed Ierusalem vocabitur solium Domini et ad eam omnes gentes congregabuntur » (*Ierem.* 3,16 sqq.). Si divinae maiestatis ingressu non solum templum sed etiam omnia

eius atria et aedificia adiacentia fiunt « sanctum sanctorum » (43,12), evidens est eum non loqui de templo sive salomonico sive zorobabelico sive herodiano. Idque clarius elucet, si ad fontem attendis, qui sub limine templi egrediens in magnum flumen excrescit, cuius aquae miram spargunt fertilitatem atque ipsas aquas amaras maris mortui dulces reddunt (47,1 sqq.); num quis forte haec sensu proprio intelliget? Iam vero idem vir (angelus), qui prophetae mensuras templi destinationemque singularum partium eius explicaverat (40,5 sqq.), ei etiam mensuras fluvii istius et destinationem aquarum illarum indicat[6]. De separatione templi ab urbe, de aequali terrae inter duodecim tribus distributione, quae ad familiarum numerum non attendit, de iuribus aequalibus, quae advenis conceduntur etc., opus non est dicere, quum satis sit clarum, haec de reducibus ex exsilio babylonico vel assyriaco non posse proprio sensu intelligi.

Quae quum ita sint, proprium visionis sensum omnino reiiciendum esse arbitramur, nec quidquam symbolis istis ex antiqua oeconomia desumtis prophetam descripsisse, nisi novam oeconomiam per Christum fundandam. Quae sententia extra omne prudens dubium videtur poni, si S. Ioannem Apostolum Ezechielis figuras iterum adhibere videmus, ut « sponsam, uxorem Agni » describat. In montem enim magnum et altum translatus (*Apoc.* 21,10; *Ezech.* 40,2) vidit B. Ioannes civitatem sanctam Ierusalem habentem portas duodecim et portis inscripta duodecim nomina tribuum filiorum Israel (*Apoc.* 21,12; *Ezech.* 48,31), et templum non vidit in ea, Dominus enim Deus omnipotens templum eius est, et Agnus. Atque de sede Dei et Agni procedebat fluvius aquae vitae ex utraque parte habens arbores, quae per menses singulos reddebant fructum suum et quarum folia erant ad sanitatem gentium (*Apoc.* 22,1 sqq.; *Ezech.* 47,1 sqq.) etc. — Interroganti autem, num Ecclesiam in terra militantem an in coelo glorificatam descripserit propheta, respondemus Ezechielem eadem ratione, qua frequenter reliquos prophetas, in sua visione tempora non distinxisse, ita ut alia de militante, alia de triumphante Ecclesia aptius intelligantur. Accurate illa discernere difficillimum esse fatemur, sed maioris forte difficultatis est definire, quaenam descriptionis partes revera habeant symbolicam significationem, et quaenam ornamenti potius gratia sint addita. Hinc in magno semper periculo versatur interpres, ne aut ornamenta in symbola aut symbola in ornamenta convertat; at haec non potest esse ratio, ut symbolicam totius pericopae significationem negemus; in aliis enim visionibus parabolisque prophetae nostri, quarum symbolicum characterem omnes agnoscunt, eidem periculo expositus est interpres.

1. Exceptis iis, qui etiam nunc millenium exspectant, in quo Iudaei Messia suo

agnito ex omnibus terrae partibus in Palaestinam revertentur, ut ibi felici illo statu, quem Ezechiel describit, fruantur. Huc quoque nonnulli moderni intrepretes protestantici spectant, qui eadem ratione terram Palaestinam in fine temporum glorificandam putant.

2. *S. Hieron.* Comm. in Ezech. 40,1 (M. 25,388); *S. Ephraem* Comm. in Ezech. 40. (Opp. syr. II. p. 200); *S. Greg. M.* In Ezech. homil. II. 1,3 (M. 76,937).

3. Cfr *Reuss* Gesch. des A. T. p. 415 : « Die neun letzten Kapitel Ezechiel's enthalten gleichsam das theilweise sehr ins Einzelne ausgeführte Programm der Staats » und Cultordnung einer eventuellen Restaurationszeit, die fast unmittelbar vorher (cp. 37) in Aussicht gestellet war ». *Wellhausen* Prolegomena zur Gesch. Israel's p. 63 : « Ein verbannter Priester (Ezechiel) machte den Anfang, das Bild der heiligen Praxis von ehemals, das er in seiner Erinneruug trug, aufzuzeichnen und es als Programm für die zukünftige Herstellung der Theocratie zu veröffentlichen ».

4. Cfr quae de hoc systemate disputavimus *supra* 43-46 (Tom. 1. p. 136-154).

5. Secundum *Wellhausen* l. c. in levioribus tantum differunt Ezechiel et Moyses : « Die Abweichungen Ezechiels vom Pentateuch lassen sich nicht als absichtliche Aenderungen des Originals verstehen; dazu sind sie *zu zufällig und unbedentend* ». At rectius *Reuss* l. c. : « Auch sind ihm *viele der wichtigsten Einrichtungen* des vermeintlich alten Gesetzbuches noch fremd : er weiss von keinem Zehnten und keinem Hohenpriester; dem Gottesdienst steht ein Fürst vor (?) und für die Levitenstädte bleibt in seiner Landkarte kein Raum ».

6. Ad haec non satis attendisse opinor illos, qui omnia quidem, quae de cultu levitico et de terrae divisione praescribuntur, symbolice explicant, templi vero descriptionem proprio sensu (*Calmet.* in Ezech. 40,1; *Vigouroux* Manuel biblique II. p. 597 sqq.).

281. — IV. De origine et authentia libri dicturo licet esse brevi, siquidem tantus hodie in hac quaestione est interpretum consensus, ut inter ipsos « criticos » vix inveniatur, qui singula vaticinia eorumque collectionem Ezechieli prophetae non attribuat. « Quin Ezechiel, qui de se ipse plerumque prima persona loquitur, inquit De Wette Schrader, omnia ipse literis mandaverit, non est dubium »; « Ezechielis liber, inquit Gesenius, ex paucis illis est, qui a principio usque ad finem tanta styli et dictionis unitate insignes sunt, ut illa sola iam omnis suspicio, aliquam partem esse suppositam, prorsus excludatur[1] ».

Olim quidem rabbini « viros magnae synagogae *scripsisse* Ezechielem, Duodecim et libellum Esther » asseruerunt; sed eos de Ezechiele vaticiniorum *auctore* non dubitasse, inter omnes constat[2]. Debitae quoque oblivioni iam dudum sunt traditae obiectiones, quibus Spinoza cp. 18., quia cum *Exod.* 34,7 pugnaret, prophetae abiudicare ausus est[3], aut quibus recentiores quidam rationalistae ultima novem capita, quia nimis essent obscura et mandata continerent, quae a Iudaeis in patriam reducibus non essent observata, recentiori auctori dare voluerunt[4]. Erroneam quoque esse eorum sententiam, qui casui fortuito vaticiniorum collectionem adscripserunt, quoniam in iis disponendis ordinem observatum non esse arbitrarentur[5], etiam hodie ab omnibus conceditur; nam omnia oracula, quamquam viginti duorum annorum

spatio diversis in occasionibus sunt prolata, tam arcto inter se nexu sunt colligata atque tam apto simul et perspicuo ordine disposita, ut merito mireris, quomodo de ordinis defectu aut perturbatione aliquis conquestus sit[6]. Quodsi autem hodie adhuc nonnulli rationalistae, qui omnia vaticinia ab Ezechiele conscripta et collecta esse nobiscum tenent, inscriptiones quasdam in dubium vocant easque a propheta arbitrario quodam modo atque fere pro lubitu appositas esse aut vaticinia quaedam post eorum impletionem ab Ezechiele retractata et clarioribus verbis expressa dicunt, solis suis praeiudiciis rationalisticis ducuntur, quae vera vaticinia et veras praedictiones admitti vetant[7]. Recentissimo demum tempore « criticus » quidam librum nostrum non nisi machabaico tempore, sc. a. 164.-163., conscriptum demonstrare conatus est; sed tam infelici cum successu, ut argumentis suis ipsorum amicorum suorum miserationem dumtaxat provocaverit[8]; quare iis immorari opus non est.

Licet autem tantum non omnes authentiam et integritatem vaticiniorum cunctorum agnoscant, textum tamen eorum non parum corruptum ad nos pervenisse, omnium est sententia. Ad quam corruptionem explicandam immerito tamen, opinor, antiqua synagoga malitiae et fraudis interdum incusatur[9], quum eae plane sufficiant rationes ab Origene et Hieronymo iam indicatae[10], quibus reliquorum quoque librorum sacrorum textus nonnullis in locis incertus est redditus aut corruptus. Namque liber noster unus ex obscurissimis est; nihil igitur admirationis habet, quod in iis, quae non intelligebant, describendis « librarii dormitantes » multo plures, quam in aliis libris clarioribus, errores commiserint, et in iisdem emendandis « temerarii emendatores » multo perversius, quia audacius, emendare sint conati. Obscurioribus quoque libris plures adscribi solent glossae, unde novum periculum, ut « praesumtores imperiti » eas ex margine in corpus velut verba prophetae reciperent.

Restat, ut DE DIVINA AUCTORITATE LIBRI nonnulla addamus. Immediate post Ieremiam et ante Duodecim Minores Siracida (*Eccli.* 49,10. 11) iam celebrat Ezechielem, « qui vidit conspectum gloriae, quam ostendit illi in curru Cherubim (*Ezech.* 1,4 sqq.), et commemoratus est inimicorum in imbre (*Ezech.* 13,13; 38,20), benefacere illis qui ostenderunt rectas vias (*Ezech.* 18,21; 33,14 sqq.) ». Eius igitur tempore liber noster iam locum suum occupavit in canone synagogae eumque semper retinuit. Rabbinos quidem aliquando de eius canonicitate dubitasse tradit Thalmud, quoniam nonnulla mosaicae Legi contraria docere videbatur[11]; at dubitationes eorum evanuerunt. In N. T. diserte numquam allegatur, frequentes autem sunt allusiones ad eius vaticinia et symbola. Vix dubitari potest, quin Dominus, quum sese

« pastorem bonum » diceret (I *Ioan.* 10,11 sqq.), promissionem de bono pastore per Ezechielem (34,11 sqq.) factam prae oculis habuerit eamque in se impletam docuerit; descriptio quoque magnae arboris, quae ex grano sinapis excrescit (*Matth.* 13,32), omnino similis est descriptioni arboris messianicae apud Ezechielem (17,23). Maxime vero S. Ioannes in Apocalypsi ad vaticinia nostra respicit eaque resumens et excolens divinam eorum originem testatur[12]. Patres omnes inde ab apostolico tempore librum nostrum pro divino et canonico habuisse, demonstratione non indiget.

1. *De Wette Schrader* Einl. p. 446; *Gesenius* Gesch. der hebr. Sprache u. Schrift. p. 35. Similiter alii « critici »; cfr *Reuss* (Gesch. des A. T. p. 410), *Vatke* (Einl. p. 648), *Davidson* (III. p. 149), *Bleek Wellh.* (Einl. p. 401), *Driver Rothst.* (l. c. p. 300), *Koenig* (l. c. p. 354), *Cornill* (Einl. 1896. p. 176) etc.

2. Cfr de hoc rabbinico testimonio (Baba bathra 14) *Marx* Traditio rabbinorum veterrima. p. 48. 51. : « Ezechiel nullam aliam ob causam existimatur libri sui scriptor non fuisse, nisi quia non profitetur se librum conscripsisse ». Revera in illa Baraitha Ieremias solus inter omnes prophetas sui ipsius libri scriptor vocatur, quoniam « solus est, in cuius libro non solum iussum Dei commemoratur, ut conscribat vaticinia omnia, verum etiam narratur, eum id esse exsecutum ».

3. Contra Spinozam cfr *Huet.* Demonstr. evang. Prop. IV. (Ed. Venet. 1765. p. 293); *Carpzov.* Introd. III. p. 208 sqq.

4. Fuse eos refellit *Herbst-Welte* Einl. II. 2. p. 72 sqq.

5. Ita ex catholicis *Iahn* Epitome Introd. p. 354; *Ackermann* Introductio p. 279; ex rationalistis *Eichhorn* Einl. IV. p. 237; *Bertholdt* Einl. p. 1487 sqq.

6. Mirum profecto quod *Iahn* (l. c.) scripserit : « Librarius aliquis ad cap. 24,27, ubi Ezechiel conticescit, inconsiderate vaticinia contra gentes eo ordine descripsit, quo quaerendo quaelibet invenit; hinc nullum prorsus ordinem observavit et oblitus quoque est vaticinii contra Edomitas cp. 35. et contra Gog et Magog cpp. 38.-39. » Magis mirum est, quomodo *Eichhorn* et *Bertholdt* (ll. cc.) originem libri explicant.

7. Inter quos *Hitzig* Der Proph. Ezechiel p. IX sq. XIV. 84. 179 sq. etc. diserte impossibilitatem vaticiniorum velut rationem affert, cur propheta praedictiones suas secundum eventum mutasse sit dicendus. Etiam rabbinus *Zunz* (Gottesdienstl. Vorträge der Juden p. 138 sqq.) librum nostrum persicae periodo adscribere voluit, ne definitas praedictiones admittere cogeretur.

8. *Seinecke* Geschichte de Volkes Israel II. Göttingen 1884. p. 1 sqq. Anno 164-163 librum esse scriptum demonstrat hoc argumento : « Anni 390 + 40, de quibus loquitur Ezechiel 4,4-6 numerandi sunt inde ab a. 5. transmigrationis Iechoniae (1,2) i. e. ab a. 594.-593. a. Chr., ergo scriptus est liber a. 164.-163. » Nonne pulcherrimum est argumentum? Neque desunt pulchriora; rex Gog (*Ezech.* 38,2) ei est (Ant)*tioch*(us) Epiphanes etc. Quid auctoris amici de his argumentis sentiant, vide in *Harnack* et *Schürer* Theolog. Literaturzeitung 1886. p. 315.

9. Id quod facit *Cornill* (Das B. des Proph. Ezechiel. Leipzig 1886.), qui inter alia censet, iuniores Iudaeos, quum templum suum cum descriptione ab Ezechiele data non consentire viderent, textum prophetae *studiose* corrupisse; cfr p. 475 : « Zu dem zerubbabelschen Tempel stand Ez. in einem ganz einzigartigen Verhältniss. Seine Zukunftsthora konnte man einfach ignorieren, weil ihr die pentateuchische Thora mit absolut normativer Autorität gegenüberstand; für den nachexilischen Tempel dagegen musste er, der Prophet, der in Folge göttlicher Offenbarung mit der ganzen

Autorität des Geistes Iahves Vorschriften zum Baue desselben gegeben hatte, unbedingt bindend sein. Stimmte nun der zerubbabelsche Tempel nicht mit dem ezechielschen Bilde, so gab es, da hier kein anderer doctor probus der Autorität des Propheten entgegengesetzt werden konnte, nur *ein* Mittel : man musste den unbequemen Zeugen und lästigen Mahner mundtodt machen, und unterzog in Folge dessen seine Tempelbeschreibung einer so gründlichen Revision, dass das Ursprüngliche unrettbar verloren ist. « Sed cur, si ita est acta res, nova, quam rabbini primitivae substituerunt, descriptio templo Zorobabelis tam parum consentit ?

10. Cfr *Introd. gener.* Ed. 2. 1894. n. 110 sq. p. 309. 311.

11. Cfr *Surenhus.* Mischna. Pars IV. Praef. (Tract. de Testificationibus).

12. Cfr cum *Apoc.* 18. 19. 20. 21. *Ezech.* 27. 38. 39. 47. 48.

## § 15. — *De praecipuis commentariis catholicis in Ezechielem.*

282. — Propter obscuritatem suam, ut videtur, non tot, quot reliqui prophetae, Ezechiel invenit commentatores. Inter PATRES ORIENTALES primus iterum est *Origenes,* qui triplici suo modo librum nostrum illustrare conatus est; sed ex homiliis eius quatuordecim dumtaxat ad nos pervenerunt latine a S. Hieronymo redditae; scholiorum autem eius et magni commentarii, qui viginti quinque libros complectebatur, sola fragmenta in catenis graecis nobis sunt conservata; ea, quae De la Rue in sua editione operum Origenis collegit, non ultra 30,6 se extendunt, quibus pauca in cpp. 32. et 45. addidit Card. Mai[1]. Pro more suo allegoricis et tropologicis accommodationibus abundat. Sensui literali diligentius inhaeret *S. Ephraem;* eo magis igitur dolendum, quod eius quoque commentariorum pars maior interierit et pleraque ex Severi dumtaxat catena syriaca innotuerint[2]. Sensum literalem etiam *Theodoretus* sectatur diligentissime[3]. Praeter quos ex orientalibus etiam *Appollinarem Laodic., Polychronium* Theodori Mopsuest. fratrem, *Hesychium* aliosque librum nostrum commentatos esse docent Catenae graecae, ex quibus excerpta nonnulla Pradus et Villalpandus in suos commentarios receperunt.

Inter OCCIDENTALES PATRES tempore et merito primus est *S. Hieronymus.* Licet de prophetae obscuritate frequenter conqueratur eiusque difficultatibus perterritus opus inchoatum interdum interrumpere voluerit, continuis tamen S. Eustochium precibus permotus illud ad felicem finem perduxit et in suorum « commentariorum libris quatuordecim » explicationem nobis transmisit, quae aliorum Patrum et iuniorum interpretum explicationes plerasque longe superat[4]. Tempore proximus eum sequitur *S. Gregorius M.,* at eius viginti duae homiliae (in duos libros distributae), quamvis satis diffusae sint, sola tria priora capita (1,1-4,3) et priorem partem descriptionis templi (40,1-49) complectuntur; S. Doctor autem, quum ad populum has homilias

haberet, eam methodum tenere voluit, ut sensu literali vix tacto ad allegoricas et maxime tropologicas accommodationes transiret[5]. *B. Rhabani Mauri* Commentariorum libri viginti, iussu imperatoris Lotharii conscripti, integrum librum explanant, dependent autem ita a S. Hieronymo et in prioribus capitibus a S. Gregorio, ut nonnulla tantum propria, « quae ei divina gratia investigare concessit », exhibeant. A tribus his latinis interpretibus integra dependet Glossa ordinaria *Walafridi Strabonis*[6].

Ex MEDIAE AETATIS interpretibus paucos illos tantum nominamus, quorum opera magis sunt cognita. *Rupertus Tuitiensis* duobus suis Commentariorum in Ezechielem libris prima duodecim et ultima novem capita explicare vult, sed integer fere in allegoriis versatur. Prorsus oppositam viam tenuit *Richardus a S. Victore :* ratus enim « literae expositionem in obscurioribus quibusdam locis ab antiquis Patribus tacite esse praetermissam vel paullo negligentius tractatam », ea quidem « quae a Patribus pertractata sint, cum omni aviditate suscipere, sed ab illis omissa etiam cum omni sagacitate perquirere et sagaciter inventa cum omni liberalitate in commune proferre » sibi proposuit, atque ita visiones de Cherubim et de templo sensu literali diligenter explanavit multis quoque figuris descriptionem templi illustrans, verum quid sibi velint visiones non innuit[7]. *Card. Hugo* et *Nic. Lyranus* in maiore libri parte consuetam suam viam tenentes prior brevius, alter fusius et diligentius sensum literalem exponunt. In ultima autem visione (40.-48.) solum literalem explicant atque simili modo, quo Richardus, Lyranus quoque novum templum et novam civitatem figuris repraesentare conatur; in fine expositionis autem ambo monent, non agi de templo ierosolymitano iterum aedificando sed de spirituali aedificio Ecclesiae; quam sententiam Lyranus demonstrare et illustrare studet, Hugo paucissimis tantum verbis innuit addens « visionem hanc diligenti et sollicita explanatione morali vel mystica indigere, si cui divinitus aperiretur ». *Dionysius Carth.* pro more praedecessores suos sequitur.

1. *Origenis* Fragm. ex tom. XX. Homiliae quatuordecim, Selecta ex catenis (in 1,1-30,6) M. 13,663-828; pauca alia fragmenta a Card. Mai addita M. 17,288. — Homiliae etiam exstant inter opera S. Hieronymi M. 25,723-826.

2. *S. Ephraem* Explanatio in Ezech. Opp. syr. II. p. 165-202.

3. *Theodoreti* Comm. in Ezech. M. 81,807-1256. — Quae a nonnullis interdum allegatur *S. Gregorii Naz.* « Significatio in Ezechielem » (M. 36,665 sqq.) « rectius inscriberetur : Breves et indigestae adnotationes in Ezechielem et alia quaedam Scripturae loca... Mirum profecto videri debet, quod tam informis foetus Gregorio attribuatur ac inter peregregias eius orationes locum obtinuerit ».

4. *S. Hieronymi* Commentarii in Ezech. M. 25,15-512.

5. *S. Gregorii M.* Homiliarum in Ezech. libri duo. M. 76,785-1072. — Quae ex

aliis S. Doctoris operibus excerpsit *S. Paterius* (De testimoniis in Ezech. proph. M. 79,983-998), etiam interpreti parum inserviunt.

6. *B. Rhabani Mauri* Comment. M. 110,493-1084. — *Strabonis* Glossa ordinaria in Ezechielem non exstat in Migne Patrologia.

7. *Ruperti Tuit.* In Ezech. proph. libri duo. M. 167,1419-1498.; — *Richardi a S. Vict.* In visionem Ezechielis. M. 196,527-600.

Ipsa quoque SAECULA 16. et 17., quae tot tantosque interpretes catholicos produxerunt, in Ezechielis vaticiniis explanandis non admodum magnam videntur diligentiam posuisse. Si illos, qui integras Scripturas commentati sunt aut glossis illustrarunt, pro more omittimus, vix quinque vel sex invenimus, qui de nostro libro bene sint meriti : *Hector Pintus, Petrus Serranus* Cordubensis, *Hieron. Pradus* et *I. B. Villalpandus., Ioan. Maldonatus, Casp. Sanctius,* quibus addi potest *Lud. ab Alcasar*, qui Apocalypsin interpretatus nonnulla capita (1. 10. 38. 39. 48.) a S. Ioanne adhibita accuratius exponenda duxit[8]. Mole sua Pradi et Villalpandi opus reliqua longe superat, at ingentibus suis tribus voluminibus integram Ezechielis prophetiam non complectitur; siquidem in primo Pradus viginti sex prima capita docte et diligenter explicat graecis quoque catenis manuscriptis in auxilium vocatis; in secundi voluminis priore parte Villalpandus nonnullas notas de cpp. 27. et 28. addit, ut deinde in reliqua parte vol. 2. et in toto vol. 3. de templo et de urbe diffusissime et eruditissime disserens cpp. 40.-42. et nonnulla ex cpp. 43. 46. exponat. Magno huic operi moderni interpretes procul dubio commentarios Sanctii et Maldonati praeferent, qui, licet multo sint breviores, textum sacrum tamen accuratius et diligentius, quam Villalpandus, exponunt. Inter eos, qui de integris aut fere integris Scripturis V. T. egerunt, hoc loco nominandi sunt, utpote de Ezechiele bene meriti, *Thom. Malvenda*, qui tamen morte impeditus sola quatuordecim prima capita absolvit, et *Corn. a Lapide,* quos saepe iam nominavimus.

Quibus SAECULA 18. ET 19. non multa addiderunt, immo saec. 18. solus *Aug. Calmetus* speciali mentione videtur esse dignus, atque nostra quoque aetate haud multa prodierunt, quae laude sunt digna. De totius libri dispositione *B. Neteler* et accuratius *I. Knabenbauer* disserunt, qui etiam librum ipsum egregio commentario latino instruxit, uti gallico *Trochon*. Messianica vaticinia Ezechielis interpretati sunt *I. Bade, G. C. Mayer,* ac praesertim *L. Reinke*[9].

Multo plura hac nostra aetate protestantici interpretes de Ezechiele ediderunt; ex iis, qui inspirationem admittunt, nominari merentur *H. A. C. Hävernick* (Comment. Erlangen 1843.), *C. W. Hengstenberg* (Die Weissagungen etc. Berlin 1867.), *C. F. Keil* (Bibl. Comment. Leipzig 1868.), *F. W. I. Schröder* (D. Prophet Hesekiel. Bielefeld 1873.); ex rationalisticis *F. Hitzig* (Kurzgefasstes exeg. Handbuch. D. Proph. Ezechiel. Leipzig 1847.; editionem

alteram retractavit *R. Smend.* 1880.). Criticam editionem textus hebraici curavit *C. H. Cornill* (Leipzig 1886.) suis coniecturis nimium tribuens. Reliquos commentarios acatholicos antiquos et modernos enumerant *Rosenmüller* Scholia in Ezech. Ed. 2. I. p. 23 sqq., *Schröder* l. c. p. 26 sqq., *Strack* Einleitung. Ed. 4. 1894. p. 208 sq.

8. *Hect. Pinti*, O. S. Hier., Comment. in Ezech. Salmanticae 1568. et saepius (Opp. omnia. Lugduni 1584. II.); — *Petr. Serrani* Comm. in Ezech. Antwerpiae 1572. et 1609.; — *Hier. Pradi* S. I. et *I. B. Villalpandi* S. I. In Ezechielem explanationes et apparatus urbis ac templi commentariis et imaginibus illustratus. Romae 1596.-1604.; — *Ioan. Maldonati* S. I. Comm. in prophetas Ierem., Ezechielem etc. Lugduni 1609.; — *Casp. Sanctii* S. I. Comm. in Ezech. et Dan. Lugduni 1619.; — *Lud. ab Alacasar* S. I. In eas V. T. partes, quas respicit Apocalypsis. Lugduni 1632.

9. *B. Neteler* Gliederg des B. Ezechiel. Münster 1870. — *I. Knabenbauer* S. I. Beiträge zur Würdigg des Proph. Ezech. (Stimmen aus M. L. Freiburg. 1879. 1880. XVII. XVIII); eiusdem Comm. in Ezech. proph. Parisiis 1890. — *Trochon* Les Prophètes. Ezéchiel. Paris 1880. — *I. Bade* Christologie des A. Test. Münster 1862. III. 2. p. 43 sqq.; *C. G. Mayer* Die mess. Weissaggen bei Ieremia u. *Ezechiel*. Wien 1865; *L. Reinke* Messianische Weissaggen bei den Prophetan. IV. Giessen 1862.

---

# CAPUT V.

## DE PROPHETIA DANIELIS.

### § 16. — *De Danielis vita et munere.*

283. — Ultimum inter prophetas maiores locum in canone Iudaeorum alexandrinorum et Christianorum occupat Daniel, cuius librum, utpote viri, qui *munere* prophetico non sit functus, Palaestinenses inter hagiographa recensent. De eius vita praeter ea, quae ex eius libro colligimus, certi nihil nobis est traditum.

Oriundus ex nobili familia tribus Iuda natus est versus finem regni Iosiae; si Fl. Iosepho fides est, ex stirpe regia descendit, Ps. Epiphanius eum in Bethabara superiore natum dicit patrisque nomen Sabaan fuisse refert[1]. Admodum iuvenis a. 4. Ioakim, quum Nabuchodonosor Aegypti rege Nechao prope Charcamis devicto totam Asiam citeriorem occupasset et Ierosolyma prima vice expugnasset, cum aliis nobilibus Iudaeis in Babyloniam abductus est[2]. Captivorum sors satis fuit mitis; teste enim Beroso Nabuchodonosor vix regno potitus eis colonias in Babyloniae locis maxime opportunis assignavit, in quibus, uti ex prophetarum libris satis constat, suis legibus utebantur[3]. Ex iuvenibus autem nobilioribus decoros forma ingenioque praeditos eligi iussit, qui in aula regia lingua et literis Chaldaeorum instituerentur, ut aulicis postea ministeriis adhiberentur[4]. Inter electos fuit *Daniel*, cuius nomen in *Baltassaris* est commutatum[5]. Licet iuvenis, patriae tamen Legi erat addictissimus; quapropter cum tribus amicis eadem indole conspicuis, Anania (Sidrach), Misael (Misach), Azaria (Abdenago), rogavit, ut mensae regiae dapibus abstinere ac solis leguminibus vesci sibi liceret, ne vetitorum ciborum usu contaminarentur. Periculo facto praepositus eunuchorum[6] petitioni eorum annuit; iuvenes autem fidelitate et abstinentia sua tantam sibi meruerunt gratiam divinam, ut scientia quoque et sapientia condiscipulos suos longe superantes studiorum triennio expleto a rege ad aulica ministeria sint admissi. Prae omnibus autem eminebat Daniel, cui Deus etiam visionum et somniorum intelligentiam praebuerat (*Dan.* 1,1-21).

Neque ei sapientiae suae manifestandae occasiones defuerunt. Atque coram contribulibus quidem eam prima vice manifestavit, quum Su-

sanna, divitis cuiusdam Iudaei uxor pia, a duobus populi senioribus adulterii falso accusata et innocens mortis condemnata esset. Novo enim iudicio obtento seniores illos falsi testimonii coarguit atque convicit innocentemque mulierem liberavit (13,1-65). Hinc « magnus factus est in conspectu populi a die illa et deinceps », atque ad tantam pietatis et sapientiae famam apud suos pervenit, ut alter propheta, qui paucis annis post Danielem captivus in Babyloniam adductus erat, eum pietate quidem cum Noe et Iob compararet, sapientia autem omnibus anteponeret (*Ezech.* 14,14.20;28,3). Neque minore gloria apud ethnicos est potitus. Etenim Nabuchodonosor, quum a. 2. (vel probabilius a. 12.) regni sui somnium vidisset, quo quam maxime erat perterritus sed cuius non amplius recordabatur, frustra a suis sapientibus eius explicationem postulavit; Danieli autem precanti Deus somnium istud una cum eius explicatione revelavit. Quo factum est, ut Nabuchodonosor Deum Danielis velut summum deum agnoscens non tantum prophetam secum in aula retineret, sed omnibus sapientibus chaldaicis praeficeret; provinciam quoque Babyloniam administrandam ei tradidit atque tres amicos eius socios et vicarios administrationis concessit (*Dan.* 2,1-49). Quibus in muneribus toto regno Nabuchodonosoris per quadraginta (triginta) circiter annos permanserunt. Magno quidem periculo expositi sunt Danielis amici, quum auream statuam a rege erectam adorare renuissent; insigni autem miraculo in camino ignis illaesi sunt servati, ita ut rex potentiam quoque Dei Iudaeorum agnoscere sit coactus (3,1-97). Daniel vero ipse altero Nabuchodonosoris explicato somnio praedictoque gravissimo morbo, quo septem annis incapax regni factus est rex, eum adduxit, ut ad mentis sanitatem reversus Dei iustitiam et magnitudinem palam profiteretur (3,98-4,34).

1. *Dan.* 1,6. — *Fl. Ioseph.* (Antiqu. X. 10) Danielem eiusque tres amicos « de genere Sedeciae » fuisse dicit, sed ex *Dan.* 1,3 id videtur coniecisse, ubi praepositus eunuchorum « de semine regio et principum » iuvenes eligere iubetur. *S. Hier.* (In Dan. 1,3. M. 25,518) quoque velut coniecturam dumtaxat iudaicam affert regiam Danielis stirpem, quatenus in Daniele amicisque eius impletum sit vaticinium *Is.* 39,7 — *Ps. Epiph.* De vit. prophet. 10 (M. 43,404).

2. *Supra* (261. n. 3 p. 366) iam monuimus, Danielem, si a. 3. Ioakim regem Nabuchodonosor Ierosolyma venisse dicat, non pugnare cum *Ieremia* (25,1 sqq.; 46,2), qui eum non ante a. 4. Ioakim urbem expugnasse innuit; Daniel enim de expeditionis initio loqui recte dicitur, Ieremias de urbis obsidione. Nam *Dan.* 1,1 בָּא non *adveniendi* sed *proficiscendi* vel *eundi* sensu usurpatur; (cfr *Ion.* 1,3 « invenit navem בָּאָה *euntem* in Tharsis et descendit in eam לָבוֹא עִמָּהֶם ut *proficisceretur* cum eis in Tharsis »; *Gen.* 37,10; *Exod.* 6,11; *Num.* 32,6 etc.). Ante mortem igitur patris sui Nabopalasaris Nabuchodonosor a. 3. Ioakim castra movit contra Nechao, eumque a. 4. devicit atque Asiam citeriorem et Ierosolyma expugnavit. De morte autem patris certior factus in Babyloniam reversus thronum ascendit a. 5. Ioakim (a. 603. a. Chr.); pro

Babyloniorum autem more, qui annum, quo rex thronum accipit, non numerant, Danieli annus 1. Nabuchodonosor est a. 6. Ioakim; nam secundum *Dan.* 2,1 anno 2. Nabuchodonosoris iam effluxerant tres anni ab expugnatione Ierusalem et transmigratione Danielis (cfr 1,5). Nisi cum aliis 2,1 legere malis « anno duodecimo Nabuchodonosor », quam sententiam longe probabiliorem esse censeo.

3. *Beros.* apud *Fl. Ioseph.* Antiqu. X. 11,1. — *Ierem.* 29,4 sqq. 24 sqq.; *Bar.* 1,3 sqq.; *Ezech.* 8,1; 20,1; 12,3 sqq. etc.; *Dan.* 13,1 sqq. Cfr etiam libellum Tobiae, quum eadem esset sors Israelitarum atque Iudaeorum.

4. In aula regum Assyriae et Babylonis etiam exterarum gentium iuvenes illo scripturae genere tam difficili, quod cuneiforme vocatur, atque antiquiore illa lingua, quae primitus illas literarum formas adhibuerat, (« literis et lingua Chaldaeorum » 1,4), institutos esse, constat inscriptionibus. Cfr *Vigouroux* La Bible et les découvertes modernes. IV. p. 392 sqq.

5. *Daniel* דניאל (vel דנאל *Ezech.* 14,14 etc.) secundum alios : *Iudex Dei* vel *Iudex divinus* (cfr *Dan.* 13.), secundum alios « Iudex meus est Deus », vel si *Gen.* 30,6 comparatur : « *Vindex meus est Deus* » (Idem nomen gessit unus ex filiis David 1 *Paral.* 3,1, sacerdos quidam post exsilium 1 *Esdr.* 8,2; 2 *Esdr.* 10,7). — Nomen *Baltassar* vel potius *Beltschazzar* (בלטשאצר) ab aliis hodie explicatur *Balat-su-uzur* i. e. *vitam eius protegat* sc. Bel, ab aliis *Belit-sar-usur* i. e. *Beltis protegat regem.* Prior etymologia non plane convenit cum *Dan.* 4,8, ubi Nabuchodonosor : « cui, inquit, nomen Beltschazzar *secundum nomen dei mei* »; altera minore difficultate laborat, quum nomen *Bilat* (Beltis) per ת et non per ט esset transcribendum. Danielis autem nomen Baltassar non est confundendum cum *regis* Baltassar (5,1 etc.) nomine, licet Alex. et Vulg. utrumque eadem ratione reddant. Rex vocatur בלשאצר *Bilsaruzur* = *Bel, protege regem.* De his aliisque nominibus babylonicis ac persicis libri cfr *Fuller* The Speaker's Comm. VI. p. 242 sqq. et *Knabenbauer* Comment. in Danielem prophetam. Parisiis 1891. p. 70 sq. et passim.

6. Ex nomine hoc « *praepositi eunuchorum* » רב סריסים Iudaei antiqui concluserunt, Danielem eiusque amicos factos esse eunuchos (cfr *Fl. Ioseph.* Antiqu. X. 10,1), quam sententiam aliqui Patres ita commemorant, ut non satis appareat, num eam approbaverint (*Orig.* In Ezech. hom. 4,5.8; in Matth. t. XV. 5. M. 13,700. 703. 1265; — *S. Hieron.* Adv. Iovin I. 25; in Dan. 1,3. M. 23,25; 25,518 etc.), alii de eximia eius castitate explicant (*Ps. Epiph.* De vit. proph. 10. M. 43,404 : « Adeo continens [σώφρων] fuit, ut Iudaeis spado esse videretur »). Alteram hanc sententiam amplexi sunt plerique iuniores interpretes, quos enumerat *Sanct.* Comm. in Dan. Proleg. 2. scite addens, vocem סריס, licet proxime spadonem significet, frequenter latiore sensu usurpari de ministris aulicis regum, ita ut רב סריסים sit « praepositus ministrorum aulicorum ». Alexandrini *Ier.* 34,19 vocabulum vertunt δυνάστης, Thargumistae plerumque רבא (*princeps*). Ceterum recte monet *Vigouroux* (La Bible et les découvertes modernes. II. p. 24) : « Dans tous les temps et dans tous les pays, il y a eu des noms de dignité qu'il ne faut pas entendre selon leur sens étymologique. Les grands *connétables* (comites stabuli) étaient chez nous de grands dignitaires du royaume, quoiqu'ils ne s'occupassent plus des écuries royales ». Cfr etiam *Gesenius* Hebr. Handwörterb. Ed. 9. 1883. p. 585; *Fürst* Hebr. Handwörterb. Ed. 3. 1876. II. p. 97.

284. — Nabuchodonosorem in regno secutus est filius Evilmerodach, qui Danieli amicisque eius munera a patre collata procul dubio continuavit; Iudaeis enim tantopere favebat, ut Iechoniam regem e carcere

eductum prae omnibus regibus, qui Babylone degebant, honoraret (4 *Reg.* 25,27 sqq.; *Ierem.* 52,31 sqq.); neque improbabile est, Danielis auctoritate regem Babyloniae, qui eo tempore, quo pater morbo illo a propheta praedicto laborabat, regnum administravit, ad tantam gratiam permotum esse. At duobus post annis iam occisus est Evilmerodach[1] successoremque habuit Neriglissor, cognatum suum, forte eundem, qui tamquam dux exercitus Nabuchodonosor Ierosolyma destruxit[2]. Qua occasione Daniel ex aula regia videtur esse remotus; de Nabuchodonosoris enim proximis successoribus non loquitur. Neriglissor regnavit quatuor annis thronumque reliquit filio suo parvulo Labosordacho, qui post novem menses iam occisus est. Thronum occupavit unus ex coniuratis Nabonidus, qui ultimus fuit rex Babyloniae. Ut regnum suum confirmaret, filiam Nabuchodonosoris uxorem videtur duxisse, ex qua genuit primogenitum suum Baltassar. Septemdecim annis thronum tenuit, sibique ultimis annis filium socium regni adiunxit[3]. Eo autem tempore Cyrus devictis Medis Lydiisque regnum Chaldaeorum aggressus est; Nabonidus in proelio fugatus Borsippam se recipiens filio Baltassari civitatem Babylonem defendendam reliquit. Dum Cyrus exercitu suo urbem obsidebat, Baltassar grande convivium fecit optimatibus suis atque temulentus vasa sacra e templo ierosolymitano ablata afferri iussit, ut in eis biberet cum uxoribus et concubinis suis. At eadem hora apparuit manus arcanas voces in pariete aulae conscribens; perterritus rex, quum nemo ex sapientibus eius scripturam legere posset, monitus a matre Danielem, qui e Susiana Babyloniam reversus erat (8,2. 27), advocari iussit, qui instantem regni interitum regisque mortem praedixit; eadem nocte Cyrus urbem expugnavit regnoque chaldaico finem fecit[4].

Babyloniae autem throno et imperio potitus, quum bello nondum confecto distineretur multis occupationibus, regni socium (vel fortasse melius : viceregem) constituit Medum quendam, qui urbem terramque subiectam administraret[5]. Quodnam illi fuerit nomen, haud certo constat. *Darium* Medum quidem Baltassari successisse Daniel tradit (5,31; cfr 9,11; 11,1); verum illo nomine, quod ex solo libro nostro habemus, designari Cyaxarem II., « Cyri avunculum, qui post Astyagem patrem regnavit in Medis », iam tradiderunt S. Hieronymus et Fl. Iosephus et admittunt hodie multi interpretes[6]. Apud novum regem Daniel non minore in gratia fuit, quam apud Nabuchodonosor fuerat; inter tres enim summos magistratus est constitutus, quibus integri imperii satrapae omnes rationem reddere tenebantur. Quod quum aegre ferrent ethnici, regi persuaserunt, ut lege lata alium praeter se ipsum velut deum adorari vetaret; Danielem autem, quoniam impiam stultamque legem non observasset, legis violatae accusarunt invitumque regem coegerunt, ut

prophetam in lacum leonum mitteret. Quo in discrimine Dominus servum suum fidelem magno miraculo conservavit, quo agnito Darius publico decreto potentiam Dei Danielis professus est (6,1-28). Sed iam ad finem vergebant septuaginta exsilii anni a Ieremia praedicti; secundum eiusdem prophetae praedictionem Iudaei aliaeque gentes Nabuchodonosori eiusque filio et nepoti (Evilmerodach et Baltassari) iam servierant (*Ierem.* 25,11; 27,7); mirum ergo non est, quod eo tempore Daniel ieiuniis ardentibusque precibus Deum magis quam antea obsecraret, ut populi sui misereretur (9,1 sqq.). Deus autem populi sui non erat oblitus; Darius, qui sexaginta duos annos natus regnum Babyloniae susceperat, post duos annos iam mortuus est atque Cyrus Babyloniam regno suo adiunxit regemque Babyloniae sese vocare coepit. Illo autem anno finitum erat tempus a Ieremia praedictum, atque unum ex primis Cyri negotiis fuit, ut non tantum Iudaeis sed aliis quoque gentibus a Nabuchodonosor transportatis permissionem in patrias suas sedes revertendi concederet; id quod ipse in inscriptione superstite testatur[7]. Daniel vero cum reducibus in patriam non est reversus; iuvenis a. 4. Ioakim transportatus finitis septuaginta exsilii annis fere nonagenarius fuit; quare in Babylonia remanere maluit, ut in aula Cyri reducum negotia ageret et idolorum vanitatem ethnico regi manifestaret. Fraudes sacerdotum Bel patefecit, Bel templumque eius destruxit, draconem, quem velut deum venerabantur Babylonii, interfecit; quum vero postulantibus Babyloniis, quia idola destruxerat, iterum leonibus esset obiectus, iterum a Domino conservatus est, ita ut Cyrus eadem ratione, qua Nabuchodonosor, Baltassar et Darius, potentiam Dei Danielis agnoscere sit coactus (14,1-42). Quamdiu supervixerit et quo mortis genere vitam finierit, ignoramus: 3. anno Cyri ultima, quam refert, visio adscribitur (10,1 sqq.)[8].

1. Secundum *Beros.* (apud *Fl. Ioseph.* c. Appion. I. 20) occisus est, quia ἀνόμως καὶ ἀσελγῶς rempublicam administravit; sed veram occisionis causam fuisse favorem, quo Iudaeos prosequebatur, suspicantur nonnulli moderni historici : *G. Rawlinson* The five great monarchies III. p. 62; *Smith* History of Babylonia p. 168. Cfr *Brunengo* L'impero di Babilonia e di Ninive II. p. 348 sq.

2. *Ierem.* 39,3. 13. Cfr *Brunengo* l. c. p. 350; *Vigouroux* La Bible et les découvertes modernes IV. p. 454 : « Notre Vulgate, par sa ponctuation actuelle (*Ier.* 39,3. 13), semble faire de Nériglissor, le rab-mag, trois personnages distincts : *Neregel, Sereser, Rebmag*; au v. 13 nous lisons même : *Neregel et Sereser et Rebmag*, mais la conjonction *et* n'existe pas dans le texte hébreu, qui transcrit très exactement les consonnes du nom de Nériglissor נרגל שראצר, *que le dieu Nergel protège le prince!* en le faisant suivre de son titre de רב־מג, exactement partagé en deux mots ». Quodnam munus titulo *Rabmag* designetur, non constat : ab aliis explicatur « princeps magorum », ab aliis « princeps sacerdotum » etc.; cfr *Schrader* Keilinschr. u. A. T. p. 417 sqq.

3. De successoribus Nabuchodonosor cfr *Vigouroux* l. c. p. 453 sqq.; *Brunengo* l. c. p. 312 sqq., qui antiquorum scriptorum testimoniis et cuneiformibus inscriptioni-

bus adhibitis eorum historiam accurate narrant. De rege Baltassare autem, qui antiquioribus interpretibus non parvam creavit difficultatem cfr *Vigouroux* p. 463 sqq., *Brunengo* l. c. p. 370 sqq. Inscriptionibus repertis hodie constat, eum filium Nabonidi fuisse et patre in Borsippam fugiente urbem Babylonem defendisse. Duos autem reges, quando Babylon capta est, thronum occupasse (Nabonidum eiusque filium Baltassarem) hic ipse innuit, quum Danieli promittat, se eum facturum esse *tertium* in regno suo, sc. post patrem suum seque ipsum (5,16. 29). Ita recte moderni. — Ceterum multi quoque assyriologi, solis monumentis cuneiformibus innixi, probabile habent, Baltassarem a patre in regni consortium esse admissum, cfr *Lenormant* Man. d'hist. des peuples de l'Orient. II. p. 27; *Maspero* Hist. des peuples de l'Orient. p. 519; *Oppert* Le peuple et la langue des Mèdes. p. 168; *G. Rawlinson* The five great monarchies. III. p. 10 etc.; atque ipse *Schrader* (Keilinschr. u. das A. T. p. 433 sqq.) nihil miri in eo invenit, quod Baltassar, similiter ac Nabuchodonosor (*Ierem.* 46,2), iam ante patris mortem velut primus belli dux titulo regis sit ornatus.

4. *Dan.* 5,1-30. — Inscriptiones de Cyri bello contra Babylonem vide apud *Vigouroux* (l. c. p. 475 sqq.), *Brunengo* (l. c. p. 387 sqq. 421 sqq.) etc.

5. In priore editione sententiam *Fr. Lenormant* (La divination chez les Chaldéens. p. 181 sq.) secutus Cyrum non nisi anno 3. post urbem expugnatam titulum *regis Babyloniae* assumsisse dixi, quia in duorum primorum annorum contractibus semper *rex nationum*, inde ab a. 3. *rex Babyloniae, rex nationum* vocetur. At P. *I. Strassmaier* S. I. nunc etiam sat multos contractus anni 1. et 2. reperit et edidit, in quibus iam simpliciter *rex Babyloniae* aut *rex nationum, rex Babyloniae* appellatur. Attamen ex Cyri inscriptionibus a *Strassmaier* editis etiam apparet, eum iam 1. a. post urbis expugnationem socium regni habuisse Kambuzia (i. e. virum ex Kambuja); cfr *Knabenbauer* Comm. in Danielem proph. p. 170.

6. Varias sententias de Dario Medo accurate diiudicantes *Brunengo* (l. c. p. 452 sqq.) et *Knabenb.* (l. c. p. 171 sqq.) probabilibus argumentis demonstrant, Cyaxarem II. esse Darium Medum; cfr *Fl. Ioseph.* Ant. X. 11,4 : « Dario autem, qui cum Cyro cognato suo Babyloniorum imperium evertit annus agebatur sexagesimus secundus, quando Babylonem cepit; qui Astyagis filius erat et alio nomine apud Graecos vocabatur »: (revera a *Xenoph.* Cyrop. I. 4,5 etc. vocatur Cyaxares); *S. Hier.* In Dan. 8,3 (M. 25,560) : « Arietem Darium vocat, avunculum Cyri, qui post Astyagen patrem regnavit in Medis. Cornu autem unum excelsius altero et succrescens ipsum Cyrum significat, qui post Astyagen avum maternum cum avunculo Dario, quem Graeci Κυαξάρην vocant, Medis imperavit et Persis ». — Alii tamen nomine Darii Medi intelligere malunt *Gobryam* (Ugbaru), quem Babyloniae se praefecisse Cyrus ipse in inscriptione quadam testatur; cfr *Vigouroux* l. c. p. 482 sq., *Rohling* Das Buch des Proph. Daniel p. 172 sqq.; alii admittendum censent ducem quendam Medorum secus nobis incognitum, qui a Cyro sit constitutus verus rex Babyloniae cfr *Fuller* in The Speaker's Commentary VI. p. 309-314. — Ceterum animadvertas velim, solam difficultatem, quae contra Danielis relationem de Dario Medo affertur et afferri potest, ex *silentio* aliorum scriptorum desumi; « but, inquit rectissime *Fuller* (l. c. p. 314), this objection is very much removed by a recollection of Easter practices. The whole Achaemenian period, replete with its heroes and glorious events, passed so completely out of the thoughts of the Persian people, that not one name remained to them. The very name of the great Darius Hystaspis came back to the Persians through the greek traditions concerning Alexander (*Spiegel* Eran p. 88). Can it be a matter of wonder that the short reign of Darius the Mede should have perished in this general oblivion? »

7. Cfr inscriptionem Cyri apud *Vigouroux* l. c. p. 511 sqq., *Brunengo* l. c. p. 402 sqq.

8. Secundum *Ps. Epiph.* De vitis proph. 10. « Daniel Babylone pacifice mortuus est et in regia spelunca splendide sepultus, atque ad hunc usque diem sepulcrum illius notissimum omnibus ibidem conspicitur ». Sed etiam in Susiana sepulchrum eius monstratur, atque 3. Cyri anno eum non amplius Babylone fuisse constat ex 10,4. *Corn. a Lap.* refert in vetusto quodam codice Basilii Porphyrogeniti Danielem cum tribus eius amicis sub Attalo capite plexum depingi, addit autem : « Cuius rei fides sit penes ipsum; nam nullus veterum Patrum vel historicorum, quod sciam, hoc memoriae prodidit ». In Martyrologio Rom. festum eius annuntiatur die 21. Iulii : « Babylone S. Danielis Prophetae ». Cfr de eius vita I. Pinius S. I. in Act. S. S. Iulii V. p. 117-131.

285. — Paucis his, quae de Danielis vita nobis sunt tradita, satis apparet quodnam MUNUS difficillimis illis temporibus divina providentia ei imposuerit. Ezechiel et Daniel aequales fuerunt et ambo cum exsulibus transportati sunt in Babyloniam; at Ezechiel inter contribules suos vixit, ut eos vaticiniis et concionibus consolaretur et exhortaretur, Danielis autem plane diversa fuit conditio. Quemadmodum Deus olim, quum filios Israel in Aegyptum ducere vellet, eis viam praeparaverat praemisso Ioseph, filio Iacobi, in quo protectorem invenirent, ita etiam illo tempore, quo populi sui peccata exsilio punire cogebatur, exsulibus non defuit, sed eis quoque in Daniele amicisque eius protectores praeparaverat. Sapientissimo enim suo consilio ita res disposuerat, ut Daniel iam a. 4. Ioakim transportatus cum amicis suis in ipsa aula regia educaretur, gratiam regis divina sua sapientia sibi conciliaret, illoque tempore, quo Iechonias cum nobiliore populi parte in Babyloniam advenit, tanta apud regem et inter ethnicos auctoritate valeret, qua exsulibus maximo esset auxilio et praesidio. Quoniam in aula degebat publicisque negotiis erat implicatus, eadem quidem ratione, qua reliqui prophetae, concionibus suis populum erudire, ab idololatria avertere, in Legis observantia retinere non potuit; at efficacissima concio erat tota eius vita atque exemplo suo docuit, qua cum fidelitate et fortitudine Lex inter medios idololatras esset observanda solusque Dominus colendus. Profecto exsules, quum Danielem amicosque eius nec minis nec periculis a patria religione absterreri viderent magnaque miracula spectarent, quibus fideles Domini adoratores in caminum ignis aut in lacum leonum iniecti incolumes servabantur, quasi manu apprehenderunt, Dominum populum suum non dereliquisse nec promissionum suarum esse immemorem. Non minus igitur Daniel, quam Ezechiel, licet alia ratione, contribules suos in patria religione retinuit et confirmavit; sed visionibus quoque suis, quas procul dubio cum eis communicavit, eos est consolatus spe messianica ad novam vitam excitata certoque regni messianici triumpho annuntiato.

At non in solis Iudaeis exsulibus docendis et consolandis versabatur

Daniel, siquidem ad ethnicos quoque se eius munus extendebat, ut vix minus ethnicorum quam Iudaeorum propheta sit appellandus. In semine Abrahae enim benedicendae erant omnes gentes et salus, quae ex Iudaeis est (*Ioan.* 4,22), omnibus hominibus erat destinata. Iudaeorum inter gentes dispersione, quae ab exsilio babylonico initium sumsit, Apostolis iam via praeparari coepta est, qua omni creaturae Evangelium annuntiare possent[1]; praeparandi autem animi quoque erant, ut bonum nuntium acciperent, removendaque praeiudicia, quibus a vero Deo et Domino suo agnoscendo et adorando arcebantur. Tam profundas radices in omnium antiquorum populorum animos egerat polytheismus, ut non nisi lento et continuo multorum saeculorum labore evelli et destrui posset; Danielis autem munus erat, ut hunc laborem illo in tempore et illo in loco susciperet, in quo difficilior erat. Destructo enim regno Iudaeorum verique Dei unico templo deleto Iahve ipse, quem velut Iudaeorum deum quendam nationalem ethnici habebant[2], a Chaldaeorum diis videbatur esse devictus; sicut aliarum gentium idola, ita templi ierosolymitani sacra vasa in domum dei sui intulerat Nabuchodonosor (1,2) tamquam spolia, quae idola sua devicto Iudaeorum deo eripuissent. Ut hunc errorem praecaveret et destrueret, in ipsa aula regia constitutus est propheta noster cum amicis suis, qui potentiam, sapientiam, magnitudinem Domini potentissimis regibus eorumque regnis manifestarent. Revera Danielis vaticiniis et miraculo, quo amici eius in camino ignis servati sunt, adductus est Nabuchodonosor ut Deum Danielis esse « deum deorum et dominum regum » (2,47) profiteretur, cuius « omnia opera sint veritas et omnes viae iustitia » (4,34), publicoque decreto omnibus suis subditis interdiceret, « ne quis blasphemiam loqueretur contra Deum Sidrach, Misach et Abdenago, quoniam alius non esset deus, qui posset ita salvare » (3,96 [29]). Eadem ratione Darius Medus et Cyrus, quum Danielem ex leonum lacu incolumem egredi et idola Chaldaeorum impune destruere viderent, publico decreto potentiam et magnitudinem veri Dei proclamarunt (6,25 sqq.; 14,42). Procul dubio magnis illis miraculis nec Nabuchodonosor nec Darius aut Cyrus ad monotheismum sunt conversi, neque is fuit decretorum istorum sensus, ut solum Deum Iudaeorum omnibus adorandum praescriberent; nihilominus decretis suis ad veri Dei cognitionem in vastissimis suis imperiis propagandam non parum contulerunt. Luce enim clarius patuit omnibus, Deum Danielis, licet templum non amplius possideret, semper esse « Deum viventem et aeternum; regnum eius non esse dissipatum sed in aeternum esse duraturum; eum esse salvatorem et liberatorem, qui faciat mirabilia in coelo et in terra » (6,27. 28). Iure merito igitur Danielem gentium quoque prophetam fuisse dicimus, cuius ministerio ad destruendam ido-

lolatriam usus sit Deus. Atque visiones eius, quum cunctae victoriam, quam veri Dei Messiaeque regnum de potentissimis regnis mundanis sit reportaturum, annuntient et describant, hanc sententiam confirmant. Toto igitur libro suo Daniel magnitudinem excelsitatemque Domini celebrat, ideoque eum eadem ratione *prophetam maiestatis divinae* vocamus, qua Isaiam misericordiae, Ieremiam iustitiae, Ezechielem fidelitatis divinae praecones fuisse diximus.

1. Cfr *Introd. gen.* Ed. 2. n. 104. p. 294 sqq. — Diu quidem ante Iudaeos incolae regni septemtrionalis in captivitatem abducti et inter gentes dispersi sunt; at pauci ex illis avitam Legem retinuerant, uti pius Tobias eiusque familia; quare etiam cum gentibus commixti plane interisse videntur.
2. 4 *Reg.* 17,24 sqq.; — *Is.* 36,18; 4 *Reg.* 18,33; 2 Paral. 32,13.

## § 17. — *De libri Danielis argumento, partitione, indole.*

286. — Liber Danielis, quem velut canonicum Ecclesia semper agnovit, hodierno hebraico libro, quem solum recipiunt Iudaei et Protestantes, multo est copiosior; protocanonico enim illi libro noster tamquam partes deuterocanonicas inserit vel addit orationem Azariae et hymnum trium Danielis amicorum (3,24-90), historiam Susannae (13, 1-65), narrationem de Bel et dracone per Danielem destructis (14,1-42). Num additamenta haec ad primitivum librum iam pertinuerint, an eidem recentiore tempore sint adiecta, non est, cur hoc iam loco inquiramus; infra (291 sqq.) de eorum origine et auctoritate disseremus atque in libri nostri argumento describendo et partitione indicanda ea velut appendices considerabimus.

Argumento suo a plerisque propheticis satis differt Danielis liber. Licet enim alii quoque historica nonnulla addere soleant, quibus vaticiniorum aut explicent originem aut impletionem confirment, protocanonicus tamen noster liber duabus fere aequalibus partibus constat, quarum prior (1.-6.) tantum non integra est historica, altera (7.-12.) prophetica; deuterocanonica vero additamenta ipsa quoque sunt historica, ut in integro opere narratio praevaleat. Historica autem pars facta illa, quae supra (283. 287.) retulimus, ex vita privata et publica prophetae amicorumque eius narrat et poenas, quibus Nabuchodonosoris et Baltassaris superbia est castigata. Prophetica quatuor continet praeclaras visiones de magnis imperiis sibi succedentibus eorumque ad populum Dei et regnum Messiae relatione. Quoniam in libro Danielis non tam arcto nexu, quam in reliquis propheticis, historia cum vaticiniis coniuncta, sed ab iis quasi separata esse videtur, non desunt, qui duo diversa opuscula in eo quodammodo coagmentata esse putent. Atque alii quidem iuniorem scriptorem vaticiniis Danielis historicam narrationem de prophetae vita et rebus gestis velut introductionem

praemisisse suspicati sunt[1]; alii, quum maiorem narrationum partem chaldaice, maiorem vero visionum partem hebraice scriptam esse viderent[2], Danielem ipsum coniecerunt narrationibus chaldaicis, quas statim literis consignasset, post destructum regnum chaldaicum hebraicam introductionem et hebraicas visiones addidisse[3]. Altera autem haec sententia vel ideo iam videtur esse reiicienda, quia eadem in narratione eodemque in versu (2,4) pro lingua hebraica subito chaldaica adhibetur atque narratio ipsa (2,13), si praemissa hebraica introductio (1,19 sq.) omittitur, prorsus non intelligitur. Prioris vero sententiae patroni non animadverterunt a.) prima capita non mere esse historica, sed etiam vaticinia quaedam Danielis exhibere atque somnium Nabuchodonosor eiusque explicationem (2,31-45) somnio Danielis de quatuor bestiis eiusque explicationi (7,1-28) omnino respondere; b.) eadem ratione in utraque parte adhiberi duas linguas nec satis explicari, cur sola prima visio (7,1 sqq.) a Daniele chaldaice sit conscripta, si praecedens pars chaldaica ei abiudicatur; c.) utramque quoque partem simili modo secundum ordinem chronologicum esse dispositam[4]; d.) utramque demum ad eundem finem conspirare, quum priores narrationes non tantum sequentibus vaticiniis fidem concilient, sed per se ipsae Israelitas consolentur et exhortentur, ethnicos autem confundant. Revera tam clare splendet totius libri protocanonici unitas, ut a longe maiorum interpretum numero illisque ipsis, qui eius authentiam impugnant, velut res non dubia asseratur.

In analysi nostra PARTITIONEM indicatam ita retinebimus, ut cap. 1., quo praeparatio prophetae ad munus eius narratur, tamquam introductionem quum ad historicam (2.-6.), tum ad propheticam (7.-12.) libri partem consideremus[5]. Altera recenter est proposita divisio, quae praeter introductionem (1,1-21) duas partes ita distinguit, ut « in priore chaldaica (2.-7.) propheta tractet de monarchia mundi eiusque evolutione ac relatione ad regnum Dei ac finali eius interitu, et in altera hebraica (8.-12.) de regno Dei eiusque evolutione ac relatione ad monarchiam mundi atque de illius victoria superatis tribulationibus »[6]. Quae, etsi « cum variante lingua » apte cohaereat, parum tamen nobis probatur, quoniam neque partium argumentis indicatis respondet (cfr in priore parte cpp. 3.-6. et in altera cpp. 10. 11.), neque ad chronologicam narrationum et visionum dispositionem attendit.

1. *Herbst Welte* Einleitung II. 2. p. 104 sq.; *Haneberg* Gesch. der göttl. Offenbarung p. 410; *Speil* Zur Echtheit des B. Daniel (Tüb. Quartalschr. 1863. p. 194); *Reusch* Einleitung p. 110.

2. *Hebraice* scripta sunt 1,1-2,4 a. et 8,1-12,13; *chaldaice* 2,4 b.-7,28. — Deuterocanonica additamenta (2,24-90; 13; 14), quae olim etiam chaldaice vel hebraice exstiterunt, solis graecis versionibus Alex. et Theodotionis, a quibus reliquae dependent, nobis sunt conservata.

3. *Zöckler* Der Prophet Daniel. Bielefeld 1870. p. 16. — Quae olim docuit *Bertholdt* (Einleitung p. 1543 sqq.) de novem diversis diversorum scriptorum opusculis in nostro libro collectis, atque *Eichhorn* (Einleitung IV. p. 515) de variis primae partis auctoribus etc., utpote obsoleta atque ab omnibus explosa, omittimus.

4. *Schema chronologicum partis historicae* est hoc : Cp. 1. narratur vita privata Danielis ab a. 3. Ioakim ad a. 2. Nabuchodonosor; sequuntur tria facta regni Nabuchodonosor, quorum primum ad 2. (vel 12.) a. Nabuchodonosor, alterum (secundum LXX et Theodot.) ad 18. a. (probabilius tamen ad a. 19. vel 20. cfr 2,38), tertium ad unum ex ultimis annis pertinent (cpp. 2. - 4.); cp. 5. transit ad finem regni Baltassar et cp. 6. ad initium regni Darii Medi. — In *prophetica* parte prima visio est ex a. 1. Baltassar (7,1), altera ex eiusdem regis a. 3. (8,1), tertia ex 1. a. Darii Medi (9,1) et quarta ex a. 3. Cyri (10,1). — Ex duabus appendicibus prior ad initium regni Nabuchodonosor pertinet vel potius ad privatam Danielis vitam (ideoque a plerisque codicibus graecis integro libro nostro praemittitur), altera ad initium regni Cyri, ita ut in parte historica capiti 6. sit postponenda.

5. Recte ita librum divisit *Rohling* Das Buch des Proph. Daniel p. 56. 187. Ceterum simili modo iam diviserunt *Card. Hugo* et *Lyranus*. Secundum Card. Hugonem, quem Lyranus omnino sequitur, praeter introductionem (1,1-21) distinguendae quidem sunt decem visiones, quarum quinque primae (2.-6.) ad primum, aliae quinque (7.-12.) ad secundum Christi adventum pertineant; attamen ad 7,1 de perturbato ordine chronologico loquens, quatenus propheta, postquam iam de morte Baltassar et de regno successoris eius locutus est, ad 1. a. Baltassar revertitur, scite admonet : « Et notandum, quod ideo Daniel hoc modo visiones ordinavit, quia quae hucusque dicta sunt *historialia* fuerunt et tempore suo impleta sunt; in consequentibus autem ea, quae dicuntur, *visiones futurorum* sunt ». — In historicam et propheticam partem etiam distribuunt librum *Kilber* (Analysis biblica I. p. 457 sqq.), *Goldhagen* (Introd. II. p. 463 sq.), *Vigouroux* (Manuel bibl. II. p. 607 sqq.), *Trochon* (Daniel. Paris 1882. p. 6 sqq.), *Kaulen* (Einl. Ed. 3. p. 388), *Knabenbauer* (Comm. in Dan. p. 11 sqq.). A quibus *B. Neteler* (Gliederg des B. Daniel. 1870) vix recedit, si historiam Susannae post cp. 1. et narrationem de Bel et dracone post cp. 6. inserit.

6. Cfr *Zschokke* Historia A. T. p. 294. — Divisionem hanc fuse defendere conatur *Keil* (Einleitung p. 412 et Bibl. Comm. ü. d. Proph. Daniel p. 10 sqq.) cum Auberlen, Kranichfeld, Kliefoth paucisque aliis.

## 287. — Analysis libri Danielis.

Introductio (1,1-21) narrat, quomodo Daniel ad munus suum sit praeparatus.

1. Ierosolymis prima vice a Nabuchodonosor occupatis una cum aliis nobilibus Iudaeis Daniel et tres amici eius in Babyloniam transportati eliguntur, ut literis Chaldaeorum ad aulica ministeria praeparentur (1,1-7).
2. Ne Legem suam violent, a cibis regiis abstinent solis leguminibus et aqua contenti (1,8-16);
3. quae fidelitas et abstinentia tantopere Deo placuit, ut iuvenibus singularem daret sapientiam atque Danieli somniorum quoque et visionum omnium intelligentiam; quapropter in aulicorum ministrorum numerum sunt recepti (1,17-21).

Pars prior historica (2,1-6,28) *quinque illustribus exemplis docet, quomodo*

*Deus exsilii babylonici tempore magnitudinem suam inter ethnicos manifestaverit.*

I. *Nabuchodonosoris somnium de statua a Daniele manifestatum et explicatum* (2,1-49).

1. *Daniel somnii cognitionem et explicationem a Deo impetrat* (2,1-23).

a.) A. 2. (vel 12.) regni sui Nabuchodonosor somnio, cuius non amplius recordabatur, perterritus convocatos magos sibi illud manifestare et explicare iussit (2,1-6); quod quum non possent, omnes sapientes Babyloniae, ex quorum numero Daniel quoque amicique eius erant, mortis condemnavit (2,7-13).

b.) Daniel autem tempore, quo responsum a rege quaesitum inveniret, obtento cum amicis suis ad precandum Deum conversus in visione somnium eiusque explicationem vidit; quo de beneficio Domino gratias egit (2,14-23).

2. *Daniel regi somnium manifestat et explicat* (2,24-45).

a.) Daniel, quum ad regem arcessitus esset, praefatus a solo Deo vero mysterium illud revelari potuisse (2,24-28)

b.) somnium manifestat de statua a rege visa, cuius caput aureum, pectus argenteum, femora aerea, tibiae ferreae, pedes autem partim ferreae partim fictiles, quaeque destructa sit a parvo lapide postea in montem praegrandem excrescente (2,29-35),

c.) illudque ita explicat, ut caput aureum repraesentet regnum Nabuchodonosor (2,36-38), aliae statuae partes tria regna sibi succedentia (3,39-43), quae destruenda sint exorituro novo eoque aeterno regno (2,44. 45).

3. *Stupefactus rex Deum Danielis proclamat deum deorum* et dominum regum, Danielem constituit praefectum omnium sapientium Babylonis eique et amicis eius provinciae Babyloniae administrationem confert (2,46-49).

II. *Amici Danielis in camino ignis conservati* (3,1-97 [30]).

1. *Tres amici Danielis, quia statuam adorare noluerunt, ad fornacem ignis damnantur* (3,1-23).

a.) Nabuchodonosor (secundum textum graecum a. 18. regni sui) statuam magnam erexerat, quam ab omnibus populis suis per eorum magistratus sub poena ignis adorari iussit (3,1-6);

b.) omnibus obedientibus (3,7) soli abnuerunt amici Danielis nec minis regis ad idololatriam seduci potuerunt (3,8-18);

c.) quare iubente rege in fornacem ignis iniecti sunt (3,19-23).

2. *Azarias sociique eius in fornace Deum celebrant* (3,24-90) [Additamentum deuterocanonicum].

a.) Atque primum quidem omnium nomine Azarias iustitia divinorum iudiciorum erga populum agnita (3,25-33) et propositis promissionibus Abrahae factis, quibus infelix populi status non respondet (3,34-40), Dei misericordiam implorat (3,41-45).

b.) Deinde angeli apparitione confortati et recreati (3,46-50) Deum

laudant hymno, in quo eius maiestatem describunt (3,51-56) et omnes creaturas invitant, ut secum Deum celebrent (3,57-90).

3. Nabuchodonosor vero, quum una cum amicis angelum vidisset atque miraculosam eorum conservationem cognovisset, Deum eorum celebravit et decreto prohibuit, ne quis eum blasphemare auderet (3,91-97 [24-30]).

III. *Epistola Nabuchodonosoris de morbo suo per Danielem praedicto* (3,98[31]-4,34).

1. *Regis somnium a Daniele explicatur* (3,97-4,24).

a.) In inscriptione epistolae rex testatur, se mirabilia Dei omnibus regni sui populis velle manifestare (3,97-100).

b.) Somnium deinde, quod explicare non potuerant sapientes eius, proponit Danieli (4,1-6). Viderat enim arborem excelsam, quae iubente Deo ita erat praecidenda, ut sola eius radix per septem tempora medias inter feras relinqueretur (4,7-15).

c.) Quod somnium Daniel explicat de rege ipso, qui septem tempora regno privatus medias inter feras sicut una ex illis sit victurus, demum vero in thronum reversurus (4,16-23), quare monet regem, ut eleemosynis divinam iram placare studeat (4,24).

2. *Praedictionis impletio* (4,25-34).

a.) Anno post rex, quum superbiens civitatem suam contemplaretur, voce coelesti de impletione somnii admonitus est (4,25-29);

b.) atque (subita vesania correptus) inter feras degere coepit, donec tempore expleto coram Altissimo se humiliaret et in regno suo restitueretur (4,30-33).

c.) Epistolam autem terminat Deo gratias agens, cuius omnes viae sint iustae (4,34).

IV. *Regis Baltassar interitus* (5,1-31).

1. *Baltassari per Danielem interitus praedicitur* (5,1-29).

a.) Regi magnum convivium celebranti, in quo vasis sacris templi ierosolymitani abutebatur, apparuit scriptura arcana, quam advocati magi legere non poterant (5,1-8).

b.) Admonitus igitur a matre arcessivit Danielem (5,9-12), qui ab eo rogatus (5,13-16) prius quidem ob superbiam, qua patrem suum Nabuchodonosor imitatus esset, regem vituperavit (5,17-24) ac dein scripturam de instanti regni et regis interitu explicavit (5,25-29).

2. *Eadem nocte impleta est praedictio* occiso Baltassare et regno tradito Medis (5,30. 31).

V. *Daniel a Dario Medo in lacum leonum missus sed a Deo servatus* (6,1-28).

1. *Daniel leonibus discerpendus obiicitur* (6,1-17).

a.) Apud Darium Medum Daniel tanta in gratia fuit, ut reliquorum satraparum invidiam sibi attraheret; quare, ut eum perderent, regi persuaserunt, ut lege prohiberet, ne quis per triginta dies deum aliquem praeter ipsum regem invocaret (6,1-9).

b.) Daniel vero, quum pro more suo quotidie Deum adoraret, ab invi-

dis apud regem accusatus et secundum legem latam leonibus discerpendus proiectus est (6,10-17).

2. *Miraculo inter medios leones incolumis servatur* (6,17-28).

a.) Rex, qui invitus Danielem condemnaverat, summo cum gaudio eum postridie invenit illaesum; itaque eum ex fovea extraxit accusatoresque eius leonibus obiici iussit (6,17-24);

b.) publico autem decreto sanxit, ut omnes sui subditi Deum Danielis timerent (6,25-28).

PARS ALTERA PROPHETICA (7,1-12,13) *quatuor visionibus docet, quomodo Deus magnitudinem suam in ethnicis regnis sit manifestaturus.*

I. *Visio de quatuor bestiis repraesentantibus quatuor regna, quorum in locum succedet regnum filii hominis* (7,1-28).

1. *Visionis descriptio* (7,1-14).

a.) Anno 1. Balthassar videt propheta e mari tumultuante (populorum) progredi quatuor bestias, leonem alatum, ursum voracem, pardum quatuor alis quatuorque capitibus praeditum, et quartam terribiliorem, quae decem cornua habuit, in quorum medio surrexit et crevit aliud cornu, quod oculis et ore praeditum tria ex prioribus cornibus destruxit (7,1-8).

b.) Tum apparebat senex venerandus cum innumeris ministris, quorum sententia quarta bestia destructa est, sicut alia animalia perierant. Apparenti autem filio hominis a sene potestas tradita est, ut omnes populi ei servirent (7,9-14).

2. *Visionis explicatio* (7,15-28).

a.) Daniel visione perterritus ab uno ex assistentibus explicationem eius exquirit edoceturque, quatuor bestias significare quatuor regna, quibus successurum sit aeternum sanctorum regnum (7, 15-18).

b.) Accuratius deinde de quarta bestia inquirens (7,19-22) edocetur, regnum quartum potentissimum fore ex eoque exoritura decem regna (cornua) et undecimum (parvum cornu) multo fortius et superbius (regnum antichristi); quo destructo regnum universale et sempiternum sanctorum esse exoriturum (7,23-28).

II. *Visio de ariete et hirco, quibus secundum et tertium regnum repraesentantur* (8,1-27).

1. *Visionis descriptio* (8,1-14).

a.) A. 3. Baltassar Daniel Susis videt arietem bicornigerum, cuius unum cornu altero altius, quique versus occidentem, septemtrionem et meridiem omnia conculcabat. Sed contra eum ab occidente venit hircus unicornis, a quo superatus est (8,1-7).

b.) Quum autem potens factus esset hircus, fractum est cornu eius et eius in loco quatuor cornua prodierunt; in quorum uno parvum crevit cornu, quod magnum factum contra terram sanctam insurrexit et contra sanctuarium (8,8-12).

c.) Audivit autem propheta, desolationem duraturam esse bis mille trecentis diebus (8,13. 14).

2. *Visionis explanatio* (8,15-27).

a.) Danieli apparet Gabriel, qui se visionem explicaturum promittit (8,15-19).

b.) Aries est regnum medico-persicum, hircus regnum graecum, ex quo prodibunt quatuor regna diadochorum (8,20-22). Parvum vero cornu est rex impius (Antiochus Epiphanes, typus antichristi), qui populum sanctum vexabit et contra principem principum consurget, sed sine manu conteretur (8,23-25).

c.) Hanc visionem signare iubetur Daniel, quia post multos dies implenda sit (8,26. 27).

III. *Visio de septuagin'a hebdomadis* (9,1-27).

1. *Precatio Danielis* (9,1-19).

a.) A. 1. Darii Medi Daniel, quum vaticinium Ieremiae de septuaginta exsilii annis consideraret, Dei misericordiam implorare coepit (9,1-3);

b.) atque ante omnia humiliter profitetur, iustam esse poenam propter populi peccata (9,4-14),

c.) dein vero instanter precatur, ut Deus magna populi calamitate permotus propter honorem nominis sui civitatem sanctam et templum restituat (9,15-19).

2. *Precanti Danieli apparet angelus Gabriel* (9,20-22), eumque edocet de tempore, quod a permissione reaedificandae urbis usque ad adventum Messiae sit futurum (9,23-27)

IV. *Revelatio de regnis Graecorum et de persecutore populi electi* (10,1-12,13).

1. *Descriptio apparitionis, qua revelatio traditur* (10,1-11,1).

a.) Anno 3. Cyri Danieli per tres hebdomades lugenti et ieiunanti apparet ad ripam Tigris angelus (Gabriel) tam splendida specie, ut terrore perculsus sit propheta (10,1-9).

b.) Angelus vero eum confortat monens, precationem eius esse exauditam, moram interiecisse angelum Persarum, donec auxiliante Michaele sit devictus (10,10-13); nunc se venisse, ut ei annuntiaret, quae essent futura in novissimis diebus; se enim una cum Michaele semper dimicare pro populo (10,14-11,1).

2. *Sermo propheticus* (11,2-12,3).

a.) Pro introductione primis fatis regni persici regnique Alexandri M. brevissime indicatis (11,2-4)

b.) fusius et accuratius tradit ea, quae futura sint de duobus praecipuis regnis ex regno macedonico exorituris, sc. de regnis Austri (Aegypto) et Aquilonis (Syriae) inter se de hegemonia et de terra sancta colluctantibus usque ad initium regni Antiochi Epiphanis (11,5-20).

c.) Deinde agit de Epiphanis bellis contra Aegyptum (11,21-30) atque maxime de eius sacrilegiis contra templum et crudelitate contra pios Legis observatores (11,31-35);

d.) a quibus transit ad Epiphanis antitypum, antichristum, persecutio-

nemque gravissimam ab eo excitatam (11,36-45), in qua Michael dimicabit pro populo electo (12,1-3).

3. *Altera apparitio, qua revelatio terminatur* (12,4-13).

a.) Daniel hanc revelationem claudere iussus videt duos alios angelos in oppositis fluminis ripis stantes, qui primum angelum de duratione mirabilium praedictorum interrogant (12,4-7);

b.) cuius responsum quum non intellexisset, Daniel ipse interrogat atque aliud responsum, quo ad prioris intelligentiam pervenire possit (12,8-12), promissionemque futurae salutis accipit (12,13).

Duae appendices historicae (13,1-14,42).

1. *Historia Susannae* (13,1-64).

a.) Susanna, pia divitis Iudaei uxor, a duobus iudicibus populi ad adulterium sollicitata tentationi resistit (13,1-23);

b.) quare a sollicitatoribus iratis adulterii accusata innocens mortis condemnatur (13,24-41).

c.) Auxilium autem, quod a Domino petiit, invenit (13,42-44); quum enim ad mortem duceretur, Daniel iuvenis sententiam iniustam esse proclamans populum permovit, ut novum permitteret iudicium (13,45-49), in quo Daniel iudices illos falsi testimonii convicit et mulierem liberavit (13,50-64).

2. *Narratio de Bel et dracone destructis* (13,65-14,42).

a.) Initio regni Cyri Daniel a rege interrogatus, cur idolum Bel non adoraret, se solum Deum vivum adorare respondit; monenti autem regi, Bel quoque vivere, etenim eum manducare (13,65-14,5), propheta ad oculos demonstravit, cibos idolo appositos a sacerdotibus familiisque eorum clam manducari (14,6-19). Sacerdotes fraudis convicti ad mortem damnantur et Bel destruitur (14,20-21).

b.) At draconem saltem, quem adoraverunt Babylonii, velut deum vivum adorandum esse contendit rex, Daniel autem obtenta permissione sine gladio et fuste eum occidit (14,22-26).

c.) Babyloniis de idolorum destructione iratis rex Danielem leonibus proiiciendum permisit (14,27-29); propheta autem in lacu leonum septem diebus incolumis servatus et per prophetam Habacuc nutritus est (14,30-38). Quo miraculo viso rex magnitudinem Dei Danielis agnovit atque eum ab omnibus timeri iussit (14,39-42).

288. — Uti argumento suo, quod partim est historicum partim propheticum, ita tota sua indole liber noster a reliquis propheticis discrepat. Solus inter omnes cum 1. Esdrae id habet commune protocanonicus noster, quod hebraicus sermo et chaldaicus vel potius aramaicus[1] in eo ita alternent, ut dimidia pars sit hebraica, dimidia aramaica (286. n. 2. p. 475). Cuius rei ratio apta non videtur alia dari posse, nisi liberum arbitrium auctoris, cui, quum natione esset Hebraeus sed iuvenis iis in conditionibus esset positus, in quibus aramaicam linguam quotidie adhibere cogeretur, utraque lingua aeque erat fami-

liaris. Simili enim modo, quo Esdras aramaico relato documento (1 *Esdr.* 4,8) adducitur, ut eadem lingua narrationem continuet, noster quoque auctor media in oratione verba magorum aramaica affert (2,4) eandemque linguam adhibere pergit[2]. Sermo vero eius hebraicus satis impurus est, non paucis admixtis aramaismis, atque similiter aramaicus eius sermo hebraizat; id quod facile explicabit, qui auctorem duabus istis linguis inter se valde affinibus in vita quotidiana usum esse cogitaverit. Quapropter Michaelis allatis hebraismorum exemplis recte monet : « Ex his similibusque Danielis et Esdrae hebraismis, qui his libris peculiares sunt, intelliges utrumque librum eo tempore conscriptum esse, quo recens adhuc vernacula sua admiscentibus Hebraeis erat lingua chaldaica (aramaica), non seriore tempore confictum. In Thargumim enim, antiquissimis etiam, plerumque frustra hos hebraismos quaesieris, in Daniele et Esdra ubique obvios »[3]. Revera omnibus fatentibus aramaica Danielis lingua multum differt ab illa dialecto, qua aliquot saeculis post chaldaicae paraphrases sunt exaratae; hebraicus autem eius sermo ad linguam Ezechielis Esdraeque prope accedit[4].

At in ipsa quoque vaticiniorum ratione Danielis liber ab antiquioribus prophetiis differt. Immerito quidem visionum et symbolorum frequentiam velut differentiam a nonnullis afferri arbitramur; visiones enim omnibus prophetis sunt communes, et symbolorum in Ieremia et maxime Ezechiele non minor est frequentia. Neque maiore cum iure affertur, « quod quum in antiquiorum prophetarum vaticiniis futura generalius plerumque et obscurius significentur, in danielicis ea, quae pluribus post saeculis eventura essent, tam clare aperte et singillatim descripta sint, ut librum aliquem historicum te legere crederes »[5]. Neque enim omnia clare et aperte et singillatim a Daniele praedicuntur, neque in aliis libris propheticis clarae et definitae praedictiones deesse dicerentur, nisi a rationalistis, quia clarae et definitae sunt, velut spuriae reiicerentur. Cur *Is.* 7,8 interpolatus dicitur Isaiaeque omnia vaticinia de Babylone per Cyrum destruenda, immo integra secunda libri pars abiudicatur? Nonne quia clare et aperte praedixit, quae multis post annis acciderunt? Cur *Ierem.* 27,7 glossatori attribuitur et *Ezech.* 12,8 sqq. post eventum scripta esse asseruntur? Cur iisdem alia vaticinia nonnulla negantur saltem illa forma, qua hodie ea possidemus? Nonne quia clare aperte singillatim futura praedicunt? Rationalisticum igitur commentum est differentia inter claras et definitas Danielis praedictiones et inter obscura et generalia vaticinia aliorum prophetarum.

Differentiam autem quandam deprehendemus, si ad modum attenderimus, quo revelationes suas acceperit Daniel. Solus enim est inter

prophetas, cui etiam per somnium revelatio sit facta (2,19; 7,1 sqq.) et qui alterius somnium explicans revelationem tradiderit (2,37 sqq.; 4,16 sqq.); atque primus est, cui symbola, quae ei ostensa erant, *angelus* explicaverit (7,16 sqq.; 8,15 sqq.) cuique per angelum revelationes sint allatae (9,20 sqq.; 10,5 sqq.)[6]. Altera differentia in eo est, quod reliquorum prophetarum, quum proxime ad solos filios Israel essent missi, vaticinia pleraque de solius populi electi fatis agant, atque illa ipsa, quae de exteris gentibus ediderunt, intimo in nexu sint cum fatis populi israelitici : terram sanctam, Ierusalem, montem Sion, regnum davidicum semper prae oculis habent. Alio autem modo incedit Daniel, qui non tantum sicut Ezechiel in Chaldaea sed etiam inter medios Chaldaeos, quin in aula regum ethnicorum constitutus et in regnorum ethnicorum administratione occupatus non tantum Iudaeorum sed sub certo respectu etiam ethnicorum erat propheta. Coram oculis eius versantur magna imperia mundi eorumque relationes non tam ad regnum iudaicum quam ad regnum messianicum. Quod aliis quidem revelatum est tamquam regni davidici continuatio, Danieli autem simul apparet tamquam imperium, quod imperiis mundanis finem sit allaturum eorumque in locum successurum, ut totum mundum occupet (2,44 sq.; 7,14. 27). Simili ratione alii prophetae, quum solos Iudaeos alloquantur, de Ierusalem velut de centro regni messianici continuo agunt atque templum ierosolymitanum cum eius sacerdotibus levitisque et cruentis sacrificiis in novo regno permansurum videntur docere; Daniel vero vaticiniis suis nos docet, praedecessorum suorum verba non proprio, sed spirituali sensu esse intelligenda (9,25-27). Alii initium regni messianici cum reditu ex exsilio immediate coniungere interdum videntur; iterum autem erroneam vaticiniorum istorum intelligentiam praecavet Daniel non tantum tempus definiens, quod a raedificatione urbis usque ad Christum ducem sit futurum (9,25 sqq.), sed etiam imperia enumerans, quae ante regnum messianicum sint exoritura (2,37 sqq.; 7,17 sqq.) eorumque mutuas vicissitudines describens, quibus illa diu duratura appareat (8,20 sqq.; 11,2 sqq.). Alii de sola fere felicitate regni messianici loquuntur, quasi exsilium ultima sit calamitas, quam perfecta novi regni gloria secutura sit; Daniel ultimae et perfectae gloriae et felicitati longe graviorem persecutionem praecessuram esse annuntiat (11,36 sq.). Praedecessorum igitur suorum vaticinia quasi in altiore specula constitutus partim accuratius definivit, partim complevit, atque hac ratione ampliorem de novissimis temporibus revelationem praeparavit, quam per Novi T. prophetam Deus Ecclesiae suae daturus erat[7].

1. Distinguatur oportet inter « *linguam chaldaicam* », qua nonnullae V. T. pericopae sunt scriptae, et inter, « *linguam Chaldaeorum* », quam Daniel amicique eius

in Babylonia addidicerunt (*Dan.* 1,4). Prius nomen a S. Hieronymo invectum designat semiticam illam dialectum, quae Chaldaeis proprie dictis quidem nunquam fuit vernacula, sed in tota Asia occidentali satis communis erat rectiusque aramaica appellatur. « Chaldaeorum lingua » autem in nostro libro designare videtur primitivorum Chaldaeae incolarum linguam, quam hodie « accadicam » appellant. Cfr *Sayce* Alte Denkmäler im Lichte neuer Forschungen. Leipzig (1886.) p. 155; *Schrader* in Riehm Handwörterb. des bibl. Alterth. p. 135 sq. 223 sq.

2. Ut duplicis linguae usum explicarent, varias sententias proposuerunt interpretes. *Abarbanel* (cfr Rosenmüller Scholia in Dan. p. 29) Danielem coniecit stante imperio chaldaico chaldaice, eo autem a Medis Persisque destructo, quia persicam linguam ignorasset, hebraice scripsisse; sed 2,1-3 eodem tempore, quo sequentia, sunt scripti, licet sint hebraici; et c. 6., licet sit chaldaicum, post imperii chaldaici interitum est scriptum. *Huetius* (Demonstr. evang. Prop. IV. Ed. Veneta 1765. p. 300) integrum librum a Daniele chaldaice exaratum, atque postea a synagoga integrum hebraice et graece esse versum statuit; iniuria autem temporum partem chaldaicam et partem hebraicam interisse atque hac ratione protocanonici libri « ambiguum illum foetum esse exortum »; deuterocanonicas vero partes, quae graece dumtaxat exstant, data opera a Iudaeis esse suppressas. At mirum suum systema nemini persuasit. Inter modernos alii librum nostrum ex hebraico et ex chaldaico opere coaluisse arbitrantur (286), alii illas pericopas, quae de imperio mundano agant, lingua istius imperii i. e. aramaica, illas autem, quae de triumpho regni Dei agant, lingua sancta i. e. hebraica esse scriptas dicunt (*Keil* Einl. p. 414) non animadvertentes cpp. 2. et 7. eadem ratione de triumpho regni Dei agere, qua ex. gr. c. 8.

3. *Michaelis* Grammatica chald. p. 25.

4. Exemplis multis allatis *Hengstenberg* (Die Authentie des Daniel. Berlin 1831. p. 303 sqq.), *Keil* (Einl. p. 418 sqq.) aliique demonstrant, aramaicam linguam Danielis proxime ad Esdrae sermonem accedere, licet etiam ab illo aliquantum discrepet, quum integro saeculo sit antiquior. *Bertholdt* (Einl. p. 1536) corruptissimum esse hebraicum Danielis sermonem olim contendit; sed iam *Gesenius* (Gesch. der hebr. Sprache p. 27. 35) ab Esth., Paralip. etc. lingua vix differre sermonem nostri libri et Ezechielem minus accurate scripsisse statuit. — De nonnullis vocabulis graecis et persicis, quae occurrunt, cfr *infra*. p. 496 sq.

5. *Rosenmüller* Scholia p. 11.

6. Angelus *Ezechieli* futurum templum etc. ostendit, sed visionem non explicat (*Ezech.* 40,3 sqq.); Zachariae autem symbola explicantur ab angelo (*Zach.* 1,9 sqq. 19 sqq. etc.); cfr etiam *Apoc.* 7,13 sqq.; 17,7 sqq. etc.

7. Cfr *S. Hieron.* Comm. in Dan. Praef. (M. 25,513) : « Illud in praefatione commoneo, nullum prophetarum tam aperte dixisse de Christo. Non enim solum scribit eum esse venturum, quod est commune cum ceteris; sed etiam quo tempore futurus sit docet, et reges per ordinem digerit et annos enumerat ac manifestissima signa praenuntiat ».

Scholion. « Illud quoque, inquit *S. Hieronymus*, lectorem admoneo, Danielem non iuxta LXX interpretes, sed iuxta Theodotionem Ecclesias legere, qui utique post adventum Christi incredulus fuit »; atque iterum : « Danielem prophetam iuxta LXX interpretes Domini Salvatoris Ecclesiae non legunt, utentes Theodotionis editione. Et hoc cur acciderit, nescio. Sive enim quia sermo chaldaicus est et quibusdam proprietatibus a nostro eloquio discrepat, noluerunt septuaginta interpretes easdem linguae lineas in translatione servare; sive sub nomine eorum ab alio nescio quo non satis

chaldaeam linguam sciente editus est liber; sive aliud quid causae exstiterit ignorans, hoc unum affirmare possum, quod multum a veritate discordet et recto iudicio repudiatus sit »[8]. Quoniam vero in Ecclesia non adhibebatur, etiam in Scripturarum codicibus omittebatur alexandrina, ut hodie in uno dumtaxat codice supersit unaque eius versio syriaca, sed textus illius, quem Origenes in Tetraplis secundum Theodotionem correxerat[9]. Ex quibus verum esse S. Hieronymi iudicium satis elucet. In prioris praesertim partis narrationibus interpres alexandrinus haud pauca corripit et compendiosius reddit, alia prorsus omittit, alia ex proprio, ut videtur, penu addit, idque eum in finem, ut concinniorem reddat narrationem[10]. Minus frequentes quidem sunt discrepantiae in visionibus, in quibus aliquoties vaticinia historiae accuratius accommodavisse videtur; gravissima autem est illa mutatio, qua praeclarum vaticinium de septuaginta hebdomadis plane corrupit et ad Epiphanis aetatem adhibuit[11]. Ceterum medio fere saec. 2. originem suam videtur debere continetque omnes quoque deuterocanonicas pericopas (cfr infra 291 sqq.).

8. *S. Hieron.* Comm. in Dan. Praef. (M. 25,515); Prol. in Dan.; cfr in Dan. 4,6 (M. 25,537): « Exceptis Septuaginta translatoribus, qui haec omnia nescio qua ratione praeterierunt, tres reliqui (Aq., Theod., Symm.) *collegam* interpretati sunt. Unde iudicio magistrorum Ecclesiae editio eorum in hoc volumine repudiata est, et Theodotionis vulgo legitur, quae et Hebraeo et ceteris translatoribus consonat ».

9. Primus *Sim. de Magistris* Congr. Orat. alexandrinum textum edidit (*Daniel secundum LXX* ex tetraplis Origenis e singulari Chisiano codice. Romae 1772. [uno cum Theodot. versione et accurata utriusque textus collatione]. Ab hac fere omnes dependent, quae postea in Germania (a *Michaelis*), in Hollandia (a *Segaar*) etc. prodierunt. — Syriacam alexandrini textus versionem ed. *Cai. Bugatius* (« Daniel secundum editionem LXX ex tetraplis desumtam. Ex cod. syro bibl. Ambr. syriace edidit etc. Mediolani 1790). — Ex utraque principe editione dependent iuniores a *H. A. Hahn* (Lipsiae 1845), *C. Tischendorf* (Vet. Test. graece iuxta LXX interpretes. Lipsiae 1887. Ed. 7. II. p. 589 sqq.) etc. adornatae. — Diligenter in versionis alexandrinae relationem ad textum hebr. inquisivit *A. Bludau* (Die alex. Uebers. des B. Daniel n. ihr Verhältniss z. massor. Text. Freiburg 1897); cfr etiam *Knabenbauer* Comm. in Dan. p. 45-50.

10. Ex. gr. unam alteramve vocem aut sententiam addit 1,2. 3. 6. 10. 17. 20 etc.; similiter 4,7. 8,19. 25. 28. 31 etc.; contra vero omittit 4,3-6. 13. 14. etc.; singulis porro somnii partibus addit interpretationem multaque paraphrastico modo reddit et interdum rabbinico more exaggerat. Iuxta eam Nabuchodonosor verum Deum adorat et Darius Medus (6,26 sq.) praecipit non tantum, ut omnes sui subditi Deum Danielis timeant, sed ut omnes sint adoratores et cultores Dei Danielis, sicut ipse eundem semper adoraturus eique serviturus sit; etc.

11. Integrum vaticinium 9,24 sqq. ad Epiphanis persecutionem trahit nec quidquam messianici in eo relinquit. Nam 9,24 septuaginta hebdomades *dierum* intelligere videtur, quibus finitis populus in patriam sit reversurus; atque 9,26 numeros mutat vocabulo *hebdomadis* omisso: « post *septem et septuaginta et sexaginta duos* deficiet unctio et non erit; et regnum gentium destruet civitatem » etc.; idem numerus repetitur 9,27 sed definitur addito vocabulo *anni*. Iam secundum aeram Seleucidarum (quae incipit a. 312. a. Chr.) annus 139. (7 + 70 + 62) est annus 4. Antiochi Epiphanis, in quo impius rex Oniam summum sacerdotem deposuit.

## § 18. — *De Danielis libri authentia et auctoritate.*

289. — Praeter Pentateuchum nullus, opinor, est in V. T. liber, qui maiore cum ardore ac pertinacia, quam Danielis Prophetia, ab omnibus verae fidei adversariis impugnetur; integrum librum omnes reiiciunt rationalistae Porphyrii vestigia persequentes; deuterocanonicas saltem pericopas illi quoque protestantici interpretes repudiant, qui a miraculis vaticiniisque admittendis non abhorrent. Ut ordine procedamus primo in loco protocanonici libri authentiam stabiliemus et a rationalistarum obiectionibus vindicabimus; illa enim stabilita libri divina auctoritas sua sponte clarescit; secundo in loco de origine et auctoritate partium deuterocanonicarum disseremus.

### Quaest. I. — De protocanonici libri origine.

« Contra prophetam Danielem, inquit *S. Hieronymus*, duodecimum librum scripsit *Porphyrius* nolens eum ab ipso, cuius inscriptus est nomine, esse compositum, sed a quodam, qui temporibus Antiochi Epiphanis fuerit in Iudaea, et non tam Danielem ventura dixisse, quam illum narrasse praeterita : denique quidquid usque ad Antiochum dixerit, veram historiam continere; si quid autem ultra opinatus sit, quia futura nescierit, mentitum esse ». Philosophi ethnici obiectiones refutaverunt S. Methodius Tyr., Eusebius Caes., Apollinarius Laod., S. Hieronymus. Sola autem vaticiniorum claritate permotus eorum authentiam negaverat; « tanta enim dictorum fides est, ut propheta incredulis hominibus non videatur futura dixisse, sed narrasse praeterita »[1]. Hinc etiam factum est, ut primo illo impetu represso ante exortum rationalismum vix quisquam de libri nostri authentia et auctoritate dubitaverit. Ipse enim *Spinoza* visiones Danieli attribuit et licet chaldaicam partem ex Chaldaeorum Chronologiis desumtam diceret, eam tamen « aeque sacram atque reliquam » esse iudicavit[2]. Vix autem exorto rationalismo *Semler* operis nostri utpote « inutilis » divinitatem negavit, *Corrodi* et *Bertholdt* Porphyrii sententiam recoxerunt eosque secuti sunt recentiores « critici » omnes, quin etiam nonnulli, qui supranaturalem revelationem admittunt[3]. Quibus si fidem habemus, liber noster non 6. saec. a Daniele propheta scriptus est, sed saec. 2., tempore nimirum machabaico, a fraudatore quodam, qui Danielis nomine assumto fictis narrationibus et vaticiniis contribules suos ab Antiocho Epiphanae oppressos docere voluit, quomodo Deus fideles Legis observatores etiam in maximis periculis conservaverit impiosque reges persecutores punierit. Ne vero impietatem suam nimis clare prodant, adversarii nostri directe miracula et vati-

cinia non impugnant, sed variis conquisitis externis et internis rationibus demonstrare conantur, librum ante medium saec. 2. scribi non potuisse. Quid eorum argumenta valeant, ostendemus, postquam antea libri authentiam stabilivimus[4].

1. *S. Hieron.* Comm. in Dan. Praef. — Quae Methodius, Appolinarius, Eusebius contra Porphyrium scripserunt, omnia sunt deperdita, uti Porphyrii opus ipsum; S. Hieronymus « ubi se occasio in explanatione Danielis dedit, calumniae illius strictim respondit ».

2. De Spinozae sententia fuse disputat *Huetius* (Demonstr. evang. Prop. IV. p. 303 sqq.); cfr etiam *Carpzov.* Introd. p. 245 sqq. — De alterius Iudaei *Uriel Acosta* sententia, qui « quum animae immortalitatem negans ferre non posset illustre de ea et de resurrectione testimonium Danielis (12,2 sq. 13), librum a recentioribus in Pharisaeorum gratiam confictum » dixit, cfr *Wolf* Biblioth. hebr. II. p. 161 sq.

3. *Semler* Abhandlung von freier Untersuchung des Kanon III. p. 505. — *H. Corrodi* Versuch einer Beleuchtung der Gesch. des jüd. u. christl. Bibelkanons. Halle 1792. I. p. sqq. — Eorum sequacium, quum sint legio, praecipuos tantum aliquos nominamus : *Davidson* (Introd. III. p. 162-331), *De Wette Schrader* (Einl. p. 491-508), *Bleek Wellhausen* (Einl. p. 464-494), *Reuss* (Gesch. des A. T. p. 569-581); *Vatke* (Einl. p. 657-667), *Schürer* (Gesch. des jüd. Volkes. 1886. p. 613-616), *König* (Einl. 1893. p. 382-393), *Strack* (Einl. Ed. 4. 1895. p. 144 sq.), *Driver Rothstein* Einl. 1896. p. 534-552), *Cornill* (Einl. Ed. 3. 1896. p. 211-215); similiter ex libri commentatoribus *Hitzig, I. Meinhold. I. A. Farrar* etc. — *Delitzsch* (in Herzog P. R. E. Ed. 2. III. p. 469 sqq.), etsi in libro danielicas traditiones inveniat eiusque divinam auctoritatem non neget, eum tamen aetati Seleucidarum attribuit; *Zoeckler* (D. Proph. Daniel. p. 5. 16 sq. etc.) ultimum vaticinium (cpp. 10-12) tempore machabaico « a pio quadam apocalytico » interpolatum dicit; idem autem vaticinium *Lange* fere totum sc. 10,1-11,44 et 12,5-13 relicit etc.

4. Catholicos omnes authentiam libri defendere patet; praeter introductores (*Herbst-Welte, Aug. Scholz, Vigouroux, Kaulen, Zschokke* etc.) cfr *Speil* (Tüb. Quartalschr. 1863), *Trochon* (Daniel. 1882. p. 14-58), *Rohling* (Das B. Daniel 1876. p. 3-37), *Knabenbauer* (Comm. 1892. p. 17-45), *Fabre d'Envieu* (Le livre du Proph. Daniel. 1888. tom. I), *A. Hebbelynk* (De auctoritate hist. l. Daniel. 1887), *Eug. Pilloud* (Daniel et le rationalisme bibl. 1890). — Inter acatholicos quoque exegetae nonnulli de defendenda libri nostri authentia optime meriti sunt; ex quorum numero nominamus *Hengstenberg* Beiträge zur Einleitung ins A. T. I. Die Authentie des Daniel; *E. B. Pusey* Daniel the prophet. Oxford 1864.; *Keil* Einl. p. 416-434 et Commentar p. 15-45; *I. M. Fuller* in The Speaker's Comm. VI. p. 213 sqq. etc.

1. In libri authentia demonstranda iure nostro eius unitatem supponimus, siquidem ipsis quoque adversariis nostris plerisque omnino est persuasum, unum admittendum esse integri operis protocanonici auctorem[5]. Quapropter argumenta omnia, quibus unius pericopae origo danielica stabilitur, de integro libro intelligantur oportet. Iam vero in nostra argumentatione ita procedemus, ut Danielem se ipsum operis nostri protocanonici auctorem asserere ostendamus, auctorisque hoc de se ipso testimonium quum operis ipsius indole tum continua traditione confirmari demonstremus.

a.) Mirum est, quod unus alterve librum nostrum quidquam de suo auctore testari negaverit[6]. Namque lege, quaeso, 7,1. 2 : « A. 1. Baltassar vidit *Daniel* somnium et visionem capitis sui in cubili suo, deinde *scripsit* somnium summamque eius perstrinxit, atque incipiens narravit : *Ego* videbam in visione mea » etc. Quin his verbis Daniel se ipsum hanc saltem visionem illa ratione, qua illam in libro nostro legimus, scripsisse testetur, nemo dubitabit, nisi qui clarissima quaeque in alienum sensum detorquere voluerit. Porro in sequenti visione angelus videnti dicit : « Tu ergo *visionem signa,* quia post multos dies erit »; videns autem, qui visionem signare iubetur, nomen suum ponit : « Et ego *Daniel* langui » etc. (8,26). Idem iterum in ultima visione admonetur : « Tu autem, *Daniel,* claude sermones et *signa librum* usque ad tempus » (12,4). Quibus in textibus *liber* obsignandus profecto ille est, in quo visiones sunt scriptae; diversum autem eius esse obsignatorem ab eius scriptore, quis sibi persuaserit? Visionum igitur scriptorem se esse Daniel claris verbis testatur ac proin totius libri auctor est. Neve obiiciatur tertiae personae usus, qua in priore parte Daniel designatur; etenim eum fuisse prophetarum morem, ut in pericopis historicis de se loquentes tertiam personam adhibeant, satis frequentia exempla docent[7]

b.) Cui auctoris de se ipso testimonio suffragatur integra operis indoles, sive ad eius linguam, sive ad eius argumentum et finem, sive ad narrationum et visionum characterem attentionem convertimus. Etenim duplex lingua, qua liber scriptus est, auctorem demonstrat eo tempore vixisse, quo utraque in communi Iudaeorum usu erat. Atqui ante exsilium sola hebraica ab illis adhibebatur, licet doctiores aramaicam intelligerent[8], quae exsilii tempore paullatim ita coepit praevalere, ut Nehemiae aetate multi hebraicam plane ignoraverint (2. *Esdr*. 13,24); Machabaeorum demum tempore aramaica in communem usum abierat, praeter quam graeca adhiberi coepta est, hebraica vero solis doctis inserviebat. Quapropter liber noster, qui adversariis quoque nostris fatentibus *populo* consolando et exhortando destinatus erat, solo exsilii tempore hebraice et aramaice scribi potuit. Accedit quod sermo hebraicus aramaizans et aramaicus hebraizans virum prodat, qui usu potius quotidiano, quam docto studio utramque linguam addidicerat.

Quam apte operis argumentum et finis aetati danielicae congruant, supra de munere prophetae agentes (285 p. 472 sqq. cfr 288 p. 481 sqq.); iam ostendimus. Quibus quum quidquam addere opus non sit, illud potius hoc loco demonstrare placet, nec argumentum nec finem operis in adversariorum hypothesi explicari[9]. Secundum eos pius quidam Iudaeus tempore persecutionis Epiphanis narrationes has et visiones

composuit, ut populares suos gravissima calamitate oppressos consolaretur et ad fidelem Legis observantiam exhortaretur; itaque mythicum prophetam Danielem, cuius nomen piis fabellis forte circumferebatur, finxit a regibus babylonicis et medo-persicis easdem persecutiones pertulisse, quibus integer populus ab Epiphane premebatur, sed divino auxilio adiutum omnes feliciter et gloriose superasse; in visionibus deinde theocratiae victoriam certo et mox futuram descripsit[10].

Haec illi. Quae ut refutemus, urgere nolumus, populum Israel in certa sua historia tot insignia misericordiae et potentiae divinae exempla possedisse, ut fictis illis nequaquam indigeret, sed monemus α.) in toto libro protocanonico, de quo agitur, duas tantum narrationes legi de periculis, ex quibus Daniel amicique eius miraculo sunt erepti (cpp. 3. 6.), reliquas igitur (2. 4. 5.) ad finem suppositum prorsus esse superfluas; β.) nullum ex omnibus regibus, qui in libro Danielis nominantur, velut populi iudaici persecutorem aut religionis iudaicae hostem depingi, sed apud omnes Danielem multum gratia valuisse; ineptissimam igitur esse fictionem, si sub Nabuchodonosoris, Baltassaris, Darii Medi imaginibus Epiphanem intelligi voluit auctor. Quis prudens unquam in Dario Medo, qui Danielem omni cum diligentia sententiae mortis subtrahere conatur, invitus et coactus eum leonibus obiicit atque tanto dolore hac de re afficitur, ut nec cibum sumere nec somnum capere potuerit et primo diluculo ad leonum lacum festinaverit de sorte amici sui sollicitus, crudelissimum persecutorem Epiphanem depictum videbit? Neque minus inepta est fictio, si Daniel in aula ethnica educatus et literis ethnicorum edoctus personam gerere dicatur populi fidelis, qui Seleucidarum aetate ab omni societate et cultu ethnicorum quam maxime abhorrebat regumque graecorum amicos omnes pro apostatis a vera religione habebat. Profecto auctor machabaicus, si fingere voluisset, antiquos reges babylonicos persicosque Epiphani Seleucidisque, Danielem vero amicosque eius Mathathiae et Assidaeis, qui forti manu ethnicos repellebant, similiores fecisset. γ.) Neque visiones hypothesi adversariorum explicantur. Ex eventu ita confictae dicuntur, ut illa, quae usque ad a. 167.-164. iam acciderunt, accurate sub forma visionum sint descripta, posteriora autem, utpote nondum cognita, generali quodam et vago modo proponantur[11]. At cuinam fini fictio talium visionum inservire potuit? Nam nec simulata praedictio eorum, quae iam acciderant, nec generalis et vaga coniectura de illis, quae futura erant, populum crudelissima persecutione oppressum consolata esset aut exhortata; alio modo incedere solitos esse pseudoprophetas Iudaeorum, certa exempla nos docent[12]. Animadverte quoque, in duabus tantum visionibus de Epiphanis persecutione agi, semel brevissime (8,23-25), semel fusius (11,29 sqq.); cur igitur auctor reliquas de

quatuor monarchiis (2. 7. 8.), de bellis Ptolemaeorum et Seleucidarum (11,2 sqq.), de tempore adventus Messiae (9,20 sqq.) adiecit numerosque indicavit, in quibus explicandis adversarii nostri suo systemate non obstante gravissimas difficultates inveniunt [13]? Num omnia haec eum finxisse dicemus, ut vagam illam melioris sortis promissionem pro vera prophetia venditaret? Porro Iudas Machabaeus inde ab a. 166. insignibus iam victoriis iugum Epiphanis confringere coepit; cur igitur auctor, quem inter a. 167. et 164. scripsisse statuunt adversarii, ne levissimo quidem verbo auroram melioris aetatis annuntiavit, sed vago tantum modo de interitu Epiphanis locutus est?

Demum narrationum visionumque ratio auctorem ornatum fuisse ostendit scientia vere eximia rerum babylonicarum et persicarum, quae, nisi eum tempore regnorum babylonici et persici atque in ipsa regum aula vixisse admittamus, vix ac ne vix quidem explicatur [14]. Antequam inscriptiones cuneiformes detectae et explicatae erant, multa in libro nostro mira esse videbantur, quae hodie omnino accurate esse relata constat. Nomen Baltassaris (Belschazzar), regis Babyloniae, a solo libro Daniel conservatum monumento superstite hodie est confirmatum; similiter documenta recenter iuventa confirmant, Cyrum regno babylonico expugnato socium imperii sibi elegisse, qui titulo *regis Babyloniae* ornatus novum regnum administraret; omnia nomina propria, nisi librariorum ignorantia aut socordia sunt deformata, babylonicam suam originem manifestant; illa, quae cp. 4. de palatio Nabuchodonosoris traduntur, veritati consona esse iisdem monumentis demonstrantur; quinque classes fuisse magorum, in scholis aulae regiae linguam scientiis sacris reservatam, quae recte « lingua Chaldaeorum » nominetur, iuvenes addidicisse atque in easdem scholas etiam iuvenes alienigenas esse admissos, inscriptiones quoque docent; munera magistratuum, quae 3,3 enumerantur, omnia sunt babylonica, licet eorum nomina sint persica, quia nimirum Persae antiquis muneribus nova nomina dederant [15] etc. etc. Num revera adversarii sibi persuadebunt, Iudaeum quendam in Palaestina medio saec. 2. a. Chr. degentem tam accuratam rerum babylonicarum scientiam possedisse, postquam magnum regnum a Nabuchodonosor eiusque patre fundatum iam dudum interierat?

5. Cfr ex. gr. *Bleek Wellhausen* Einleitung p. 469 sq.; *De Wette Schrader* Einl. p. 505 sq.; *Davidson* Introduction III. p. 162 « It is now no longer denied that the book was written by one person... The two leading divisions are so related that the one implies the existence of the other... They have the strongest similarty in language and tenour, pointing unmistakeably to one and the same author ».

6. Ex. gr. *Delitzsch* in Herzog P. R. E. III. p. 469 : « Das Buch erhebt durch kein Selbstzeugniss den Anspruch von Daniel verfasst zu sein ».

7. *Is.* 7,3 sqq.; 36-39; *Ierem.* 19,14 sqq.; 28,5 sqq.; 36,1 sqq. etc.; *Os.* 1,2 sqq. etc.

8. 4 *Reg.* 18,26 et *Is.* 36,11; — *Ierem.* 10,11 unicum versum chaldaicum inseruit, responsum Iudaeis a Chaldaeis ad idololatriam tentatis suggerens.

9. De hoc argumento cfr *Rohling* Das B. des Proph. Daniel p. 6 sqq., et *Knabenbauer* Comm. in Dan. p. 32 sqq.; ex acatholicis *Keil* Comm. p. 39 sqq.

10 *De Wette Schrader* Einl. p. 508 : « Der Zweck des Verfassers war kein anderer. als während der syrischen Drangsal seine Volksgenossen, soweit sie der angestammten Religion treugeblieben, zu trösten und aufzurichten, dem Tyrannen aber und denen, die es mit ihm hielten, ein Spiegelbild vorzuhalten, das ihnen zur Beschämung zugleich und zur Warnung gereichte. Demgemäss lässt er den vielleicht schon aus der Sage bekannten Seher Daniel, gewissermassen als Repräsentanten des Volkes der Gläubigen, in ähnliche Lagen und Verhältnisse bei den babylonischen und medo-persischen Königen kommen, wie die waren, in denen sich das jüdische Volk zur Zeit des Antiochus Epiphanes befand, und lässt er denselben aus seinem Märtyrerthum schliesslich siegreich hervorgehen. Dem gleichen Zwecke dienen die apokalyptischen Weissagungen von dem bevorstehenden und sicher zu erwartenden Siege der Theokratie ». Similia tradunt *Bleek Wellhausen* l. c. p. 477 sq. 484 sq., *Reuss* Gesch. des A. T. p. 571.

11. *De Wette Schrader* l. c. p. 507; *Davidson* l. c. p. 200; *Bleek Wellhausen* l. c. p. 487 etc.

12. 3 *Reg.* 22,5 sqq. 11 sq.; *Ierem.* 28,1-11 etc.

13. « Critici » supponere videntur, prophetam populares suos gravissima et crudelissima persecutione oppressos aenigmatis propositis consolari voluisse.

14. Cfr *Lenormant* La Divination chez les Chaldéens. Paris 1875. p. 188 : « Plus je lis et je relis le livre de Daniel, en le comparant aux données des textes cunéiformes, plus je suis frappé de la vérité du tableau que les six premiers chapitres tracent de la cour de Babylone et des idées spéciales au temps de Nabuchodorossor; plus je suis pénétré de la conviction qu'ils ont été écrits à Babylone même et dans un temps encore rapproché des événements; plus je rencontre enfin d'impossibilités à en faire descendre la rédaction première jusqu'à l'époque d'Antiochus Épiphane ». *Ménant* Babylone et la Chaldée. Paris 1875. p. 240 : « Le livre de Daniel... rapporte des traits de la civilisation chaldéenne au temps de Nabuchodonosor avec une exactitude à laquelle une rédaction apocryphe n'aurait pu atteindre ».

15. Haec excerpsimus ex *Lenormant* l. c. p. 180-200, qui fuse ea explicat aliaque non pauca exempla affert; cfr etiam *Vigouroux* La Bible et les découvertes modernes. IV. p. 392-523, qui danielicas narrationes et visiones cum monumentis babylonicis consonare accuratius demonstrat.

c.) Tertio loco ad traditionem provocamus, quae omnem, si qua remansit, dubitationem prorsus excludit, quoniam integra semper synagoga et Ecclesia librum nostrum a Daniele propheta scriptum esse docuit. Locupletissimus authentiae testis, cuius solius testimonium rem ita definit, ut Christiano dubitare amplius non liceat, ipse est Dominus N., ubi de « abominatione desolationis stante in loco sancto » loquitur, quae praedicta sit a « Daniele propheta », librumque eius perpendendum esse monet (*Matth.* 24,15; cfr *Marc.* 13,14). Frustra obiiciunt adversarii, Dominum iudaicae opinioni sese accommodasse, neque eum criticam quaestionem decidere voluisse aut potuisse, atque inepte monent, nos certos non esse, num in graeco S. Matthaei textu

verba Domini sint fideliter expressa [16]. Quae ultima exceptio, si quidquam valeret, totam primi Evangelii auctoritatem destrueret; refutatur autem etiam consono Marci testimonio, qui, quamvis nomen Danielis taceat, tamen conservato monito Christi : « qui legit, intelligat », satis ostendit, eum ad librum propheticum omnibus cognitum provocasse. Prior autem obiectio non minus est impia, quam inepta. Etenim si de quaestione mere critica ageretur, Christo eam scientiam negare, ut illam definire « non potuisse » dicatur, impium iam foret; at quaestio, de qua cum adversariis disceptamus, dogmatica potius est quam critica. Nam quaeritur, utrum veteris prophetae Danielis genuina vaticinia contineat, an fraudatoris cuiusdam aetate machabaica degentis fictiones secundum eventum compositas. Si adversariorum sententia vera esset, Dominus ac Redemtor noster librum fraudulenter confictum [17] approbasset discipulisque suis commendasset atque ad veteratoris istius verba tamquam ad vaticinia divina provocasset; id quod asserere profecto impium est et blasphemum.

Domini verba, quae allegavimus, unicum constituunt N. T. testimonium, si ipsum Danielis nomen ad libri authentiam demonstrandam requiritur; at frequentia sunt testimonia, quibus liber velut divinus ac proinde etiam (saltem indirecte) velut authenticus demonstratur; evidens enim est, eum divinum non esse, si fraudatoris dumtaxat fictiones arbitrarias continet. Iam illud ipsum nomen « *filii hominis* », quo Dominus se ipse tam frequenter appellare voluit quodque tamquam nomen venturi Messiae Iudaeis erat notissimum, ex Danielis libro haustum esse, concedent omnes qui unquam *Matth.* 26,64 (*Marc.* 14,62) cum *Dan.* 7,13 sq. comparaverint; quin etiam Dominus omnibus istis textibus, in quibus de reditu « filii hominis » loquitur, eundem locum danielicum in auditorum mentes revocare voluisse iuste asseritur [18]; unico autem in loco, in quo Redemtor noster ab uno ex discipulis « filius hominis » vocatur, vaticinium istud danielicum impletum esse innuitur (*Act.* 7,56). Quodsi Dominus ipse libro Danielis velut prophetico et divino usus est, nemo mirabitur, quod eadem ratione illum Apostoli adhibuerint. S. Petrus, si de prophetis loquitur, qui « scrutati sint, in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi praenuntians eas, quae in Christi sunt passiones et posteriores glorias », sed responsum acceperint, quod non sibimet ipsis, sed futuris generationibus ministrent, quae impletionem sint visurae (1 *Petr.* 1.10-12), vix dubium est, quin ad nostrum librum respexerit, quum Daniel solus sit inter veteres prophetas, qui in vaticiniorum suorum tempus inquisivisse illudque responsum accepisse legitur [19]. Certum quoque est, S. Paulum in sua Antichristi descriptione (2 *Thess.* 2) nostra vaticinia (praesertim *Dan.* 11,36 sq.) prae oculis habuisse, eumque in heroum

fidei enumeratione libro Danielis eandem, quam reliquis V. T. Scripturis, auctoritatem attribuisse (*Hebr.* 11,33. 34; cfr *Dan.* 6. et 3.). S. Ioannem librum nostrum pro prophetico habuisse, demonstrare opus non est, siquidem adversarii ipsi concedunt, eum in sua Apocalypsi vaticinia danielica supposuisse et adhibuisse[20]. Quoniam vero tot tantisque directis et indirectis testimoniis Domini et Apostolorum authentia libri nititur, facile explicatur, cur Porphyrii obiectiones a Patribus sint despectae et reiectae.

Iisdem autem testimoniis demonstratur, Iudaeos tempore Christi librum Danielis pro authentico habuisse; at alia praesto sunt, quibus synagoga iam dudum antea eum inter Scripturas suas sacras recepisse ostenditur simulque adversariorum, qui eius originem aetati machabaicae attribuunt, sententia refutatur. Praeprimis ad Fl. Iosephum provocamus, qui Alexandro M. Ierosolyma ingresso Danielis librum ostensum fuisse narrat, in quo fore praedicebatur, ut Graecus quidam Persarum imperium aboleret; qua de re laetatum regem omnia concessisse, quae summus pontifex petebat, ut sc. patriis legibus uti Iudaeis liceret, et septimo quoque anno a tributis essent immunes[21]. Quod testimonium adversarii respuunt quidem, at esse confictum argumentis non demonstrant; iam vero nec simplici negatione illud removeri neque assertione, nonnullas narrationis circumstantias parum esse verisimiles[22], integrum infirmari perspicuum est, praesertim quum aliunde constet Alexandrum M. se mitem erga Iudaeos exhibuisse[23]. — Alterum argumentum nobis praebet oratio Mathathiae, qui moriens, ut filios suos ad fortitudinem in Legis observantia adhortetur, eis inter alia exempla proponit « Ananiam et Azariam et Misael, qui credentes liberati sint de flamma, Danielem, qui in sua simplicitate liberatus sit de ore leonum »[24]; aetate igitur machabaica (et quidem ante a. 167.) liber noster non tantum exstitit, sed eodem in ordine habitus est cum aliis libris sacris, ex quibus Mathathias exempla Abrahami, Iosephi, Phineae, Iosuae etc. depromsit. Credere utique iubemur, Mathathiae orationem ab auctore 1. Mach. libri esse confictam ac proin nullius momenti in nostra quaestione; at iterum fugit adversarios, asserta argumentis esse stabilienda, neque quidquam illos esse profecturos, si illis daremus (quod tamen concedi non potest), auctorem libri haec exempla ex proprio penu orationi Mathathiae adiecisse. Quomodo enim explicabunt, librum medio saec. 2. a fraudatore confictum ante eiusdem saeculi finem iam inter sacros Iudaeorum libros esse receptum? Auctor enim 1. Mach. libri opus suum tempore Ioannis Hyrcani (135.-106.) absolvit; ex Fl. Iosephi autem testimonio c. Appionem (I. 8) scimus, Iudaeos palaestinenses nullum librum, qui Artaxerxe I. recentior erat, in canonem suum recepisse[25]. — Hinc etiam

tertium authentiae argumentum desumimus ex ipsa libri nostri in Iudaeorum canonem receptione. Immerito enim obiicitur, Danielem a Iudaeis non esse inter prophetas receptum sed in tertia canonis parte inter hagiographos collocatum, id quod fieri non potuisse censent adversarii nostri, si ex antiqua Iudaeorum traditione liber iam exsilii tempore esset compositus. Neque enim animadvertunt, hodiernum canonis Iudaici ordinem satis recentis esse originis; nam Iosephus, licet easdem tres librorum sacrorum classes, quas moderni Iudaei, agnoverit, in tertia sua classe tamen non recensuit nisi quatuor libros qui « hymnos et praecepta vitae » tradunt, nostrum igitur librum, utpote a propheta conscriptum, secundae attribuit[26]; Iudaei vero alexandrini semper Danieli inter prophetas maiores immediate post Ezechielem locum assignarunt[27].

16. Cfr *De Wette Schrader* Einleitung p. 503 : « Christus *wollte* weder noch *konnte*, der Natur der Sache nach, eine kritische Auctorität sein »; *Davidson* Introd. III. p. 168 : « Christ did not assume to be a critical authority, because certain errors were doctrinally harmless, having no proper connection with his religious teaching. Besides, we cannot tell how far the words of Christ in Matth. 24. have been exactly reported in the Greek Gospel of St. Matthew ».

17. Plane assentimur *Reuss* (Gesch. des A. T. p. 576) asserenti librum non potuisse *per errorem* Danieli attribui, sed eum aut genuinum esse aut *fraudulenter* confictum et *fraudulenter* Danieli attributum. « Da der Verfasser für einen Mann gelten will, der im Exil gelebt hat, so ist sein Werk, wenn nicht echt, ein untergeschobenes, und es handelt sich hier nicht um einen Irrthum der Tradition, sondern um *einen literärischen Betrug* ». Merito autem miraberis nostros « criticos » omnes « *fraudem* literariam » excusare; secundum eos « *finis sanctificat media* »; cfr ex. gr. *Reuss* l. c. p. 580 : « Wir meinen, dass um dem Verfasser gerecht zu werden, man ihn aus einem andern Gesichtspunkt beurtheilen muss, nämlich mit Rücksicht auf die Zeit, in der er lebte. Was ihm seine Blätter eingegeben hat, das war die Lage seiner Glaubensgenossen, wie er sie vor Augen hatte... *Der Zweck war ganz lobenswürdig;* es galt den Geist und Muth einer Bevölkerung zu stärken, welche durch die abscheulichste Tyrannei noch in sich nicht die Kraft gefunden hatte, das alte Wort : Hilf dir, so wird Gott dir helfen, in Thaten umzusetzen » etc. Simili modo *Hitzig* (Das Buch Daniel p. X). Cautiores sunt alii, qui auctorem fraudis tam aperte accusare non audent, neque tamen ad eum excusandum quidquam praeter « bonum finem » afferunt. Cfr *Davidson* l. c. p. 199 » : « His motive was good and right. To effect his purpose the more successfully, he chose a prophet renowned for wisdom in the tradition of his nation as the medium of communicating theocratic thruths to his suffering countrymen. He uses Daniel and apocalyptic visions *supposed to be revealed to him*, as harmless (!!) but effectual drapery to set forth ideas fitted to sustain the oppressed people of God in the midst of persecution » etc. Simila habent *De Wette Schrader* l. c. p. 503, *Bleek Wellhausen* l. c. p. 471 etc. Omnibus tamen adversariis nostris miracula, quae a Daniele narrantur, merae sunt fabulae eaeque ridiculae, quae nunquam fieri potuerunt, atque visiones omnes ex eventu sunt confictae : omnia haec igitur confingere et pro veris et divinis revelationibus venditare res est innocens (harmless), dummodo finis sit bonus.

18. Cum *Dan.* 7,13. 14. 26. 27 cfr *Matth.* 10,23; 16,27 sq.; 19,28; 24,30; 25,31 etc.

19. *Dan.* 12,6-12. *Estius* (in 1 Petr. 1,10 sqq.) Apostolum ad *Dan.* 9. respexisse arbitratur, ubi Daniel cupidus cognoscendi temporis, quo ventura sit salus, oratione et ieiunio se ad visionem de septuaginta hebdomadis recipiendam praeparaverit; quae sententia nobis minus probatur.

20. Ex. gr. cfr *Dan.* 7,3 sqq. (*Apoc.* 13,1 sqq.); 7,7 sq. (11,7); 7,9 sqq. (20,4. 11 sq.); 7,10 (5,11); 7,13 (14,4); 7,20 sqq. (17,12); 7,27 (11,15 sqq.) etc.

21. *Fl. Ioseph.* Antiqu. XI. 8,5.

22. *Reuss* (l. c. p. 579) rem audaci negatione et ioco definire conatur : « Die ganze Geschichte ist eine Fabel; Alexander kam nie nach Ierusalem; auch wäre sehr interessant zu wissen, ob man ihm die Geschichte seiner Nachfolger vorgelesen hat ». *De Wette Schrader* (l. c. p. 504) modestius putat non omnes narrationis rationes credi posse (« Aber die Erzählung ist sicher wenigstens nicht in allen einzelnen *Umständen* glaubwürdig »), sed nihil profecto prohibet, quominus librum Danielis Alexandro ostensum esse credamus. Cum De Wette Schr. fere consentit *Davidson* (l. c. p. 163) : « This story is of very suspicious credit; it has the air of embellishment ». Egregie narrationis veritatem vindicat *Hengstenberg* Authentie des Daniel p. 277-286.

23. *Arrian.* Exped. Alex. II. 25; *Iustin.* Hist. XI. 10; *Hecat.* apud Fl. Ioseph. c. App. II. 4.

24. 1 *Mach.* 2,59 sq. Quoniam Mathathias amicorum Danielis exemplum primo in loco ponit, cum exempla non ex traditione orali, sed ex nostro libro hausisse iure concludimus (*Dan.* 3. Amici ex igne liberati; 6. Daniel a leonibus servatur); nam simili modo Phineam, licet iuniorem, Iosuae praemittit, quia eius remuneratio in Pentateucho prius narratur.

25. Cfr Introd. gener. Ed. 2. nn. 21. 22. p. 46. 49 sqq.

26. *Fl. Iosephum* librum Danielis velut sacrum et propheticum in viginti duorum librorum suorum numero habuisse, constat ex *Antiqu.* X. 10. 11 (praesertim 11,7); XI. 7; XII. 7,6.

27. De ratione, qua permoti iuniores rabbini librum Danielis in tertia canonis sui parte collocaverunt, disseruimus in *Introd. gen.* Ed. 2. n. 15. p. 31 sq.

290. — 2. Restat ut argumenta examini subiiciamus, quibus danielica libri nostri origo impugnatur. Nonnulla narratis illis, quae de Nabuchodonosor eiusque successoribus deque rebus babylonicis et persicis tradunt monumenta recenter detecta et explicata, iam praeoccupavimus neque ea repetere opus est, praesertim quum hodierni « critici » in afferendis eiusmodi difficultatibus iam cautiores sint, quam antiquiores rationalistae[1], atque adversariorum sententia, qua nullum factum in libro sacro relatum admittendum statuunt, nisi aliis testimoniis profanis confirmetur, prorsus sit erronea, ne dicamus absurda. Alia praetermittere licet, quia solis praeiudiciis rationalisticis innituntur ac proin ad philosophos potius quam ad nos spectant, aut ex erroneis textuum interpretationibus oriuntur ac proin ad exegesin proprie dictam pertinent. Priori classi adnumeramus miracula libri nostri, quae utpote nimis extraordinaria, et praedictiones, quae utpote nimis accuratae credi posse negantur; quasi adversarii nostri aliarum Scripturarum miracula agnoscerent et Deum futura saltem aliqua revelare posse concederent[2]! Alteri classi adnumeranda sunt ea, quae

verisimilitudine carere aut exaggerata esse dicunt, postquam nimirum arbitraria interpretatione verba ad erroneum sensum detorserunt[3]. Quibus omnibus omissis hae fere remanent.

a.) *Indolem libri* danielicae origini repugnare edocemur. « Nam haud raro auctor Danielem magnis laudibus exornat (1,17. 19 sq.; 5,11 sq.; 6,4; 9,23; 10, 11) atque de eo velut de persona a se prorsus aliena loquitur (6,29 וְדָנִיֵּאל דְּנָה « et *hic* Daniel »); documenta publica, quae tamquam authentica referuntur (3,31-4,34; 6,26-28), in tota sua dictione cum reliquo libro historico consonant; porro liber ipse partim hebraice partim chaldaice est conscriptus, utraque autem lingua satis est corrupta et chaldaica multis vocabulis persicis atque adeo graecis, quae ante Seleucidarum aetatem Hebraeis erat ignota, non parum deturpata »[4].

Integram adversarii obiectionem, ne difficultatem effugere videremur, transcripsimus, quamquam de duarum linguarum usu supra iam diximus eumque non minus quam utriusque linguae impuritatem origini danielicae libri omnino favere ostendimus (289. 1. b. p. 488). Nomina vera persica difficultatem non creant nisi ei, qui ante persicum imperium linguam aramaicam (qua scripta est prior libri pars) ex multiplici cum Persis aliisque gentibus vicinae originis commercio corrumpi potuisse negaverit. Quatuor demum vocabula graeca, quae 3,5. 7 leguntur, sunt instrumentorum musicorum nomina, quae una cum instrumentis ipsis a Graecis Asiae Minoris ad Babylonios facile transire potuerunt[5]. — Haec, quae de libri lingua corrupta et deturpata obiiciuntur, tam levia sunt, ut cur semper recoquantur non intelligamus; levior autem, si fieri potest, est obiectio ex expressione « hic Daniel » deprompta; quamprimum enim Danieli, uti aliis innumeris scriptoribus, de se ipso tertiam personam adhibere licuit, pronomen demonstrativum nomini proprio aptissime isto in loco additum esse ne rabidissimus quidem authentiae adversarius negabit, dummodo ad contextum attenderit: *hic* Daniel, i. e. idem ille, quem aemuli eius omni studio et conatu perdere voluerant, a Deo suo protectus ad magnos honores promotus est (הַצְלַח, *prosperatus* est: male Vulg. *perseveravit*) tempore Darii et Cyri regum ». — Ad laudes autem quod attinet Danieli attributas, ex elencho testimoniorum allatorum tria (5,11 sq.; 9,23; 10,11) removenda sunt, quippe in quibus Daniel tamquam fidelis historicus ea referat, quae alii de ipso dixerant, tria reliqua (1,17. 19 sq.; 6,4) non sunt vanae gloriae signa, sed ab auctore afferuntur, ut explicet, cur ab ethnicis regibus ipse amicique eius ipsis ethnicis sint praelati atque ad praecipua munera publica assumti.

b.) Parum favere danielicae origini dicitur *libri nostri doctrina* de angelis (4,14; 9,21; 10,13. 21), de salute messianica (7,13 sq.; 12,1-3), de ressurrectione mortuorum et de iudicio (12,2 sq.); item cum eadem non satis consonare creduntur ethicae quaedam ideae, uti de eleemosynis (4,24 cfr. Eccli. 3,28; 29,12; *Tob.* 4,10; 12,19), de abstinentia a certis cibis (1,8-16 cfr. 1 *Mach.* 1,62 sq.; 2 *Mach.* 5,27), de tribus quotidianae orationis temporibus (6,11; cfr *Act.* 2, 15. 3,1) »[6].

Nonnullas novas revelationes per Danielem nobis esse propositas aut do-

ctrinas iam antea traditas accuratius et enucleatius nobis per eum esse explicatas profecto non negamus; at quomodo adversarii demonstrant, illas non exsilii tempore sed machabaica dumtaxat aetate proponi potuisse? Innuere quidem volunt, ex aliarum gentium (Persarum etc.) commercio has ideas esse haustas, vehementer autem errant, atque praecipua, quae obiiciunt, in aliorum auctorum sacrorum libris sunt expressa. Quo integra doctrina de angelis pertinet, cui Daniel praeter nomina duorum angelorum (Gabriel 9,21; Michael 10,13. 21) vix quidquam novi addit; angelos enim divinorum iudiciorum esse exsecutores (4,14), satis clare etiam Ezechiel (cpp. 9. 10.) docet; de exercitu angelorum coram Domino assistente et cum eo concilium quoddam agente dudum ante exsilium loquitur propheta Michaeas, filius Iemla (3 *Reg.* 22,19 sqq.); immediate post exsilium angelus explicat Zachariae visiones, sicut eas explicavit Danieli. Quod autem angeli velut custodes regnis sint praepositi, id quidem ante Danielem nemo tradidit; sed haec doctrina certo nec ex Persarum nec ex aliorum ethnicorum placitis hauriri potuit. — In doctrina messianica ab aliis discrepare creditur Daniel, quia primus Messiam velut ens humanam naturam superans, cuius potestati omnis terra sit subiicienda, descripserit (7,13 sq.; 12,1 sqq.); quasi nec a Davide (*Ps.* 2. 109. etc.) nec ab antiquioribus prophetis, ex quorum numero solum Isaiam nominare sufficit (Is. 7,14; 9,6 etc.), et divina natura et regnum universale Messiae sint praedicta. — Futuram mortuorum resurrectionem et iudicium clare a Daniele (12,2 sq.) doceri fatemur, neque dissentimus, si quis hanc doctrinam nusquam in V. T. tam clare propositam esse contenderit, dummodo concedatur ante Danielem eandem iam ab aliis (*Is.* 26,19; *Ezech.* 37.; *Iob.* 19,25 sqq.) esse traditam. — Si de eleemosynis, quibus peccata redimuntur, aut de abstinentia a certis cibis, aut de tribus quotidianae orationis temporibus ante aetatem machabaicam nullum inveniretur testimonium, argumentum adversariorum semper foret infirmum, quoniam ex solo silentio non recte concluditur rem aliquam fuisse incognitam; animadverte autem de eleemosynarum virtute non tantum loqui librum Tobiae, qui exsilio babylonico est antiquior, sed etiam *Is.* 58,10; certos cibos iam in Lege pentateuchica interdici, atque de tribus orationis temporibus *Ps.* 54,18 satis clare fieri sermonem.

c.) Demum *externa testimonia* originis danielicae desiderari dicuntur. « Si liber tempore exsilii conscriptus est, neque cur in tertia iudaici canonis sectione sit collocatus, intelligitur, nec cur Siracida (*Eccli.* 49,10 sqq.) Danielem omiserit, nec cur Ezechiel (14,14. 20) eum medium inter Noe et Iob enumeraverit, nec cur in libris post exsilium conscriptis visionum istarum ratio non habeatur » [7].

De loco, quem *iuniores* rabbini libro Danielis in suo canone assignarunt, iam diximus (289 p. 494). Aliquid miri in eo esse, quod Siracida Danielem non nominaverit, libenter fatemur; immerito autem ex eius silentio recentior libri nostri origo derivatur; nam si legitima esset conclusio, etiam Esdrae librum et Estheris libellum aetati machabaicae adscribere cogeremur, siquidem Siracida etiam Esdram et Mardochaeum silentio praetermittit; dicendum igitur est, eum completum patrum catalogum dare noluisse, quare etiam

ne unum quidem ex Iudicibus nominat et aliquos prophetas, qui licet libros non scripserint magna tamen auctoritate gavisi sunt, omittit. Quodsi vero Siracida Danielem non commemorat, Ezechiel eius pietatem et sapientiam celebrat (*Ezech.* 14,14. 20; 28,3), atque rectissime eum priore in loco medium inter Noe et Iob posuit; neque enim chronologico ordine tres magnos illos intercessores enumeravit, sed secundum virtutem intercessionis eorum, uti recte iam innuit S. Chrysostomus et explicat Estius : « nam propter Noe Dominus pepercit olim filiis et uxoribus eorum et restituit *humanum genus;* ad preces Danielis promisit instaurationem templi et civitatis (vel rectius secundum S. Chrys. : *multos* eripuit a morte, quando barbarus rex inquirebat quae supra humanam erant naturam et interimere volebat omnes suos magos); ad intercessionem denique Iob condonavit peccatum *amicorum* eius »[8]. — Nullam demum a iunioribus scriptoribus sacris danielici libri rationem haberi, erronee asseritur; nam in parvis quidem Aggaei et Malachiae libellis nulla ad eum allusio reperitur; verum *Zacharias* (1,18 sqq. et secundum plerosque interpretes etiam 6,1 sqq.) danielicum vaticinium de quatuor monarchiis cognitum supponit; eiusdem quoque vaticinium de Graecia vincenda (9,13) vix intelligebatur non cognito Danielis libro; *Eccli.* (17,14) doctrinam de angelis regnorum custodibus ex nostro libro hausit[9]; auctorem *Sap.* (3,7) ad *Dan.* 12,7 respexisse eius verba docent; de *Machabaeorum* libris non loquimur, quia ne ipsi quidem rationalistae negant, eorum auctoribus librum Danielis cognitum fuisse. Ceterum si in iunioribus libris nullum testimonium inveniretur, eorum silentium argumentum praeberet invalidum, nisi simul demonstraretur eorum auctores Danielem allegare *debuisse.*

1. *Schrader* (De Wette Schrader Einl. p. 494) hos solos errores historicos (Verstösse gegen die beglaubigte Geschichte) in Danielis libro invenit : 1,1 « Tertio anno Ioakim » (cfr 283 n. 2. p. 467); — 2,1 pugnat cum 1,1 sqq. (cfr *ibid.*); — rex Baltassar et Darius Medus (cfr 284 n. 4. 6. p. 471); — 6,1 sqq. regnum a Dario Medo in centum viginti satrapias distribuitur (etiam *Lenormant* La Divination chez les Chaldéens p. 218 numerum centum viginti satrapiarum exaggeratum esse et librarii errori adscribi debere censet; at nihil videtur obstare, quominus titulum אֲחַשְׁדַּרְפְּנַיִּן (« satraparum ») latiore sensu de civitatum aut minorum territoriorum gubernatoribus intelligamus; titulus certe est aricae originis, sed cur a Dario *Medo* adhiberi aut etiam ante eius aetatem iam in lingua vulgari Aramaeorum usurpari non potuerit, non apparet); — 6,18 claustrum leonum describitur velut cisterna (animadvertas autem velim, de claustris illis, in quibus leones *servabantur*, nihil hucusque ex monumentis innotuisse, atque alios assyriologos descriptionem nostri libri vocare accuratissimam; cfr *Lenormant* l. c. p. 192 : « La fosse aux lions du chap. 6. devient pour nous un *détail d'une exactitude et d'une précision topiques*, en présence des admirables bas-reliefs des chasses du même Assourbanipal, transportés à Londres, où nous voyons amener sur le terrain, dans des cages, les lions gardés pour les plaisirs du roi »). Omnes « errores historicos » Danielis enumeravimus, nec quisquam illos rectius « errores hypercriticorum » vocari dubitabit.

2. Miracula, quae utpote nimis extraordinaria (wegen ihrer Grellheit ») credi posse a *de Wette Schrader* l. c. p. 491 negantur, sunt *Dan.* 2,28; 3,23 sq. (Vulg. 3,91 sq.); 5,5; 6,23. 25; de quibus disserere superfluum est. — In praedictionibus tria praeci-

pue vituperantur (l. c. p. 495) : earum « forma apocalyptica », quatenus sub forma visionum regnum messianicum etiam secundum rationem chronologicam definiatur (« insofern die Zukunft des messian. Reiches in und nach bestimmten Zeitverhältnissen aufgefasst und berechnet, und der so entwickelte Stoff in der Form von Visionen dargestellt wird »; sed cfr *supra* 288 p. 481 sqq.); — earum argumentum, quatenus Daniel non de reditu ex exsilio sed de rebus post multa saecula venturis agat (attamen si de reditu exsulum, *quem vidit*, Daniel vaticinia nobis reliquisset, timeo ne « critici » ea ex eventu conficta dicerent, sicuti *Ezech.* 12,12 sqq. aliaque conficta dicuntur, *Is.* 40.-66. aliaque iuniori scriptori attribuuntur); — earum accurata descriptio, ut historiographum potius quam prophetam egisse videatur; accuratus vero dicitur dumtaxat fuisse in describenda aetate Seleucidarum, de aetate autem messianica nihil nisi vaga quaedam annuntiare (sc. « critici » nostri quarto Danielis imperio romanum intelligi negant suasque interpretationes pro vaticiniis danielicis venditant; solum cap. 9. iam satis demonstrat, Danielem non vage dumtaxat de aetate messianica esse vaticinatum; licet miris modis se torqueant adversarii nostri, ut septuaginta hebdomadas danielicas tempore Epiphanis terminari ostendant, finem suum nondum attigerunt). — Textus alexandrinae versionis (cfr *supra* 288. Schol. p. 484 sq.) nobis ostendit, quomodo pseudopropheta aliquis tempore machabaico visiones ex eventu finxisset.

3. Inter ea, quae omni verisimilitudine carere dicuntur, praecipua sunt verba illa, quibus reges ethnici potestatem et magnitudinem Dei Danielis profitentur (2,46 sqq.; 3,28 sqq.; 4,31 sqq.; 6,26 sqq.); sed cfr *supra* 285 p. 473; alia esset quaestio, si de versione alexandrina ageretur cfr *supra* 288 n. 9. p. 485. Quibuscum fere consentit, licet de textu nostro authentico severius iudicet, *Lenormant* l. c. p. 217 : « On doit remarquer que toutes les fois que l'auteur du livre fait parler directement Nabuchodorossor... on ne trouve rien de plus que cette reconnaissance d'un dieu suprême d'un premier principe supérieur à tous les autres dieux ».

4. *De Wette Schrader* Einleitung p. 498 sqq. Quoniam ab omnibus rationalistis eaedem obiectiones repetuntur, unius ex praecipuis verba attulisse sufficit.

5. Monumentis et Berosi testimoniis constat, inde a saec. 8. et 7. Assyriis et Chaldaeis cum Graecis iam commercium quoddam fuisse (*Lenormant* l. c. p. 174 n.), quod plane sufficit ad quatuor instrumentorum nomina explicanda; nonne quotidie videmus una cum novis instrumentis etiam eorum nomina ab uno populo ad alterum transire?

6. *De Wette Schrader* l. c. p. 497 sq.

7. *De Wette Schrader* l. c. p. 501 sq. et 497.

8. *S. Chrysost.* In Gen. hom. 43,1 (M. 54,387); *Estius* In Ezech. 14,14.

9. Eandem doctrinam ineunte saec. 3. sub primis Ptolemaeis, ergo dudum ante machabaicam aetatem, etiam alexandrini Pentateuchi interpretes ex nostro libro receperunt et in sua versione *Deut.* 32,8 expresserunt.

### Quaest. II. — De deuterocanonicarum pericoparum authentia.

291. — A protocanonico libro ad deuterocanonica additamenta Danielis transimus de iisque eo ordine agemus, quo in Vulgata nostra leguntur[1].

1. Secundae narrationi de amicis Danielis, quia idolum aureum Nabuchodonosor adorare noluerant, in ignem iniectis et miraculo servatis (3,1 sqq.) a Vulgata inseruntur longa *oratio Azariae*, qua in

medio igne misericordiam divinam implorat, et *hymnus trium iuvenum*, quo Domino de salute obtenta gratias agunt (3,24-90). Pericope haec duplici textu graeco ad nos pervenit; praeter Theodotionis enim recensionem ab Ecclesia receptam, a qua Vulgata nostra et aliae versiones dependent, alexandrina quoque nobis est conservata (288. Schol.) Utraque in principio capitis (3,1) factum hoc adscribit anno 18. Nabuchodonosor, i. e. illi anno, quo rex Ierusalem templumque evertit; neque improbabilis est haec lectio, quamvis in chaldaico textu desit; regem enim post praeclaras victorias de Iudaeis et Aegyptiis in Asia citeriore reportatas sollemnitate illa diis suis gratias agere voluisse, facile creditur.

Sed ad pericopen ipsam veniamus atque primum quidem inquiramus, quae eius sit lingua primigenia; etenim si alteruter textus graecus esset primigenius, Danieli auctori adscribi non posset. Quapropter omnes interpretes catholici semper tenuerunt, eam hebraice vel aramaice primitus esse exaratam graecosque textus esse versiones; idemque sentiunt nonnulli protestantici interpretes, licet pro canonica particulam hanc non recipiant[2]. Neque desunt argumenta valida, quibus vera esse sententia demonstratur. Gravissimum iam est Theodotionis testimonium, qui neque nostram neque alias deuterocanonicas partes recepisset, nisi earum textum hebraicum vel aramaicum prae oculis habuisset. Arbitrario enim adversarii, ut huius argumenti vim effugiant, Theodotionem statuunt alexandrinam tantum versionem correxisse vel mutasse; siquidem eadem est in deuterocanonicis partibus, quae in reliquo libro, similitudo et dissimilitudo Theodotionem inter et alexandrinum interpretem; eum autem protocanonicum librum ex chaldaico et hebraico graecum fecisse omnes concedunt[3]. Ac profecto, quomodo alexandrinam versionem corrigere vel mutare potuit, si alium textum non habuit, ad quem illam revocaret? Accedit hebraismorum frequentia, quae maior est, quam si pericope ab Hellenista graece esset composita; eam autem urgere nolumus, sed potius monemus, in utraque recensione expressiones aliquas legi, quae non intelliguntur nisi erroneas eas esse vocabulorum hebraicorum translationes supponas[4]. Item in hymno trium iuvenum, in quo omnes creaturae ad laudandum Deum invitantur, aliquae in versibus sese fere excipientibus repetuntur; id quod apte non explicatur, nisi interpretes duo diversa vocabula hebraica eodem graeco reddidisse dicuntur[5]. Quibus argumentis adversarii id unum opponunt, disertum testimonium de hebraica pericopae origine non exstare. Quae, si Theodotionis et Alexandrinorum *versiones* pro disertis testimoniis non admittuntur, vera quidem sunt, sed immerito afferuntur, quum indirectis testimoniis vim probandi nullam inesse supponant.

Ex lingua igitur contra danielicam pericopae originem nihil efficitur; neque validiores sunt obiectiones ex eius argumento et indole desumtae. Obiicitur quidem Azariam conqueri, quod « non sit in tempore isto nec princeps aut dux, nec propheta, neque holocaustum aut sacrificium aut oblatio, neque locus primitiarum coram Domino » (3,38). At haec ipsa verba docent, brevi post templi destructionem orationem esse compositam; namque similia eodem tempore conqueruntur Ieremias (*Thren.* 2,9) et unus ex psalmistis tempore exsilii degentibus (*Ps.* 73,5 sqq.)[6]; quocirca nisi quis post *secundi* templi destructionem exeunte saec. 1. p. Chr. pericopen scriptam esse asseruerit, fateatur necesse est eam ad exsilii aetatem pertinere et cum temporis definitione ab Alexandrinis et Theodotione tradita (18. a. Nabuchod.) consonare. Neve obiiciatur, in sequente hymno (3,53 sqq. 84) de templo adhuc stante et de sacerdotibus in templo fungentibus esse sermonem, nam *templum* (3,53), id quod ex sequentibus versibus elucet, intelligitur ibi *coelum*[7], et sacerdotes, ut in *templo* Domino benedicant, non invitantur (3,84). — Minoris, si fieri potest, momenti est, quod Azarias regem Nabuchodonosor vocet « iniustum et pessimum ultra omnem terram » (3,32). Quamquam enim benignus erga Danielem amicosque eius rex antea fuerat, destructione tamen sanctae civitatis et templi, captivitate integri populi, regia dignitate familiae davidicae abrogata sese exhibuerat hostem crudelem, atque novo conatu, quo Iudaeos ad idololatriam poenis gravissimis adducere voluit, persecutorem iniustissimum. — Tertia obiectio ex totius pericopae indole desumitur. Namque inepta nec tempori adaptata dicitur Azariae oratio, qua generali quodam modo pro toto populo divinam misericordiam implorat (3,26-42) et in fine dumtaxat brevem et frigidam precationem pro sua amicorumque salute addat (3,43-45); frigidum quoque esse hymnum, qui nuda et ieiuna creaturarum, quae Deum laudare debeant, enumeratione constet[8]. Attamen aptissimam dicet Azaria orationem, quicunque animadverterit, tres amicos igni iniectos integrum populum repraesentare. Neque enim tamquam personae privatae invitati erant omnes magistratus ad idolum venerandum, sed ut per eos « cuncti populi, tribus, linguae » adorarent (3,7); quapropter Chaldaei, quum Danielis amici non adorassent, accusaverunt *Iudaeos* (3,8); quae denominatio universali modo intelligatur oportet, quoniam in praecedentibus versibus (3,1-8) trium amicorum nulla prorsus facta est mentio. Timendum igitur erat, ne poena amicorum esset initium persecutionis integri populi, ideoque aptissime Azarias sui ipsius periculi quasi oblitus Deum implorat, ut promissionum memor *populo* parcat. Porro quomodo hymnus ieiunus dicatur, non intelligimus; tres amici maximo miraculo in igne conservati angelique apparitione confortati

se solos Deo debitas gratias et laudes tribuere non posse sentiunt, itaque sua sponte prorumpunt in hymnum, quo omnes creaturas ad Deum laudandum invitant, et undequaque socios accersunt, qui secum Domino gratias agant.

Sive igitur linguam sive argumentum pericopae spectamus, dubium non est, quin nihil obstet, quominus eam a Daniele ipso narrationi suae insertam esse dicamus. Accedit autem, quod ea inserta nexus concinnior reddatur. In chaldaico quidem textu eius omissione contextum non esse turbatum concedimus[9]; at altera ex parte aptiorem fieri nexum, si retineatur, fatendum est. Etenim Nabuchodonosor miratur, quod quatuor viros in fornace ambulantes videat, licet tres tantum sint iniecti (3,91. 92 [24. 25]); angelus igitur ad tres viros descendisse supponitur; sed de eius descensu in sola parte deuterocanonica sermo est (3,49 sq.). Quam ob causam iure statuimus, in primitiva narratione etiam nostram pericopen adfuisse. Atque id unum difficultatem quandam creat, quod vix apta possit dari ratio, qua eius omissio ex textu chaldaico explicetur; attamen explicatio satis probabilis non deest. Namque prior libri nostri pars quinque narrationibus constat, quae omnes eo tendunt, ut Deum magnitudinem suam inter ethnicos manifestasse ostendant; ad hanc autem demonstrationem nec oratio Azariae nec hymnus amicorum quidquam conferunt, sed tota in miraculi ipsius narratione continetur. Coniicere igitur licet, Danielem quum versus finem vitae suae librum ex variis narrationibus, quas antea iam literis consignaverat, et visionibus componeret, ex nostra narratione illa omisisse, quae ad finem suum non requirebantur, atque eo facilius omisisse, quia altera lingua erant composita. Narratio enim est chaldaica, Azariam autem amicosque eius lingua sua, i. e. hebraice, Deum precatum esse et laudasse versimilius est[10]. Itaque factum esse arbitramur, ut duae eiusdem narrationis recensiones, quae ambae Danielem habebant auctorem, sint conservatae, brevior in libro ipso, longior in libello separato, Alexandrini autem et Theodotion, qui finem scopumque libri non perspexerunt, longiorem libro inseruerint.

Ceterum quidquid de hac coniectura est, pericopae nostrae canonicitatem nobis testatur integrae Ecclesiae auctoritas; etenim inde a *S. Clementis Rom.* aetate eam semper in Ecclesiae usu fuisse nemo negat[11].

1. Non minus egregie quam fuse de tribus his pericopis agit *Th. Wiederholt* in Tüb. Quartalschr. 1871. p. 373-408 (Oratio Azariae et hymnus); 1869. p. 287-321 et 377-399 (Historia Susannae); 1872. p. 554-596 (De Bel et dracone). Cfr etiam *Welte* Einleitung in die deuterokan. Bücher p. 239-263 et alias introductiones catholicas. — Ex adversariis quaestionem hanc accuratius tractat *Fritzsche* Exeget. Handb. zu den Apocryphen I. p. 111 sqq.

2. Ex gr. *Bertholdt* Einl. p. 1567; *Eichhorn* Einl. IV. p. 530; *Delitzsch* De Haba-

cuci prophetae vita et aetate p. 50; *Zoeckler* Der Proph. Daniel. p. 42 etc. Plerique tamen Protestantes examine non instituto solis suis assertionibus contrariam partem tuentur, uti « orthodoxi » Keil, Haevernick etc., rationalistae Davidson, De Wette Schrader etc.

3. In oratione Azariae et in hymno Theodotionem cum Alexandrino accuratius consentire non negamus, at in versibus, quibus oratio et hymnus introducuntur, magna apparet dissimilitudo. Cfr ex. gr. aliquos versus latine redditos a P. de Magistris :

| | |
|---|---|
| *Alex.* 3,24 Sic ergo precatus est Ananias et Azarias et Misael et laudaverunt Dominum, quando eos rex iussit immitti in fornacem. 25. Stans autem Azarias precatus est sic, et aperiens os suum confitebatur Domino simul cum sodalibus suis in medio igne fornacis succensae a Chaldaeis vehementer et dixerunt... | *Theod.* 3,24 Et ambulabant in media flamma laudantes Deum et benedicentes Dominum. 25. Stans autem cum illis Azarias oravit sic, et aperiens os suum in medio igne dixit... |
| 46. Succendentes fornacem et quando immiserunt tres simul in fornacem, fornax iam erat succensa secundum inflammationem suam septuplum, et quando iniecerunt eos illi, qui iniiciebant eos, erant super eos, alii vero succendebant subter eos naphtham et stupam et picem et sarmenta... | 46. Succendentes fornacem naphta et stupa et pice et sarmentis... |

4. Quo praecipue spectant haec : 3,32 ab Alex. et Theod. Babylonii vocantur ἀποστάται, quae expressio melius explicatur, si hebraicum מֹרְדִים (*rebelles* vel etiam *violenti*) supponitur; 3,46 Theod. καίοντες τὴν κάμινον νάφθαν καὶ πίσσαν κτλ (Alex. οἱ δὲ ὑπέκαιον ὑποκάτωθεν αὐτῶν [sc. iuvenum] νάφθαν καὶ πίσσαν κτλ), ubi duplex accusativus hebraicae quidem, sed non graecae grammaticae respondet; 3,40 nec Theod. expressio ἐκτελέσαι ὄπισθέν σου nec Alex. ἐξιλάσαι ὄπισθέν σου ullum praebet sensum, sed uti iam Vatabl. et Corn. a Lap. monuerunt explicanda est ex hebr. לְמַלֵּא אַחֲרֶיךָ (ut perfecte obediamus tibi, vel sequamur te cfr *Num.* 14,24; 32,11 etc.). Alii hebraismi minoris sunt momenti.

5. Apud Alex. recurrunt 3,64 et 68 δρόσος, 3,67 et 69 ψύχος, 3,64 et 77 ὄμβρος; apud *Theod.* 3,66 et 67 καῦμα, 3,67 et 69 ψύχος; ipsa iam differentia inter Alex. et Theod. docet non eadem vocabula in textu primigenio repetita esse.

6. Immerito a nonnullis Ps. 73. aetati machabaicae adscribi bene ostendit *Himpel* Theol. Quartalschr. 1870. p. 423 sqq. Quod Azarias « prophetam » non amplius adesse asserat, id non maiorem creat difficultatem, quum quod Ieremias « prophetas non invenire visiones » conqueratur (*Thren.* 2,9). Licet enim illo tempore Ieremias, Ezechiel, Daniel, Baruch viverent, Dominus ad tempus reliquerat populum suum nec prophetas suos instigavit, ut exsules consolarentur.

7. Cfr *Ps.* 10,5 « Dominus *in templo* sancto suo, Dominus *in coelo* sedes eius », ubi parallelismus templum de coelo intelligendum esse eadem ratione docet, qua in nostro loco : « benedictus *in templo sancto gloriae tuae*... benedictus *in throno regni tui*... benedictus *qui intueris abyssos et sedes super Cherubim*... benedictus *in firmamento coeli* ».

8. S. Hieronymi aetate aliam sed non dissimilem obiectionem fecerunt Iudaei : « tantum fuisse otii tribus pueris cavillabantur, ut in camino aestuantis incendii metro luderent et per ordinem ad laudem Dei omnia elementa provocarent ». Quibus nugis omissis id forsitan aliquis quaesierit, cur Azarias cum amicis in ignem iniectus et flamma non laesus non statim ad gratiarum actionem sese converterit sed longa

precatione divinam misericordiam imploraverit, quam iam expertus erat. Recte autem respondetur, Azariae orationem magis populi quam sui ipsius amicorumque salutem spectare, omnem novam petitionem simul continere gratiarum actionem, miraculum demum inchoatum non superfluam reddidisse ulteriorem petitionem de propria salute; quare quamprimum angelus apparet, velut exauditae precationis signo obtento in hymnum laudis et gratiarum actiones prorumpunt amici.

9. Attende autem in chaldaico textu lectionem aliquantulum esse diversam; namque pro verbis, quae Vulg. 3,41 ex chald. recepit : « Tunc rex Nabuchodonosor obstupuit et surrexit propere » etc. Theod. habet : « Et rex Nabuchodonosor *audivit eos psallentes* et admiratus est et surrexit propere » etc., quae correspondent addito in 3,24 Vulg. Qua ratione attentio regis sit excitata, in chald. non exprimitur.

10. Nam etiam in solo textu deuterocanonico nomina *hebraica* trium amicorum adhibentur, in protocanonica capitis parte autem semper eorum nomina chaldaica ponuntur (3,12. 13. 14. 16 19. 20. 22. 23. 93. 95. 96. 97).

11. *S. Clem. Rom.* 1 Cor. 45 : « Num Ananias, Azarias et Misael conclusi sunt in fornacem ignis ab iis, qui magnificum Altissimi cultum observabant? » Quo in testimonio animadverte non tantum hebraica amicorum nomina poni sed etiam illo ordine, qui in sola deuterocanonica parte observatur, dum in protocanonica narratione nomina semper chaldaica et alio ordine recitantur. *S. Iustin.* Apol. I. 46 (M. 6,397); *Clem. Alex.* Ecl. ex Script. proph. 1 (M. 9,697). Iuniora testimonia adscribere superfluum est; adnotasse sufficit in omnibus codicibus omnium ecclesiarum pericopen suo loco insertam inveniri atque orationem hymnumque (omissis versibus quibus coniunguntur 3,47-51), quoniam in liturgia adhibebantur, multis Psalteriis una cum aliis canticis scripturisticis addi.

292. — 2. *Historia Susannae* (vel *iudicium Danielis*, διάκρισις Δανιήλ, uti alii codices pericopen inscribunt) in Vulgata protocanonico libro est addita (*Dan.* 13.), in plerisque codicibus graecis et in antiqua Itala eidem praemissa, apud Syros separato libello edita. Iuvenis (νεώτερος *Alex.*, παιδάριον νεώτερον *Theod.*, quibus vocabulis hebraicum נער reddi videtur) Daniel fuisse dicitur, quo tempore sapiente suo iudicio iniquos Susannae accusatores confudit; ex ordine igitur chronologico narratio media inter duo prima capita inserenda est; eo enim tempore rem gestam iure supponimus, quo Daniel triennio studiorum suorum chaldaicorum absoluto inter aulicos regis ministros iam erat receptus sed ad altiorem dignitatem nondum evectus.

Prima iterum quaestio agitanda est de primigenia pericopae lingua; inde enim a Porphyrii et Iulii Africani aetate omnes, quotquot eius canonicitatem impugnarunt, graecum esse textum primigenium proclamarunt, atque pro praecipuo argumento ad celeberrimas illas paronomasias provocarunt, quibus Daniel sententiam contra iniquos testes tulit (13,54-55)[1]. Quod argumentum tam grave visum est nonnullis catholicis interpretibus recentioribus, ut ad eandem sententiam accederent, licet pericopae canonicitatem tuerentur[2]. At nulla videtur esse ratio, cur a communi catholicorum opinione recedamus, quae Danieli auctori narrationem adscribens eam chaldaice vel hebraice

compositam esse tenet. Ad Theodotionis enim testimonium, quo praecedentis pericopae hebraicam originem tuiti sumus, in hac altera accedit Symmachi libri danielici versio, in qua eam adfuisse critica Origenis signa in graeco alexandrinae versionis codice et in syriaco-hexaplari conservata extra controversiam ponunt. Multo minus autem in hac, quam in praecedente, valet adversariorum exceptio, Theodotionem et Symmachum alexandrinam narrationem in suas editiones recepisse et alio textu non adhibito correxisse vel mutasse. Per totam enim pericopen Theodotion et Alexandrinus ita inter se differunt, ut Theodotion vera libidine mutandi, addendi, omittendi, transponendi correptus fuisse esset dicendus, si ei soli mutationes deberentur[3]. Ex integro autem protocanonico libro apparet, Theodotionem alexandrinam versionem retinuisse, ubi cum chaldaico (vel hebraico) textu consentit, eandemque ubi dissentit ad textum primigenium revocasse; eadem igitur ratione eum in nostra pericope egisse admitti tamdiu debet, quamdiu contrarium non demonstratur; sed eiusmodi demonstrationis ne initia quidem apud adversarios invenies[4]. Non parum autem argumentatio nostra hebraismis confirmatur, quibus Theodotionis versio abundat, atque id prae ceteris notatu est dignum, quod nonnullis in locis, in quibus Alexandrinus phrasin vere graecam habet, Theodotion hebraicam constructionem adhibuerit[5].

Sed quid adversariorum argumento respondebimus? Alii cum Estio respondent, in textu primigenio fortasse paronomasiam nullam adfuisse, sed graecum interpretem narrationem iucundiorem eleganti paronomasia reddidisse; nam « ad fidem historiae non requiri, ut ea quae dicta ab aliquo narrantur iisdem prorsus vocibus quibus dicta sunt referantur, sed sufficere ut narrentur vocibus idem significantibus; sic Evangelistas saepe in verbis diversos esse, quos tamen dubium non sit in re convenire ». Alii monent cum Origene, quum pauca tantum hebraicae linguae monumenta sint conservata, nobis non constare, quibus vocabulis hebraicis nomina σχῖνος et πρῖνος respondeant; sine fundamento igitur asseri, paronomasias illas in primigenio textu non adfuisse. At alteram quoque difficultatis solutionem insinuat Origenes, quam praeferendam esse ducimus; Danielem scilicet opinatur nec πρῖνον nec σχῖνον arbores, sed alias nobis ignotas nominasse, quarum nominibus hebraicis vel chaldaicis verbum aliquod secandi vel scindendi responderet, graecum vero interpretem suae linguae proprietatem secutum, ut paronomasiam servaret, πρῖνον et σχῖνον elegisse, quibus verba πρίζειν et σχίζειν responderent[6]. Simili prorsus ratione S. Hieronymus, quamvis nomine שָׁקֵד amygdalum vel nucem significari non ignoraret, non vertit « virgam *amygdaleam* » sed « virgam *vigilantem* video », ut pa-

ronomasiam responsi dominici « ego *vigilabo* (שֹׁקֵד אֲנִי) super verbo meo » retineret[7]. Tanta igitur non est difficultas ab adversariis toties decantata, ut testimoniorum Theodotionis et Symmachi auctoritatem elevet; quare hebraicam vel chaldaicam esse pericopae huius linguam primigeniam pro certo statuimus.

Quod si autem hebraice vel chaldaice conscripta est, nihil obstat, quominus Danieli attribuatur auctori. Quae enim ex eius argumento afferuntur, ut narratio verisimilitudine carere ac proin pro fabula habenda esse demonstretur, et levia sunt et leviore modo proponuntur. Quid quod aliqui rem definivisse sibi videntur, si temporis rationem non esse habitam monuerunt? Ioakimum enim, virum Susannae, dicunt valde divitem fuisse atque pomarium cum balneis etc. possedisse, id quod supponat eum iam diu in Chaldaea exsulem vixisse; altera autem ex parte Danielem vocari παιδάριον νεώτερον ac proin a prima Iudaeorum transportatione paucissimos annos effluxisse[8]. Miram sane obiectionem, cuius utraque sumptio est erronea. Vocabulum enim παιδάριον hebraico נער respondere iam diximus; παιδάρια autem vocantur etiam Davidis socii, qui cum eo ad regem Achis fugerunt (1 *Reg.* 21,4) et παιδάριον vocatur Beniamin quo tempore iam complures habuit filios (*Gen.* 43,8), Absalom, quando erga patrem rebellavit (2 *Reg.* 18,5), Salomon, quando thronum iam occupavit (3 *Reg.* 3,7); παιδάριον igitur vocari potuit Daniel, etsi supponamus rem in nostra pericopa narratam non esse gestam nisi post Iechoniae transportationem, quo tempore primi exsules iam septem vel octo annos in Chaldaea peregerant. Licet enim Daniel tunc forte iam viginti duos vel quatuor annos natus esset, velut παιδάριον νεώτερον aptissime opponebatur duobus πρεσβύταις vel πρεσβυτέροις. Quod autem ad Ioakimi divitias attinet, exsules Iudaei omnibus bonis, quae in patria possederant, spoliati esse immerito supponuntur; procul dubio Ieremias, si immediate post Iechoniae transportationem exsules exhortatur, ut « aedificent domos et plantent hortos et accipiant uxores » etc. (*Ierem.* 29,4 sqq.), satis clare docet exsules pristina sua bona retinuisse secumque in exsilium abstulisse[9]. — Alii difficultatem in eo inveniunt, quod exsules sibi iudices constituisse atque ius gladii habuisse dicantur quodque iudicium contra Susannam et contra duos senes tumultuario modo sit peractum. Priori obiectionis parti iam respondit Origenes, « nihil insolitum accidisse, si magnis gentibus subactis a rege concessum fuit, ut suis legibus et iudiciis utantur captivi. Certe nunc quum Iudaei Romanis imperantibus didrachma pendunt, quantum concedente Caesare in ipsos auctoritatem habeat ethnarcha, ut nihil differat ab eo qui regia dignitate inter suos gaudeat, scimus ex experientia »[10]. Nabuchodonosor Danielem tresque amicos

eius praeposuit provinciae Babyloniae, Godoliam Iudaeum post destructam civitatem Palaestinae praefecit; quid igitur mirum, quod Iudaeos illos, quos velut obsides potius quam velut captivos a. 4. Ioakim et iterum cum Iechonia abduxerat, secundum suas leges vivere sibique iudices constituere permitteret? In iudicio demum Susannae nihil invenitur tumultuarii, nisi quod populus in duorum testium, quos summa veneratione dignos iudicabat, veracitatem non inquisierit; hinc vituperatur a Daniele, quo pracside illud, quod immerito omissum erat, suppletum est. Nam de iudicio contra senes peracto sermo non est, nec iudicem agit Daniel, sed falsi testimonii dumtaxat convicit accusatores; quo facto sententia iam per ipsam Legem (*Deut.* 19,18 sq.) lata erat[11].

Catholici quoque interpretes nonnulli dubitant, num recte pericopae auctor vocetur Daniel, duobus argumentis innixi; non satis enim explicari putant, cur e libro nostro sit omissa narratio, si a Daniel sit scripta, et auctorem de Daniele velut de persona prorsus ignota (13,45) loqui[12]. At altera ratio nullius est ponderis; in omnibus enim protocanonici libri narrationibus Daniel de se tertia persona loquitur, neque quidquam aliud habemus in versu obiecto secundum versionem alexandrinam : « ἔδωκεν ἄγγελος πνεῦμα συνέσεως νεωτέρῳ ὄντι Δανιὴλ ». Priorem autem refutare conatus est Origenes coniiciens, scribas « ex iis, quae seniorum, principum et iudicum vituperium aliquod continebant, sustulisse a cognitione populi quidquid potuerunt... Nihil igitur mirum esse, si Susannae quoque, cui libidinosi seniores insidiati sint, historiam suffurati sint et a Scripturis subtraxerint »[13]. Rectius autem respondere nobis videmur, Danielem quum librum suum ex narrationibus iam antea scriptis componeret, nostram omisisse, quoniam ad finem, quem sibi proposuerat, non erat adaptata.

De pericopae canonicitate disserere opus non est; velut canonicam eam iam adhibuit *S. Irenaeus*, Iulii Africani autem obiectiones ita refutavit *Origenes*, ut iuniores Patres, licet aliqui de danielica eius origine dubitarent, eam tamquam divinam Scripturam sine ullo scrupulo adhiberent; atque ipse *S. Hieronymus*, qui saepius et fusius Iudaeorum contra danielica additamenta obiectiones refert, non tantum illis utitur, sed etiam diserte asserit, se non suam sed aliorum opinionem istis in locis expressisse[14].

1. *S. Hieron.* Comm. in Dan. Prol. (M. 25,514) : « Sed et hoc nosse debemus inter cetera *Porphyrium de* Danielis libro nobis obiicere, idcirco illum apparere confictum nec haberi apud Hebraeos, sed *graeci sermonis esse commentum*, quia in Susannae fabula contineatur dicente Daniele ad presbyteros ἀπὸ τοῦ σχίνου σχίσαι καὶ ἀπὸ τοῦ πρίνου πρίσαι, quam etymologiam magis graeco sermoni convenire quam hebraeo. Cui et *Eusebius* et *Apollinarius* pari sententia responderunt, Susannae Belisque et draconis fabulas non contineri in hebraico, sed partem esse prophetiae Abacuc filii Iesu de tribu Levi, sicut iuxta LXX interpretes in titulo eiusdem Belis fabulae ponitur ».

(Sed utrum etiam hebraicam an danielicam tantum originem negaverint Euseb. et Apoll., non satis clarum est). *Iul. Africani* Ep. ad Orig. de historia Susannae (M. 11, 44 sq.). — *Fritzsche, Keil, Davidson, De Wette Schrader, Vatke* etc. his paronomasiis quaestionem definiri arbitrantur.

2. *Pererius* (Comm. in Dan. 13. Romae 1587. p. 485) postquam varia responsa attulit tandem concludit : « Denique non abhorret a fide has extremas historias non esse scriptas a Daniele, sed ab alio quopiam linguae graecae perito scilicet *eo tempore, quo gens iudaica sub Graecorum imperio fuit.* Haec autem Scriptura et afflatu Spiritus S. composita est et synagogae auctoritate antiquitus fortasse probata et quoniam ad res gestas Danielis pertinebat, tanquam appendix libro eius adiuncta est ». Eandem sententiam omnino amplexi sunt *Iahn* Introductionis epitome p. 440; *Ackermann* Introd. p. 342.

3. In alexandrina versione deest tota tentationis narratio 13,14-27 vel potius retentis particulis versuum 14. 11. 22 indicata tantum est; omittit item vv. 46. 47. 49. 50; precationem Susannae vv. 42. 43. brevius exprimit et iudicio praemittit (v. 35); aliam clausulam (vv. 62.*63) habet etc.

4. Quare etiam *Delitzsch* (De Habacuci prophetae vita p. 30), licet narrationem ipsam pro apocrypha habeat, tamen hebraicam fuisse eius primigeniam linguam tenet : « neque enim illa apocrypha (deuterocanonica) Theodotionis ex textu τῶν ὁ tantummodo descripta, aut ne plagium appareret interpolata sunt, sed *plane novam versionem* assumta versione septuagintavirali *ex hebraico aramaicove exemplari factam repraesentant* ».

5. Complura exempla affert *Wiederholt* Tüb. Quartalschr. 1869. p. 296 sqq. 317 sqq.

6. Cfr de variis difficultatis solutionibus *Orig.* Ad Afric. 6 sqq. (M. 11,61 sqq.), *Perer.* Comm. in Dan. 13 p. 484 sqq., *Welte* Einl. in die deuterokan. BB. p. 246. *Wiederholt* l. c. p. 299-310, etc. Antiquiores interpretes iam attulerunt habraica plantarum nomina, quibus similes paromomasiae fieri possunt (אֵלָה, terebinthus et אָלָה, peieravit, תִּרְזָה, ilex et רָזָה, extenuavit; קְצִיעָה, laurus cassia et קָצַע, scidit; פַּקּוּעָה, cucurbita et פקע, ruptus est; אֱגוֹז, nux et גָּזַז, totondit, delevit etc.).

7. Cfr quomodo *S. Hieron.* In Ierem. 1,11. 12 (M. 24,710) ipse suam versionem explicat; etiam *Gen.* 2,23 אִשָּׁה, vertit *virago*, ut allusionem ad אִישׁ, *vir* retineret; de quo exemplo cfr *Orig.* Ad Afric. 12 (M. 11,77).

8. *Keil* Einleitung p. 757 « Als ungeschichtlich erweist sich diese Erzählung schon dadurch, dass das Auftreten des παιδάριον Daniel (13,45) der Zeit nach unvereinbar ist mit dem Reichthume und Besitz des Ioakim, indem dieser erst nach längerer Dauer des Exils als möglich zu denken wäre ».

9. Cfr *Orig.* l. c. 13 (M. 11,80 sq.).

10. *Orig.* l. c. 14. — Prorsus similia tradunt moderni assyriologi; cfr M. *v. Niebuhr* Gesch. Assur's und Babel's. Berlin 1857. p. 25 sq. « Man liess die unglücklichen Angesiedelten sich regieren, wie sie wollten... Auch wo sie unter allen Einwohnern ganz zerstreut lebten, wie die vornehmen Juden und Leviten in Babylonien, haben sie wohl überall, wie im letzteren Lande (1 *Esdr.* 1,8) ihre Gemeinden und Aichmalotarchen gehabt... Mitunter mischte sich der Statthalter in die Administration, aber nur, wenn er ein politisches Interesse dabei hatte oder Geld herauszuchlagen hoffte. Sonst kümmerte er sich um Justiz oder Administration nicht im Geringsten » etc.

11. Cfr *Wiederholt* l. c. p. 385 sqq.

12. *Eusebium* et *Apollinarium* de danielica origine dubitasse et pericopen prophetae

Habacuc attribuisse testatur S. Hieron. (Cfr not. 1.); unica eorum ratio fuit, quod alexandrinam inscriptionem narrationis sequentis etiam ad hanc pericopen pertinere putarunt. — *Corn. a Lap.* In Dan 13,1 « Haec historia non videtur ab ipso Daniel, saltem in hoc eius opere, fuisse conscripta, sed a quopiam Hebraeo, qui in captivitate babylonica vel potius post eam scripsit chronica vel diaria regum Medorum et Persarum et maxime Cyri, simulque conscripsit res memorabiles, quae eo tempore Hebraeis contigerunt. Id patet ex 13,66, ubi indicatur quod historia vel Susannae vel Belis contigerit ante Cyrum »; sed 13,66 ad solam sequentem narrationen pertinet. *Wiederholt* l. c. p. 382 duas rationes supra indicatas urget.

13. *Orig.* Ad Afric. 9. — Idem (l. c. 7) Iudaeorum traditionem quandam commemorat, duos iniquos senes, qui Susannam accusarunt, fuisse pseudoprophetas Achab et Sedeciam, quibus, quia « *moechati sint in uxores amicorum suorum et locuti sint verbum in nomine Dei mendaciter* » Ieremias (29,21 sqq.) mortem ignis praedicit. Eandem refert *S. Hieron.* In Ierem. 29; in Dan. 13 etc. (M. 24,896; 25,607); cfr de hac sententia *Wiederholt* l. c. p. 394.

14. *S. Iren.* c. haer. IV. 26,3. (M. 7,1054); *Clem. Alex.* Strom. IV. 19 (M. 8,1329); *S. Hippol.* Explan. hist. Susannae (M. 10,689); *Orig.* Ad Afric. (M. 11,48 sqq. Eiusdem Comm. in Sus. recepit S. Hieron. M. 25,606 sqq.); *S. Athan.* C. Arian. or. 1,13; ad Serap. 1,6 etc. (M. 26,40. 541); *S. Cyrill. Ieros.* Catech. 16,31 (M. 33,961) etc. etc. Ex antiquioribus Latinis cfr *Tertull.* De cor. 4 (M. 2,81); *S. Cypr.* Ep. 40,4 (M. 4,336); *S. Hilar. Pict.* In Ps. 52,19; de Trin. IV. 8 (M. 9,335; 10,101) etc. — *S. Hieron.* Ad Innoc. ep. 1,9; c. Iovin. I. 25 etc. (M. 22,329; 23,256); cfr c. Ruf. II. 33 (M. 23,476) : « Quod autem refero, quid contra Susannae historiam et hymnum trium puerorum et Belis draconisque fabulas, quae in volumine hebraico non habentur, Hebraei soleant dicere, qui me criminatur, stultum se sycophantem probat. *Non enim quid ipse sentirem*, sed quid *illi contra nos* dicere soleant, explicavi » etc.

293. — 3. Destructionis *Belis draconisque historia* in codicibus graecis, qui omnes Theodotionis recensionem exhibent, et in Vulgata librum Danielis terminat (*Dan.* 14); in alexandrina autem editione separatum libellum constituit, qui inscribitur « Ex prophetia Ambacum (Habacuc) filii Iesu de tribu Levi ». Quin etiam Danielem, de quo agitur, a propheta distinguere videtur, siquidem narrationem his verbis inchoat : « Homo quidem erat *sacerdos*, cui nomen Daniel filius Abal, conviva (συμβιώτης) regis Babylonis »; Danielem vero prophetam ex tribu *Iuda* fuisse constat (1,6) ipsaque alexandrina versio insinuat, eum dicens fuisse ἐκ τοῦ γένους τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ τῶν ἀπὸ τῆς Ἰουδαίας [1]. Attamen nec inscriptionem nec prooemium legimus in Theodotionis versione, quam sequitur Vulgata : « Et rex Astyages appositus est ad patres suos et suscepit Cyrus Perses regnum eius, et erat Daniel conviva regis et honoratus super omnes amicos eius » (13,65; 14,1).

Huius quoque pericopae primigeniam linguam fuisse hebraicam vel chaldaicam, Theodotionis nova versio, quidquid contradicunt adversarii, haud dubium relinquit. Quam immerito enim Theodotion alexandrinam versionem proprio Marte non adhibito alio textu mutasse vel correxisse dicatur, primi versus, quos allegavimus, clare docent. Re-

linquamus inscriptionem, quam a Theodotione omitti potuisse concedimus; sed quae ei ratio fuit, ut alexandrinum prooemium, quod *per se* narrationem satis apte introducit, prorsus mutaret regemque Cyrum nominaret, cuius tempore res gesta esset? Cur alexandrinus vero interpres versum istum (13,65) omiserit, ratio in aperto est; quoniam enim 1,21 Daniel usque ad *primum* annum Cyri mansisse dicitur, iam 10,1 contra textus hebraicum, syriacum, Theodotionis consentientes annum *tertium* Cyri in *primum* mutavit atque nostro in loco, ne cum 1, 21 pugnare videretur, omisso Cyri nomine Danielem vocavit « convivam regis *Babylonis* ». Primo huic argumento, quod solum sufficit, alterum addimus ex hebraismis desumtum, qui in Theodotionis textu frequentiores, quam in alexandrino sunt[2]; quae res profecto non explicatur, nisi Theodotionem alexandrinam versionem ad primigenium textum, quam prae manibus habuit, revocasse statuamus.

Hebraice igitur vel chaldaice pericopen nostram primitus esse conscriptam pro certo asserere licet; sed quid de eius argumento est dicendum? Ridiculam eam esse fabulam clamant adversarii omnes, quae a Daniele conscribi non potuerit. Atque praeprimis Cyrum monent, quem monotheistam fuisse constet, velut cultorem idolorum babylonicorum, Belis et draconis, describi. Quae obiectio ante paucos quidem annos, sed non amplius hodie, postquam inscriptiones cuneiformes explicatae sunt, refutatione indiget[3]; in una enim ex suis inscriptionibus Cyrus ipse eam refutat asserens, « se quotidie Bel et Nebo adorare eosque precari, ut Merodacho (supremo Chaldaeorum deo) annuntient, Cyrum fidelem eius esse servum »; in eadem quoque inscriptione gloriatur de templis, quae aliis idolis erexerit[4]. Scilicet ut Babyloniorum, quos vi subiecerat, animos sibi conciliaret, eorum idola venerabatur, sicut aliorum populorum idolis cultum exhibebat et in suo decreto (Esdr. 1,3) Iudaeorum Deum tamquam « Dominum Deum coeli » celebrabat. — At serpentibus, inquiunt, Babylonii cultum non exhibebant, ergo auctor erravit, quum Cyrum serpentem coluisse assereret. Quae obiectio duplici ex capite est erronea; nam Cyrum serpenti cultum exhibuisse auctor noster non asserit, Babylonii autem revera serpentes venerabantur (ἐσέβοντο LXX et Theod.). Ieremias in sua epistola de serpentibus loquitur, qui de terra nati corda idolorum in templis lingere a Babyloniis dicebantur (*Bar.* 6,19); serpens enim praecipuum erat symbolum dei Hea vel Ea, qui terrae praepositus homines scientias docuit; quapropter in certa classe monumentorum, quae de deorum beneficiis agunt, serpens magnum locum occupat et in nonnullis templis serpentes videntur esse nutriti, ut tamquam deorum interpretes oracula darent[5]. — Altera obiectio ex eo desumitur, quod Daniel templum Belis destruxisse referatur, dum tamen Strabonis et Arriani testimoniis de-

structio Xerxi attribuatur, immo Herodotus etiam post Xerxis aetatem illud superstes spectaverit. Facilis esset difficultatis solutio, si alexandrinam versionem sequeremur, quae non de templi sed de solius idoli destructione loquitur (τὸν δὲ Βὴλ κατέστρεψεν), neque difficilis est, si Theodotionem sequimur, dummodo attendatur, nomine templi Belis varia aedificia significari. Secundum Herodoti, qui ipse illud vidit, descriptionem Belis templum (ἱερόν) maxima constabat pyramide; in eius cacumine parvum erat sacrarium (νηός), in quo nihil praeter lectum et auream mensam reperiebatur, ad eius vero radices alterum erat sacrarium (νηός), in quo aurea erat Belis statua una cum mensa, in qua ei cibi apponebantur, et coram quo duo erant altaria sacrificiis destinata[6]. Iam vero evidens est auctorem nostrum de inferiore sacrario loqui, in quo solo idolum inveniebatur et lectisternia habebantur; hoc igitur destruxisse refertur Daniel, neque mirum est, Babylonios illud iterum aedificasse, sicut altera vice illud suscitarunt, postquam a Xerxe destructum est. Herodotus utique nec de priore nec de altera destructione loquitur; at eius silentium, utpote testimonium mere negativum, difficultatem non creat. Brevi post eius aetatem ante Alexandri M. regnum templum integrum destructum esse certum est, licet nullus auctor quidquam de hac destructione memoriae prodiderit; Strabo dumtaxat refert, Alexandrum M. pyramidem illam, quam destructam invenit, reaedificare voluisse; num hoc Strabonis testimonium addubitare licet, quia de destructione ipsa omnes silent?[7] — Tertia obiectio ex miraculo desumitur, quo propheta Habacuc ex Palaestina in Chaldaeam ab angelo translatus est, ut Danieli leonibus obiecto prandium afferret. Cum rationalistis, qui omnia miracula negant, hac de re disputare superfluum est; sed qua ratione antiqui Iudaei, quos commemorat S. Hieronymus, et moderni interpretes protestantici illi, qui supranaturalem revelationem non respuunt, hoc miraculo turbentur, non intelligimus. Neque enim, si simile miraculum in Scripturis non legeretur, illud velut rem monstruosam (abenteuerlich) reiicere liceret, dummodo ad anthropomorphisticum narrandi modum attendatur, neque desunt similia portenta. Elias curru igneo per turbinem elevatus est in coelum et filii prophetarum putarunt eum a Spiritu S. in alium locum esse translatum (4 *Reg.* 2,11.16), quia eiusmodi translationes probabiliter iam viderant; Philippus diaconus, postquam baptizavit eunuchum reginae Aethiopum, raptus est a Spiritu Domini et inventus in Azoto (*Act.* 8,39 sq.)[8]. — Num Habacuc propheta, id quod insinuare videtur Theodotion (Ἀμβακοὺμ ὁ προφήτης), sit idem ille, cuius libellus nobis inter Duodecim Minores conservatus est, cum certitudine definiri nequit, quia libelli ipsius aetas satis est incerta. Si recte viderunt illi interpretes, qui eum ultimis Iosiae annis adscribunt, eius auctor primis Cyri annis superstes esse

potuit senex utique grandaevus; probabilius autem libellus Iosiae aetate est antiquior[9]. — Reliquae difficultates, quae interdum afferuntur, leviores sunt. Nomen Astyagis (13,65) a sciolo librario, uti videtur, nomini genuino praedecessoris Cyri (Cyaxari?) est substitutum. Babylonios, licet armorum vi a Cyro essent subiecti, iterum rebellasse, quum idola sua destrui viderent (14,28 sq.), facile admittet, qui eos ad rebellionem admodum pronos fuisse ex eorum historia didicit.

Itaque nec lingua nec argumentum pericopae obstant, quominus eam Danieli auctori attribuamus, atque illud solum iterum difficultatem quandam creat, quod in librum protocanonicum non sit recepta, quamvis eundem, quem reliquae narrationes, finem prosecuta potestatem Dei veri celebret (14,42; cfr 2,46 sq.; 3,59 sqq. etc.). Recte autem forsitan dixeris, eam in primitivo libro adfuisse immediateque alteram de Daniele leonibus obiecto (6,1 sqq.) esse secutam, verum propter argumenti similitudinem iunioribus rabbinis superfluam esse visam ideoque ab eis ex suo loco remotam, ut a solis Alexandrinis in appendice sit conservata. Alexandrinorum autem inscriptio, qua eam ex prophetia Habacuc desumtam dicunt, vel ideo fide videtur esse indigna, quia integer Danielis liber ab eis summo cum arbitrio est tractatus aliisque plurimis additamentis, mutationibus, omissionibus deturpatus.

De canonica demum pericopae auctoritate prudens non potest dubitare, quum eam aeque atque alia Danielis fragmenta in omnibus antiquis ecclesiis pro divina Scriptura habitam esse constet. *S. Irenaeus* eam sine ulla haesitatione allegat, atque eadem ratione eam adhibuerunt paullo post *Clemens Alex.*, *Tertullianus*, *S. Cyprianus*; *Origenes* eam contra Africanum velut exemplum affert Scripturae, quae, quamvis in hebraico non legatur, pro genuina sit admittenda; Patres saec. 4. illi, qui deuterocanonicos libros respuisse (immerito) creduntur, nostra pericopa in dogmatis demonstrandis utuntur, uti *S. Athanasius M.*, *S. Cyrillus Hier.* etc. Quanto in honore antiqua Ecclesia fragmenta omnia Danielis habuerit, antiquissima demonstrant hypogaea, in quibus tres iuvenes cum angelo in fornace orantes, Daniel velut iudex in medio populo sedens, aut in lacu leonum ab Habacuc propheta cibos recipiens non semel depicti reperiuntur[10].

1. Quum omnes Israelitae ex Iudaea latiore sensu sumta adducti essent, Iudaea hoc loco non potest intelligi nisi stricto sensu de territorio tribus Iuda.

2. Ex. gr. 14,13 *Alexandrinus* scribit : Δανιὴλ ἐκέλευσε τοὺς παῤ αὐτοῦ... καταστῆσαι ὅλον τὸν ναὸν σποδῷ; *Theod.* vero : καὶ ἐπέταξε Δανιὴλ τοῖς παιδαρίοις αὐτοῦ καὶ ἤνεγκαν τέφραν καὶ κατέσεισαν ὅλον τὸν ναόν (ubi κατασείειν videtur respondere hebr. Hiph. הֵנִיף, quod utraque significatione huc illuc agitandi et spargendi usurpatur). Eodem in versu *Alex.* habet σφραγίσαι τῷ δακτυλίῳ *Theod.* σφραγίσαι ἐν τῷ δακτυλίῳ (retenta praepositione ב). Alia exempla cfr apud *Wiederholt* Tüb. Quartalschr. 1872. p. 559 sq.

3. Nonne mirum est, quod haec obiectio etiam a. D. 1886. sit recocta in *Vatke* Einl. p. 669 : « Das ist Fabel, denn Cyrus verehrte den Bel gar nicht, und Daniel zerstörte auch den Tempel dieses Gottes nicht, sondern erst Xerxes versuchte es.... Eine unhistorische Fiction, da babylonischer Schlangenkult überhaupt nicht nachweisbar ist ». — Moderni « critici » rationalisticis suis sociis, qui monumenta Assyriorum et Chaldaeorum explicant, fidem detrectare malunt, quam errores suos confiteri.

4. Cfr hanc inscriptionem apud *Schrader* Keilinschr. u. A. T. Ed. 2. p. 373; *Vigouroux* La Bible et les découvertes modernes IV. p. 513; *Brunengo* L'impero di Babilonia e di Ninive II. p. 513.

5. Cfr *Schrader* in Riehm Handwörterb. des Bibl. Alterth. p. 288 : « Es ist ganz grundlos, wenn neuerdings Schlangencult als bei den Babyloniern im Schwange gewesen goleugnet wird »; *Rawlinson* The five great monarchies I. p. 122; *Lenormant* La Divination chez les Chaldéens p. 90 sq. loquens de *Bar.* 6,19 : « La phrase en question semble donc se rapporter à cette circonstance que dans quelques-uns des temples de Babylone on aurait élevé des serpents comme des interprètes des dieux et servant à rendre des oracles ». In nota addit : « Quoique l'histoire du dragon, que la Vulgate place à la suite des prophéties de Daniel, soit un morceau de basse époque et sans aucune valeur, on peut admettre qu'il a eu pour fondement un fait réel, ces serpents élevés dans certains temples babyloniens ». Narrationem nostram esse recentioris originis nec ullius auctoritatis doctissimus vir nec demonstrat nec demonstrare conatus est; libentissime quidem ei fidem adhibemus, si de studiis suis cuneiformibus aliquid *asserit*, at melius egisset, si ab assertionibus, quae studia theologica et scripturistica requirunt, abstinuisset.

6. *Herod.* I. 181 sqq.; *Strab.* XVI. 5; *Arrian.* Exped. Alex. VII. 17. — Cfr *Rawlinson* The five great monarchies I. p. 514 sqq. 533 sqq.; *Wiederholt* l. c. p. 577 sqq.

7. *Strabo* l. c. cfr *Wiederholt* l. c.

8. *S. Hieron.* (Praef. in Dan.) Iudaeum introducit nostris additamentis irridentem : « Quum vero ad Habacuc veniret et de Iudaea in Chaldaeam raptum discophorum lectitaret, quaerebat exemplum, ubi legissemus in toto V. T. quemquam sanctorum gravi volasse corpore et in puncto horae tanta terrarum spatia transisse » etc. — Cfr *Keil* Einl. p. 757 « Als ungeschichtlich erweist sich... die Legende vom Bel dadurch, dass sie Cyrus zum Verehrer des Bel u. Drachen zu Babel macht, den Belustempel durch Daniel zerstören lässt, endlich durch das abenteuerliche Wunder 14,33 sqq. »

9. Cfr de hac quaestione *Knabenbauer* Prophetae minores II. p. 52 et *infra* 313.

10. *S. Iren.* C. haer. IV. 5 (M. 7,985); *Clem. Alex.* Strom. I. 21 (M. 8,852); *Tertull.* De idolol. 18 (M. 1,688); *S. Cypr.* De orat. Dom. 21 (M. 4,534); *Orig.* ad Afric. 2 etc. (M. 11,49); *S. Athan.* C. Arian. or. III. 30 (M. 26,368); *S. Cyrill. Hier.* Catech. 14,25 (M. 33,875) etc. Cfr *Introd. gener.* Ed. 2. n. 41. p. 97 sq.

## § 19. — *De praecipuis commentariis catholicis in Danielem.*

294. — Innumeri fere sunt, qui unum alterumve vaticinium danielicum, praesertim praeclarum illud de septuaginta hebdomadis, aut de professo aut saltem occasione data illustrare conati sunt[1]; pauciores autem integrum librum vel maiorem eius partem interpretati sunt; de his solis vero nobis est hoc loco dicendum et a Patribus orientalibus pro more initium capimus. Inter quos *Origenem* non plane licet omit-

tere, non tantum, quia Danielem a se expositum esse ipse testatur, sed etiam quoniam auctoritate historiae Susannae vindicata de nostro propheta bene meruit atque S. Hieronymus suam explicationem eiusdem historiae ex *Orig.* Stromatis excerpsit[2]. Eadem aetate *S. Hippolytus M.* Danielem quatuor libris explanavit, quorum nobis praeter totum quartum haud pauca priorum fragmenta supersunt, inter quae nonnulla de partibus deuterocanonicis. Proximus ei est Eusebius Caes. ideo nominandus, quia in suis Eclogis *Iulii Africani* sententiam de septuaginta hebdomadis nobis conservavit, reliqua enim, quae supersunt, fragmenta minoris sunt pretii[3]. *S. Ephraem* in Daniele explicando consuetum suum morem tenuit breviter sensum literalem praecipue exponens[4]. Inter opera *S. Chrysostomi* legitur commentarius haud spernendus, qui tamen, utrum S. Doctoris sit, dubitatur; *S. Cyrilli Alex.*, qui omnes prophetas explicavit, non restant nisi aliqua scholia ex catenis collecta; integer autem ad nos pervenit *Theodoreti* commentarius in Danielis visiones, inter omnes, quos aetas patristica nobis transmisit, optimus; *Ammonii iun.* quoque, unius ex melioribus interpretibus, non exstat hodie nisi fragmentum in Danielem[5].

Inter LATINOS PATRES primus tempore est *S. Zeno*, cuius possidemus paucos quosdam et brevissimos tractatus de tribus pueris in camino ignis et de Daniele in fossa leonum. Integrum librum protocanonicum explicavit *S. Hieronymus*, deuterocanonicorum autem, uti diximus, brevem explicationem adiecit ex Origenis Stromatis desumtam; brevior est, quam in reliquis libris propheticis explanandis esse solet atque solum fere sensum literalem tradit. Qui secuti sunt interpretes latini, vix mentione sunt digni; pauculas notas ex magistri sui S. Gregorii M. operibus collegit *S. Paterius;* quaestiunculas nonnullas de Daniele proposuit et solvit *Petrus archidiac.* saec. 8.; *Walafr. Strabo* glossam ordinariam suam ex S. Hieronymi commentario excerpsit[6].

1. Quinquaginta sex opuscula de septuaginta hebdomadis usque ad suam aetatem conscripta enumerat *Lelong* (Bibliotheca sacra. Parisiis 1723. p. 1054 sq.), at multo numerosiora sunt; *Fr. Fraidl* (Die Exegese der Wochen Daniels in der alten u. mittlern Zeit. Graz 1883), qui in huius loci historiam diligentissime inquisivit, usque ad finem saec. 15. *centum septem* eius interpretes enumerat; quibus quot ultima quatuor saecula addiderint, solus Deus scit. Praecipuos vaticinii commentatores recenset *Knabenbauer* (Comm. in Dan. p. 61 sqq.); Patrum sententias collegit *F. I. Reusch* (Tüb. Quartalschr. 1868. p. 535 sqq.).

2. Cfr *Orig.* In Matth. 24,15 (M. 13,1658); *S. Hier.* Comm. in Dan. (M. 25,606) : « Ponam breviter quae *Orig.* in decimo Stromat. libro de Susannae et Belis fabulis dixit ». — *Orig.* ep. ad Afric. M. 11,47-85.

3. *S. Hippolyti* librum IV in Dan. (7.-12.) iterum repertum *B. Georgiades* primus edidit in periodico constantinop. (Ἐκκλησιαστικὴ Ἀλήθεια 1885. 1886) et post eum *E. Bratke* (Bonnae 1891). Reliqua fragmenta exhibet M. 10,638 sqq., de quibus cfr *A. Bardenhewer* Des h. Hippolytus Commentar zum B. Daniel. Freiburg

1877.). — *Eusebii Caes.* Eclogae proph. I. 42-46; cfr Demonstr. evang. VIII. 2. (M. 22,1172-1192. 596-632); *eiusdem* fragm. in Dan. M. 24,525 sqq.

4. *S. Ephraem* Expos. in Daniel. Opp. syr. II p. 203-233.

5. *S. Chrysostomi* Interpretatio in Danielem. M. 56,193-246 (cfr Montfauconii Monitum l. c. 191); certo spuria est hom. de quatuor regnis (seu « in illud : exiit edictum ») M. 50,795-800. — *S. Cyrilli Alex.* Fragm. M. 70,1461. — *Theodoreti* Commentarius in visiones Dan. *M.* 81,1256-1549. — *Ammonii Alex.* Fragm. M. 85, 1364-1381. 1823-1826.

6. *S. Zenonis* tract. 69-77. M. 11,522-528. — *S. Hieronymi* Commentariorum in Dan. liber unus. M. 25,513-610. — *S. Paterii* Testimonia in Dan. M. 79,997-1002. — *Petri archid.* Quaestiones in Dan. proph. M. 96,1347-1362.

Media aetate Danieli prophetae interpretes non defuerunt, quorum opera adhuc cum fructu aliquoties consuluntur. Ieiuna quidem est explicatio, quam saec. 12. edidit *Rupertus Tuit.*, mysticus et moralis commentarius circa idem fere tempus a *Philippo Harvengo* de somnio Nabuchodonosor (*Dan.* 2) conscriptus. Sed saec. 13. *B. Albertus M.* integrum librum diligenter interpretatus est solum fere sensum literalem secutus superavitque aequalem suum *Card. Hugonem*, qui in explicando libro danielico consuetum suum modum tenuit. Inter *S. Thomae Aq.* quoque opera imprimi solet « expositio in Danielem », quae tamen saeculo 14. debetur; *Thomas Wallensis* (Anglicus) eius est auctor, interpres non spernendus et in nostro libro *Nicolao Lyrano*, qui eodem tempore suas postillas edidit, vix inferior. Ex saec. 15. interpretibus Danielis solus nobis innotuit *Dionysius Carth.*, quem saepissime iam nominavimus[7].

Inde a saec. 16. crescit interpretum numerus. Saeculum 16. sex nobis reliquit commentarios in Danielem, inter quos eminent *Ben. Pererii* « commentariorum in Danielem libri sedecim », quos « magno cum acumine nec minore cum diligentia elucubratos » dixit Matth. Polus, Synopseos criticorum editor, dicentque omnes, qui eos pervolverint, licet nonnullas quaestiones dogmaticas etc. fusius quam par est tractatas invenerint. Utiles quoque sunt expositiones *Hect. Pinti* et *Ioan. Maldonati*, qui operi ultimam manum imponere morte praematura prohibitus est; minoris autem momenti sunt opera edita a *Ioan. Boulaise, Iac. Veldio, Marcellino Evangelista*[8]. Ex saec. 17. interpretibus Danielis *Casp. Sanctius* aemulos suos atque etiam Pererium superavit. *Lud. ab Alcasar* solas visiones danielicas (*Dan.* 7.-12.) exposuit, *Did. de Celada* difusissimum commentarium scripsit in Susannam danielicam (*Dan.* 13.); *I. Metzger* de cornu parvulo (*Dan.* 7.) duas scripturisticas disputationes edidit, *Fr. Péan de la Coullardière* cum reliquis prophetis etiam nostrum brevi commentario gallico instruxit[9]. Saeculum 18. de Daniele optime meruit duabus editionibus versionis alexandrinae, quae inde a patristica aetate prorsus incognita erat. *Simeon de*

*Magistris* e graeco codice chisiano textum alexandrinum accurate edidit et cum versione Theodotionis diligenter comparavit, *Caiet. Bugati* ex codice syriaco, qui in ambrosiana bibliotheca conservatur, eandem alexandrinam versionem edidit et latine vertit. Eodem saeculo *I. G. Kerkherdère* Danielis oraculum de rom. imperio cum Apocal. contulit et *M. A. Chignoli* exercitationibus suis librum illustrare conatus est [10].

Nostro deinde saeculo totum librum gallice *Trochon* et multo uberius *I. Fabre d'Envieu*, germanice *Aug. Rohling*, latine *I. Knabenbauer*, novis adhibitis subsidiis, quae assyriologi subministrarunt, et vindicarunt et explicarunt. Quibus adnumerari possunt *G. Palmer*, quamvis eius commentatio non constituat iustum commentarium, *G. Forti*, qui solas visiones (7.-12) sibi explicandas sumsit, atque *I. Bade*, *Laur. Reinke*, *G. K. Mayer*, qui messianica Danielis vaticinia commentati sunt [11]. Multi demum dissertationibus ad librum vindicandum et explicandum quam plurimum contulerunt; egregias commentationes, quibus *Th. Wiederholt* partes deuterocanonicas vindicavit et partim explicavit, saepius supra laudavimus; *Ad. Hebbelynk* potissimum historicam libri auctoritatem defendit; authentiam libri *F. Speil*, *Eug. Pilloud*, *Fl. De Moor* aliique vindicare studuerunt; nonnulla tantum eius vaticinia exposuerunt *A. Bludau*; *Fr. Düsterwald* etc.; in relationem alexandrinae versionis ad textum hebr. inquisivit *A. Bludau*; pro more suo *B. Neteler* libri ordinem illustrare conatus est [12] etc.

Inter commentatores acatholicos recentes utiliter conferri possunt *H. A. Ch. Haevernick* (Commentar über d. B. Daniel. Hamburg 1832.), *E. B. Pusey* (Daniel the prophet. Oxford 1864.), *Zoeckler* (Der Proph. Daniel. Bielefeld 1870., qui tamen cp. 11. tempore machabaico interpolatum esse tenet), *C. F. Keil* (Comm. uber den Proph. Daniel. Leipzig 1869.). Multo plures sive « orthodoxos » sive rationalisticos antiquos et modernos enumeratos invenies a *Rosenmüller* Scholia in Dan. p. 42 sqq., *Zoeckler* Der Proph. Daniel p. 44 sqq., *Strack* Einl. in d. A. Test. Ed. 4. 1895. p. 214 sq. — Mentione speciali dignus est *E. W. Hengstenberg*, qui in Beiträge zur Einl. ins A. T. I. Berlin 1831. p. 1-360 authentiam libri fuse et egregie vindicavit, et in sua Christologie des A. T. III. p. 1-208 messianica eius vaticinia explicavit.

7. *Ruperti Tuit.* In Dan. proph. M. 167,1499-1536; — *Phil. Harvengi*, O. Proem., Opera ed. Nic. Chamart. Duaci 1621.; — *B. Alberti M.* Expositio in Dan. Opp. ed. Iammy. VIII; — (S. Thomae Aq.) In Danielem expositio Opp. ed. Parmensis XXIII, sub Thomae Wall. nomine edita est Parisiis 1641.

8. *Benedicti Pererii* Comm. in Danielem. Romae 1587. et saepius; — *Hect. Pinti*, O. S. Hier., In divinum vatem Danielem. Conimbricae 1582. Opera. Romae 1584. III; — *Ioan. Maldonati* S. I. († 1583.) Comm. in proph. quatuor : Ier., Ezech., Bar., Danielem. Lugduni 1609.; — *Ioan. Boulaise* Ad mysticos S. S. sensus varia dictionum significatio cum demonstratione septuaginta hebdomadarum Danielis. Parisiis 1575.; — *Iac. Veldii*, O. S. Aug., Comm. in Danielem. Antw. 1576. (« ce commen-

taire n'est bon que pour les prédicateurs » Feller); — *Marcellini Evangelistae* O. Min., Expositio in Dan. Venetiis 1588.

9. *Casp. Sanctii* S. I. Comm. in Dan. Lugduni 1612. et saepius; — *Lud. ab Alcasar* S. I. In eas V. T. partes, quas respicit Apocalypsis, libri quinque. Lugduni 1632. (L. IV. Dan. 7.-12.); — *Did. de Celada* S. I. In Susannam danielicam cum appendice de Maria V. in Susanna figurata. Lugduni 1656.; — *I. Metzger*, O. S. Ben., Cornu parvulum Danielis disputatione scripturistico-controversistica ventilatum. Salisburgi 1677. 1682.; — *Fr. Péan de la Coullardière* Comm. sur les proph. Paris 1680.

10. (*Simeon de Magistris*, Congr. Orat.,) Daniel secundum LXX nunc primum editus ex singulari codice chisiano etc. Romae 1772.; — *Caiet. Bugati* Daniel secundum editionem LXX ex codice ambrosiano syriace edidit et latine vertit. Mediolani 1788. — *I. G. Kerkherdère* De monarchia Romae paganae secundum concordiam inter Danielem et Ioannem. Lovanii 1727.; — *N. Aug. Chignoli*, O. Praed., Exercitationes ad Dan. proph. Venetiis 1761.

11. *Trochon* Daniel. Introd. crit. etc. Paris 1882; *I. Favre d'Envieu* Le livre du proph. Daniel... avec une introd. crit. et un commentaire etc. Paris 1888. 1891. (2 voll.) : *Aug. Rohling* das B. des Proph. Daniel. Mainz 1876; *I. Knabenbauer* S. I. Comment. in Danielem proph. Parisiis 1891. — *G. Palmer* Commentatio in l. Danielis sc. de temporibus gentium. Romae 1874; *G. Forti* Le profezie di Daniele nei cpp. 7.-12. interpretate etc. Capolago 1845. — *I. Bade* Christologie des A. T. Münster 1852. III. 2. p. 67 sqq.; *Laur. Reinke* Messianische Weissaggen bei den Proph. IV. Giessen 1862; *G. K. Mayer* Die messianischen Prophezieen des Daniel. Wien 1866.

12. *Th. Wiederholt* Tüb. Quartalschr. 1869. 1871. 1872. — *Ad. Hebbelynk* De auctoritate hist. libri Dan. etc. Lovanii 1887. — *F. Speil* Zur Echtheit des B. Dan. (Tüb. Quartalschr. 1863) : *Eug. Pilloud* Daniel et le rationalisme biblique. Chambery 1890; *Fl. de Moor* La fin du nouvel empire chald. (Paris 1894), Gubaru et Darius le Mède (1894), Les Juifs captifs dans l'empire chald. (Louvain 1896). — *A. Delattre* Les deux derniers chapitres de Dan. Lyon 1878; *Fr. Düsterwald* Die Weltreiche u. das Gotteszeich nach den Weissaggen des Proph. Dan. Freiburg. 1890. — *A. Bludau* De alex. interpretatione l. Daniel critica et hermen. 1891.; Die alex. Uebers. des B. Dan. u. ihr Verhältniss z. massor. Text. Freiburg 1897. — *B. Neteler* Gliederung des B. Daniel. Münster 1870.

---

# CAPUT VI.

## DE DUODECIM PROPHETIS MINORIBUS.

### § 20. — *De duodecim prophetarum minorum volumine.*

**295.** — Uno volumine a synagoga et ab antiqua Ecclesia comprehensi sunt libri prophetarum duodecim, qui « quia sermones eorum sunt breves in eorum comparatione, qui Maiores ideo vocantur, quia prolixa volumina condiderunt », Minores vulgo appellari solent[1]. Num eorum coniungendorum ratio illa fuerit, quam Thalmudicos secutus indicat Kimchi, « ne, si singuli seorsim manerent, unus aut alter propter parvitatem periret »[2], non satis liquet; illud autem certum est, antiquissimam esse eorum coniunctionem, neque improbabile, eam Esdrae canonis palaestinensis collectori deberi. Etenim *Siracides,* si Isaiae, Ieremiae, Ezechielis laudibus seorsim celebratis duodecim nostros uno et communi encomio comprehendit (« duodecim prophetarum ossa pullulent in loco suo; nam corroboraverunt Israel et redemerunt se in fide veritatis » Eccli. 49,12), non obscure innuit, illorum libros eo iam tempore uno volumine fuisse comprehensos. Idem clarius videtur indicare *S. Stephanus,* si Amosi verba citans ea in « libro prophetarum » (ἐν βίβλῳ τῶν προφητῶν *Act.* 7,24) legi asserit. *Fl. Iosephum* quoque duos et viginti tradens Iudaeorum libros sacros usque Artaxerxis I. aetatem esse editos, scripta duodecim Minorum pro uno libro habuisse concedunt omnes. Atque primi Patres, qui Iudaeorum sui temporis canonem recensuerunt, *S. Melito Sard., Origenes, SS. Hilarius, Epiphanius, Hieronymus* eundem semper apud Iudaeos viguisse numerandi modum testantur[3]. A synagoga autem idem ad Ecclesiam transierat, id quod eorum Patrum testimoniis constat, qui Ecclesiae libros sacros enumerantes « duodecim prophetarum libros connexos, quoniam nunquam seiuncti sint, pro uno haberi » dixerunt; ex Graecis *SS. Athanasium M., Cyrillum Ieros., Gregorium Naz.* enumerasse sufficit, ex Latinis *S. Augustinum, Concilia Hippon. et Carthag, Rufinum*[4]. Hinc factum est, ut communi nomine volumen a Iudaeis שְׁנֵים עָשָׂר aut frequentius chaldaice תְּרֵי עֲשַׂר vel contracte תְּרֵיסַר, a Patribus τὸ δωδεκαπρόφητον appellaretur[5].

Neque tamen nec a synagoga nec ab Ecclesia idem semper locus volumini in canone est attributus. Siracides quidem illud Isaiae Iere-

miae Ezechielis libris videtur postposuisse, quum Minorum laudes ultimo in loco celebret; sed in iudaico catalogo, quem refert S. Melito, medium inter prophetas locum occupat; sequitur enim Isaiam et Ieremiam, praecedit autem Ezechieli et Danieli; atque Origenes et S. Epiphanius etiam iudaicos catalogos referentes illi inter prophetas primum locum dant, S. Hieronymus vero in prologo galeato ultimum, quem hodie quoque in Bibliis hebraicis tenet. Ad Ecclesiam autem quod attinet, SS. Athanasius, Cyrillus Alex., Gregorius Naz., Concilii Laod. can. 60. in Oriente atque in Occidente S. Augustinus et Concilia africana duodecim Minores Maioribus praemittunt, consentientibus nonnullis codicibus graecis, quorum ordinem retinuit Sixtus V. in sua alexandrinae versionis editione; alii autem Patres et codices plerique versionum Minores Maioribus postponunt. Utrumque apte fieri clarum est; nam quoniam Maiores secundum ordinem chronologicum sunt dispositi, inter Minores autem aliqui Isaia sunt antiquiores aliqui Daniele recentiores, integrum Minorum volumen aut primum aut ultimum locum obtinere potuit.

1. *S. August.* Civ. Dei XVIII. 28 (M. 41,585); cfr *supra*.

2. In *Baba bathra* 14. interrogatur, cur Osee, qui Isaia sit antiquior, primum inter prophetas locum non obtineat, et respondetur « Quoniam scriptum est una cum Aggaei Zachariae Malachiae vaticiniis, qui prophetarum fuerunt postremi, illis adnumeratur. — Attamen separatim potuerunt scribere eum et anteponere. — Quia parvus est, facile intercidere poterat ». — *Kimchi* Comm. in Psalm. Praef. — Eandem rationem indicat *Theophyl.* Expos. Proph. Prooem. (M. 126,569).

3. *Fl. Ioseph.* C. App. I. 8. — *S. Melito Sard.* Ad Onesim. (*Euseb.* H. E. IV. 26. M. 20,397) : Προφητῶν Ἡσαΐου, Ἱερεμίου, τῶν δώδεκα ἐν μονοβίβλῳ, Δανιήλ, Ἰεζεκιήλ. — *Origenis* testimonium disertum quidem non amplius superest; in eius catalogo enim ab *Euseb.* H. E. VI. 25 (M. 20,581) conservato omittitur, at omissionem negligentiae librariorum deberi docet *Rufini* versio historiae eusebianae, in qua immediate post Canticum ante Isaiam nominatur, et *S. Hilar.* In Psalm. Prol. 15 (M. 9,241), qui Origenis catalogum recepit : « Qui (viginti duo libri) ita secundum traditiones veterum deputantur, ut... Salomonis Proverbia, Ecclesiastes, Canticum sint in 13. 14. 15., *duodecim autem Prophetae in* 16., Esaias deinde et Ieremias.. et Daniel et Ezechiel et Iob et Hester viginti et duum librorum numerum consumment ». — *S. Epiph.* Haer. 8,5 (M. 41,213) : ἔσχον δὲ οὗτοι οἱ Ἰουδαῖοι προφητῶν βίβλους ταύτας... εἰκοστὴν τὸ Δωδεκαπρόφητον, εἰκοστὴν πρώτην Ἡσαΐαν τὸν προφήτην, εἰκοστὴν δευτέραν τὸν προφήτην Ἱερεμίαν μετὰ τῶν θρήνων καὶ ἐπιστολῶν αὐτοῦ τε καὶ τοῦ Βαρούχ κτλ. — *S. Hieron.* Prol. gal.; cfr eiusdem ad Paulin. ep. 53,8 (M. 22,546) : « duodecim prophetae in unius voluminis angustias coarctati ».

4. *S. Athan. M.* Epist. fest. 39 (M. 26,1177) : οἱ μὲν δώδεκα εἰς ἓν βιβλίον ἀριθμούμενοι, εἶτα Ἡσαΐας κτλ, cfr *Ps. Athan.* Syn. S. S. 2 (M. 28,288) : προφῆται δώδεκα εἰς ἓν ἀριθμούμενοι βιβλίον... Ἡσαΐας κτλ. — *S. Cyrill. Ieros.* Catech. 4,35 (M. 33,500) : Ἐπὶ δὲ τούτοις τὰ προφητικὰ πέντε. τῶν δώδεκα προφητῶν μία βίβλος, καὶ Ἡσαΐου μία κτλ. — *S. Gregor. Naz.* Carm. 12. de ver. Script. (M. 37,473) : Καὶ πένθ' ὁμοίως πνεύματος προφητικοῦ. Μίαν μέν εἰσιν ἐς γραφὴν οἱ δώδεκα, quibus enumeratis pergit : Μία μὲν οἵδε· δευτέρα δ' Ἡσαΐας κτλ. — *S. August.* Doctr. christ. II. 8 (M. 34,41) : « Reliqui sunt eorum

libri, qui proprie Prophetae appellantur: duodecim prophetarum singuli, qui connexi sibimet, quoniam nunquam seiuncti sunt, pro uno habentur ». — Conc. Hippon. Can. 36 (Mansi Coll. Conc. III. 924): « duodecim liber Prophetarum, Esaias, Ieremias, Daniel, Ezechiel » sed alio ordine Conc. Carthag. Can. 29 (Mansi IV. 430): « Prophetarum Esaias, Hieremias, Daniel [Ezechiel incuria, ut videtur, librarii excidit], libri duodecim Prophetarum ». — *Rufin.* Comm. in Symb. Apost. 37 (M. 21, 374): « Prophetarum vero Esaias, Ieremias, Ezechiel et Daniel; praeterea duodecim prophetarum liber unus ».

5. Cfr *S. Hieron.* Prol. gal. « Octavus, liber duodecim prophetarum, qui apud illos vocatur *There asar* ».

296. — « Non idem, inquit *S. Hieronymus,* ordo est duodecim prophetarum apud septuaginta interpretes, qui in hebraica veritate retinetur. Illi enim ponunt secundum Amos, tertium Michaeam, quartum Ioel, quintum Abdiam, sextum Ionam, septimum Nahum, octavum Habacuc, nonum Sophoniam, decimum Aggaeum, undecimum Zachariam, duodecimum Malachiam. Hebraei autem post Osee, qui apud utrosque primus est, secundum legunt Ioel, tertium Amos, quartum Abdiam, quintum Ionam, sextum Michaeam, septimum Nahum, octavum Habacuc, nonum Sophoniam, decimum Aggaeum, undecimum Zachariam, duodecimum, qui et ultimus est, Malachiam »[1]. S. Hieronymus in sua versione hebraicum ordinem adoptavit, qui in ecclesia occidentali mox praevaluit, siquidem S. Augustinus in suis De Doctr. christiana libris, quos versus finem vitae suae terminavit, eum iam est secutus[2].

Quin in duodecim prophetis disponendis temporis, quo singuli vaticinati sunt, ratio quaedam sit habita, nemini est dubium; satis clare enim id ex eorum ordine elucet, qui in librorum suorum inscriptionibus reges, quorum aetate vixerunt, nominant. Etenim primus, Osee, vaticinatus est sub regibus Iudae Ozia, Ioatham, Achaz, Ezechia et sub rege Israel Ieroboam II.; tertius, Amos, etiam regem Oziam et regem Ieroboam nominat; sextus, Michaeas, regibus Ioatham, Achaz, Ezechia munere prophetico functus est; nonus, Sophonias, rege Iosia; decimus, Aggaeus, mense 6. a. 2. Darii vaticinari coepit; undecimus, Zacharias, mense 8. a. 2. Darii. Unde pronum est concludere, illos quoque, qui aetatem suam diserte non manifestant, toti seriei secundum temporis rationem esse insertos. Attamen num ex sola chronologia libri sint dispositi eorumque series sit accurata, controvertitur. Alii enim in genere tantum prophetas, qui assyriaca aetate vel ante eam vixerunt, praemissos censent prophetis chaldaicae periodi, ultimumque locum tenere postexsilicos; alii tam accurate chronologiam esse observatam putant, ut ex ipso ordine et loco, quem unus ex illis occupat, ad eius aetatem concludere liceat[3]. Qua de re pauca disseremus, quoniam teste *Lactantio* « ante omnia, qui veritatem studet comprehendere, non modo intelligendis prophetarum vocibus animum debet intendere, sed etiam

tempora, per quae quisque illorum fuerit, diligentissime inquirere, ut sciat et quae futura praedixerint et post quos annos praedicta impleta sint »[4].

Secundum *S. Hieronymum* prophetae, « in quibus tempus non praefertur in titulo, sub illis regibus prophetasse sunt dicendi, sub quibus et hi qui ante eos habent titulos prophetaverunt »[5]. Quae sententia ex eorumdem rabbinorum traditione videtur hausta, qui etiam anonymos Psalmos auctori proxime antea nominato attribuendos esse docebant, sed stricto sensu sumta procul dubio est erronea. Namque Malachias Aggaeo et Zachariae, qui sub Dario Hystaspi populum ad templum aedificandum exhortati sunt, non erat aequalis, sed illis multo recentior sub Artaxerxe Longimano vaticinatus est, quum templo dudum restituto primus reducum ardor iam resedisset cultusque sacer multis illis abusibus esset deformatus, quos Esdras quoque et Nehemias vituperant. Neque Nahum aut Habacuc sub uno ex illis regibus, quos Michaeas in titulo suo ponit (Ioatham, Achaz, Ezechias), munere prophetico functi sunt. Velut recentem enim Nahum Thebarum (No Ammon; *Vulg.:* Alexandriae populorum) commemorat expugnationem, quam urbem triginta circiter annis post Ezechiae mortem tempore filii eius Manasse ab Asurbanipal Assyriorum rege captam esse tradunt inscriptiones cuneiformes. Atque Habacuc quoque ad Manasse aetatem pertinet. Itaque latiore quodam sensu traditio illa rabbinica a S. Hieronymo recepta ita intelligatur oportet, ut etiam eorum prophetarum aetas, qui in titulis reges non nominant, secundum reges immediate antea (vel postea) nominatos magis minusve definiatur. Re enim vera Malachias Aggaeo et Zachariae recte postpositus est, siquidem post illorum et Darii aetatem est vaticinatus; recte quoque Nahum et Habacuc medii inter Michaeam et Sophoniam sunt inserti, quoniam intermedio tempore inter mortem Ezechiae, quem ultimum ponit Michaeas, et Iosiae regnum a Sophonia indicatum munus suum exercuerunt : Nahum proximum regni assyriaci interitum, Habacuc periculum regno Iuda a Chaldaeis Assyriorum successoribus imminens praedixerunt.

Accurata ergo est sex posteriorum prophetarum series chronologica; minus vero accuratus sex priorum ordo videtur esse, in quibus disponendis Alexandrini a Massorethis dissentiunt, licet tantus non sit eorum dissensus, quantus interdum existimatur. Alexandrini primo quidem in loco ponunt tres illos, qui regibus aetatem suam definiunt, sed eodem ordine, quo Massorethae, eos recensent : Osee, Amos, Michaeas, quibus reliquos iterum ordine massorethico servato addunt : Ioel, Abdias, Ionas. Unica igitur differentia in eo est, quod Massorethae Ioele inserto Oseam ab Amos, atque Abdia Ionaque insertis Amos a Michaea separent; id autem eum dumtaxat in finem videntur fecisse, ut omnes

sex ad eandem fere aetatem pertinere clarius docerent[6]. Etenim Osee, cui utrique primum locum attribuunt, regibus suis integrum 8. saeculum (799.-696.) complectitur; eiusdem autem aetatis initium solo nominato Ozia Amos indicat, dum Michaeas Ozia omisso et tribus aliis Oseae regibus nominatis eius finem innuit; tres demum alios exeunte saeculo 9. et ineunte saec. 8. vixisse existimamus, ut Oseae quidem et Amos, sed non amplius Michaeae fuerint aequales. Nam Ionam, qui ultimus ante Michaeam a Massorethis ponitur, eundem illum esse prophetam, qui Ieroboamo II. restitutionem terminorum Israel praenuntiavit (4 *Reg.* 14,25), plerique interpretes consentiunt; in priore igitur saeculi 8. parte tempore Oziae vixit. Ioel autem libellum suum ante Amos scripsisse iure asseritur, « quum hic versum (1,2) ex abrupto proferat, qui suo in contextu apud Ioel (3,16) legitur, quem igitur Amos notum iam esse supponit ». At simili ratione Ioel ipse (2,32) libellum Abdiae scriptum supponit, siquidem eius verba (*Abd.* 17) velut oraculum divinum antea iam promulgatum allegat. Hinc seriem habemus : Abdias, Ioel, Amos. Abdiae quidem aetas quam maxime est controversa; infra autem (306) ostendemus, praeferendam videri eorum sententiam, qui exeunte saec. 9. et ineunte saec. 8. sub Amasia eiusque filio Ozia eum munere prophetico functum esse statuunt, ita ut ei in prophetarum serie chronologica primus locus debeatur. Num Osee, qui vitam suam usque ad Ezechiae aetatem protraxit, ante Amos, qui sub solo Ozia vaticinatus est, ad propheticum munus sit vocatus necne, definiri nequit; itaque incertum quoque manet, utrum Ioel Oseae anteponendus sit an postponendus. Anteponendum quidem eum esse arbitramur, quoniam sub initiis Oziae probabiliter vixit (303), atque si ad primam prophetarum vocationem attendamus, forte accuratior series est : Abdias, Ioel, Ionas, Amos, Osee, Michaeas. Quidquid autem de hac sententia statuitur, omnino veri simile esse existimamus, primos quinque omnes fuisse Oziae aequales nec magno temporis intervallo inter se distare. Quapropter in nostro tractatu ordinem Vulgatae et Massoretharum sine ullo scrupulo retinebimus, suis autem in locis, ubi id utile esse videbitur, de singulorum aetate nonnulla addemus.

1. *S. Hieron.* In Ioel Proph. Comm. Praef. (M. 25,993); cfr eiusdem Prol. in Proph. Min. : « Non est idem ordo duodecim prophetarum apud Hebraeos, qui est apud nos » (scil. in Itala, quae Alexandrinorum ordinem retinuerat). — *S. Gregor. Nazianz.* (Carm. 12. De veris Scripturis. M. 37,473) Ionam ponit ante Abdiam, sed forte metri causa, nam eadem in ecclesia eodem tempore *S. Amphiloch.* (ad Seleuc. M. 37, 1595) consuetum Alexandrinorum ordinem sequitur.

2. *S. August.* Doctr. christ. II. 8. (M. 34,41).

3. Priorem sententiam aut diserte tenent aut tacite sequuntur ex catholicis *Schegg* Gesch. der letzten Propheten. Regensburg 1853., *Haneberg* Gesch. der Offenbarung p. 285 sqq., *Trochon* Les petits prophètes p. III. etc.; ex protestanticis *Keil* Einl.

p. 302 sqq. et Commentar p. 2 sq., *Schmoller* Die Proph. Hosea, Ioel u. Amos p. 2 sq., *Vatke* Einl. p. 670 etc. — Alteram sequuntur cum S. Hieronymo et plerisque antiquis interpretibus inter catholicos *Scholz* Einl. III. p. 531 sqq., *Knabenbauer* Prophetae Minores I. p. 2 sqq. etc.; inter protestanticos *Hengstenberg* Christologie I. p. 331, *Haevernick* Einl. II. 2. p. 275 etc.

4. *Lactant.* Div. Instit. IV. 5 (M. 6,458).

5. *S. Hieron.* Prol. in Proph. Min.; cfr in Ioel 1,1; in Mal. Praef. (M. 28,1016; 25,996. 1617); attamen ipse S. Doctor hanc regulam non omnino certam habet, nam illa postposita Abdiam censet sub Achab vixisse (In Abd. 1,1. M. 25,1151), Malachiam aequalem Esdrae et Nehemiae fuisse recte docet.

6. Qui in disponendis Prophetis chronologiam observatam esse negant, miras interdum excogitant rationes, ut eorum ordinem explicent. Ex. gr. secundum *Delitzsch* (Lutherische Zeitschr. 1851. p. 92), Ioel postpositus est Oseae, quia in fine libelli hic divitem messem praedicit (Os. 14), Ioel autem messe destructa omnes ad poenitentiam invitat etc.! Secundum *Keil* Comm. p. 2 sq. Osee, quoniam ambitu reliquos superat, primo in loco est positus; alii quorum aetatem tituli non indicant, « ita sunt dispositi, ut singulis prophetis in terra Iuda singuli adderentur ex terra Israel oriundi, et Ioel quidem utpote maior cum Osee maiore, Abdias minor cum Amos, Iona cum Michaea et Nahum cum Habacuc coniungerentur. Ioel quoque ante Amos immediate est positus, quia Amos a versu Ioelis orditur; Abdias autem post Amos, quia eius de Edom oraculum accuratior videri potuit explicatio vaticinii ab Amos 9,12 propositi; Ionas vero ante Michaeam collocatus videtur, non solum quia ante Michaeam vates exstitit, sed etiam quia eius ad gentes legatio optime ad Abdiae oraculi initium adnectitur : legatum ad gentes misit ». De qua sententia cfr *Knabenbauer* Proph. Min. I. p. 4.

## § 21. — *De Prophetia Osee.*

297. — I. De Oseae vita. — De Prophetarum Minorum vita praeter paucissima illa, quae in libellis suis ipsi tradunt aut innuunt, vix quidquam certi nobis innotuit; dubiae enim parumque fide dignae iure merito existimantur traditiones, quas Ps. Epiphanius collegit ab eoque Ps. Dorotheus et S. Isidorus Hisp. mutuati sunt, neque maiorem, sed minorem, fidem nonnullae iuniorum rabbinorum narrationes merentur. Itaque de *Oseae* quoque gente nihil constat, nisi eum fuisse filium Beeri (*Os.* 1,1); utrum vero regni septemtrionalis an meridionalis fuerit civis, cum certitudine definire non possumus, multo minus autem num ex tribu Issachar, id quod Ps. Epiphanius et S. Isidorus asserunt, an ex tribu Ruben descenderit, quae est traditio quaedam rabbinica[1]. Pluribus tamen melioribusque nititur argumentis eorum sententia, qui prophetam nostrum ex regno septemtrionali oriundum dicunt. Frequentes enim in regno Israel fuisse prophetas docent libri Regum, atque duo tantum nobis cogniti sunt, qui ex regno Iuda a Deo ad alterius regni incolas sint missi : anonymus quidam tempore Ieroboami I. (3 *Reg.* 13,1 sqq.), et Amos tempore Ieroboami II. (*Am.* 1,1; 7,10 sqq.). Iam vero Oseam ex regno Iuda missum esse, nullibi traditur; eum vero in regno Israel munere prophetico functum esse est certum. Totus enim

eius libellus septemtrionalium tribuum idololatriam sceleraque castigat, Iudam rarius dumtaxat et strictim attingit[2]. Accedit quod septemtrionales civitates frequenter nominat de iisque ita loquitur, ut eas accurate cognovisse videatur[3], ne ipsius autem Ierusalem nomen unquam adhibeat. Regem quoque Israel appellat « regem *nostrum* » (7,5), terramque Israel vocat sine ullo addito הָאָרֶץ (1,2; 4,1. 3 etc.), id quod propheta ex Iuda oriundus certe non fecisset. Demum monent interpretes linguam quoque libelli, quum paullo sit asperior coloremque quendam aramaicum prae se ferat, civem illius regni prodere, quod Aramaeis erat vicinum[4]. Quibus argumentis id solum opponunt alterius sententiae fautores, in titulo omnes Iuda reges, quorum tempore Osee vixit, primo loco enumerari unumque dumtaxat regem Israel addi omissis aliis, quorum aequalis fuit; id quod facilius explicari putant, si propheta ex regno Iuda ortum traxisse dicatur. Recte autem respondetur, ab omnibus prophetis, quum promissiones tribui Iuda (*Gen.* 49, 10) et domui Davidis (2 *Reg.* 7,12 sqq.) factas non ignorarent, solos reges e stirpe davidica prognatos pro legitimis esse habitos ideoque secundum eorum regna tempora esse definita; ab Osee tamen (uti etiam ab Amos) regem unum israeliticum addi, uti ipso titulo se in regno Israel, immo potius contra Israel, vaticinatum esse innueret[5].

Igitur in Ephraim, uti ipse septemtrionale regnum plerumque nominat, natus est Osee versus finem saeculi 9. Suam vocationem ad munus propheticum nobis non narrat; vocatus autem uxorem olim fornicariam ducere iussus est, ut ipse quoque, aeque atque Isaias, una cum uxore et filiis, quos ex ea genuit quibusque nomina symbolica imposuit, portentum esset populo Israel, quem licet iam in Aegypto et in deserto cultu idololatrico fornicatum Deus tamen sibi desponsare non abnuerat. Item (priore mortua?) alteram uxorem ducere iussus est eamque adulteram, sed eam ab omni commercio secludere donec resipuisset, ut iterum portentum esset Dei populum adulterum in captivitatem tradentis, donec a viis suis malis reversus iterum a Domino suo recipi posset[6]. Haec omnia sunt, quae de rebus suis propheta tradidit; procul dubio, quum tam severe populi sui vitia castigaret atque tam graves poenas ei praediceret, non paucae neque leves erant persecutiones et vexationes, quibus idololatrae eum frangere et coercere conati sunt; at de his omnibus tacet ad id unum intentus, ut contribules suos ad Deum reducat.

Longissimo tempore prophetam nostrum munus suum exercuisse docet inscriptio, quae quatuor regibus Iuda (Ozia, Ioatham, Achaz, Ezechia) nominatis integrum saltem saeculum complectitur. Evidens quidem est, eum non ab initio regni Oziae usque ad Ezechiae ultimos annos prophetasse, neque cum antiquioribus interpretibus muneri

eius nonaginta aut septuaginta annos attribuimus; at quin quinquaginta aut forte etiam sexaginta annis munus suum sustinuerit, non videtur esse dubium[7]. Unde etiam elucet, in libello nostro non omnes sermones nobis esse conservatos, quibus propheta incolas regni septemtrionalis ad Legis observationem revocare conatus est, neque omnia eius vaticinia, sed uti recte cum aliis interpretibus monet *Knabenbauer*, « summa tantum capita argumentorum et sermonum ab eo habitorum per modum compendii nobis proponi »; nam « quae per multos annos fusiore oratione ac planiore docuerat, ea demum in compendium redacta popularibus reliquit, pretiosum sane Dei in suum populum benignitatis et providentiae documentum et divinorum consiliorum, quibus futura quoque saecula gubernentur, monumentum[8].

1 Nomen *Osee* (הוֹשֵׁעַ Alex. Ὡσηέ, *Rom.* 9,25 Ὡσηέ) « in lingua nostra *Salvatorem* sonat, quod nomen habuit etiam Iosue filius Nun (*Num.* 13,16), antequam ei a Deo vocabulum mutaretur » (*S. Hier.* In Os. 1,1. M. 25,860); de nominis sensu vix est dissensus, licet controvertatur, utrum eius forma sit nomen abstractum (id quod plerisque modernis placet : *salvatio* pro concreto *salvator*), an forma verbalis (Imperat. *salva*. Corn. a Lap. aliique; Infin. *salvando* sc. salvabit Deus. Rosenm. etc.). — *Ps. Epiph.* De vitis proph. 11 (M. 43,405) et *S. Isid. Hisp.* De ortu Patrum 41 (M. 83, 144) prophetam natum et mortuum dicunt in *Belemoth* ex tribu Issachar; *Ps. Doroth.* (de proph. 1) autem in *Belemon*, quam formam *Ant. Scholz* Comm. zum B. des Proph. Hoseas. Würzburg 1882. p. XXIII) praefert provocans ad *Num.* 32,38 בַּעַל־מְעוֹן nomen oppidi in tribu Ruben trans Iordanem siti (cuius nomen tamen apud Alex. Βεελμεών). — Rabbini nonnulli (cfr *Vatabl.* in Os. 1,1) prophetae patrem *Beeri* (בארי) confuderunt cum Rubenitarum principe *Beera* (בארה), quem Theglatphalasar captivum abduxit in Assyriam (1 *Par.* 5,6). — Quod *Lyranus* Oseae patrem quoque prophetam fuisse dixit et quod alii prophetam nostrum Ierosolymis natum esse statuerunt, id arbitrariis regulis rabbinicis innititur, quibus definitur, prophetarum patres omnes, qui in Scriptura nominentur, ipsos quoque prophetas fuisse et omnes prophetas, quorum patria tacetur in Scriptura, natos esse Ierosolymis.

2. Regnum *Iuda* nominatur 1,7; 4,15; 5,5. 10 sqq.; 6,4. 11; 8,14; 10,11; 11,12; Israeli autem fere semper postponitur.

3. *Bethel* vel *Bethaven* 10,15; 12,4; — 4.15; 5,8; 10,5. — *Gabaa* 5.8; 9,9; 10,9. — *Galaad* 6,8; 12,11. — *Galgal* 9,15; 12,11. — *Samaria* 7,1; 8,5. 6; 10,5. 7; 14,1. — 12,2; *Sichem* 6,9. — *Thabor* 5,1.

4. Cfr exempla collecta ab *Ant. Scholz* Comm. p. XXVIII; *Keil* Einl. p. 306 et Comm. p. 7.

5. Prophetam ipsum libello suo integrum titulum, quem hodie legimus, praemisisse pro certo supponimus, licet nonnulli eundem collectori voluminis duodecim prophetarum aut Esdrae adscripserint. Mera assertione, enumerationem regum Iuda ex *Is.* 1,1 esse desumtam et additionem nominis Ieroboam ex Am. 1,1 esse transcriptam (« Die erste Zeitbestimmung nach den Königen Iuda's ist unächt und lediglich auf Grund von Is. 1,1 gemacht... Vielleicht ist auch die zweite lediglich auf Grund von Amos 1,1 gemacht und die ursprüngliche Ueberschrift lautete wie diejenige der B. Joel einfach : Wort Iahve's, welches geschah zu Hosea ». *De Wette Schrader* Einl. p. 450; cfr *Vatke* Einl. p. 672; *Davidson* Introd. III. p. 233 etc.), res non definitur. Quomodo enim alicui in mentem venire potuerit, ut inscriptionem

longissimi libri Isaiae ad nostra pauca capita transferret, nemo facile dixerit; atque eodem cum iure, quo adversarii nomen Ieroboam ex Amos in Osee translatum dicunt, alius nomen ex Osee in Amos translatum contendet. Nihil autem adest, quod suspicionem iustam suppositionis provocet; nam quod *solus* Ieroboam II. ex multis regibus Israel nominetur, quibus σύγχρονος fuit Osee, satis facile explicabis, si ad perturbationes attenderis, quae mortuo Ieroboamo in regno Israel exortae sunt, quum Zacharia Ieroboami filio iam sex mensibus postea occiso aemuli de throno occupando digladiarentur omnesque, qui eum secuti sunt, caedibus et coniurationibus regnum invadentes indebitae potius potestatis usurpatores essent quam reges.

6. Cum longe maiore antiquorum et modernorum interpretum numero censemus illa, quae *Os.* 1. et 3. de matrimoniis suis proponit, ab eo non in somnio vel exstasi esse visa neque fictam esse, ut nonnullis modernis « criticis » placet, narrationem, sed revera accidisse; qua de quaestione ex recentissimis interpretibus bene egerunt *Rohling* in Tübinger Quartalschr. 1867. p. 559 sqq., *Ant. Scholz* Comment. p. 8 sq., *Knabenbauer* Proph. Min. I. p. 22 sq. etc.

7. *Corn. a Lap.* (In Os. 1,1) affert et approbat explicationem Hebraeorum, qui Oseam prophetando nonaginta annos superasse tenent; *Sanct.* (In Os. Prol. 3) saltem septuaginta, *Knabenbauer* (l. c. p. 13) « sexaginta eoque amplius », *Keil* (Comm. p. 10) « sexaginta vel sexaginta quinque », *Rosenmüller* (Scholia in Proph. Min. Ed. 2. I. p. 10) « fere quadraginta » annos illi attribuunt; alii alios. Neque certo definiri potest res, quia chronologia regum saec. 8. valde est incerta. Secundum chronologiam (*supra* 250 n. 8. p. 309 sq.) propositam inter ultimum Ieroboami et primum Ezechiae annum interiacent triginta septem anni, quibus saltem decem alii anni Ieroboami et forte sex Ezechiae addendi videntur.

8. *Knabenbauer* l. c. I. p. 20; cfr *Ant. Scholz* l. c. p. XXVI « Die meisten Reden bestehen aus Aussprüchen, deren jeder etwa das Thema einer Rede gewesen sein könnte ».

298. — II. De Oseae temporibus et munere. — Antequam de libri nostri argumento et divisione agamus, de temporibus quibus vixit Osee est dicendum. Quum aequalis esset Isaiae, praecipua quidem *supra* (251 p. 311 sqq.) iam attulimus, pauca tamen de regni septemtrionalis rebus remanent addenda, in quo propheta noster munus suum exercuit. Florentissimae erant Israelitarum res, quo tempore a Deo est vocatus. Viderat enim Dominus afflictionem Israel amaram nimis et misericordia commotus fortissimum ei suscitaverat regem, Ieroboam II., qui rebus feliciter gestis a iugo Syrorum, qui inde ab eius proavi Iehu aetate regnum oppresserant et ad summam miseriam redegerant, populum suum liberavit atque « restituit terminos Israel ab introitu Emath usque ad mare solitudinis iuxta sermonem Domini, quem locutus est per servum suum Ionam prophetam » (4 *Reg.* 14,25 sqq.). Attamen non magis, quam praedecessores eius, populum ad Dominum et ad Legem reducere conatus est; licet enim cultus Baal, quem proavus eius destruxerat (4 *Reg.* 10,18-28), publice non sit exercitus, perduravit tamen peccatum Ieroboami I. filii Nabat; vituli enim a primo illo rege Israel in Bethel et Dan erecti semper publica sua sacra habebant (4 *Reg.* 14, 24) atque aliis quoque in excelsis adorabantur (*Am.* 4,4; 5,5 etc.). Qua-

propter Ieroboami II. res fortiter gestae interitum regni septemtrionalis impedire non potuerunt; statim ab eius morte omnia in deterius ruere coeperunt atque turbis, factionibus, bellis intestinis plena erant omnia, donec regnum viribus fractis et conculcatis facilis praeda facta sit Assyriorum. Regi Iehu, quoniam studiose egerat quae recta erant et placebant Domino, promissum erat, filios eius usque ad quartam generationem thronum Israel esse occupaturos (4 *Reg.* 10,30); itaque Zacharias patrem suum Ieroboam secutus quidem est in regno, sed iam post sex menses a Sellum filio Iabes interfectus est (4 *Reg.* 15,10. 12); Sellum ipse autem unum mensem dumtaxat regnavit occisus a Manahem filio Gadi. Qui regiam dignitatem aemuli caede acquisitam tueri non potuit nisi tributo mille talentorum soluto, quo Phul regem Assyriorum prima vice Palaestinam ingredientium permovit, « ut regnum suum firmaret » (4 Reg. 15,17 sqq.). Revera non obstantibus oppressionibus, quibus magnam illam pecuniae vim subditis suis extorsit, thronum usque ad mortem occupavit filioque Phaceia reliquit; at hic iam duobus annis postea regno et vita privatus est a Phacee filio Romeliae. Qui felix quidem una cum Syris bellum contra Achaz regem Iuda gessit, sed Assyrii reversi integram terram transiordanicam et superiorem Galilaeam ei eripuerunt magno incolarum numero in exsilium abducto; ipse vero eadem ratione, qua plerique eius praedecessores, interiit occisus ab Osee filio Ela (l. c. 15,23-21). Ultimus hic rex fuit Israel; etenim « contra eum ascendit Salmanasar rex Assyriorum et factus est ei Osee servus reddebatque ei tributa ». A quo iugo ut se liberaret, ab Aegyptiis auxilium quaesivit, sed Salmanasar, quum id rescivisset, reversus totam terram expugnavit, regem in vincula coniecit; Samaria ipsa post diuturnam obsessionem in manus Assyriorum cecidit, qui reliquis incolis in Asiam interiorem transportatis regno Israel finem fecerunt a. 6. Ezechiae regis Iuda (l. c. 17,1 sqq.).

Tumultuosis igitur et seditiosis temporibus vixit Osee propheta; turbidis vero temporibus magnam respondisse morum corruptionem facile intelligitur. Omnes isti reges, qui caedibus viam ad thronum sibi aperuerunt, a praedecessorum suorum viis malis non recesserunt sed « fecerunt quod malum erat coram Domino ». Neque enim vitulorum tantum cultus in toto regno perduravit, sed Baal quoque et Astarte iterum impura et crudelia sua sacra habuerunt (*Os.* 2,8; 13,1); neque profecto est mirum, quod eo tempore, quo cuncti a summo ad infimum turpissimae idololatriae erant dediti, integra terra vitiis sceleribusque fuerit ita repleta, ut propheta noster conqueratur : « Non est veritas et non est misericordia et non est scientia Dei in terra; maledictum et mendacium et homicidium et furtum et adulterium inundaverunt et sanguis sanguinem tetigit » (4,1. 2). Tam inveterata autem haec erat

morum perversitas, ut minoribus illis cladibus et calamitatibus, quibus Dei amor populum ad se reducere conabatur, nihil efficientibus ad ipsam regni destructionem populique captivitatem deveniendum esset.

In libello nostro non deesse, ex quibus prophetam etiam post populi ruinam vaticinatum esse aliquo modo colligatur, recte asseritur [1]. Verum quidquid de hac sententia statuitur, dubitare non licet, quin saltem ultimas clades, quibus populi sors decidebatur, Osee oculis suis spectaverit, licet forte ante Samariae expugnationem et populi abductionem sit mortuus; Ezechiae enim tempore se librum suum composuisse aut saltem terminasse ipse inscriptione sua docet. Quamobrem *munus,* quod ei collatum est, muneri Ieremiae haud incongrue comparamus. Namque Ieremiae, qui a. 13. Iosiae propheta inauguratus ultimum ex praeclarissimis stirpis davidicae regibus viderat atque deinde sub Iosiae filiis regnum declinare atque praeceps ad exitium ruere vidit, illud praecipuum erat munus, ut calamitatis ultimae, quae imminebat, necessitate et iustitia demonstrata populum Iuda ad captivitatem debito modo subeundam praepararet. Simili modo Osee regnum Israel a summo gloriae culmine, ad quod a Deo per Ieroboam II. adductum erat, in profundissimum calamitatis abyssum rapido cursu descendere vidit, atque ei quoque erat propositum, ut suum populum ad poenam imminentem praepararet et quomodo recipienda esset doceret. In uno tamen Osee a Ieremia differt, quem *prophetam iustitiae divinae* non immerito appellari ostendimus (263 p. 374). Licet enim Ieremias longe absit, ut populo suo spem adimat, immo poenitenti meliorem sortem frequenter promittat futuramque regni messianici gloriam pulcherrime describat, Osee tamen magis in infinita caritate quam iustitia Dei inculcanda versatur. Gravissime procul dubio et fortissime populi Israel vitia vituperat castigatque atque imminentes calamitates velut iustas scelerum poenas praedicit; nihilominus continuo ante oculos ipse habet et auditoribus ante oculos ponit insignem illam Domini caritatem, qua populum licet indignum sibi in peculium elegit, maximis beneficiis auxit, quin etiam peccatis deditum non reiicit, sed castigat ut ad poenitentiam reductum maioribus beneficiis cumulet. Duobus suis matrimoniis propheta ipse quasi typus divinae huius caritatis constituitur : mulierem abiectam in matrimonium ducere iussus repraesentat Deum, qui cum populo iam in Aegypto idololatriae dedito foedus inire non abnuit; a mulieris adulterae, quam ducere iussus erat, ad tempus donec emendetur se separans repraesentat Deum, qui populum idololatrum et foedifragum in captivitatem abducit, ut eum corrigat et salute messianica dignum reddat. Quapropter Oseae vaticinia cuncta, quamvis sint minacia, simul tamen sunt consolatoria.

1. *Knabenbauer* Proph. Min. I. p. 13, qui pro argumento allegat *Os.* 12,9; 13, 10; 14,2. 5.

299. — III. De libri argumento et partitione. — Populum Israel, qui acceptorum beneficiorum immemor innumeris sceleribus et vitiis sese maculavit et furorem irae divinae provocavit, Dominus puniet quidem, sed non pro iustitiae suae rigore; omnes enim poenae populo sunt saluti, neque eum delebit Deus, sed pristinarum promissionum memor emendatum salvabit. Hoc fere summum est argumentum integrae Prophetiae Osee, quae in castigandis populi vitiis, in annuntiandis iustis Dei iudiciis, in praedicenda salute messianica versatur, vel uti habet Lyranus « Dei iustitiam in peccatorum punitione et eius misericordiam in poenitentium susceptione explicat ». Quomodo vero argumentum hoc explanet ex analysi, quam subiicimus, satis patebit. Varias libri partes variosque sermones distingui debere omnes interpretes consentiunt, de partitionis autem ratione dissentiunt. Non defuerunt, qui secundum temporis indicationes, quas deprehendere sibi visi sunt, varias conciones sub variis regibus habitas discernerent[1]; at illos errasse certum est; licet enim unus alterve versus certo alicui tempori adaptari possit, integram tamen concionem, quae easdem historicas rationes ita supponat, ut alteri tempori non conveniat, in toto libro non invenimus; neque id mirum, quoniam prophetam compendium dumtaxat eorum, quae pro varia temporum ratione fusius exposuerat, nobis reliquisse iam monuimus. Unde etiam satis magna est in distinguendis libri partibus difficultas. In illa quidem divisione, quam iam Card. Hugo et Lyranus indicaverunt, plerique moderni quoque interpretes consentiunt bipartitum esse librum statuentes, nam « in priore parte, inquit Lyranus, prophetat non solum verbis, sed etiam sensibilibus factis (1,1-3,5), in altera simplicibus verbis (4,1-14,10), in prima autem virtualiter continentur illa quae postea sequuntur ». At quot sint alterius partis conciones, si interrogaveris, tot fere accipies responsa, quot sunt libri interpretes; alii unam tantum esse continuam orationem admittunt, alii usque ad sedecim diversas distinguunt[2]. Tamquam probabiliorem in analysi retinebimus illam divisionem, quam proposuit *Knabenbauer* duabus alterius partis sectionibus distinctis, in quarum priore (4,1-9,9) propheta quatuor sermonibus scelera praecipue reprehendit, in secunda autem (9,10-14,10) etiam quatuor sermonibus ex castigatione exorituram esse salutem maxime ostendit[3].

1. *Bertholdt* Einleitung p. 1594 sqq. quatuordecim sermones secundum temporis rationem distinguit : 1,1-2,2 initio regni Zachariae; 2,3-25 in fine eiusdem regni; 3,1-5 brevi post Zachariae mortem; 4,1-19 tempore interregni inter Ieroboamum II et Zachariam; 5,1-15 et 6,1-11 sub rege Phacee; 6,11-7,16 iterum tempore interregni etc.

3. Paucas ex diversis secundae partis divisionibus, quae a catholicis interpretibus sunt propositae, indicabo : *Card. Hugo* duas conciones distinguit, in quarum priore Dominus vocat ad *iudicium*, ut appareat eius iustitia (4.-13 ), in altera ad *poenitentiam* (14.) ; — *Lyranus* quoque duas : in priore *explicatur* (4.-7.), in altera *promulgatur* (8.-14.) divina iustitia et misericordia; — *Kilber* Analysis bibl. I. p. 477 sqq. quinque « actiones » distinguit : actionem iudicialem (4.-6.), apologeticam (7. 8.), poenalem (9.-10.), « variatam affectibus » (11.-13.), finalem (14.); *Vigouroux* Manuel bibl. II. p. 620 sq. tres sectiones facit, quarum finis indicetur nova promissione (4,1-6,3; 6,4-11,11; 11,12-14,9. Eandem divisionem indicat et sequitur *Keil* Einl. p. 307 et Comm. p. 16 sq.) ; — *Aug. Scholz.* Einl. III. p. 549 quinque conciones admittit (4.; 5.-7.; 8. et 9.; 10. et 11.; 12.-14.) ; — *Kaulen* Einl. Ed. 3. p. 404 novem distinguit (4., 5. et 6; 7; 8; 9; 10; 11; 12; 13. et 14.); — *Ant. Scholz* Comm. p. XXXVII duas sectiones facit, in quarum priore culpa et poena sint praecipuum argumentum (4.-10.), in altera autem magis recedant, ut clarius splendeat gratia (11.-14.); in priore deinde sectione novem strophas variae longitudinis discernit, in altera unam concionem quatuor partibus constantem (11,1-13, 15 a) et totius libri epilogum (13,15 b - 14,9); — *Neteler* Gliederung des B. der zwölf Proph. p. 14 sqq. integrum libri in tres partes dividit, quae ternis sectionibus constent (I. 1,1-9; 2,1-17; 2,18-25; II. 3; 4; 5-7; III 8. 9; 10. 11; 12-14) etc. — Non minor est heterodoxorum dissensus, sed eorum sententias afferre superfluum est.

3. *Knabenbauer* Proph. Min. I. p. 16 sqq., quem ita sequimur, ut cpp. 1.-3. pro totius libri introductione habeamus.

## Analysis Prophetiae Oseae.

Introductio (1,2-3,5) *relationem, quae Deum inter et populum Israel intercedit, duobus typicis prophetae matrimoniis narratis et explicatis illustrat.*

1. *Primum prophetae matrimonium* (1,2-2,1).
   a.) Propheta uxorem olim fornicariam (ac proin abiectam) ducere iubetur ex eaque filios gignere (1,2), quorum nomina symbolica futuram populi sortem designent : reiectionem domus regiae Iehu (1,3-5), severam punitionem populi Israel (1,6. 7) eiusque reprobationem (1,8. 9.);
   b.) quibus minis ex abrupto promissio futurae sortis melioris additur, qua nomina symbolica infaustam suam significationem sint amissura (1,10-2,1).
2. *Imaginem matrimonii retinens Dominus ipse peccata populi sui tamquam uxoris adulterae castigat* sed poenitenti instaurationem promittit (2,2-24).
   a.) A vehementi increpatione adulterae incipiens se eam poenis ad se reducturum esse comminatur (2,2-7); quoniam enim adultera putat se bona, quibus fruitur, ab amasiis accepisse, omnia illa bona auferet Deus (2,8-13).
   b.) Eam iterum in solitudinem abducet, ut ibi resipiscat, atque deinde novum cum ea foedus feriet, quod sanctitate et bonis omnibus erit insignitum (2,14-24).
3. *Alterum prophetae matrimonium* (3,1-5). Adulteram ducere iussus ab

eaque sese separans donec corrigatur (3,1-3) docet propheta exemplo suo, longam captivitatem viam esse, qua populus messianicae salutis dignus sit reddendus (3,4. 5).

I. *In* PRIORE PARTE (4,1-9,9) *reprehenduntur scelera populi eorumque poenae intimantur.*

1. *Prima reprehensio criminum totius populi* (4,1-19).
   a.) Graphice describit integri populi omnimodam perversitatem, quae et singulorum et totius populi punitionem postulat (4,1-5), intimamque perversitatis causam (Legis reiectionem) manifestat, quae omnibus sit communis (4,6-10).
   b.) Speciatim idololatriam impuraque vitia cum illa coniuncta vituperat (4,11-14) atque Iudam monens, ne Ephraim exemplum sequatur, subitum Ephraim interitum praenuntiat (4,15-19).
2. *Secunda reprehensio ad populi duces dirigitur* (5,1-6,3).
   a.) In sacerdotes et reges invehitur propheta, qui populo facti sunt scandalo omnesque seduxerunt, ita ut omnes, Ephraim et Iuda, iam sint puniendi (5,1-5).
   b.) Neque avertere poenam possunt sacrificiis, sed Deus super Ephraim et Iudam effundet iram suam (5,6-12), nec quidquam eos iuvabit foedus cum Assur (5,13. 14).
   c.) Deus enim exspectabit, donec ad ipsum revertantur, et tunc eorum erit salvator (5,15-6,3).
3. *Tertia reprehensio populi culpam exaggerat docens remedia a Deo adhibita fructum non attulisse* (6,4-7,16).
   a,) Quasi desperabundus interrogat Deus, quid tandem facere debeat, quum nec increpationes suae per prophetas nec calamitates immissae quidquam iuverint, id quod pessima Ephraim corruptio atque ipsius quoque Iuda conditio doceat (6,4-11).
   b.) Quando Deus eos sanare voluit, aperta prorupit eorum iniquitas (7,1. 2); omnino securi applaudentibus regibus sese dant effrenatae idololatriae, atque hac ratione indolem ethnicam induit Ephraim (7,3-8).
   c.) Peccatis suis perdidit quidem fortitudinem suam, neque ut eam recuperet, ad Deum se convertit, sed ab Aegyptiis et Assyriis sperat salutem (7,9-12); at vae ei, cadet enim et subsannationi erit illis, a quibus salutem sperat (7,13-16).
4. *Quarta reprehensio destructionem regni tamquam peccatorum poenam annuntiat* (8,1-9,9).
   a.) Populo Israel interitum annuntiare iubetur propheta atque salutis spem ei adimere, quia foedus et Legem abiecit Israel, reges contra voluntatem Dei sibi constituit et idola sibi adornavit (8,1-6).
   b.) Igitur tempestas regnum Israel devastabit; frustra ab externis auxilium petent, frustra quoque altaria et sacrificia multiplicant, quum haec ipsa augeant scelus (8,7-13); sed neque parcet Dominus civitatibus munitis, quibus confidit Iuda (8,14).
   c.) Accuratius demum describitur poena : fame premetur regnum Israel

et exsulare cogentur eius incolae (9,1-6); Deus enim dignam peccatis poenam retribuet (9,7-9).

II. *In* SECUNDA PARTE (9,10-14,9) *poena quidem intimatur, sed castigationem ad salutem fore docetur.*

1. *Primus sermo* (9,10-10,15) beneficiis olim populo praestitis praesentia eius peccata opponens *poenae iustitiam ostendit*, sed meliorem quoque conditionem poenitentia acquirendam promittit.
   a.) Velut uvas in deserto et praecoces ficos Deus populum arripuit, at illi impurae idololatriae sese tradiderunt; quapropter Ephraim, quamvis videatur potens, interitui est proximus (9,10-14); propter peccata, quae in Gabaa committuntur, merito excidetur (9,15-17).
   b.) Dei beneficio pulcherrima plantatio erat Israel, at pro potentia sua multiplicavit scelera sua, sed in suam perniciem et confusionem, qua omnes comprehendantur (10,1-8).
   c.) Inde a diebus Gabaa peccare coepit Israel, nunc autem punietur; ideo ad Dominum revertens fructus iustitiae et salutis sibi praeparet, nam regnum eius destruetur (10,9-15).
2. *Secundus sermo* (11,1-12) simili modo beneficiis divinis peccata populi opponens *necessitatem poenae ostendit*, sed Deum non deleturum esse populum promittit.
   a.) Beneficia, quibus Deus Israel cumulavit, enumerat et quid Israel Deo suo rependerit describit propheta, ut durae servituti iam nunc populum tradendum esse doceat (11,1-7).
   b.) Completam quidem destructionem meruit Israel, sed non secundum furorem irae suae aget Deus, immo reditum ex captivitate promittit (11,8-12).
3. *Tertius sermo* (12,1-13,15) *Israelitis exemplum Iacob ob oculos ponit*, ut quantopere ab eo dissentiant clarius cognoscentes se poenis dignos esse videant; at poenam non fore ad interitum simul docet.
   a.) Israelitarum impietas increpatur, qua ab exteris gentibus auxilium quaerunt, eademque in culpa Iudam esse insinuatur; quantum igitur distant ab eorum patre Iacob, qui fortitudine sua divina beneficia meruit; si populus convertetur, ipse quoque a Deo bona sperare potest (12,1-6).
   b.) Ephraim Chanaani similis factus de suis peccatis gloriatur, neque recogitat Dominum esse Deum suum, qui nova beneficia praestare vult (12,7-11). Dum Iacob bona sibi acquirere debuit, Deus populum sine ullis eius meritis per prophetam ex Aegypto eduxit; nihilominus Dominum ad iracundiam peccatis suis provocat! (12,12-14).
   c.) Licet propter idololatriam suam pristinam gloriam amiserit, tamen peccata sua auget Israel novis poenis coercendus (13,1-3). Beneficiis a Deo acceptis superbivit et rebellis factus est Israel, sed graviores poenas nunc luet (13,4-8), nullus ei remanet auxiliator praeter Deum, at Deus quoque eum a morte liberabit (13,9-15).
4. *Quartus sermo* (13,15-14,9) paucis proponit poenam imminentem, ad conversionem invitat, *conversis magnam salutem promittit.*

a.) Poenae imminentis descriptioni (13,15; 14,1) adnectit propheta exhortationem ad poenitentiam conversionisque modum indicat (14,2-4),

b.) futuram autem salutem fusius describit (14,5-9).

In EPILOGO (14,10) monet propheta, ut ad sua vaticinia attendant.

300. — IV. DE LIBELLI INDOLE ET AUCTORITATE. — Ex paucis, quas supra (298 n. 3 p. 530) adscripsimus, libelli nostri variis divisionibus atque ex ipsa quoque analysi tradita apparet, quam difficile sit accuratum idearum sententiarumque eius nexum indicare. Quamvis enim universum eius argumentum satis sit apertum atque continuus quidam orationis progressus non plane lateat, fatendum tamen est, vix alium librum propheticum aeque obscurum esse atque involutum. Quae obscuritas maximam partem ex prophetae dictione exoritur. « Commaticum enim eum esse et quasi per sententias loquentem » olim monuit S. Hieronymus; profecto admodum conciso et sententioso dicendi genere utitur, quo nervosa quidem gravisque sed etiam obscurior fit eius oratio. Adde eum per totum librum (excipe cpp. 1. 3.) ad poeticum parallelismum accurate attendisse, haud raro audacem esse in metaphoris aliisque figuris poeticis, neque tantum varias imagines quasi coniunxisse aut ab una ad alteram rapide transilisse, sed etiam interdum imagine abrupta sententiam proprio sensu continuasse; atque eius dicendi genus primam obscuritatis causam recte dici fateberis. — Altera autem in ipsa libelli origine sita esse merito creditur. Neque enim integras conciones, quas ad populum habuerat, prophetam nobis transmisisse iam diximus, sed earum summa argumenta novo ordine coniuncta literis mandasse, temporis ad quod singula pertinent ratione non habita. Per longissimum autem annorum spatium vaticinatus est Osee, atque diversissimae fuerunt rationes regnorum septem, quibus in Israel vixit a florenti rerum statu sub Ieroboamo II. usque ad regni ipsius ultimum exitium. Facile igitur fieri potest et factum esse omnino videtur, ut sententiae, quae diversis prorsus in temporibus sunt pronuntiatae, in libro nostro immediate sese excipiant; quare quum internus earum nexus non clare perspiciatur, externus autem desit, legenti velut disiecta membra apparent.

In hac vero prorsus singulari indole libelli validissimam simul habemus *authentiae* eius confirmationem; alteram aeque certam praebet vaticiniorum nostrorum usus, qui in recentioribus libris propheticis deprehenditur[1]. Quare mirum non est, quod communis antiquorum traditio, quae tituli auctoritate nixa Oseam filium Beeri saec. 8. integrum nostrum librum scripsisse asseruit, etiam a modernis « criticis » non sit impugnata; ne « redactore » quidem, qui varias partes coniunxerit, indigent, quamvis aliorum librorum plerorumque originem eo non

admisso explicare nequeant[2]. Temporis tamen, quo propheta se vaticinatum esse testatur, a paucis indebite inserta esse creditur; ab aliis unus alterve versus pro glossis, quae ex margine in libelli textum irrepserunt, habentur; sed tam levibus argumentis hae opiniones innituntur, ut illis immorari operae pretium non sit[3].

Neque libelli *canonicitatem* fusius defendere opus est, siquidem Dominus ipse verba Oseae quaedam Pharisaeis perpendenda proposuit. S. Matthaeus eius verba de Israel ex Aegypto vocato typice de Christo explicavit, S. Paulus non semel vaticinia nostra adhibuit[4].

1. Haud pauca exempla, praesertim ex Ieremia, collegit *Ant. Scholz* Comm. p. XXIX; fusius de iisdem agit *Kueper* Ieremias librorum sacr. interpres et vindex p. 67-70. — De testimoniis quae ex Oseae vaticiniis ad Pentateuchi authentiam desumuntur cfr *supra* 17 (Tom. I. p. 15 sqq.), *A. Scholz* l. c. p. XXXI, *Reinke* Beiträge VIII. p. 158 sq. ac praesertim *Hengstenberg* Authentie des Pentateuchs I. p. 48-83.

2. Cfr *De Wette Schrader* Einleitung p. 453; *Vatke* Einl. p. 674 : « Die Darstellung des Propheten ist höchst eigenthümlich und gibt durch ihre ganze Art und Weise zugleich die Kriterien für die Echtheit und Einheit des *ganzen* Buches »; *Reuss* Gesch. des A. T. p. 263 sq.; *Davidson* Introduction III. p. 236 « That Hosea arranged the prophecies as they stand at present cannot well be doubted » etc.

3. De temporis indicatione cfr *supra* 297 n. 5 p. 525. — Contra *Ant. Scholz* Comm. p. 110 sq., qui 8,14 addubitat, cfr *Knabenbauer* Proph. Min. I. p. 117. — *Redslob* (Die Integrität der Stelle Hosea 7,4-10 in Frage gestellt. Hamburg 1842.) vix quemquam habuit sequacem; ipsi *Davidson* Introd. III. p. 236 eius sententia est « a very arbitrary hypothesis not demanding a refutation ». Neque magis *Cornill* (Einl. Ed. 3. 1896. p. 179) refutatione indiget, si cum *Wellhausen* paucisque aliis nonnullas sententias, praesertim de salute messiana a Iudaeis fraudulenter insertas declarat.

4. *Matth.* 9,13; 12,7 (*Os.* 6,6); — *Matth.* 2,15 (*Os.* 11,1); — *Rom.* 9,25. 26 (*Os.* 1,10); — 1 *Cor.* 15,55 (*Os.* 13,14).

## § 22. — *De Prophetia Ioel.*

301. — I. De prophetae vita. — Ioel filius Phatuel, qui secundum locum inter duodecim in Vulg. tenet, ubinam sit natus, quo vitae genere usus, quo tempore vaticinatus, certis testimoniis non constat. Eum ex agro Bethom (Theboran, Bethoron) in tribu Ruben oriundum ibique mortuum esse scribunt Ps. Epiphanius et S. Isidorus; eum Samuelis prophetae, qui quia *Deum flectebat precibus* vocatus sit Phatuel, filium fuisse tradunt nonnulli Iudaei[1]. Quibus incertis rumoribus rabbinicisque fabulis praetermissis ex libro eius cum magna verisimilitudine colligimus, Ioelem incolam regni meridionalis fuisse, quippe quod solum in sua prophetia prae oculis habeat. *S. Cyrillus Alex.* quidem de regno Israel, *Theodoretus* de utroque regno eum vaticinatum esse statuerunt, atque haud paucos invenerunt, qui cum Lyrano hanc sententiam adoptarent; sed rectius *S. Hieronymus* : « Quomodo in Osee propheta, inquit, sub nomine Ephraim ad decem tribus confertur va-

ticinium, quae vel Samaria vel Israel saepe memorantur, sic in Ioel omne quod dicitur ad tribum Iuda et ad Ierusalem pertinere credendum est et nullam omnino Israelis i. e. decem tribuum in hoc fieri mentionem »[2]. Nam nomine Israel, etsi ter positum legatur (2,27; 3,2. 16), non stricto sensu regnum decem tribuum intelligitur, sed integra patriarchae Iacob posteritas, quatenus honorifico Israelis nomine fuit digna. Ceterum propheta filios Sion alloquitur (2,23), de filiis Iuda et Ierusalem (3,1.6.8 etc.), de monte Sion (2,1. 15. 32), de templo ierosolymitano (2,17; 3,18), de sacrificiis in eo offerendis (1,9. 13; 2, 14. 17) continuus est eius sermo, nec ulla regni septemtrionalis fit mentio. Quoniam tam frequenter de ritibus sacris sacrificiisque loquitur, nonnulli interpretes sacerdotem vel levitam eum fuisse coniecerunt; sed quam debili fundamento haec coniectura innitatur, ex eo solo satis elucet, quod alii propter modum, quo sacerdotes alloquatur, eum ex tribu Levi fuisse negant[3]. Satius igitur est, de eius vitae genere nihil statuere, praesertim quum ad librum intelligendum quaestio haec parum iuvet.

Maioris autem momenti est quaestio de tempore, quo Ioel vixit, at nulla quoque, quae magis sit controversa. Alii enim Roboamo eum faciunt fere aequalem, immo ipsa regni divisione antiquiorem, alii Nehemiae aetate eum vixisse arbitrantur aut Nehemia eum dicunt recentiorem. Longe plerique tamen eum saeculo 9. vel 8. attribuunt, at ipsi quoque satis inter se dissentiunt, siquidem alii de ineunte saec. 9., alii de exeunte saec. 8. loquuntur. In tanta sententiarum varietate nos extremis vitatis illam praeferendam ducimus, quae eius aetatem loco ipso, quem libellus noster in serie prophetarum minorum occupat, videt aliquo modo indicatam, ita ut Oseae et Amoso fere σύγχρονος sed illis paullo antiquior sub initiis regni Oziae ineunte saec. 8. vixisse dicatur. Quoniam historicis testimoniis prorsus deficientibus quaestio haec solis rationibus internis definiri potest, de argumento et indole libri antea erit agendum.

1. De nominis *Ioel* (יוֹאֵל, Ἰωήλ) etymologia et significatione dissentiunt interpretes. *S. Hieron.* (In Ioel 1,1 M. 25,995) duas explicationes proponit : « *incipiens* » (sc. ab Hiph. verbi יאל, cui Alexandrini *incipiendi* notionem aliquoties attribuunt) vel « *est Deus* « (ישׁ אֵל cfr *Carpz.* Introd. III. p. 294); communior hodie est et verior explicatio יוֹ אֵל « Dominus est Deus » vel « cui Dominus est Deus ». — *Ps. Epiph.* De vit. proph. 14 (M. 43,408); *S. Isid. Hisp.* De ortu Patr. 42 (M. 89,144); *Ps. Doroth.* De proph. 4. Nomen oppidi varie legitur in variis codicibus (Bethom, Bethor, Bethoron, Bethomeron; *Huet.* Demonstr. evang. Prop. IV. p. 308 proponit Betharan vel Bethnemra in tribu Gad vel Bethabara etc.; sed sunt otiosae coniecturae). — De Iudaeorum nonnullorum sententia, qui Phatuel dicunt esse aliud nomen Samuelis cfr *Carpzov.* l. c.; unicum sententiae fundamentum est, quod filius natu maximus

Samuelis nominatus fuit *Ioel* (1 *Reg.* 8,2); at nomen istud fuit frequens, inter posteros Ruben (I *Paral.* 5,4. 8), Levi (6,36 etc.), Issachar (7,3) etc.

2. *S. Cyr. Alex.* Comm. in Ioel Praef. (M. 73,328 sq. « Videtur ergo Ioel Israelitas, qui, licet compluribus affecti vulneribus, admonitioni aures nondum praebuerant, sapienter increpare »). *Theodoret.* Enarr. in Io. (M. 81,1633); cum quo etiam consentit *S. Hieron.* Ad Paulin. ep. 53,8 (M. 22,546 « Ioel describit terram duodecim tribuum, eruca brucho locusta rubigine vastante corruptam »); sed sententiam correxit Comm. in Ioel. 1,1 (M. 25,996).

3. *Davidson* (Introd. III. p. 243) duobus argumentis probabile reddere vult Ioelem fuisse sacerdotem vel levitam : « He summons the people to fasting, weeping, and humiliation... he also exhibits great hatred against the heaten »!! Contra censet *Meyrick* (The Speakers Comm. IV. p. 492) : « Of his occupation or profession we can only gather, *that he was not a priest...* he adresses the priests evidently from without (1,13; 2,17). Similiter *Kaulen* Einl. Ed. 3. p. 406 : « Aus der Art, wie er 1,13 u. 2,17 von den Priestern spricht, kann man schliessen, dass er selbst keiner war ». Meo quidem iudicio neutra coniectura solido nititur fundamento.

302. — II. Argumentum, partitio, indoles libri. — Gravissima locustarum plaga terram vastante et magna siccitate etiam futurae messis spem auferente propheta in hac calamitate praesagium iudicii divini multo magis horrendi perspiciens contribules suos ad poenitentiam peragendam exhortatur, qua Deum sibi concilient iustamque eius castigationem avertant. Cui exhortationi obsecuto populo Deus deinde non tantum rerum temporalium abundantiam se daturum promittit, sed mentes eorum altius elevat promissione uberrimorum donorum spiritualium protectionisque suae singularis in tremendo iudicii die, quo de omnibus hostibus regni sui vindictam sit sumturus. Qua summi argumenti descriptione partitio quoque libelli est indicata : duabus enim concionibus constat, quarum prior tota in poenitentia postulanda versatur, altera poenitentibus magna bona promittit; utraque inter se connectuntur duobus versibus historicis, qui Deum peracta poenitentia ad misericordiam commotum esse referunt : « Zelatus est Dominus terram suam et pepercit populo suo, et respondit Dominus et dixit populo suo » poenitentiam agenti (2,18. 19.). Sed pro more accuratiorem idearum nexum in analysi libelli trademus.

I. Exhortatio ad poenitentiam agendam (1,2-2,17).

1. *Descriptione plagae praeparatur exhortatio* (1,2-2,11). Tantam plagam, ut quatuor locustarum agminibus sibi continuo succedentibus integra messis plane sit deleta, nunquam esse exauditam praefatus (1,2-4)

a.) propheta vastationis gravitatem per singula describit, ut omnium luctum augeat (1,5-20).

α.) (Peccatum causam calamitatis esse insinuans) incipit ab ebriis, qui vineis destructis voluptate consueta privati lugere iubentur (1,5-7). At non sola superflua abstulit calamitas, quare

β.) populus omnis, quasi sponsa de sponso amisso, lugere monetur,

propterea quod propter agrorum vastationem debita sacrificia non amplius possit offerre et omne eius gaudium perierit (1,8-12); (ex quo merito possit timere, ne sponsum suum Dominum amittat.

γ.) Sacerdotes propter sacrificiorum defectum plangere et cum populo sanctificato et congregato in templo Domino ipsi magnitudinem calamitatis, quae praesagium sit diei Domini, ob oculos ponere iubentur (1,13-17)[a].

δ.) Descriptionem calamitatis terminat irrationalium quoque animalium tormentis commemoratis (1,18) et brevi precatione, qua omnia complectitur (1,19, 20).

b.) Accuratius deinde, ut luctum augeat, diei Domini, cuius locustarum pestem praesagium esse innuerat (1,15), horrorem delineat descriptis hostibus, quibus Deus tamquam iustitiae suae vindicibus sit usurus; qua in descriptione locustarum plagam semper prae oculis tenet (2,1-11).

2. *Sequitur exhortatio ad poenitentiam* (2,12-17),

a.) quae interna sit oportet in Dei misericordia fundata (2,12-14),

b.) atque externis quoque operibus sese manifestet (2,15-17).

II. Populo, qui exhortationi obsecutus poenitentiam peregit (2,18. 19), BONA PROMITTIT DEUS (2,19-3,21).

1. *Pro tempore praesente* (2,19-27).

a.) Auferet Deus calamitatem et destructo hoste omnes ii, qui lugere iussi erant, iam nunc gaudere monentur ob frugum ubertatem, quam daturus sit (2,19-24).

b.) Immo restituturum se promittit ea, quae calamitate amiserant, ut se suos non derelinquere videat populus (2,25-27).

2. *Pro tempore messianico* (2,28-3,21).

a.) Uberrima dona spiritualia se suis daturum esse promittit atque in die Domini singularem protectionem iis, qui invocaturi sint nomen suum (2,28-32).

b.) Quare haec protectio requiratur et quae sit, accuratius explicatur (3,1-21).

α.) Deus enim, quando restituet Iuda et Ierusalem, de omnibus hostibus, qui eis iniuriam intulerunt, sumet vindictam (3,1-3).

β.) Quam proxime in vicinis gentibus Tyro Sidone Philisthaea sumendam indicat (3,4-8), ut deinde ad bellum sanctum contra omnes hostes gerendum transeat (3,9-16).

(a) In 1,16 cum Ribera aliisque praeferimus lectionem Hebr. Alex. Syr. « coram oculis *nostris* » (pro : vestris) et in 1,17 cum plerisque modernis vertendum censemus : « *grana computruerunt in glebis* » ( pro : iumenta computruerunt in stercore suo). Neque enim in 1,13, 17 anticipatam exhortationem ad poenitentiam videmus; nam licet 1,14 similis sit versibus 2,15. 16, causa tamen et finis congregati coetus etc. differunt. In 1,13. 14 congregandus dicitur, quia interiit sacrificium, et finis eius est, ut sacerdotes verbis 1,15-17 indicatis coram Domino plangant; in 2,15 autem congregandus est, quia conversio ad Deum spem melioris sortis praebet, et finis eius est, ut sacerdotes verbis 2,17 indicatis Dei misericordiam implorent.

γ.) Hostibus autem profligatis Deus apparebit tamquam protector Iudae et Ierusalem, quae benedictionibus abundabunt, dum hostium terrae (Aegyptus, Idumaea) in deserta convertentur (3, 17-21).

In hac analysi sensu verborum proprio retento prophetam a vera locustarum plaga, quae eius aetate terram meridionalem vastavit et quam in priore parte (1,2-20) describit, exhortationis suae occasionem cepisse supposuimus[1]. Tacere tamen non licet, maiorem interpretum numerum ab hac interpretationis ratione dissentire. Etenim plerique etiam in priore parte iam veram praedictionem agnoscunt, atque alii quidem prophetam *futuram* locustarum plagam praenuntiare arbitrantur atque ad poenitentiam exhortari, qua futurum illud periculum avertatur[2]; alii proprio sensu relicto sub locustarum figura et symbolo incursiones hostium praedici volunt atque quatuor vastantium genera (1,4) aut de quatuor regnis hostilibus (Assyriis, Chaldaeis, Persis, Graecis) aut de quatuor regibus hostilibus (Theglatphalasar, Salmanasar, Sennacherib, Nabuchodonosor etc.) aut de quatuor Chaldaeorum invasionibus etc. intelligunt[3].

Quae sententiae, etsi magnorum nominum auctoritate commendentur, parum nobis probantur. Namque a.) dubium non est, quin 2,18. 19. vere historico modo referatur, quid Dominus populo poenitentia iam peracta responderit; promittit autem se illa esse *restituturum*, quae plaga abstulerat (2,25); iam vero si 2,2 sqq. futura plaga, quae poenitentia esset avertenda, praediceretur, promittendum omnino erat plagam non esse venturam. Porro b.) tota quoque descriptio (1,2 sqq.) ea est, quae plagam adesse supponit; testari iubentur senes, se talem nunquam vidisse, quomodo autem futuram plagam cum illis, quas iam experti sunt, comparare possunt? In toto primo capite (excepto 1,15, ubi maior calamitas futura innuitur) non adhibentur nisi formae temporis praeteriti neque ullo verbulo futurum tempus innuitur, id quod tamen plerumque fieri solet, si prophetae in suis futurarum rerum descriptionibus formis praeteriti temporis utuntur. c.) Verum si de sua aetate et de calamitate praesente loquitur propheta, evidens est, eum verba proprio sensu intellexisse neque metaphorice hostium incursiones praedixisse. Accedit quod calamitas, quam describit, invasionis hostium non satis apta imago esse videatur. Vastationem quidem agrorum, quam exercitus hostium producit, locustarum exercitus aptissime designat, illa vero, quae in bellicis incursionibus graviora esse censentur, nullo modo indicat, nec militum caedes et vulnera, nec mulierum et filiorum servitutem, nec domorum incendia, nec oppidorum destructionem etc. Quapropter alii prophetae, si locustarum imaginem adhibent, alias adiungere solent, ut descriptionem suam com-

pleant. Ab initio igitur propheta de vera locustarum peste loquitur, sed ut horrore aucto populum ad poenitentiam agendam efficacius excitet, inde a 2,1 praesentem calamitatem velut initium et praesagium ipsius diei Domini considerat, licet ibi quoque exercitum locustarum agros devastantem semper prae oculis retineat.

Atque haec quidem de libri argumento; de eius autem *indole* vix quidquam est addendum. Linguae puritas sententiarumque gravitas tantum non ab omnibus commendantur, atque velut praecipui prophetae nostri characteres laudantur claritas, elegantia, sublimitas. Quanta sit eius claritas atque perspicuitas, maxime apparet, si cum Osee comparatur. Dum de libri Osee divisione idearumque nexu maximus est interpretum dissensus, tam clara et aperta est apud Ioelem quum integri argumenti partitio tum singularum rerum inter se connexio, ut disceptationibus vix relinquat locum. Tanta deinde cum claritate, pulchritudine, sublimitate calamitatem locustarum descripsit, ut in tota Scriptura pulchrior descriptio poetica non legatur; magis autem apparet eius sublimitas in horrore diei Domini et in vindicta, quae de hostibus sumetur, describendis, ita ut ipse Isaias (c. 13.) nonnulla a Ioele mutuari non dubitaverit. Quare « sublimis ingenii poeta, cui praeter Isaiam et Habacuc, in omni prophetarum coetu non inveniatur par » recte Ioel appellatur[4].

1. *Glossa ordin.* primo in loco hanc interpretationem ponit eique tamquam « allegoricam » adnectit alteram de futuris hostibus. Eandem ex recentioribus catholicis tenent *Herbst* (Einl. II. 2. p. 111 sqq.), *Danko* (Hist. revel. V. T. p. 379), *Zschokke* (Hist. sacr. A. T. p. 262), *Vigouroux* (Manuel bibl. II. 624), *Trochon* (Petits Prophètes p. 96 sqq.), *Knabenbauer* (Proph. Min. I. p. 204 sqq.) etc. atque ex recentioribus protestanticis plerique. Contra antiquiores interpretes, qui hanc interpretationem plerique improbant, recte monet *Calmet.* (In Ioel 1,1) : « Non semper futura nunciant prophetae, saepe etiam praesentia flagitia arguunt et mala describunt, quibus populus criminum causa a Deo mulctatur. Illud tantum modo propheticum in Ioele habetur, quod feliciora tempora maioremque ubertatem, mala hostibus imminentia, denique felicissimum Messiae regnum ac super universos homines Spiritus effusionem praedicit eaque exhibet sub imagine felicissimae aetatis, quae hostium Iudae depressionem consequetur ». Enumeratis deinde variis Patrum etc. interpretationibus de hostibus futuris, concludit : « Quilibet pro arbitrio; nobis maxime simplex placet ac literalis explicatio de (praesente) Iudaeae caede per erucas, locustas, rubiginem ».

2. Ita *Theodoret.* In Ioel. 1,2 (M. 81,1636); *Ps. Rufin.* In Ioel. 1,4 (M. 21,1036), quos sequuntur *Lyranus, Dionysius Carth.*, *Vatablus* aliique, qui tamen explicationem de hostibus addunt. Ex recentioribus catholicis eandem tenent *Iahn* (Introd. epitome p. 336), *Ackermann* (Introd. p. 266 et Comment. p. 200 sqq.), *Schegg* (Gesch. der letzten Propheten I. p. 49 sq.) etc.; alii eadem ratione, qua *Corn. a Lap.*, *Mariana* etc., eam tamquam probabiliorem vel probabilem praeferunt, uti *Kaulen* (Einl. Ed. 3. p. 406), *Holzammer* (Handb. der bibl. Gesch. I. p. 710) etc.

3. Plerorumque Patrum est haec interpretatio, cuius tamen tot fere systemata, quot insigniores interpretes; multa enumerat *Knabenbauer* Proph. Min. I. p. 205 sq.

Eandem praetulerunt plerique commentatores et scholiastae inde a saec. 16; ex recentioribus catholicis ei adstipulantur *Welte* (Herbst Welte Einl. II. 2. p. 114 sq.), *Bade* (Christologie III. p. 155), *Reinke* (Messian. Weissagungen III. p. 134 sqq.), *Aug. Scholz* (Einl. III. p. 546 sq.), *Schenz* (Einl. p. 226) etc., ex heterodoxis *Hengstenberg* (Christologie I. p. 314 sq.), *Haevernick* (Einl. § 237), *Merx* etc. — Singularem sententiam proposuit *Ant. Scholz* (Comm. zum B. des Proph. Ioel. Würzburg 1885.), qui priorem libri partem arbitratur esse aenigmaticam, quatenus propheta praesentem quidem locustarum plagam describat, ita tamen ut revera ultimum regni divini hostem depingere voluerit; illam enim aenigmatis solutionem in altera parte satis clare innui. Quid de hac sententia tenendum sit cfr *Knabenbauer* l. c. p. 206.

4. Contra *Ant. Scholz* (Comm. p. 7 sqq.), qui a communi omnium interpretum sententia recedens linguam prophetae velut impuram traducere eiusque dictionem deprimere conatur cfr *Knabenbauer* l. c. p. 193 sq. et *Schenz* Einl. p. 231.

303. — III. De libri aetate et auctoritate. — Sub initiis regni Oziae ineunte saec. 8. Ioelem munere prophetico functum esse probabilior tenet sententia[1]. Illam enim aetatem ei assignat locus, quem eius libellus in prophetarum minorum serie occupat, eidemque omnes interni favent characteres, ex quibus vulgo argumenta desumuntur. Dictionis elegantiam sublimitatemque et linguae puritatem, quam tantum non omnes interpretes in libello agnoscunt, nolumus urgere, siquidem styli maiore minoreve elegantia aetas scriptoris aegre definitur, atque linguae puritas forte etiam a recentiore scriptore sollerti studio acquiri potuit; illud tamen semper verum remanet, dictione et linguae puritate libellum omnino dignum esse, qui Isaiae tempore scriptus dicatur. Longe efficacius argumentum praebent sententiae, quas ex nostro libro mutuati sunt alii prophetae. Ut allusiones, quae apud Ieremiam et Isaiam inveniuntur, utpote minus claras et certas omittamus[2], summa cum verisimilitudine statuere licet, Amosum, qui Oziae et Ieroboami II. temporibus vixit, prophetiam nostram cognovisse et adhibuisse. Etenim non tantum vaticiniis suis quasi ex abrupto sententiam praemittit, quae iisdem verbis apto in contextu apud Ioelem legitur, sed illa terminat quoque salutis messianicae descriptione, quae imaginibus suis atque phrasibus nonnullis cum Ioelis epilogo ita consonat, ut eundem cognovisse negari vix queat. Porro antiquiores interpretes iam monuerunt, Amosum, quum Dominum ad populum emendandum locustas frustra misisse conqueratur, omnino ad illam plagam videri alludere, quam Ioel describit; cui sententiae non obstat, quod Ioel in regno meridionali, Amos in septemtrionali vaticinatus est; plagam enim utrique terrae communem fuisse probabile est, immo eam ex terra Israel in terram Iuda venisse innuit nomen צְפוֹנִי (septemtrionalis), quo locustae designantur (*Ioel* 2,20)[3]. Propter hanc igitur affinitatem Ioelis et Amosi atque Amosi a Ioele dependentiam omnes illos interpretes a vero aberrare arbitramur, qui librum no-

strum aut Ezechiae aut Manasse aut Iosiae aetati adscribunt atque multo magis illos, qui Ioelem aut esdrino aut machabaico tempore vixisse statuunt[4].

Attamen etsi Ioel ante Amos scripserit, nulla adest ratio, quae eum diu antea scripsisse suadeat. Non pauci quidem hodie librum nostrum ad aetatem Ioae regis Iuda referunt, atque pro praecipuo argumento utuntur exterarum gentium nominibus, quae in eo leguntur : solos Tyrios, Sidonios, Philisthaeos (3,4), Aegyptios et Idumaeos (3,19) in hostium numero recenseri, nec Syrorum autem nec Assyriorum mentionem ingeri, licet Amos (1,3 sqq.) primo loco Syris poenam annuntiet et Osee (5,13; 7,11 etc.) frequenter de Assyriis loquatur; Ioeli igitur aetatem esse assignandam, in qua Syri regnum Iuda nondum invaserant neque Assyrii ei periculo erant; iam vero ultimis Ioae annis Syros iam felicem expeditionem contra Ierusalem suscepisse (4 *Reg.* 12,18 sqq.; 2 *Paral.* 24,23 sq.) ac proin Ioelem ad initia regni Ioae pertinere[5]. Quae argumentatio in nonnullis videtur peccare. Namque prophetam cunctos aetatis suae hostes *nominare* voluisse aut debuisse temere supponit; num forte paucis nominibus allatis Ioel completum esse censuit catalogum « *omnium* gentium, quas congregaturus esset Deus in vallem Iosaphat, ut disceptaret cum eis de haereditate sua Israel » (3,2)? Neque in argumentatione sua attendunt adversarii, Ioelem meridionali, Amos et Oseam septemtrionali regno esse vaticinatos; Syros autem cum vicino quidem regno Israel continua bella gessisse, sed usque ad regis Achaz aetatem cum regno meridionali, a quo decem tribuum territorio separabantur, semper pacem habuisse, si praedatoriam illam expeditionem exceperis, quam Hazael e bello contra Philisthaeos feliciter gesto revertens contra Ierusalem suscepit. At haec ipsa expeditio erat iusta poena a Deo regi Ioae propter caedem prophetae Zachariae inflicta (2 *Paral.* 24,24), ac proin Syri a Ioel, etsi non diu post illam expeditionem scripserit, inter hostes regni Iuda nominari non potuerunt. — Quapropter alii, quum hoc argumento parum aut nihil effici viderent, illud confirmare conati sunt monentes, a Ioele non vituperari eadem peccata, quae in incolis Iuda ab Amos et Osee reprehenduntur; de idololatria non fieri sermonem sed omnia sacra rite et debite secundum Legem in templo ierosolymitano peracta supponi; atqui hunc fuisse rerum statum tempore regis Ioae, quamdiu summum sacerdotem Ioiadam audiebat (4 *Reg.* 12,2)[6]. At infirmo argumento infirmior videtur esse confirmatio. Ab initiis enim regni Ioae initia Oziae non differebant, nec quidquam in eo vituperat auctor Paralipomenon, antequam « elevatum est cor regis in interitum eius et neglexit Dominum Deum » (2 *Paral.* 26,4 sq. 16); quare mirum non est, quod Ioel sub initiis Oziae vaticinans in genere tantum conversio-

nem ad Deum postulet nullo speciali peccato (praeter ebrietatem 1,5) commemorato, Amos autem postea veniens etiam idololatriam nominet (*Am.* 1,4. 5). Ad Ioae igitur aetatem prophetam nostrum referre statu rerum descripto vel supposito non cogimur; ad illam autem eum referre non licet, quia ex Abdiae vaticinio sententiam allegavit, Abdias autem ipse Ioa iam esse recentior videtur (306. p. 552 sqq.)[7].

Nec *authentia* nec *integritas* Prophetiae Ioel a quoquam est negata aut in dubium vocata; tam arcte enim omnia in libro cohaerent et tam apte omnia sunt disposita, ut uni eidemque auctori omnia necessario sint attribuenda. Moderni quidam critici suspicati sunt, illam quoque pericopen, quam *Is.* (2,2-4) et *Mich.* (4,1-3) communem habent, Ioeli deberi, sed nec externis nec internis argumentis coniecturam hanc probabilem reddiderunt.

*Divina auctoritas* libelli testimoniis N. T. extra omnem dubitationem ponitur. S. Petrus in die Pentecostes, quum Iudaei de Apostolis Spiritu S. repletis stuperent, ad « prophetam Ioelem » provocavit, qui hanc Spiritus S. effusionem praedixerat (*Act.* 2,12 sqq.); S. Paulus ex *Is.* 28,16 et ex *Ioel* 2,32 Romanis demonstravit, in regno messianico inter Iudaeos et Graecos non esse distinctionem (*Rom.* 9,11 sqq.;) *S. Ioannes* locustarum plagam, quae ad quintae tubae signum exorietur, ita describit, ut phrases nonnullas ex nostra prophetia desumsisse videatur (*Apoc.* 9,2. 7-9).

1. Sententia, quam probabiliorem dicimus, etiam antiquior et communior vocari meretur; inter Patres eam magis minusve clare tenent *S. Hieron.*, *S. Cyr. Alex.* i *Theod. Mopsuest.*, *Theodoret.*; S. Hieronymum, qui Oseae σύγχρονον facit Ioelem, non pauci medii aevi (*Card. Hugo, Dion. Carth.* etc.) et iuniores interpretes (*Ribera, Sanctius, Sa* etc.) secuti sunt. Primos annos regni Oziae ei assignant ex modernis catholicis *Aug. Scholz* (Einl. p. 543), *Schegg* (Gesch. d. letzten Proph. I. p. 49 sqq.), *Reinke* (Messian. Weissag. III. p. 128 sqq.), *Zschokke* (Hist. A. T. p. 261), *Knabenbauer* (Proph. Min. I. p. 188), *Holzammer* (Handb. der bibl. Gesch. I. p. 710), *Kaulen* (Einl. p. 346 dubitat; cfr n. 5) etc. Quibuscum consentiunt heterodoxi moderni *Rosenmüller* (Scholia in Proph. Min. I. p. 425), *De Wette* (Einl. Ed. 7. p. 317), *Hengstenberg* (Christologie I. p. 332 sqq.), *Haevernick* (Einl. II. 2. p. 302), *Bleek Wellhausen* (Einl. p. 416 sq.), *Meyrick* (The Speaker's Comm. VI. p. 494), *Davidson* (Introd. p. 249 sqq.), *Reuss* (Gesch. d. A. T. p. 244 sq.) etc.

2. Cfr *Ierem.* 25,30 et *Ioel* 3,16; *Ier.* 9,20 et *Io.* 2,9; duo haec testimonia certa recte dicuntur. — *Sophon.* 1,14. 15, et *Io.* 1,15; 2,10. 11. — *Is.* 13,6. 10 et *Io.* 1,15; 2,10.

3. *Am.* 1,2 et *Io.* 3,16; *Am.* 9,11-15 et *Io.* 3,18-21; *Am.* 4,9 et *Io.* 1,2 sqq. (vocabulum גָּזָם, quo Amos locustas designat, non legitur nisi *Io.* 1,4; 2,25.) — Minus certae sunt allusiones *Am.* 1,2 b ad *Io.* 1,10; *Am.* 7,4 ad *Io.* 1,20; *Am.* 8,8 ad *Io.* 2,10; *Am.* 9,12 ad *Io.* 2,32; *Am.* 9,14 ad *Io.* 3,1.

4. Idque eo magis, quia arbitrariis suppositionibus vel interpretationibus innituntur eorum argumenta. Ioelem, licet in regno Iuda prophetico munere functus sit, etiam de decem tribubus vaticinari debuisse, arbitrario supposuerunt illi, qui cum

*Huetio* (Démonstr. evang. Prop. 4. p. 308 sq.), *Calmeto* (Proleg. in Ioel) aliisque eum recentiori aetati attribuerunt, quia decem tribus iam in captivitatem fuisse abductas ex eius silentio colligunt. Erronee quoque aliqui librum ad Ezechiae vel Manassae aetatem retulerunt, quia locustarum symbolo invasio Assyriorum praedicatur (*I. A. Theiner* Die zwölf Proph. 1830. p. 59; *Bertholdt* Einl. p. 1604), aut ad Iosiae tempus, quippe quo etiam Ieremias (14,6 sqq.) famem praedixerit (*Eckerm.* Ioel metrisch übers. 1786) etc. Quibus sententiis reiectis moderni « critici » librum, non obstante puro eius sermone et eleganti stylo, post exsilium exortum proclamant atque Nehemiae aut etiam Machabaeorum aetati eum attribuunt (cfr *Kuenen* Einl. § 68; *Merx* Die Prophetie des Ioel. 1779; *Driver Rothst.* Einl. 1896. p. 330 sqq.; *Cornill* Einl. Ed. 3. 1896. p. 181; et cum eis ex catholicis *Ant. Scholz* Comm. zum B. Ioels. 1885) consentit; quam opinionem fuse et accurate refutat *Knabenbauer* Comm. in Proph. Min. I. p. 189-194; cfr etiam *Schenz* Einl. p. 118 sq.

5. Sententiam hanc ex modernis catholicis propugnant *Movers* (Krit. Untersuch über die Chron. p. 119 sq.), *Welte* (Einl. II. 2. p. 111), *Danko* (Hist. revel. V. T. p. 378 sq.), *Vigouroux* (Manuel bibl. II. p. 622), *Trochon* (Les petis Prophètes p. 92), *Kaulen* (l. c. p. 405) : « *wahrscheinlich* zur Zeit des Königs Ioas », sed accuratius p. 406 : « Soll diesem Stillschweigen (sc. Syrorum praetermissioni) Gewicht beigelegt werden, so fällt Ioel in die Zeit des Ioas, sonst jedenfalls in die erste Zeit Ozias' »). Quibuscum haud pauci moderni heterodoxi sentiunt : *Credner* (Des Proph. Ioel p. 41 sqq.), *Krahmer* (De Ioelis aetate. Gottingae 1833.), *Hitzig* (Die kl. Proph. p. 65), *Delitzsch* (in Rudelbach et Guericke Zeitschr. 1851. p. 306), *Keil* (Einl. p. 309 sq. et Comm. p. 119 sq.), *Steiner* (in Schenkel Bibellex. III. p. 316 sq.), *Schmoller* (Die Proph. Hoseas, Ioel u. Amos p. 112), *Schrader* (in De Wette Schrader Einl. Ed. 8. p. 454 sq.) aliique.

6. Ita *Keil* Commentar p. 120.

7. Iudaeorum illorum sententia, qui Ioelem filium dixerunt prophetae Samuelis, refutatione non indiget; simili argumento, quo illi qui Ioae aetati prophetam adscribunt, utitur *A. Karle* (Ioel ben Phethuel propheta. Lipsiae 1877.), ut Ioelem sub Asa vixisse demonstret; eo enim solo tempore Phoenices, Philisthaeos, Aegyptios, Idumaeos unicos hostes Hebraeorum fuisse; cui sententiae refutandae sufficiunt illa, quae contra alios adversarios diximus.

## § 23. — *De Prophetia Amos.*

304. — I. *De prophetae vita.* — Licet prophetae *Amos* (עָמוֹס, *portans* vel *onus*, Ἀμώς) nomen (quod cum nomine patris Isaiae אָמוֹץ antiquitus perperam confuderunt nonnulli), in aliis Scripturae libris non amplius reperiatur, de eius tamen vita paullo plura, quam de Osea et Ioele, cognovimus. Namque « in pastoribus de Thecue » se fuisse testatus (1,1) ipse et patriam et tribum et vitae genus nobis manifestavit. Thecue enim oppidum nec in tribu Zabulon, uti tradit Ps. Epiphanius, nec in tribu Aser, uti volunt aliqui rabbini[1], sed uti indicat propheta ipse (7,12) et recte statuit S. Hieronymus, in tribu Iuda est situm « sex millibus ad meridianam plagam a sancta Bethlehem, quae mundi genuit salvatorem » vel duodecim passuum millibus a Ierusalem ad ingressum deserti Iuda. « Nam ultra nullus est viculus, ne agrestes quidem

(vel potius : nisi agrestes quaedam) casae et furnorum similes, quas Afri appellant mapalia... Et quia humi arido atque arenoso nihil omnino frugum gignitur, cuncta sunt plena pastoribus, ut sterilitatem terrae compensent pecorum multitudine. Ex hoc numero pastorum Amos propheta fuit »[2]. Quoniam vocabulum נֹקֵד, quo suum vitae genus propheta designat, in unico altero loco, in quo reperitur (4 *Reg.* 3,4), *divitem pecuarium* valet, quaestio mota est, num Amos quoque non tam simplex gregis pastor, quam opulentus gregum dominus fuerit; atque cum chaldaeo paraphrasta et nonnullis rabbinis etiam moderni quidam interpretes eum divitem armentorum possessorem fuisse respondent[3]. Errant autem, siquidem Amos vitae suae genus ipse nobis accuratius explicat, ubi Amasiae pseudosacerdoti respondet, « se armentarium esse » atque a Domino ad propheticum munus vocatum « quum sequeretur gregem » (מֵאַחֲרֵי הַצֹּאן « de post gregem » 7,14. 15). Verus igitur pastor erat, sive suas capras (αἰπόλος vocatur ab Alex.) vel oves pascebat, sive operam suam alieno gregi pascendo locabat. Neque dives erat, quoniam addit se « sycomoros vellicasse », qui cibus eorum est, quorum est angusta conditio. Unde recte *S. Cyrillus Alex.* « erat, inquit, caprarius vitam rusticam simplicem et omnis maleficii expertem degens, victu autem pertenui se sustentans et contentus iis, quae ruri nascuntur, quae nec venderet quisquam; ea enim erant sycomori »[4]. Verum ex eo, quod pauper dumtaxat pastor erat, non licet concludere, eum plane rudem fuisse et literis expertem. « Imperitum sermone » quidem eum dicit *S. Hieronymus*, at longe aliter de eo iudicat *S. Augustinus* ex eius vaticiniis exempla depromens, quibus prophetarum eloquentiam demonstret, atque cum S. Augustino consentiunt moderni interpretes[5]. Sicut dictio libri auctorem in literis non fuisse rudem docet, ita non desunt alia, quibus eum historiam populi sui accurate tenuisse apparet, atque in rebus geographicis scientiam prodit, quam in pastore thecuensi vix exspectaveris[6]. Continuae demum eius sunt allusiones ad Pentateuchum, nonnullae quoque ad Psalmos, Iobum, antiquiores prophetas[7]. Quibus omnibus elucet Deum singulari modo eum ad difficile munus praeparasse, quod ei impositurus erat.

Talis igitur quum esset, a Deo ex regno Iuda in regnum Israel missus est, « ut prophetaret ad populum Israel » (7,15). Annum, quo vocatus est, accurate indicat : « in diebus Oziae regis Iuda et in diebus Ieroboam filii Ioas regis Israel *ante duos annos terrae motus* » (1,1). Tempore regis Oziae Palaestinam tanto concussu esse motam, ut eius memoria post exsilium adhuc esset vivida, testatur Zacharias (14,5); at quo regis anno calamitas haec acciderit, nec ipse nec Amos tradunt, quare nobis accurata illa temporis descriptio non inservit[8]. Neque tamen primis annis, quibus Ozias in Iuda et Ieroboam II. in Israel regna-

runt, propheticum munus eum exercuisse, certum est, nam multis bellis Ieroboam « restituit terminos Israel ab introitu Emath usque ad mare solitudinis » (4 *Reg.* 14,25), his autem terminis iam continebatur regnum Israel, quando Amos sua vaticinia pronuntiavit (*Am.* 6,14). Ultimis ergo annis regis in Israel venit atque praecipue in Bethel, quem in locum Israelitae ad vitulos suos adorandos confluebant, poenas idololatris praenuntiasse videtur. Nam « Amasias *sacerdos Bethel* misit ad Ieroboam dicens : rebellavit contra te Amos in medio domus Israel », et quum eius accusatio apud regem nihil valuisset, sua auctoritate prophetae persuadere conatus est, « ne in Bethel ultra prophetaret » (7. 10- 13). Quibus minis Amos ad silentium quidem non est permotus, attamen non diu munus suum exercuisse est dicendus, siquidem inscriptio libri vaticinia unius dumtaxat anni videtur indicare. De ultimis vitae eius annis nihil nobis est traditum; si Ps. Epiphanio fides esset habenda, « Amasiae filius inflicta in tempora clava eum interfecisset, quoniam illum de duorum aureorum vitulorum fraude reprehendisset; Amos autem spirans adhuc in patriam esset delatus ibique mortuus atque in maiorum suorum sepulcro conditus »[9].

1. *Ps. Epiph.* De vitis proph. 12 (M. 43,405), quem pro more sequuntur *Ps. Doroth.* De proph. 2, et *S. Isid. Hisp.* De ortu et obitu Patr. 43. De rabbinorum sententia cfr *Carpz.* Introd. III. p. 307. — *S. Cyrill. Alex.* In Am. Prooem (M. 71,408) quoque « Thecue non regno Iuda, sed Ephraim contineri » erronee dixit; in errorem autem inducti sunt Patres graeci erronea Alexandrinorum versione, qui vocabulum בַּנֹּקְדִים non intelligentes illud velut nomen proprium retinuerant litera ד in ר mutata; unde habent : Λόγοι Ἀμὼς οἳ ἐγένοντο ἐν Ἀκκαρεὶμ ἐκ Θεκουέ, οὓς εἶδεν ὑπὲρ Ἱερουσαλήμ vel apud *Theodoret.* (M. 81,1665) : οἳ ἐγένοντο ἐν Καριαθιαρεὶμ ἐκ Θεκουέ etc.

2. *S. Hieron.* In Am. Prol. (M. 25,1038); cfr In Ierem. 6,1 (M. 24,749).

3. *Ionath.* Paraphr. eum dicit fuisse ex מרי גיתין « dominis gregum ». Ex expressione hebr. בַּנֹּקְדִים colligere vult *Kimchi* « eum magnum fuisse inter pecuarios Thecuae ». Cfr *Carpz.* Introd. III. p. 308. — Inter modernos *Reuss* Gesch. des A. T. p. 261 eum vocat « einen judäischen Herdenbesitzer »; « dominum gregis et ut conditio nomadum fert virum spectabilem » eum appellant *Iahn* Introd. epit. p. 303 et *Ackermann* Introd. p. 241; *Hitzig, Baur* aliique ei praeter gregem etiam campum sycomoris consitum (cfr 7,14) attribuunt.

4. *S. Cyrill. Alex.* In Am. 7,14 sqq. (M. 71,541). Etiam hodie in Palaestina soli pauperes sycomori fructibus vescuntur; cfr *Thomson* The land and the book. p. 23 : « Only the very poor, at this day, gather sycomore fruit or use it ».

5. *S. Hieron.* In Am. Prol. (M. 25,1038); *S. August.* Doctr. christ. IV. 15 sqq. (M. 34,96 sqq.). — Attamen S. Hieronymus suo « imperitus sermone » forte nihil aliud exprimere voluit nisi traditionem quandam rabbinicam, quae prophetae nomen (עָמוֹס, *gravis*) ita explicavit, ut eum « gravem lingua » i. e. blaesum vel balbulum fuisse significaret; cfr *Buxtorf* Lexic. thalmud. p. 1626 et 1770; *Carpzov.* Introd. III. p. 306.

6. *Am.* 1,3 cfr 4 *Reg.* 13,32 sq. 13,7; — *Am.* 1,9 et 2 *Reg.* 5,11; 3 *Reg.* 5,12 etc.; — Philisthaeos ex Capthor oriundos dicit Am. 9,7. cfr *Gen.* 10,14. etc.

7. Prophetae allusiones ad Pentateuchum nonnullas indicavimus *supra* 17 (tom. I. p. 50 sq.), plures exhibent ex catholicis *Reinke* Beiträge VIII p. 159 et *Trochon* Les petits prophètes p. 137; ex protestanticis *Hengstenberg* Authentie des Pentateuchs II. p. 83-122. Ipse *Nöldeke*, quamvis « criticus », fatetur : « Auch den Pentateuch, der damals bis auf das Deuteronomium wohl im wesentlichen schon fertig war, kennt Amos gut, wie aus einer Reihe von Anspielungen hervorgeht » (Schenkel Bibel-lexicon I. p. 122); ceterum ad Deuteronomium non rarius quam ad alios Pentateuchi libros alludit propheta. — De allusionibus ad l. Iob cfr *supra* 172 p. 51; ad prophetiam Ioel cfr 303. n. 3. p. 542.

8. « Terrae motum contigisse credunt Iudaei eo tempore, quo Ozias pontificalem dignitatem usurpare praeter fas coepit (2 *Paral.* 26,16 sqq.), quod ipsum an. 27. regni factum putant » (*Wolf* Bibl. hebr. II. 107). Quam traditionem antiquam quidem esse constat ex *Fl. Ioseph.* Antiqu. IX. 10,4 et *S. Hieron.* In Am. 1,1 (M. 25,1040), sed num fide sit digna difficile est dictu; annus 27. Oziae nec a Iosepho nec a S. Hier., sed a iunioribus rabbinis nominatur; forte quia Ozias annis quinquaginta duobus regnasse dicitur, peccatum eius in initio secundae partis regni posuerunt.

9. *S. Epiph.* De vitis proph. 12 (M. 43,405). Ex *S. Isidoro Hisp.* (l. c.), qui eam receperat, eadem traditio in *Martyrol. Rom.* Prid. Cal. April. transiit.

305. — II. De libri argumento, indole, auctoritate. — De temporis, quo Amos vaticinatus est, ratione supra iam diximus (298); splendidum quidem et gloriosum erat Ieroboami II. regnum, at splendori externo par erat interna regni corruptio. Nam Ieroboam II. « fecerat quod malum est coram Domino neque recessit ab omnibus peccatis Ieroboam (I.) filii Nabat, qui peccare fecerat Israel » vitulorum cultu introducto (4 *Reg.* 14,24). Bethel, ubi Amos munere suo functus est, praecipua quidem sedes erat cultus vitulorum a Ieroboam I. instituti et regno impositi, « sanctificatio regis et domus regni » (7,13), sed aliis in locis quoque vituli sua sacra habebant (44; 5,5 etc.). Porro prosperitas regni et rerum omnium affluentia animos magis a veri Dei cultu Legisque observantia retraxerat; uti prospere omnibus succedentibus fieri fere solet, divites superbia elati miseros et afflictos despiciebant, opprimebant, diripiebant (2,6 sqq.; 3,10 sq.; 8,4 sqq. etc.), luxuriae foedisque voluptatibus indulgebant (2,7 sq.; 6,1. 4 sqq. etc.), monita et minas prophetarum respuebant (2,12; 7,12 sq.). Ad hosce igitur regni septemtrionalis incolas missus est pastor thecuensis, ut gravissimis poenis denuntiatis eos ex peccatorum vitiorumque torpore excitaret atque ex pereunte turma saltem paucas reliquias salvaret. Quam ob causam totum vaticiniorum eius *argumentum* in castigandis Israelitarum sceleribus divinisque poenis praenuntiandis versatur. Licet autem ad regnum Israel missus esset, Amos in suis sermonibus simili ratione, qua Osee, regnum Iuda interdum respexit, immo vicinis quoque gentibus utpote infensis populi electi hostibus divina iudicia annuntiavit, ut iustas suas poenas esse Israelitae clarius cognoscerent. Periculis plenam fuisse hanc missionem, clarum est; at munere suo intrepide fungens pro-

pheta medio in splendore miseram ruinam regni praedicit perversosque integri populi mores graviter castigat.

In libello hoc Amos non integros suos sermones nobis reliquit, sed summa eorum capita novo et apto ordine disposita. Facile enim apparet eum a principio exhortationum suarum argumenta collegisse (1.-6.) illisque visiones suas quasi appendicem addidisse (7.-9.); quapropter nonnulli duas dumtaxat libri partes — sermones et visiones — distinguunt. Aptius tamen plerique duo priora capita, in quibus propheta vicinis gentibus et regno Iuda poenas denuntiat, ut minas divinas contra Israel quasi praeparet, pro separata parte vel potius pro introductione integri libelli habent. In priore deinde parte (3.-6.) tres sectiones vel conciones recte discernuntur, quae eadem ratione iisdemque verbis inchoantur (3;-4;-5. 6.); in altera quoque parte tres sectiones admittimus, quum poenae duabus primis visionibus indicatae precibus prophetae avertantur (7,1-6), duae sequentes visiones poenas exsecutioni iam mandandas annuntient (7,7-8,14), ultima demum simul cum ruina etiam restaurationem theocratiae promittat (9,1-15). Analysis libri igitur haec fere est.

Introductio (1,2-2,16).

1. A Ioelis sententia quadam comminatoria exorsus (1,2)
2. primum *tribus extraneis gentibus propter crimina contra populum electum commissa interitum denuntiat* iisdem loquendi modis descriptionem criminum inchoans et poenam designans (1,3-10):
   a.) Vaticinium contra Damascum propter eius crudelitatem contra Galaaditas (1,3-5);
   b.) contra Philisthaeos, quoniam Israelitas Idumaeis vexandos tradiderint (1,6-8);
   c.) contra Tyrios propter idem crimen (1,9. 10).
3. Deinde iisdem loquendi formulis *denuntiat poenas tribus populis cognatis* (1,11-2,3):
   a.) Idumaeis propter continuas eorum inimicitias (1,11. 12),
   b.) Ammonitis propter interemtionem Galaaditarum (1,13-15),
   c.) Moabitis propter violationem sepulcri regis Idumaeorum (2,1-3).
4. A quibus iam *ad electum populum transit*, qui ex poenis hostibus eius denuntiatis colligere potest, quam iustae sint poenae contra ipsum denuntiandae (2,4-16).
   a.) Quasi in transitu iisdem formulis regno Iudae propter idololatriam interitum praedicit (2,4. 5),
   b.) ut in castigandis sceleribus regni Israel immoretur (2,6-16).
      α.) Eadem formula exorsus perstringit propheta Israelitarum iniustitiam erga pauperes, foedasque eorum libidines (2,6-8), ingratitudinem de divinis beneficiis acceptis atque divinorum monitorum reiectionem (2,9-12),

β.) quare poenam eis annuntiat, quae humana ope averti aut evitari nequeat (2,13-16).

PRIOR PARS (3,1-6,15) *tribus concionibus constat.*

1. *Prima concio poenam imminentem velut certam denuntiat* (3,1-15).

a.) Populum singulari modo electum, si peccaverit, severius punitum iri praefatus (3,1. 2),

b.) certam esse poenam demonstrat. Variis enim similitudinibus ostendit, eum esse rerum inter se nexum, ut ex una ad alteram legitime concludatur (3,3-6); iam vero Deus sua consilia manifestat prophetis, quapropter si prophetae poenas annuntiant, illae certo sunt eventurae (3,7. 8).

c.) Quaenam sit poena, explicat. Nam propter scelera populi, quae omnibus sunt manifesta (3,9. 10), adveniet hostis, qui omnia devastabit, ut paucissimi tantum effugiant (3,11. 12), atque altaria Bethel destruet et omnes aedes magnatum (3,13-15).

2. *Secunda concio propter contumaciam populi poenam novam necessariam esse docet* (4,1-13).

a.) Incipit propheta a poena mulieribus imminente, quae uti earum mariti vitiis indulgent (4,1-3), et ab irridendo Israelitarum idololatrico cultu (4,4. 5).

b.) Deinde varias plagas enumerat, quibus Dominus eos ad se revocare frustra conatus est, famem, siccitatem terrae, locustas, pestem et infelicia bella (4,6-11);

c.) quae quoniam fructum non attulerunt, ad graviorem poenam deveniendum est, ad quam populus sese praeparare iubetur memor omnipotentiae divinae (4,12. 13).

3. *Tertia concio poenam accuratius describit: interitum regni et captivitatem populi* (5,1-6,15); ita autem poenam describit, ut simul eius causam indicet viamque salutis innuat.

a.) Brevi elegia summatim plenam ruinam populi deplorat (5,1-3),

b.) ut fusius deinde ruinae causam definiat. Dei monitum, qui se quaeri et idololatriam vitari iusserat, spernentes (5,4-7) neque ad potentiam eius, qui iusserat, attendentes (5,8-10) iniustitiis suis divinam iram provocaverunt (5,11. 12). Viam salutis, quam Deus eis monstraverat (5,13-15), ingredi noluerunt; idcirco erit planctus universalis, quia Dominus iudicabit populum suum (5,16. 17).

c.) Quoniam tale iudicium instat, vae annuntiatur illis, qui diem Domini desiderant, quasi bona tantum sit allaturus; diem Domini enim fore horrendum (5,18-20) neque terrores eius diminui posse mere externis illis sacrificiis, quae Deus respuit (5,21-24), quia illis non indiget, id quod historia peregrinationis in deserto docet (5,25. 26). Itaque timeant, quia dies Domini afferet exsilium (5,27).

d.) Alterum vae annuntiatur utriusque regni optimatibus, qui opibus regnorum suorum temere confisi (6,1-3) luxuriosae vitae indulgent; nam illi quoque in captivitatem abducentur (6,4-7). Quas minas Deus iuramento confirmat; integrum regnum Israel plane

destruetur illa in extensione, quam sub Ieroboamo II. acquisiverat (6,8-15).

ALTERA PARS (7,1-9,15) *quinque visionibus symbolicis interitum regni illustrat.*

1. *Poenae duabus primis visionibus significatae precibus prophetae avertuntur* (7,1-6).
   a.) Locustas herbam devorantes vidit propheta, sed eo precante promittit Deus se illas non esse missurum (7,1-3);
   b.) item ignem (siccitatem), qui devoraturus erat terram, precibus suis avertit propheta (7,4-6).
2. *Duabus aliis visionibus imminens interitus domus Ieroboam et regni Israel praedicitur* (7,7-8,14).
   a.) Visio de trulla caementarii[a] (7,7-17).
      α.) Videt propheta Deum super murum, quem eousque stanno fortem reddiderat, stantem auditque eum dicentem, se iam ab hoc opere esse cessaturum : regnum Israel destructum iri et domum Ieroboam gladio periturum (7,7-9).
      β.) Qua de re Amasias sacrificulus prophetam apud regem accusat (7,10. 11) nec quidquam efficiens ipse eum in Bethel ultra vaticinari vetat (7,12. 13); sed propheta ad divinam suam missionem provocans (7,14. 15) sacrificulo poenam praedicit et futuram populi captivitatem confirmat (7,16. 17).
   b.) Visio de uncino pomorum (8,1-14).
      α.) Canistrum messi praeparatum videt propheta; quo symbolo finem regni Israel designari edocetur (8,1-3).
      β.) Cui visioni adnectitur nova increpatio et iudicii denuntiatio. Propter iniustitias, quibus pauperes expilantur (8,4-6), Deus iudicabit terram diesque festos convertet in luctum (8,7-10); velut maximam autem poenam comminatur inopiam verbi divini (8,11-14).
3. *Ultima visio ruinam et restaurationem theocratiae praedicit* (9,1-15).
   a.) Propheta Deum super altare stantem videt auditque eum praecipientem, ut sub templi ruinis omnes conterantur, fugientes autem gladio pereant (9,1-4), nam ipse est iudex omnipotens (9,5. 6), Israel autem gentibus factus est similis (5,7).
   b.) At si regnum perdet, non destruet innocentes sed solos peccatores (5,8-10), e contra suscitabit tabernaculum David eiusque regnum ad omnes nationes extendet (5,11. 12), atque felicissima tempora

(a) Vel rectius : de stannatione cessante. De genuina vocabuli אֲנָךְ significatione, quod a S. Hier. *trulla caementarii*, ab Alex. ἀδάμας, ab Aq. γάνωσις, a modernis plerisque *perpendiculum* vertitur, egregie disserit *Knabenbauer* Proph. Min. I. p. 314 sq., ex affinibus vocabulis assyriacis *anaku* et *anna* (cfr *Strassmaier* S. I. Lexic. accad. assyr. n. 481. 537.) colligens, illa voce significari *stannum*, quo muri superinduci solebant, ut una cum pulchritudine fortitudinem contra imbrium iniurias acciperent. Quem sensum S. Hier. in commentario iam innuerat et in versione procul dubio exprimere voluerat.

adducet super populum reducem, qui e possessione sua non amplius expelletur (5,13-15).

Ut iam de prophetiae huius *indole* dicamus, in lingua eius nonnulli agrestiores quosdam dicendi modos invenire volunt[1], omnes autem styli elegantiam concinnitatemque laudant, idque iure merito. S. Augustinum ex nostro libello exempla depromsisse monuimus, ut « canonicos nostros auctores non solum sapientes sed etiam eloquentes fuisse » demonstraret. Neque id mirum; nam « aequus iudex, inquit *Lowth,* de re non de homine quaesiturus censebit, credo, pastorem nostrum μηδὲν ὑστερηκέναι τῶν ὑπερλίαν προφητῶν, uti sensuum elatione et spiritus magnitudine summis parem, ita etiam dictionis splendore et compositionis elegantia vix quoquam inferiorem »[2]. Ioelis quidem et Isaiae sublimitatem non aequat Amos, sed eos forte superat imaginum abundantia, quas multas quidem ex vita pastoritia desumtas esse iam viderunt *SS. Hieronymus* et *Cyrillus Alex.*[3], quae vero omnes argumento orationis maxime consentaneae sermonem non minus clarum et perspicuum reddunt quam iucundum. Ad claritatem autem augendam non parum confert apta illa et concinna membrorum compositio, quae non tantum in plerisque phrasibus sed maxime in concionum et totius libelli structura deprehenditur. Vaticinia ipsa, id quod ex analysi elucet, pleraque sunt minacia, salus messianica in fine (9,11 sqq.) dumtaxat describitur. Hinc factum est, ut Amos, qui vitia ac praesertim avaritiam, fenerationem, fraudes Israelitarum acriter carpit (2, 6 sqq. etc.; maxime 8,4 sqq.) rabbinis nonnullis parum placuerit; ob morosam enim morum castigationem vaticinia eius digna non fuisse docuerunt, quae « *Verba Dei* » inscriberentur, sed tamquam « Verba Amos » tantum illa esse recepta[4].

Excepto Hobbesio, qui « prophetiam quidem prophetae deberi, at non constare asseruit, num idem eam literis consignaverit », nemo hucusque libri nostri *authentiam* addubitavit, quippe quae et libelli inscriptione totaque indole in tuto collocetur. Ridicule enim obiicitur prophetam, ubi de se ipso loquitur, interdum tertiam (1,1; 7,12. 13), interdum primam (7,1. 4. 7; 8,1. 2; 9,1) personam adhiberi (cfr *supra* n. 131. *n.* 2. tom. I. p. 362). Moderni autem « critici » aliqui, licet libelli totius authentiam agnoscant, eius integritatem negantes nonnullos versus spurios declarant tam levibus nixi argumentis, ut ne ipsos collegas sibi habeant assentientes, sed ab illis impugnentur[5].

Divina demum libri auctoritas testimoniis aliorum scriptorum sacrorum satis superque demonstratur. Diserte vaticinium eius (8,10) pius *Tobias* iam allegavit (*Tob.* 2,6), atque idem adhibuit auctor 1. *Mach.* (1,41); sed hisce, uti etiam allusionibus, quae in recentiorum prophetarum libris leguntur[6], omissis sufficit attulisse auctoritatem *S. Ste-*

*phani*, qui coram synedrio ierosolymitano verbis Amos (5,25 sqq.) idololatriam antiquorum Israelitarum demonstravit (*Act.* 7,42 sq.), et *S. Iacobi*, qui in primo concilio ierosolymitano nostri prophetae vaticinio (9,11 sq.) ostendit admissionem gentilium in Ecclesiam esse praedictam (*Act.* 15,15 sqq.).

1. Haec exempla afferuntur a *Keil* Comm. p. 167 : מֵעִיק pro מציק (2,13); בּוֹשֵׁם pro בוסס (5,11), מְתָאֵב pro מתעב (6,8), מְסָרֵף pro משרף (6,10), יִשְׂחָק pro יצחק (7,9. 16), נִשְׁקָה pro נשקעה (8,8). Num vero haec exempla, quae partim (7,9. 16) sine ullo dubio erroneae lectiones sunt atque pleraeque probabiliter librariorum negligentiae debentur, rem evincunt?

2. *Lowth* De poesi sacra p. 245 sq.

3. *S. Hier.* Comm. in Amos 1,2 (M. 25,1041), *S. Cyr.* Comm. in Am. 1,2 (M. 71, 417). Mirum tamen in modum rem *Hase* (Stilus Amosi proph. ex illius vita erutus. Halae 1755. § 6 sqq.) exaggeravit ostendere conatus, paucas esse libri sententias, in quibus ad vitam pastorum non alludatur.

4. Cfr *Noeldeke* in Schenkel's Bibellexic. I. p. 121.

5. Primus, ut videtur, *B. Duhm* (Theologie der Proph. 1875. p. 119) vv. 2,4. 5; 4,13; 5,8. 9. 9,5. 6 in dubium vocavit assentientibus *B. Stade* (Gesch. Israels I. 1889. p. 571). *Cornill* (Einl. Ed. 3. 1896. p. 183 sq.) paucisque aliis. *Wellhausen* (Die kl. Proph. Ed. 2. 1893) praeterea reiicit 1,9-12; 6,2. 9. 10; 8,6-8. 11. 12; 9,8-15 iterum consentiente *Cornill* (l. c.). Contra eos autem authentiam versuum defendunt *Kuenen* (Einl. § 71 n. 6), *Koenig* (Einl. 1893. p. 302 sqq.), alii.

6. Multas *Ieremiae* allusiones *Kueper* (Ieremias librorum sacr. interpres et vindex. p. 71-73. 79. 98 sq.) accurate recenset.

## § 24. — *De Prophetia Abdiae.*

306. — *Visio Abdiae*, omnium scripturarum propheticarum brevissima, unico vaticinio contra Idumaeos constat. Qui, licet posteri essent Esau ac proin « fratres » filiorum Iacob, non tantum de Iudaeorum exercitu ab hostibus capto et de civitate sancta expugnata et direpta erant gavisi, sed etiam illa occasione usi se hostibus adiunxerant, ut fratres suos impugnarent et infestissimo animo insectarentur. Quapropter propheta Idumaeis completum interitum, domui Iacob autem futuram restaurationem et salutem praedicit. Tres vaticinii partes apte distinguuntur :

1. *Idumaeae ruina praedicitur* (1-9). Annuntiat propheta consilium Dei, qui Idumaeam, non obstantibus praeruptae altitudinis castellis, quibus confidat, destruendam decrevit (1-4), atque futuram decreti exsecutionem vividis coloribus describit. Hostes depopulabuntur terram, quae ab amicis derelicta et illusa atque proprii consilii inops prorsus interibit (5-9).
2. *Ruinae causa declaratur* (10-16). Iniurias intulit Edom fratri suo Iuda, de cuius calamitate gavisus erat et cuius hostibus se adiunxerat (10-14); ideo fiet ei, quod aliis fecit: prope enim est dies Domini, in

quo Deus omnes gentes propter iniurias populo electo illatas punitu-rus sit (15. 16).

3. *Restauratio regni Iuda* (17-21). Quando Deus iudicabit gentes, in monte Sion salus erit. Iuda et Israel uniti Idumaeam destruent finesque regni sui extendent (17-19), atque milites et incolae Ierusalem ex captivitate reduces terras expugnatas possidebunt et « erit Deo regnum » (20. 21).

Consueto nostro relicto ordine argumentum divisionemque vaticinii praemisimus, ut in eius auctorem et aetatem accuratius inquiramus. De eius autem auctore praeter nomen nihil nobis esse traditum videbimus, atque de eius aetate tantus est interpretum sive antiquorum sive modernorum dissensus, ut magis minusve probabilia dumtaxat proponere possimus. Alii enim ineunti vel medio saec. 9. vaticinium Abdiae attribuunt, alii aut initio exsilii babylonici aut tempore Esdrae, immo exeunte saec. 4. illud compositum esse censent; probabiliorem vero eorum esse sententiam arbitramur, qui ad ordinem, quem in serie Prophetarum Minorum occupat, attendentes Abdiam primis tribus (Osee, Ioel, Amos) dicunt fuisse aequalem vel paullo antiquiorem, ita ut ineunte saec. 8. sub initiis regni Oziae vixerit.

Nomen *Abdiae* (עֹבַדְיָה vel עֹבַדְיָהוּ, *servus Domini*, apud Alex. 'Ἀϐδιαϛ vel 'Ὀϐδιάς, in Vulg. Abdias, Obdias, Obedias) satis frequens non tantum inter levitas, quibus singulari modo convenire videtur (1 *Par*. 9, 16; 2 *Par*. 34,12; 2 *Esdr*. 12,25), sed etiam in aliis tribubus 1 *Par*. 7,3; 8,38; 9,44 etc.), duo viri celebriores ineunte saec. 9. gesserunt: unus in regno Iuda, quem una cum aliis principibus, levitis, sacerdotibus rex Iosaphat (897.-872.) misit, ut populum Legem Dei doceret (2 *Par*. 17,7 sqq.), alter in regno Israel, qui praefectus domus regiae, quum Achab (898.-875.) et Iezabel prophetas persequerentur, centum ex eis abscondit et servavit (3 *Reg*. 18,3 sqq.). Priori vaticinium attribuendum esse, moderni nonnulli non improbabile esse censent[1]; alteri teste S. Hieronymo Hebraei olim illud attribuerunt, quos secuti sunt multi ex antiquioribus interpretibus[2]. Utraque autem sententia identitate nominis sola fulcitur, quae in tanta nominis frequentia argumentum ne leviter quidem probabile suppeditat. Atque altera eam quoque ob causam dicenda est erronea, quia Abdiam ex regni Iuda incolis fuisse, integrum vaticinium demonstrat; de regno enim Iuda solo loquitur (11. 12. 13. 16. 17. 19-21).

Qui initio exsilii babylonici aut post exsilium libellum nostrum exortum esse tenent, duo afferunt argumenta : auctorem nostrum civitatem sanctam a Chaldaeis captam et destructam describere vel supponere, eumque nonnulla ex Ieremiae vaticinio contra Idumaeos in suum transumsisse[3]. Quae parum recte asseri videntur. De ultimo quidem urbis

excidio, quando Nabuchodonosor eam plane delevit templo destructo et toto populo in exsilium abducto, in vaticinio nostro sermonem esse, antiqui quoque interpretes plerique arbitrati sunt, sed illud non velut praeteritum supponi aut describi, sed velut futurum praedici statuerunt[4]. At recte monent alii, Abdiae descriptionem (11-14. 20) ultimae illi calamitati non convenire; illa enim, quae recentiores scriptores sacri (cfr *Thren.; Ps.* 136 etc.) maxime conqueruntur, plenam urbis *destructionem*, *templi* eversionem, *totius* populi captivitatem in vaticinio nostro plane praetermitti, quin etiam urbem supponi *non deletam* (11. 13), aperte distingui inter domum Iacob, quae sedes suas retinuerat, et inter exercitum et incolas Ierusalem e captivitate reduces, qui novas terras interea expugnatas sint possessuri (19. 20), templi destructi aut profanati ne mentionem quidem fieri; prophetae igitur obversari anteriorem quandam urbis expugnationem, in qua opes tantum sint direptae atque militum incolarumque pars in captivitatem abducti[5]. Prius ergo argumentum fundamento caret; ad alterum autem quod attinet, tantam esse inter nostrum vaticinium et *Ierem.* 49,7-22 affinitatem, ut alteruter alterius verba sit mutuatus, negari non potest; at Ieremiam ab Abdia, non vero Abdiam a Ieremia dependere hisce argumentis tantum non certum redditur : a.) Ieremias uti in aliis, ita maxime in suis vaticiniis contra gentes oracula antiquiorum prophetarum recolere iisdemque fere verbis adhibitis in memoriam revocare et denuo confirmare solet (*Ierem.* 47. et *Is.* 14,28-32; *Ierem.* 48. et *Is.* 15. 16; *Ierem.* 49,1-6; et *Am.* 1,13-16; *Ierem.* 49,23-27 et *Am.* 1,3-5 etc.[6]); unde contra Ieremiae prioritatem grave exoritur praeiudicium. b.) At gravius est, quod ea, quae uterque communia habet, in Abdiae vaticinio una serie aptissimo nexu cohaereant (*Abd.* 1-9), apud Ieremiam vero omnino sint dispersa (hac scilicet ratione : *Ierem.* 49,7. 14-16. 9. 10. 7. 22. 17); mirum autem profecto esset, si Abdias ex tam disiectis membris aptum corpus constituisset. c. Quibus accedit, quod dicendi modi Ieremiae proprii in Abdiae vaticinio non deprehendantur, e contra expressiones illae, quas Abdias et Ieremias communes habent, in reliquo Ieremiae libro non amplius adhibeantur[7]. Quare pro certo asserere licet, Abdiam Ieremia esse antiquiorem; quod enim nonnulli statuerunt, *coaevi* prophetae vaticinium Ieremiam repetiisse, id omni probabilitate caret; ad quid enim vaticinium vix a Deo datum et populo manifestatum Ieremias repetiisset? Ceterum Abdiam de ultimo urbis excidio non loqui iam diximus; ergo tempore exsilii non vixit[8].

Quibus extremis sententiis exclusis ostendamus oportet, quibus argumentis innitatur sententia, quam probabiliorem diximus, Abdiam scilicet tribus praecedentibus prophetis (Osee, Ioel, Amos) paullo anti-

quiorem exeunte saec. 9. et ineunte saec. 8. sub Amasia et Ozia esse vaticinatum. Atque praeprimis notandum est, Ioelem nostrum vaticinium iam allegasse; Abdiae (v. 17) enim verba « Et in monte Sion erit salvatio » Ioel (2,32) tamquam iam antea a Domino annuntiata et populo cognita affert hac formula : « *sicut dixit Dominus* », neque aliae desunt allusiones, quibus libellum nostrum a Ioele adhibitum esse demonstrari videtur [9]. Ante Ioelem igitur ac proinde ante Amos (303 p. 540) vaticinatus est Abdias; difficillimum autem est dictu, quanto eis sit antiquior. Moderni interpretes ex urbis direptione, quam velut praeteritam describi (*Abd.* 10 sqq.) iure admittunt, prophetae aetatem accuratius definire volunt. Ter enim ante Oziae aetatem Ierusalem ab hostibus capta et direpta legitur : tempore Roboam (958.-941.) ab Aegypti rege Sesac (3 *Reg.* 14,21 sqq.); sub Ioram (872.-864.) ab Arabibus et Philisthaeis (*Par.* 21,16 sq.); sub Oziae patre Amasia (817.-789.) a Ioa rege Israel (4 *Reg.* 14,8 sqq.; 2 *Paral.* 25,17 sqq.). De prima expugnatione sub Roboam non esse sermonem omnes concedunt, quia ea aetate Idumaei regno Iuda subiecti illa perpetrare non potuerunt, quae Abdias (l. c.) eis obiicit. Neque de tertia sermonem esse consentiunt plerique, quoniam hostes cum emphasi quadam *alieni*, *extranei* (זָרִים, נָכְרִים v. 11.) vocantur in oppositione ad Idumaeos « fratres » (v. 10); evidens autem est, Israelitas, qui sub Amasia Ierusalem occuparunt, in hoc contextu non potuisse appellari alienos et extraneos. Restat igitur secunda expugnatio tempore regis Ioram; atque fatendum est prophetae descriptionem illi direptioni sanctae civitatis satis respondere. Paralipomena quidem solis Arabibus et Philisthaeis nominatis Idumaeos inter expugnatores non enumerant, at noster quoque eos inter ipsos expugnatores non fuisse indicat (« tu quoque eras *quasi* unus ex eis » v. 11.); facile autem concipitur, Idumaeos, qui sub rege Ioram iugum iudaicum excusserant (4 *Reg.* 8,20 sqq.), statim victoribus se adiunxisse eaque perpetrasse, quae Abdias (10 sqq.) reprehendit. Recte igitur illos interpretes vidisse censemus, qui prophetam de secunda hac urbis expugnatione locutum esse tenent, sed eos a vero aberrasse, quum ulterius progressi Abdiam eodem tempore vixisse dicerent [10]. Quamvis enim vivida sit eius descriptio, nullo verbo docet, se ipsum illam cladem vidisse aut illam esse recentem; ad summum cum aliqua probabilitate ex v. 20. colligitur eius sequelas tempore prophetae perdurasse; at hinc non sequitur, direptionis istius commemoratione et descriptione aetatem vaticinii definiri. Difficile nobis persuademus, prophetarum collectorem, qui Esdra non est recentior, Abdiae si plus dimidio saeculo ante Oziae aetatem vixisset quartum (*Mass.*) vel quintum (*Alex.*) locum inter Minores attributurum fuisse; in omnibus enim aliis disponendis ad ordinem chronologicum satis at-

tendit (296)[11]. Neque quidquam arbitramur obstare, quominus Abdiam illo tempore ruinam Idumaeae praedixisse statuamus, quo Amasias illam regno Iuda iterum subiicere incepit eiusque filius Ozias eam plane subiugavit (4 *Reg.* 14,6. 7; 2 *Paral.* 25,11; 26.2). Ex Paralipomenis enim constat, Amasiam secundum Dei voluntatem expeditionem hanc suscepisse atque in ea complenda consilio prophetae alicuius esse adiutum; annon coniicere licet, « hominem Dei » anonymum, quo exhortante Amasias israeliticos auxiliares, quos conduxerat, remisit, ut Dei auxilium obtineret (2 *Paral.* 25,7), ipsum nostrum Abdiam fuisse, qui illa in occasione Idumaeis iniurias regno Iuda iam antea illatas in memoriam revocavit, ut iustam esse eorum poenam demonstraret? Nonne ad easdem iniurias etiam alludere videntur *Ioel* (3,19) et *Amos* (1,11), ut Idumaeis poenas annuntient? Neque tamen totum vaticinium impletum esse asserimus, quando Amasias et Ozias Idumaeam sibi subiecerunt; eadem enim ratione, qua alii prophetae aliorum populorum, Abdias Idumaeae completam ruinam una visione vidit et uno vaticinio visa comprehendit, licet interitus ipse non nisi decursu temporis esset complendus; quare etiam recentiores prophetae inde a Ioele, Amos, Isaia usque ad Ieremiam et Ezechielem, immo usque ad Malachiam eandem ruinam praedixerunt. Quae initium sumsit per Amasiam et Oziam; sub Achaz quidem iugum iterum excusserunt Idumaei (2 *Par.* 28,17; 4 *Reg.* 16,6), immo in ultimo Ierosolymorum excidio insultarunt devictis Iudaeis (*Ps.* 136,7; *Thren.* 4,21 sqq. etc.), at eandem sortem, quam Iudaei, habuerunt (*Ierem.* 27,3 sqq.), immo peiorem; nam saec. 4. ex pristino suo territorio eiecti sunt a Nabathaeis; eorum reliquias, quae meridionalem Iudaeae partem incolebant, Ioannes Hyrcanus, exeunte saec. 2. plane devicit et circumcisionem recipere iussit[12]; nomen eorum Ierosolymis per Romanos captis ex historia prorsus disparet.

Probabile igitur esse censemus, Abdiam ante edomiticum Amasiae bellum vaticinium suum condidisse, sed prophetico munere etiam sub Ozia esse functum[13], atque ita explicatur, cur prophetarum collector eius libellum posuerit inter alios, qui Oziae tempore exorti sunt.

Nec *authentia* nec *integritas* libelli a quoquam addubitatur[14]; eius autem *divina auctoritas,* quamvis Novi T. allegationibus demonstrari nequeat, Ioelis et Ieremiae testimoniis iam allatis extra dubium ponitur.

1. « Nonnulli » apud *Corn. a Lap.* (Arg. in Abd.); ex modernis *Kleinert* Obadjah, Ionah etc. Bielefeld 1868. p. 3 et Riehm Handwörterb. der bibl. Alterth. p. 1101 sq.

2. *S. Hieron.* Comm. in Abd. 1 (M. 25,1151); quoniam S. Doctor hanc sententiam non refutavit, eam adoptarunt multi, quos recenset *Corn. a Lap.* (l. c.). Alii cum *Ps. Epiph.* (De vitis Proph. 45. M. 13,408) et *S. Isidor. Hisp.* (De obitu Patr. 44) Abdiam nostrum dixerunt esse principem quinquagenarium illum tertium, per quem Ochozias Eliam arcessivit (4 *Reg.* 1,13 sqq.). De his et aliis fabulis Iudaeorum, qui

eum proselytum Idumaeum fuisse tradiderunt cfr *Huet.* Demonstr. evang. Prop. IV. p. 311 sq.; *Wolf* Biblioth. hebr. II. p. 171; *Carpzov.* Introd. II. p. 171.

3. Sententia haec iam ab *Huetio* l. c. refutata sed a *Calmeto* (In Abd. Proleg.) adoptata multis modernis placuit; ex catholicis inter alios *Iahn, Ackermann, Allioli, Ant. Scholz* (Comm. zum Ierem. p. 538 sqq.) aliique; ex protestanticis multo plures eam receperunt, inter quos *Meyriek* in The Speaker's Comment. IV. p. 564, *Rosenmüller* Scholia in Proph. Min. II. p. 265 sqq., *Davidson* Introd. III. p. 264 sqq., *Bleek Wellhausen* Einl. p. 422 sq., *De Wette Schrader* Einl. p. 459 etc.

4. *Praedici* ab Abdia ultimum urbis excidium iam docuerunt *S. Hieronym.* (In Abd. 10 sqq.), *Theodoret.* (In Abd. 10), *S. Cyrill. Alex.* (In Abd. Prooem.), quos secuti sunt plerique antiquiores interpretes et ex modernis catholicis *Reinke* (Messian. Weissag. III. p. 212 sqq.), *August. Scholz* (Einl. III. p. 559) paucique alii, ex protestanticis *Hengstenberg* (Christologie I. p. 458 sqq.), *Haevernick* (Einl. II. 2. p. 321) etc. Contra quam sententiam monet *Knabenbauer* (Proph. Min. I. p. 342) : « Verba ipsa id minime suadent, immo totius rei color priorem aliquam calamitatem notat. Insuper satis mirum esset, si propheta Edomitas reprehenderet propter iniurias nondum perpetratas sed futuras, iisque excidium annuntiaret propter crimina, quae post multum demum temporis forent commissuri ».

5. Accurate et fuse haec explicat *Knabenbauer* l. c. p. 340 sqq.

6. Cfr de Ieremiae vaticiniis contra gentes praesertim *Kueper* Ieremias librorum sacr. interpres et vindex p. 79-132.

7. Cfr *Herbst Welte* Einl. II. 2. p. 119., *Zschokke* Hist. sacr. p. 264, *Knabenbauer* l. c. p. 342 sqq.; ex protestanticis accurate hanc quaestionem tractant *Kueper* l. c. p. 100 sqq., *Caspari* der Prophet Obadjah. Leipzig 1845. p. 5 sqq., alii.

8. *Hitzig* (Die kleinen Proph. p. 142) vaticinium nostrum a. 312. a. Chr. a Iudaeo quodam alexandrino compositum dicit, eique consentit *Steiner* (Schenkel Bibellex. IV. p. 344); contra quam miram sententiam adnotasse sufficit, canonem prophetarum dudum ante Ptolemaeorum aetatem completum esse; id quod etiam rationalistae longe plerique concedunt. — *Reuss* Gesch. des A. T. p. 448 sqq. eum Haggaeo et Zachariae coaevum fuisse censet; sed erronee supponit, de Ierosolymis per Nabuchodonosor deletis agi.

9. *Meyrick* (Speaker's Comm. VI ad Ioel 2,32) aliique explicare volunt : « sicut Dominus dixit *per me prophetam* » (« as the Lord hath said by me His prophet; Ioel declare the promise to emanate not from himself but from God »); attamen ut verba non sua sed Dei esse declarent, prophetae saepe quidem vaticiniis suis inserunt « נְאֻם יי (« dixit Dominus »), aut illis addunt « כִּי דִבֶּר יי (« quia Dominus locutus est » *Ioel* 8,3); sed nusquam legitur כַּאֲשֶׁר אָמַר יי (« *sicut dixit* Dominus »). — Cum *Abd.* 10-18 in phrasibus nonnullis consentit *Ioel* 1,15; 2,1. 32; 3,3. 4. 7. 8. 12. 14. 17. 19, quae licet non omnes urgeri queant, tamen dependentiam quandam innuere videntur.

10. Ex catholicis id sentiunt *Vigouroux* (l. c. p. 622 sqq.), *Trochon* (Les petits Proph. p. 169 sqq.), dum *N. Peters* (Die Prophetie Obadjahs. 1892) vaticinium iam ante occupationem illam civitatis sanctae editum dicit; ex acatholicis *Keil* (Einl. p. 317, Comm. p. 243 sq.), *Kleinert* (Obadjah etc. p. 3), *Küpert* (Prophetenth. p. 149 sq.), *Nägelsbach Volck* (Herzog P. R. E. Ed. 2. X. p. 673) etc.

11. Abdiam fere aequalem Oseae et Iocli habent multi antiquiores cum *Cyr. A.* et *Theod.*; ex modernis *Reinke* (Mess. Weissag. III. p. 212), *Schegg* (Gesch. der letzten Proph. I. p. 44 sq.), *Herbst-Welte* (Einl. II. 2. p. 122 sqq.), *Kaulen* (Einl. p. 358 : *exeunte* saec. 9.), *Knabenbauer* (Proph. Min. I. p. 339 sqq.) etc.; ex protestanticis *Hengstenberg* (l. c.), *Haevernick* (Einl. II. 2. p. 318), *Caspari* (l. c.) etc.

12. Cfr *Flav. Ioseph.* Antiqu. XIII. 9,1.

13. Infelici bello israelitico Amasias filium suum Oziam socium regni assumere coactus est (inde ab a. 799 iuxta *P. de Hummelauer*; cfr *supra* n. 250. *n.* 8. p. 309); illud autem bellum non diu erat post edomiticum, ita ut Abdias suum vaticinium brevi ante Oziae regnum edidisse videatur.

14. Nonnulli tamen « critici », *primitivum Abdiam* quendam (Urobbadja) statuunt, cui soli vv. 1-9 debeantur, quibus deinde auctor noster reliquas sententias « ieiunas verbosasque » addiderit, quibusque Ieremias libere sit usus; cfr *Cornill* Einl. Ed. 3. p. 185; *Strack* Einl. Ed. 4. p. 99; *Koenig* Einl. p. 360 sq. Similem opinionem iam refutarunt *Welte* (l. c. p. 119 sq.), *Keil* (Comm. p. 247) etc.

## § 25. — *De Prophetia Ionae.*

307. — I. De prophetae vita librique argumento. — Quin propheta Ionas filius Amathi, de cuius missione ninivitica quintus inter Prophetarum Minorum libellos agit, idem ille sit propheta Ionas filius Amathi, qui Ieroboamo II. regi Israel praedixit, eum restituturum esse terminos Israel ab introitu Emath usque ad mare solitudinis (4 *Reg.* 14,25), nemini est dubium. Ex regno septemtrionali igitur et quidem ex tribu Zabulon erat oriundus; natus enim dicitur in « Geth, quae est in Opher » (גַּת הַחֵפֶר l. c.), Gethhepher autem ad tribum Zabulon pertinuit (*Ios.* 19,13). « Porro Geth, inquit *S. Hieronymus*, in secundo Saphorim (Sephoris) milliario, quae hodie appellatur Diocaesarea, euntibus Tiberiadem haud grandis est viculus, ubi et sepulcrum eius ostenditur »[1]. Quoniam Ieroboamo felicem exitum bellorum contra Syros praedixit, ineunte iam saec. 8. vocationem propheticam acceperat; de reliqua autem eius vita nihil certi nobis est traditum, nisi quae in nostro libro leguntur. Illa igitur hoc iam loco proponere haud ab re ducimus, ut uno conspectu illis exhibitis, quae de propheta certo nobis sunt cognita, deinde in libri ipsius indolem et auctorem inquiramus. Pro duplici autem mandato, quo Ionas in urbe Ninive praedicare iussus est, uno, cui fuga se subtrahere conatus est, altero, cui obedivit, libellus apte in duas partes dividitur (1,1-2,11; 3,1-4,11).

I. Prior Ionae missio ad Ninivitas (1,1-2,11).

1. *Ionae fuga et castigatio* (1,1-16).

a.) Ionas filius Amathi a Deo Ninivitis poenitentiam praedicare iussus conscensa navi in Tharsis (Tartessum) fugere conatus est (1,1-3);

b.) subito autem exorta tempestate nautae timentes ad preces confugerunt et sortem miserunt, quibus calamitatis causam cognoscerent (1,4-7); sors vero designavit Ionam, qui fugam suam esse causam calamitatis professus nautas exhortatur, ut ipsum ad tempestatem sedandam in mare mittant (1,8-12).

c.) Qui prius abnuentes postea, quum fugere non possent, eum e navi eiiciunt atque statim sedatum est mare; qua de re admirati sacrificia Domino obtulerunt (1,13-16).

2. *Ionae poenitentia et salvatio* (2,1-11).
   a.) Ionam vero in mare missum et a magno pisce deglutitum Deus in ventre piscis vivum servavit (2,1. 2);
   b.) atque propheta de salute obtenta psalmo quodam Deo gratias agit. Precationem suam a Deo exauditam esse praefatus (2,3) periculum in quo versatus est auxiliumque acceptum describit (2,4. 5. 6-8) atque terminat hymnum gratiarum actione (2,9. 10).
   c.) Deo autem iubente piscis prophetam in terram eiicit (2,11).

II. ALTERA EIUS MISSIO AD NINIVITAS (3,1-4,11).

1. *Ionae praedicatio eiusque fructus* (3,1-10).
   a.) Secunda vice propheta Ninivitis praedicare iussus statim proficiscitur et urbis Ninive proximum interitum annuntiat (3,1-4).
   b.) Qua praedicatione audita Ninivitae una cum eorum rege seriam poenitentiam egerunt, ut iram divinam averterent (3,5-9);
   c.) poenitentia autem Deus permotus est, ut minas suas exsecutioni non daret (3,10).
2. *Ionae ira et correptio* (4,1-11).
   a.) Quum Deum Ninivitis poenitentibus parcere vidisset, propheta de hac misericordia cum Deo expostulavit sibique mortem exoptavit; quapropter primo leniter a Deo increpatus est (4,1-4).
   b.) Igitur egressus de civitate, ut videret quid perpessura sit, sibi umbraculum fecit, iuxta quod Deus paravit hederam (ricinum), cuius umbra protegeretur et cuius subito interitu erudiretur propheta; planta enim a verme corrosa mox exaruit et novam Ionae iram provocavit (8,5-8).
   c.) Interroganti Deo, num iuste irasci sibi videatur, affirmat propheta, unde Dominus eum corripit monens, si de rei tam vilis interitu doleat homo, nihil esse mirandum, quod divina misericordia civitati tam amplae pepercerit (8,9-11).

Quo tempore Ieroboam II. (802-762), sub quo Ionam filium Amathi vixisse constat, thronum regni Israel occupavit, Assyria tres reges sibi succedentes vidit Rammannirar (810-782), Salmanasar III. vel V. (781-772), Assurdanil (771-754). Primus ex eis fortissimus fuit rex, cuius expeditionibus felicibus regni fines late extendebantur atque ex Asiae citerioris quoque populis Phoenices, Syri, Idumaei, Israelitae ad tributum solvendum aut ad hegemoniam agnoscendam adducti sunt. Sub eius autem successoribus declinare coepit imperium assyriacum; continuae fere erant Armeniorum rebelliones contra Salmanasar, frequentiores et graviores aliorum populorum rebelliones contra Assurdanil, atque ad tantam debilitatem redactum est regnum, ut eius successori Assurnirar (753-745) Chaldaeus Phul thronum eriperet, qui deinde sub nomine Theglatphalasar imperium assyriacum ad novum potentiae fastigium adducere coepit. Quisnam fuerit rex, qui prophetae praedicatione permotus est, ut una cum populo suo poenitentiam perageret,

cum certitudine quidem dicere non possumus; verisimile autem est, Ionam tempore regis Assurdanil in urbe Ninive praedicasse; neque enim perturbationibus tantum internis regnum eo tempore concutiebatur, sed bis quoque (a. 765. et 759.) gravi pestilentia terram vastatam incolasque solis eclipsi perterritos esse ex assyriaco eponymorum catalogo constat[2]. Atque profecto, « si Ionae missio incidit in tempus, quo imperium ab antiquo splendore recedere et peste et variis seditionibus ac periculis concuti coeptum est, quo igitur Ninivitae iam partim a prisca superbia et gloria deiecti, partim variis terroribus et calamitatibus perterriti imperii imminutionem vel ruinam facile suspicari vel saltem timere poterant, ne tale quid immineret, facilius nobis explanare poterimus, cur prophetae Domini voces ac minae tantum subito iis incusserint timorem, tantam excitaverint poenitentiam morumque derepente mutationem »[3]. Quapropter si a praecipua conversionis causa, divinam dico gratiam, qua Assyriorum animi sunt illustrati et perculsi, abstrahere liceret, tamen non tantopere foret mirandum, quod ad vocem prophetae, cuius Deum aut ignorabant aut saltem non colebant, attendere voluerint. Assyriorum enim eam fuisse superstitionem, ut magorum et vatum verbis summam adhiberent fidem, eorum inscriptiones superstites docent; ex quibus illud quoque elucet, quod suos deos colentes nequaquam negarint potentiam deorum, qui ab aliis populis colebantur, sed illos timuerint sibique propitios reddere studuerint[4]. Multo facilius igitur explicatur, quod ad veri Dei vocem attendere voluerint divinae gratiae obsecuti.

Atque haec sunt, quae de prophetae vita nobis certa sunt tradita aut verisimilia coniiciuntur; quae plura tradunt antiqui rabbini, ea utpote omni fide indigna praetermittimus[5].

1. *S. Hieron.* Comm. in Ion. Prol. (M. 25,1172). Geth Hepher (« torcular fossionis » vel effossum) secundum S. Hieronymi descriptionem est hodiernum *El Mesched* fere tribus millibus passuum versus septemtrionem a Nazareth distans. Cfr *Guérin* La Galilée. I. p. 166 sq.

2. De Assyriae historia, quam strictim indicavimus, cfr *Vigouroux* La bible et les découvertes modernes. IV. p. 68 sqq.; *de Hummelauer* Stimmen aus M. Laach 1874. VII. p. 310 sqq.; *Brunengo* L'impero di Babilonia e di Ninive. I. p. 424 sqq.; *Rawlinson* The five great Monarchies. II. p. 122 sqq. — Quo sensu intelligenda sint ea, quae de magnitudine urbis Ninive tradit libellus noster, optime explicat *Brunengo* l. c. p. 434 sqq. (refutatis sententiis, quas proposuerant *Rawlinson* l. c. I. p. 251 sqq., et *Schrader* Keilinschriften u. A. T. Ed. 2. p. 447 sq.); cfr etiam *Kaulen* Assyrien u. Babylonien. Ed. 2. p. 199.

3. *Knabenbauer* Proph. Min. I. p. 363.

4. Cfr *Vigouroux* l. c. p. 75 sq., *Brunengo* l. c. p. 438 sq.

5. Nonnulla ex his (quod Ionas fuerit filius viduae sareptanae, quem Elias a mortuis resuscitavit) iam commemorat *S. Hieron.* l. c.; alia praeterea leguntur apud *Ps. Epiph.* De vit. proph. 16 (M. 43,408 sq.). De quibus cfr *Huet.* Demonstr. evang.

Prop. IV. p. 314 sq., *Carpzov.* Introd. III. p. 336 sqq. — Secundum *S. Hier.* l. c. sepultus est in Geth Hepher (El Mesched), ubi hodie quoque eius sepulcrum a Mahummetanis veneratur (Guérin l. c.); alterum eius sepulcrum iidem venerantur in ruinis quibusdam hodie *Nebbi Iunus* appellatis prope antiquam Ninivem; de quo cfr *Vigouroux* l. l. c. p. 77; « at Mahummetanos, inquit *Huet.* l. c., delirare sinamus, qui non longe a Ninives ruderibus Ionam sepultum fuisse censent eiusque tumulum venerantur ».

308. — II. De libri indole, auctoritate, origine. — Prorsus singularem locum inter omnes propheticos libros « Prophetia Ionae » occupat, quoniam non sicut alii exhortationes et praedictiones exhibet, sed rem aliquam gestam narrat; at res haec gesta ipsa est et exhortatio et praedictio. Etenim « Ionas, inquit *S. Hieronymus,* naufragio suo passionem Christi praefigurans mundum ad poenitentiam revocat et sub nomine Ninive salutem gentibus nuntiat »[1]. Non primus quidem propheta fuit, cuius ministerio Deus apud gentes usus est, ut se omnium populorum Deum esse ostenderet suamque potentiam et misericordiam, qua etiam gentilium saluti providet, manifestaret. Nam antea Elias iam ad viduam sareptanam erat missus, ut tempore famis magno miraculo ei potius, quam viduis israeliticis, succurreret (3 *Reg.* 17,8 sqq.; *Luc.* 4,26), atque Eliseus non tantum Naaman Syrum a lepra mundaverat (4 *Reg.* 5,14; *Luc.* 4,27), sed etiam Damascum profectus Hazaeli, quem Deus velut instrumentum ad puniendos Israelitas elegerat, futuram regiam dignitatem victoriasque de Israelitis praedixerat (4 *Reg.* 8, 12 sqq.). Ionas autem primus fuit, qui praedicto civitatis interitu gentibus magnitudinem Domini disertius manifestare easque ad veri Dei agnitionem et ad poenitentiam adducere debuit. Cum Daniele igitur non incongrue comparari potest, cuius ministerio etiam usus est Dominus, ut Chaldaeis postea et Persis suam magnitudinem manifestaret; quapropter libellum nostrum historicum eodem cum iure, quo sex priora capita Danielis, inter propheticos libros receptum esse satis recte asseritur. Porro promptissima sollicitudo, qua Ninivitae praedicanti prophetae aures praebuerunt atque ad primum eius monitum poenitentiam agere coeperunt, efficacissima erat Israelitarum increpatio, quippe qui longe maioribus beneficiis a Domino ditati eum tamen alienis idolis continuo postponerent neque frequentibus tot prophetarum minis et monitis ad eum se reduci sinerent. Quem missionis Ionae finem Dominus ipse manifestavit, quando viros Ninivitas dixit surrecturos esse in iudicio cum generatione ista eamque condemnaturos, quia poenitentiam egerint in praedicatione Ionae (*Matth.* 12,41). Libellus igitur noster, etsi prophetae nostri missionem ad gentes dumtaxat narret, non minus quam reliquorum prophetarum exhortationes, Israelitarum conversioni proxime est destinatus ideoque locum inter prophetica scripta meretur. Demum etiam strictiore sensu propheticus est dicendus.

Ionae praedicatio inter gentes Ninivitarumque conversio merito pro praesagio futurae vocationis et conversionis gentium ad fidem habetur, atque propheta ipse post triduum e ventre ceti vivus egrediens est praeclarissimus typus Domini post triduum gloriose e sepulcro resurgentis; qui typus a Christo ipso non semel assertus, ubi de « signo Ionae » loquitur, et ab Apostolis saltem indicatus ab omnibus Christi fidelibus semper est agnitus[2]. Alias quoque typicas rationes in historia Ionae deprehenderunt Patres et interpretes[3]; sed duae, quas innuimus, quum utpote a Christo manifestatae omne dubium excludant, demonstrando prophetico libri characteri plane sufficiunt. Licet igitur simplici stylo historico miraculosam Ionae liberationem Ninivitarumque conversionem narret, libris strictiore sensu propheticis iustissime adnumeratus est.

In vita prophetae narranda (307.) veram eius historiam in libello nostro tradi supposuimus, idque optimo nostro iure. Neque enim quisquam ante exortum rationalismum *de historica eius auctoritate* dubitavit, atque inter auctoritatis testes unum habemus omni exceptione maiorem, ipsum Dominum N. Iesum Christum. Qui quum eodem in contextu atque eadem prorsus ratione, qua de regina Saba ad Salomonem veniente, de Iona tribus diebus et tribus noctibus in ventre ceti vivente et de Ninivitis in praedictione prophetae poenitentiam agentibus loquitur (*Matth.* 12,40-20), eandem procul dubio libello nostro, quam libris Regum, auctoritatem historicam attribuit, neque minus Ionae miraculosam conservationem et praedicationem niniviticam, quam reginae Saba iter ad Salomonem, pro factis vere historicis habuit. Frustra et temere obiiciunt moderni rationalistae, Christum argumentum ad hominem adhibuisse et ex supposito miraculo, quod Iudaei pro vero admittebant, esse argumentatum[4]; neque animadvertunt Dominum eodem in loco asserere : « Viri Ninivitae surgent in iudicio cum generatione ista et condemnabunt eam, quia poenitentiam egerunt in praedicatione Ionae »; num forte Iudaei etiam crediderunt, se condemnatum iri a Ninivitis, an concedent adversarii, Dominum potuisse erroneam Iudaeorum opinionem de conversione Ninivitarum erroneo asserto confirmare et positive approbare? Testimonio Christi alia argumenta addere per se superfluum est; adnotemus tamen totam narrationem ita esse comparatam, ut dubitare nemo possit, quin rem vere gestam tradere auctor voluerit; alio modo proponi a scriptoribus sacris parabolas iam saepe diximus. Ad narrationis autem rationem quod attinet, nemo opinor ne minimam quidem differentiam inveniet inter nostri libri miracula et inter miracula, quae ab Elia, Eliseo aliisque prophetis patrata libri sacri tradunt. Quod assertum quam verum sit, satis elucet ex eo, quod ad unum omnes antiqui Patres et interpretes

et theologi et laici, quum hunc librum legerent, veram se historiam legere crediderint; neque solis Christianis, sed etiam Iudaeis eadem semper fuit persuasio.

Qui status rerum mutatus est exorto rationalismo; unanimi enim consensu historicum libri characterem negarunt, at innumera sunt systemata, quibus negationem suam cohonestare et veritate narrationis negata librum explicare conati sunt. Primi rationalistae, quum miraculosa Ionae conservatione maxime offenderentur, naturali quodam modo eam explicare voluerunt: scilicet Ionae somnianti illud accidere visum est, quod de tempestate, de eius eiectione in mare etc. narratur, atque somnio impulsus est, ut statim iter niniviticum arriperet (*Grimm; Sonnenberg*); aut Ionas non in ventre piscis viventis sed in cadavere piscis paullo antea occisi ad litus maris est advectus (*Anton; Griessdorf; Vaupel*); aut ex nave, quae Tartessum petebat, in aliam navem piscis insigni instructam transcendit et in patriam reversus est (*Less*); aut tempestas, mare, piscis non sunt nisi symbola animi huc illuc fluctuantis et incerti, num monito divino sit obtemperandum (*Palmer*) etc. Atque hi quidem missionem niniviticam prophetae pro vera admiserunt; secuti sunt alii, qui hanc quoque negarunt et integram narrationem in allegoriam vel mythum transmutarunt: sub fictis nominibus historiam regum Manasse et Iosiae narrari docuit *von der Hardt;* Andromedae vel Hesionae mythos a Graecis ad Iudaeos allatos et ab his in Ionae historiam transformatos esse coniecerunt *Rosenmüller, Gesenius, Krahmer;* babylonicum mythum de deo-pisce Oanne arcessivit *F. C. Baur* etc[5]. Quas ineptias longiore explanatione aut refutatione indignas esse patet. Moderni « critici » demum plerique meram parabolam in libello proponi tenent; at si interrogaveris quid tandem ista parabola doceat, tot fere sententias esse invenies, quot « criticos » libelli nostri interpretes[6].

Quibus utpote prorsus arbitrariis praetermissis argumenta potius examini subiiciamus, quibus nixi historicam auctoritatem libri negant. Primum et praecipuum, ne dicam, unicum eorum argumentum constituunt miracula narrata, quae credi posse negant. Ne sola tamen miraculi aversione duci ac regi videantur, alias nonnullas ratiunculas conquisiverunt, quibus eam occultarent. Credi posse negant missionem prophetae israelitici ad ethnicos, conversionem subitam Ninivitarum, totamque agendi rationem prophetae, demum psalmum cap. 2. relatum parum esse aptum[7]. Quibus addunt alii, nec nominari regem assyriacum, sub quo Ionas Niniven venerit, nec locum in quo a pisce in aridam sit eiectus, nec quidquam referri de ulterioribus prophetae fatis vel rebus gestis, quae omnia procul dubio essent indicata, si liber rem vere gestam narraret[8].

Miracula libri nostri iam olim a paganis multo cachinno graviter irrisa esse tradit *S. Augustinus;* ad quaestionem autem propositam, quid de illis sentiendum sit, respondet: « quod aut omnia divina miracula credenda non sint, aut haec cur non credantur causa nulla sit. In ipsum autem Christum, quod tertio die resurrexerit, non crederemus, si fides Christianorum cachinnum metueret paganorum (et rationalistarum)... Multum miror hoc

quod factum est de Iona amicum nostrum pro incredibili posuisse, nisi forte facilius putat mortuum de sepulcro resuscitari, quam vivum in tam vasto ventre belluae potuisse servari » etc. [9]. In miracula ipsa accuratius inquirunt interpretes, nec nostri muneris est definire, ad quam speciem pertinuerit piscis, a quo propheta est absorptus, aut planta, quae tam cito crevit et exaruit; adversariis enim, quibuscum nobis res est, quum ullum miraculum fieri negent, ad fidem non adducemus miraculis libri nostri diminutis; quapropter primum et praecipuum eorum argumentum praetermittimus cum S. Augustino dicentes : « rideant Scripturas nostras; quantum possunt rideant, dum per singulos dies rariores paucioresque se videant vel moriendo vel credendo; dum implentur omnia, quae praedixerunt qui hos contra veritatem inaniter pugnaturos, vane latraturos, paullatim defecturos tanto antea riserunt nobisque posteris suis non solum ea legenda dimiserunt verum experienda promiserunt » (l. c. 32).

Quae reliqua primario suo argumento addiderunt, paucis absolvere licet. Cur missio Ionae ad Ninivitas credi nequeat, nemo facile dixerit, qui Deum plerisque populis ethnicis, quamprimum cum populo electo commercium quodcunque habere coeperunt, suam potentiam revelasse consideraverit : in memoriam revocentur Ioseph et Moyses inter Aegyptios, miracula facta per Iosue ad populi ingressum in Chanaan, miracula Eliae in Phoenicia, Elisei miracula et vaticinia inter Syros etc.; quid igitur mirum in eo, quod eo tempore, quo Assyrii suas incursiones in Israel inceperunt, Dominus se eis per Ionam revelaverit, uti postea Chaldaeis et Persis per Danielem? Nonne etiam eo tempore, quo Iudaei cum Graecis aliisque populis occidentalibus commercium habere coeperunt, versione graeca Scripturarum se illis manifestavit? — Quid de Ninivitarum conversione sentiendum sit, supra (307 p. 558 sq.) diximus; de agendi ratione prophetae statim dicemus, ubi de libri origine agemus; Psalmus cp. 2. relatus autem cur velut parum aptus repudietur, iterum non intelligitur; uti enim recte monet *Knabenbauer* « duo ex ipsa re nata animum orantis commovent atque replent : periculi domiciliique horror, salutis desiderium et spes; hisce eius oratio constat, quae vivide refert animi affectus et quasi sponte sua ex occasione data nascitur [10]. — Quae demum ultimo loco a nonnullis adduntur, vere frivola sunt et futilia; obiectio enim, si quidquam valeret, non tantum nostri libelli, sed vix non omnium librorum sacrorum et profanorum auctoritati historicae destruendae sufficeret. Quis enim unquam scriptor omnium personarum aut locorum, de quibus agit, nomina affert aut fata narrat? Ubinam inveniuntur nomina regum aegyptiacorum, quorum tempore Abraham, Ioseph, Moyses in Aegypto versati sunt etc.? Scilicet auctores ea sola narrare solent, quae ad finem sibi praestitutum necessaria aut utilia ducunt. Ridiculum profecto foret, si quis in libello nostro quaereret, quamnam pecuniae summam propheta pro naulo ex Ioppe usque Tartessum solvisset, aut quo nomine appellatus esset gubernator navis aliaque eiusmodi; sed vix minus ridicula sunt illa, quae in libello nostro quaerunt rationalistae. Procul dubio curiositati nostrae satiandae illa omnia inservirent, si tradita essent, at libri sacri et prophetici vanae curiositati satiandae non sunt destinati.

Restat quaestiuncula *de libelli nostri auctore,* « quem ab omni aetate semper creditum esse Ionam ipsum », suo tempore recte asseruit *Goldhagen*[11], sed hodie non amplius asseri potest, siquidem rationalistae una cum libri auctoritate historica etiam eius propheticam originem negarunt eumque aut exsilii aetate aut 4. vel 3. vel 2. saeculo scriptum esse contendunt[12]. At non tantum nulla idonea affertur ratio, qua a tradita sententia recedere cogimur[13], sed non desunt, quae eam amplectendam esse suadeant. Quo inscriptio quidem libri non pertinet, quippe quae non magis quam similes inscriptiones librorum Esther, Iudith etc. auctorem prodit. At iure merito traditam sententiam confirmamus loco, quem libellus in canone obtinet; vix enim quisquam prudens sibi persuadebit, collectores canonis narrationem hanc, quae indole sua a reliquis libris propheticis differre omnino videtur, inter prophetas recepturos fuisse, nisi illis de prophetica eius origine constitisset. Atque Ecclesiasticus quoque, si post Isaiam, Ieremiam, Ezechielem, qui librorum suorum ipsi erant auctores, de « duodecim prophetis » loquitur, eadem, opinor, ratione Ionam libelli nomine eius inscripti auctorem esse asseruit, qua undecim reliquos pro auctoribus librorum nominibus eorum inscriptorum habuit. Quibus accedit ratio interna eaque non levis. Mores prophetae quam maxime displicent adversariis nostris, mirumque in modum stultitiam exaggerant, qua divino praecepto fuga se subtrahere conatus est, crudelitatem, qua totius civitatis interitum videre desideravit, audaciam, qua cum Deo disceptavit etc.[14]; atque fateamur oportet, in nonnullis iure reprehendi prophetam. Iam vero quod Ionas ipse ingenua et humili confessione peccata sua scriptis tradiderit, id nisi omnia nos fallunt facilius intelligitur, quam quod alter scriptor viri, qui velut propheta a populo suo venerabatur, humanam infirmitatem tam nude et aperte depingere voluerit. Quapropter traditae sententiae inhaerere non dubitamus[15].

De *divina auctoritate* libri disserere opus non est, quoniam a Domino ipso illum pro divino esse adhibitum iam vidimus, illumque in canone duodecim prophetarum semper fuisse omnes consentiunt.

1. *S. Hieron.* ad Paulin. ep. 53,8 (M. 22,545).

2. *Matth.* 12,39 sq.; 16,4; *Luc.* 11,29 sq. Quibus disertis testimoniis duo alia addere licet, quae non minus rem evincunt : *Luc.* 24,46 sqq. Dominus discipulis suis aperiens sensum, ut intelligerent Scripturas dixit : « Quoniam sic scriptum est (et sic oportebat) ª Christum pati et resurgere a mortuis *tertia die* »; et 1 *Cor.* 15,4 docet Apostolus Christum « resurrexisse *tertia die* secundum Scripturas ». Atqui Christum resurrecturum esse, non uno quidem in loco est praedictum, eum autem *tertia die* resurrecturum esse solo typo Ionae est praedictum; unde merito colligimus, Domi-

(a) Verba quae uncis inclusimus in antiquioribus codd. graec., ital., copt. etc., non leguntur et a Tischendorf, Hort-Westcott omittuntur; ceterum si genuina sunt, idem remanet sensus, secundum Scripturas debuisse Christum pati et tertia die resurgere.

num N. hanc typicam explicationem etiam discipulos suos docuisse.

3. *Goldhagen* (Introd. III. p. 510 sq.) quinque typicas rationes, *Patres* vero plures inveniunt; cfr ex. gr. *S. Aug.* ad Deograt. ep. 102,33 sq. (M. 33,383 sqq.).

4. *Davidson* (Introd. III. p. 270) solum argumentum ad hominem agnoscit; *Reuss* (Gesch. des A. T. 498) et *de Wette Schrader* (Einl. p. 461) Matthaeum verba Domini non fideliter retulisse, quin etiam *adulterasse* dicere non verentur; *Kamphausen* (cfr Bleek Wellh. Einl. p. 453) Domino scientiam ad criticas quaestiones decidendas necessariam abiudicat; *Koenig* (Einl. 1894. p. 481) Dominum non venisse dicit, ut criticas quaestiones solveret; *Strack* (Einl. 1895. p. 100) et *Cornill* (Einl. 1896. p. 187) explicationem verborum Domini videntur habere superfluam; *Driver* Rothst. Einl. 1896. p. 343-348) de illis prorsus silet.

5. Qui plures et accuratiora de his scire desiderat, consulat *Aug. Scholz* (Einl. III. p. 574 sqq.), *Rosenmüller* (Schol. in Proph. Min. II. p. 319-347), *Diestel* (Gesch des A. T. p. 652), *Reuss* (Gesch. des A. T. p. 498 sq.).

6. Iuxta alios parabola docet « vias Domini diversas esse a viis hominum », iuxta alios « munus propheticum esse difficile sed pretiosum », aut « Deum esse iustum et misericordem », aut « non omnia vaticinia impleri », aut « solam pietatem et veram poenitentiam ad salutem adducere » etc. Moderni « critici » plerique (cfr *Koenig, Strack, Cornill, Driver Rothst.* ll. cc.) tenent « angustam Iudaeorum sententiam » impugnari, qui ethnicos a salute excludebant.

7. *De Wette Schrader* Einl. p. 461.

8. *Bleek Wellhaus.* Einl. p. 457. Eadem reliqui afferunt.

9. *S. Aug.* ad Deograt. ep. 102,30 (M. 33,383).

10. *Knabenbauer* Comm. in Prophetas Minores I. p. 375.

11. *Goldhagen* Introd. III. p. 508; similiter *Carpzov.* Introd. III. p. 347 : « Ionas huius libri auctor semper creditus est, nec est cur dubitemus ». Antiquiores plerique hanc quaestionem, utpote rem per se claram, ex professo non tractant.

12. Varias sententias enumerat *Keil* Einl. p. 499.

13. Argumenta, quibus iuniorem libri originem demonstrare conantur, haec sunt (cfr *De Wette Schrader* Einl. p. 465) : a.) Narratio ipsa est fabulosa ac proin tempore prophetae Ionae scribi non potuit. At nihil fabulosi in libro inveniri ostendimus. — b.) Linguae indoles recentiorem aetatem prodit. Quod assertum duodecim vocabulis confirmare nonnulli volunt (cfr l. c. p. 464), dum alii fatentur illis probandi vim vel ideo deesse « quia ex paucis libri hebraicis nobis conservatis nulla ratione diiudicare liceat, quae vocabula in antiquorum Hebraeorum usu fuerint ». Ita *Kleinert* l. c. p. 19, et ex parte etiam *Driver Rothst.* Einl. p. 345. (Singulas voces a *De Wette Schrader* allatas examini subiicit *Knabenbauer* l. c. p. 361 sq.). Quia ex regno septemtrionali oriundus erat, Ionas in libro suo aliquas voces et formas (praesertim relat. שֶׁ pro אשר) adhibuit, quae inter tribus meridionales minus erant usitatae. — c.) Modus, quo de Ninive sermo est, ostendit Ninivem non amplius exstitisse, quando liber scriptus est (3,3 וְנִינְוֵה הָיְתָה עִיר־גְּדוֹלָה « et Ninive *erat* civitas magna »). Num forte adversarii imperfectum synchronisticum non agnoscunt? Si quis hodie ultimum bellum gallico-borussiacum narrare volens belli causis expositis pergeret : « Gallia autem et Germania *erant* regna potentissima », num forte hodiernam earum exsistentiam aut potentiam negaret? — d.) « *Universalisticum* auctoris consilium » demum recentiorem aetatem demonstrare dicitur; universalisticum autem consilium in eo deprehenditur, quod Deus etiam ethnicis, si poenitentiam agant, poenam remittat (*De Wette Schrader* p. 463). Igitur etiam Oseam et Ioelem recentiori aetati adscribamus, in quibus iam S. Paulus (*Rom.* 9,11 sqq. 25 sq.) universalisticum consilium detexit, aut Isaiam, qui plenus est universalisticis sententiis (*Is.* 2,2 sqq.), vel potius

scriptores omnes V. T. — e.) Alii addunt psalmum cp. 2. compositum esse sententiis, quae ex iunioribus Psalmis sint desumtae (*Kleinert* l. c. p. 19). Quid argumentum valeat, docent illi rationalistae, qui cum *Bunsen* (Gott in der Geschichte I. p. 366), *Davidson* (Introd. p. 276) Ionae psalmum pro antiquiore habent et recentiores psalmistas eum imitatos esse asserunt. Ut argumento vis probandi concederetur, prius erat demonstrandum, Ionam revera a Psalmistis dependere atque Psalmistas illos, a quibus dependet, esse saeculo 8. recentiores; atqui neutrum demonstrare ne conati quidem sunt adversarii.

14. Omnes superat *Eichhorn* « abominandum » « diabolicum » esse Ionae characterem asserens (Einl. IV. p. 336 : « Der Character des Propheten ist abscheulich. Seine Prophetenehre ist der Götze, dem er alles aufgeopfert wissen will... Ein teuflischer Character! Er hadert mit dem Gott, dessen Allmachtshand ihn... wieder unter die Lebendigen gebracht hat » etc. Ceterum quomodo agendi ratio prophetae explicari (licet non plane excusari) possit, vide apud interpretes catholicos : *Knabenbauer* l. c. p. 366 sq. etc.

15. Ex modernis catholicis interpretibus eidem sententiae cum maiore minoreve certitudine adstipulantur *Haneberg* Gesch. der Offenb. p. 285; *Aug. Scholz* Einl. III. p. 583; *Danko* Hist. Vet. Test. p. 352; *Kaulēn* Einl. Ed. 3. p. 418; *Zschokke* Hist. A. T. p. 266; *Knabenb.* Comm. in Proph. Min. I. p. 361; *Trochon* Les petits Prophètes. p. 218 sq.; *Schenz* Einl. p. 246; *Emin. Meignan* Les Prophètes d'Israel. p. 363 sqq.; quibus ex acatholicis adde *Küper* Prophetenthum. p. 171; *Keil* Einl. p. 322 et Comm. p. 278; *Huxtable* (Speaker's Comm. VI. p. 580 sq.) aliosque paucos.

## § 26. — *De Prophetia Michaeae.*

309. — I. De prophetae vita et aetate. — Nomen Michaeae (« Quis sicut Dominus »[1]) satis frequens inter Israelitas duobus prophetis fuit proprium. *Michaeas filius Iemla,* aequalis Eliae et Elisei, ineunte saec. 9. impio regi Achab (898.-876.) infelicem syriacae expeditionis exitum mortemque ignominiosam praedixit, eiusque visio a librorum Regum auctore nobis est conservata (3 *Reg.* 22,5 sqq.); *Michaeas Morasthites* Isaiae aequalis et Oseae Amosique suppar in secunda saec. 8. parte regibus Ioatham, Achaz et Ezechia vaticinatus est (*Mich.* 1,1) nobisque vaticinia sua in libello transmisit, qui in massorethico prophetarum minorum volumine sextum locum occupat[2].

Cognomen Morasthitae dubitatum est, utrum prophetae patriam an patrem an genus designet[3]; consentiunt autem cum S. Hieronymo moderni interpretes patriam designari prophetamque oriundum dici « de Morasthi (Moreschet Gath. *Mich.* 1,14. Text. hebr.), qui usque hodie iuxta Eleutheropolim urbem Palaestinae haud grandis est viculus », ubi « sepulcrum quondam Michaeae prophetae, nunc ecclesiam » reperiri idem testatur S. Doctor[4]. Ex tribu igitur Iuda fuit, atque munere prophetico in regno meridionali ac praesertim Ierosolymis functus est. Quamvis enim ad regnum Israel haud raro respiciat vaticiniaque « de Samaria et Ierusalem » (1,1) inscribat, eorum tamen quasi centrum est Ierusalem et Sion. Neque deest disertum testimonium, quo idem

demonstratur. Nam quum sacerdotes et pseudoprophetae Ieremiam, quoniam urbis et templi interitum annuntiasset, ad mortem rapere vellent, restiterunt seniores populi monentes : « Michaeas de Morasthi fuit propheta in diebus Ezechiae regis Iuda et ait ad omnem populum dicens : Haec dicit Dominus exercituum : Sion quasi ager arabitur et Ierusalem in acervum lapidum erit et mons Domini in excelsa silvarum (*Mich.* 3,12). Numquid morte condemnavit eum Ezechias rex Iuda et omnis Iuda? numquid non timuerunt Dominum et deprecati sunt faciem Domini? » (*Ierem.* 26,17).

Quibus verbis non tantum locus, in quo munus suum Michaeas exercuit, bonique fructus, quos eius vaticinia produxerunt, nobis manifestantur, sed aetatis quoque indicatio, quam exhibet libelli inscriptio, confirmatur. Errant enim, qui Ieremiae verba cum inscriptione pugnare rati duorum aliorum regum (Ioatham et Achaz) nomina, utpote a iuniore scriptore addita, expungere aut totam inscriptionem velut postea confictam respuere voluerunt[5]. Pugna enim nulla adest, neque ex eo, quod unum illud vaticinium de futuro urbis interitu tempore Ezechiae promulgasse aut tempore Ezechiae vixisse a senioribus dicitur, ulla ratione deduci potest, eum sub Ezechiae praedecessoribus nondum esse vaticinatum. Quin etiam alia vaticinia contrarium omnino docent. Isaiam enim vaticinium de monte Domini, ad quem omnes gentes sint venturae (*Is.* 2,1-4), quum iisdem fere verbis sed plenius et arctiore in contextu in nostro libello legatur (*Mich.* 4,1-5), a Michaea esse mutuatum, recte statuunt interpretes[6]; atqui concio illa, cui Isaias vaticinium illud tamquam fundamentum praemittit, ad aetatem Ioatham referenda omnino videtur (*supra* 252); ergo Ioathami aetate iam vaticinatus est Michaeas. Praeterea Michaeas in idololatriam ita invehitur, ut eam publice exercitam esse satis clare innuat (5,11 sqq.), atque cultum Baal nondum esse deletum diserte docet (6,16); iam vero increpatio haec tempori quidem regis Achaz convenit, qui ipse « in viis regum Israel ambulavit insuper et statuas fudit Baalim » (2 *Paral.* 28,3), at non tempori Ezechiae, qui statim a principio regni sui templum ab Achaz clausum iterum aperuit et publicae saltem idololatriae finem fecit, licet privatam statim impedire non potuerit.

Haec sola sunt, quae de vita prophetae cum certitudine asseri possunt[7]; de *temporibus* autem eius dicere hoc loco opus non est, quia supra (251 p. 311 sqq.). satis fuse ea iam descripsimus.

1. *S. Hier.* In Am. Prol. (M. 25,1297) nomen מִיכָה interpretatur *humilitatem*, quae etymologia (a rad. מוּךְ, *afflictum esse*) admitti posset, nisi in *Ierem.* 26,18 altera forma nominis מִיכָיָה nobis esset conservata; מִיכָיָה, מִיכָיְהוּ, מִיכָא, מִיכָה, omnes eiusdem nominis sunt formae, quas de eadem persona promiscue adhiberi videmus. מִיכָיְהוּ autem omnino respondet nomini מִיכָאל.

2. *Ps. Epiph.* De vit. proph. 13 (M. 43,408), et qui eum sequuntur *Ps. Doroth.* et *S. Isidor. Hisp.*, duos hos prophetas, qui integro saeculo separantur, immerito pro una persona habere, evidens est.

3. Alexandrini vertentes Μιχαίας ὁ τοῦ Μορασθεί nomen patris esse supposuerunt (cfr *S. Cyrill.* In Mich. 1,1. M. 71,641); gentilicium esse nomen, non improbabile censet *Nägelsbach* (Herzog P. R. E. IX. p. 742).

4. *S. Hieron.* In Mich. Prol. et ad Eustoch. ep. 108,14 (M. 25,1297; 22,889). Cfr *Guérin* Description de la Palestine. Iudée II. p. 328 : « Eusèbe et S. Jérôme placent tous deux Morasthi à l'orient d'Éleuthéropolis, et le même saint Jérôme disant en outre qu'elle touchait à cette dernière ville, je suis porté à l'identifier avec le *Khirbet Mar Hanna*, situé à vingt minutes au sud-est de Beit Djibrim, et à voir dans l'église Sainte-Anne celle que signale ce Père, et qui avait été construite sur le tombeau du prophète Michée ».

5. Inscriptionem ob hanc suppositam contradictionem reiiciunt plerique moderni critici; cfr *De Wette Schrader* Einl. p. 465 sq., *Davidson* Introduction III. p. 284; *Bleek Wellhausen* Einl. p. 425 sq.; *Noeldeke* in Schenkel Bibellexicon IV. p. 212; *Reuss* Gesch. des A. T. p. 313 sq.; *Cornill* Einl. Ed. 3. 1896. p. 188 etc.

6. Cfr *Reinke* Messian. Weissag. III. p. 240, *Knabenbauer* Erklärung des Proph. Isaias. p. 58 etc.; ex protestanticis *Hengstenberg* Christologie I. p. 480 sqq., *Delitzsch* Comm. über Jesaias p. 59 sq. etc.

7. De fabellis *Ps. Epiph.* (Vitae proph. 13. M. 43,48) aliorumque, qui eum secuti sunt, cfr *Huet.* Demonstr. evang. Prop. IV. p. 318, qui « non scutica sed flagello eas animadvertendas » iudicat; *Carpzov.* Introd. III. p. 364.

310. — II. De libri argumento, indole, auctoritate. — Trium igitur regum, qui simul plus quinquaginta vel sexaginta annis thronum occuparunt[1], tempore Michaeas munus propheticum sustinuit; librum autem suum versus vitae finem rege Ezechia conscripsit eadem ratione, qua Osee, brevi complexus illa, quae per multos annos populum docuerat. Neque enim putandum est, tres quatuorve « conciones » vel « actiones », in quas libellus a plerisque dividitur, totidem esse sermones, quos coram populo pronuntiavit; sed argumenti prophetici summam quandam novo ordine digestam ac dispositam exhibent, ita quidem ut eadem in sectione inveniantur, quae diversis temporibus pro concione dixerat aut annuntiaverat. Quoniam eodem tempore eodemque in loco cum Isaia munere functus est, facile explicatur affinitas, quae satis magna inter duos hos prophetas in nonnullis pericopis deprehenditur[2]. Eadem ratione, qua Isaias, in magnatum pseudoprophetarumque avaritiam, fraudes, luxuriam invehitur; eadem quoque ratione utriusque regni interitum et utriusque populi exsilium praenuntiat, sed simul etiam sanctae civitatis vel potius theocratiae restaurationem futurique regni messianici felicitatem. Quae clarius patebunt ex analysi, quam subiicimus; in tres autem partes aptissime libellum distribui arbitramur[3], quae exhortatione ad attentionem inchoantur (1,2; 3,1; 6,1). Ita autem se habent tres illae partes, ut in prima et tertia praevaleat peccatorum increpatio atque levius futura salus indicetur, in secunda

autem, quae praecipua est, peccata quidem distinctius enumerentur, sed simul salus messianica multo fusius et accuratius delineetur.

Analysis Prophetiae Michaeae.

Pars prima (1,2-2,13) *divinum iudicium in utrumque regnum annuntiat iudiciique causam indicat, sed spem restaurationis relinquit.*

1. *Exordium.* Omnes populos ut attendant exhortatus propheta describit divinam maiestatem ad iudicium de peccatis Israel et Iuda agendum advenientem (1,2-5).
2. *Sectio prior* (1,6-16) *poenam imminentem annuntiat.*
   a.) Incipit a pleno Samariae interitu praedicendo et plangendo (1,6-8),
   b.) ut fusius regni Iuda poenam annuntiet. Quoniam poena Israel pertinget usque ad Iuda, monet propheta, ne invidis hostibus haec pandatur (1,9. 10); atque deinde, quomodo poena ista per totam terram quasi serpat ac repat, describit undecim enumeratis civitatibus, quarum nomina significatione aut assonatione sua ei inserviunt, ut calamitatem per partes delineet (1,11-15); quam descriptionem terminat exhortatione ad luctum agendum (1,16).
3. *Sectio altera* (2,1-11) *poenae causam indicat falsaeque fiduciae fulcra destruit.*
   a.) Propter iniustitiam, qua magnates pauperes haereditate privant, Deus populum haereditate privabit eamque alienis tradet (2,1-5).
   b.) Pseudoprophetae quidem prohibent, quominus talia annuntientur, et populus eis consentit (2,6. 7); quare propheta repetita iniustitiae accusatione (2,8. 9.) minas suas confirmat (2,10. 11).
4. Epilogus (2,12. 13) ex abrupto adnectit promissionem de futuro populi reditu et salute.

Pars secunda (3,1-5,14) *graves poenas propter ducum peccata annuntiat, poenis autem opponit restaurationem messianicam, ad quam populum praeparant.*

1. *Sectio prior* (3,1-12) *tota in poenis denunciandis versatur.*
   a.) Principes iniustitiis suis populum torquent et excoriant; ideo Deus eos derelinquet nec exaudiet, quando calamitatis tempore ad eum sint clamaturi (3,1-4).
   b.) Prophetae turpis lucri causa bona annuntiant; ideo Deus eos magnis calamitatibus obruet et confusione, quum longe aberrent a veri prophetae munere (3,5-8).
   c.) Propter iniustitiam avaritiamque ducum sacerdotum prophetarum theocratia destruetur : arx regia, urbs, templum ipsum evertentur (3,9-12).
2. *Sectio altera* (4,1-5,14) *salutem messianicam praedicit, viam salutis indicat, salvatorem describit.*
   a.) Triplici poenae, quam in sectionis praecedentis fine ostenderat, ordine inverso triplicem restaurationem opponit (4,1-8) :
      α.) Mons templi exaltabitur et fiet centrum regni pacis, quod totum mundum complectetur (4,1-4);

β.) cum aliis gentibus populus quoque electus revertetur, ut semper ibi maneat (4,5. 6),

γ.) atque in monte Sion iterum erit regnum (4,7. 8).

b.) Via autem ad restaurationem erit exsilium babylonicum (4,9. 10) et bellum sanctum contra hostes Domini (4,11-13).

c.) Salvator ipse describitur (5,1-14).

α.) Eo tempore, quo abiectus erit Israel (5,1), exorietur ex Bethlehem novus populi pastor (5,2-4), qui populum suum ab hostibus liberabit (5,5. 6) plenamque dabit pacem (5,7. 8).

β.) Desiderantibus autem, ut mox hostibus devictis adveniat (5,9) respondetur, prius auferendum esse fastum bellicum, quo populus confidit (5,10. 11), atque abolendam idololatriam ex populo (5,12-14).

Tertia pars (6,1-7,20) *iudiciariam quandam exhibet actionem Deum inter et populum, qua populi quidem culpa, Dei autem iustitia et misericordia clarius demonstrantur.*

1. In *exordio* (6,1. 2) Deus invitat omnes populos, ut actioni intersint.

2. *Prima actio* (6,3-8) *de populi ingratitudine.*

a.) Paucis *Deus* populo antiqua sua beneficia in memoriam revocat (6,3-5),

b.) anxie autem *Israel* quaerit, quid hisce beneficiis rependere debeat (6,6. 7),

c.) ad quam quaestionem respondet *propheta* monito divino in memoriam revocato (6,8).

3. *Altera actio* (6,9-7,10) *de populi peccatis.*

a.) *Dominus* enumeratis populi peccatis (6,9-12) poenas denuntiat (6, 13-15) gravioremque propter gravem idololatriam (6,16).

b.) Quam accusationem *propheta* confirmat peccatis populi fusius descriptis (7,1-6).

c.) *Populus* autem Deo confisus poenae iustitiam agnoscit spemque salutis exprimit (7,7-10).

4. *Tertia actio* (7,11-20) *de divina misericordia.*

a.) *Propheta* populum alloquens futuram restaurationem et hostium cladem promittit (7,11-13), Dominum autem precatur, ut populi sui curam gerat (7,14).

b.) Quibus respondet *Deus* maiora promittens, quam quae petita sunt (7,15-17).

c.) Atque *populus* misericordiam divinam celebrat suamque fiduciam exprimit (7,18-20).

Quemadmodum tempore, ita indole sua libellum Michaeae vicinum esse Isaiae vaticiniis, si argumentum in quaestionem venit, ex analysi tradita elucet; graviter quidem peccata increpat neque futuras poenas praetermittit, at consolatio longe praevalet et integer liber mirum in modum misericordiam divinam celebrat. Neque in externa forma affinitas quaedam cum Isaia deest; ad sublimitatem quidem et maiesta-

tem orationis isaianae non pertingit, sed eadem est linguae puritas, similis saltem sermonis vis et gravitas, eadem quoque imaginum frequentia. In nonnullis tamen adhibendis figuris Isaia est audacior, neque ullus sacer scriptor paronomasias accumulavit, sicut noster (1,10-15); quoniam simul Isaia plerumque est brevior atque concisior, ab isaiana claritate interdum deficiens propius ad obscuritatem alterius prophetae aequalis, Oseae, accedit; quae obscuritas nonnullis in locis frequenti personarum loquentium mutatione (6.7.) atque subito inexspectatoque transitu a minis ad promissiones (2,11. 12; 3,12 et 4,1; 5,1. 2) aliquantum augetur.

*Authentia* vel potius INTEGRITAS libelli a nonnullis modernis in dubium vocatur. Duo ultima capita, quia eorum alia sit indoles, iuniori scriptori Ewald attribuere voluit[4]; at eodem cum iure librorum omnium integritatem negare licet; cur enim propheta, qui in duabus prioribus partibus formam concionis praetulerat, in tertia aliam formam oratoriam adhibere non potuit? Longius progressus Wellhausen ultimum caput in duas partes discerpit, quarum priorem (7,1-6) prophetae nostro relinquere videtur, alteram autem integro fere saeculo postea scriptam esse contendit[5]; scilicet ad dialogismum non attendit eandem esse personam loquentem ratus in priore parte (7,1-6) atque in secunda (7,7 sqq.). Simili ratione cap. 4 discerpere vult, quia inter 4, 9. 10 et 4,11 sqq. aperta sit pugna; sed eodem argumento etiam *Os.* 1. et 2. diversis temporibus scripta esse demonstrabimus, atque pugnam adesse inter *Is.* 8,22 et 23 (*Vulg.* 8,22 et 9,1). Eiusdem generis ratiunculis *Stade* prophetae nostro sola 1,2-2,11 et 3,1-12 relinquenda esse demonstravit, reliqua omnia post exsilium esse conscripta, verum Michaeam nihil de Messia aliquo scivisse[8]. Quoniam vero ne ullum quidem ex « criticis » praeter solum, ut videtur, *Cornill* ad suam opinionem trahere potuit, eius cavillationes refutatione non indigent.

AUCTORITAS DIVINA demum Prophetiae Michaeae nobilissimis testibus confirmatur; ipse *Isaias*, princeps prophetarum, Michaeae vaticinium (4,2 sqq.) velut fundamentum uni ex suis concionibus subiecit (*Is.* 2,1 sqq.); *Ieremias* vaticinio nostri prophetae vitae periculo ereptum se esse testatur (*Ierem.* 26,17 sqq.)[7]; totum synedrium ierosolymitanum interrogatum a Herode de loco nativitatis Messiae publica cum auctoritate ex nostro libello quaestionem definivit (*Matth.* 2,4 sqq.).

1. Isaiam vocatum esse anno mortis Oziae satis ex *Is.* 6,1 sqq. constat; Ioatham autem iam ante patris mortem regnum administravit (4 *Reg.* 15,5), quare non improbabile est, Michaeam vaticinium suum iam ante Oziae mortem edidisse, etiamsi eum inter reges, sub quibus vaticinatus est, non nominet.

2. Praeter *Mich.* 4,2 sqq. et *Is.* 2,1 sqq. hi fere textus, in quibus magis minusve consentiant, allegari solent :

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| *Mich.* 1,9-16; | *Is.* 10,28-32; | *Mich.* 3, 12; | *Is.* 32,14; | *Mich.* 6,6-8; | *Is.* 1,11-17; |
| 2,1. 2; | 5,8; | 4,10; | 32,11; | 7,7; | 8,17; |
| 2,6. 11; | 30,10. 11; | 5,5; | 9,6; | 7,12; | 11,11. |
| 3,5-7; | 29,9-12; | 5,9-14; | 2,6-17; | | |

Cfr *Trochon* Les petits proph. p. 250; *Davidson* Introd. III. p. 288 etc.

3. Quatuor partes olim distinxit *Card. Hugo* : comminationem (1.-3.), promissionem (4. 5.), iudicium (6.), lamentationem de populi duritie (7.); duas tantum agnovit *Lyranus* comminatoriam (1.-3.) et promissoriam (4.-7.); tres agnovit *Kilber* (Analys. Bibl. I. p. 497) : iudicium contra utrumque regnum (1.-3.), promissiones messianicae (4. 5), prophetia mixta (6. 7.). Tres illas partes, quas distinximus, ex modernis catholicis agnoscunt *Kaulen* Einl. p. 355 sq.; *Vigouroux* Manuel bibl. II. p. 643 sq.; *Trochon* Les petits proph. p. 248; *Zschokke* Hist. sacr. A. T. p. 273; *Knabenbauer* Proph. min. I. p. 393 sq.; *Schenz* Einl. p. 250 sq. etc. Maior est inter modernos protestantes dissensus; sed divisionem, quae inter catholicos communis dici potest, bene vindicat *Keil* Einl. p. 326 et Comm. 302.

4. *Ewald* Propheten I. p. 525 sqq.; cfr quae contra eum monet ipse *Nöldeke* in Schenkel Bibellex. IV. p. 213.

5. *Wellhausen* in Bleek's Einl. p. 425, cui irridet *Reuss* Gesch. des A. T. p. 314.

6. *Stade* Zeitschr. für alttest. Wissensch. 1881. p. 161 sqq.; contra quem cfr *Reuss* l. c., *Giesebrecht* in Theol. Literaturzeit. 1881. p. 443 sq.

7. De aliis Ieremiae allusionibus ad Michaeam cfr *Kueper* Ieremias libr. sacr. interpres p. 74 sq.

## § 27. — *De Prophetia Nahum.*

311. — I. De prophetae vita et aetate. — Prophetae minores, de quibus hucusque egimus, omnes ante regni septemtrionalis interitum vaticinati sunt, quare in suis vaticiniis etiam utriusque regni vitia reprehendere et futuram sortem praedicere solent. Tres, qui proximi sequuntur, ad saec. 7. pertinent atque solum meridionale regnum prae oculis habent; inter eos autem aetate reliquos superat *Nahum,* cui palaestinenses et alexandrini Iudaei in minore prophetarum volumine septimum locum attribuerunt. De eius vita nihil praeter nomen נחום האלקשי (Ναούμ ὁ Ἐλκέσαιος, *Nahum Elcesaeus*) nobis est traditum; in quo nomine S. Hieronymus munus eius aliqua ratione vidit indicatum; nam « Nahum interpretatur *consolator.* Iam enim decem tribus ab Assyriis deductae fuerunt in captivitatem sub Ezechia rege Iuda, sub quo nunc etiam in *consolationem* populi transmigrati adversum Ninive visio cernitur. Nec erat parva *consolatio* tam his, qui iam Assyriis serviebant, quam reliquis, qui sub Ezechia de tribu Iuda et Beniamin ab iisdem hostibus obsidebantur, ut audirent Assyrios quoque a Chaldaeis esse capiendos »[1]. Cognomen autem *Elcesaei* potius a patria, quam a patre deductum esse, contra chaldaicum paraphrasten, qui prophetam « de familia Koschi » fuisse dixit, cum S. Cyrillo Alex. et S. Hieronymo tantum non omnes interpretes consentiunt. Verum ubinam terrarum situm fuerit *Elkosch* vel *Elcesa,* controvertitur. *Ps.*

*Epiphanius* prophetam natum dicit « in Elcesei trans Iordanem versus Begabar ex tribu Simeon »; *S. Cyrillus* oppidum illud in Iudaea fuisse « ex traditione » accepit; secundum *S. Hieronymum* « Elcesi usque hodie in Galilaea viculus est, parvus quidem et vix ruinis veterum aedificiorum indicans vestigia, sed tamen notus Iudaeis et ipsi quoque a circumducente monstratus »; inde a saec. 17. demum nova exorta est sententia, quae patriam prophetae putat esse vicum Alkusch, qui duorum dierum itinere versus septemtrionem a Mosul distat ad ripam orientalem Tigridis in Assyria situs[2]. Quibus ex sententiis illa sola nobis probatur, quam S. Hieronymus ex Iudaeorum traditione hausit ex eademque S. Cyrillus quoque hausisse recte dicitur, quippe cui « Iudaea » latiore sensu integra Palaestina cisiordanica fuit. Ps. Epiphanii enim assertum non maiorem meretur fidem, quam reliquae eius fabellae de vitis prophetarum et mira de interitu Ninives narratio vitae Nahumi inserta. Admodum autem recens est traditio de Alkusch assyriaco, neque magni ponderis arbitramur esse argumenta, quibus nonnulli moderni interpretes eam confirmare sunt conati : nam auctorem vaticinii nostri in Assyria vixisse, nec tria vocabula assyriaca, quae deprehendisse sibi videntur, nec pauci eius aramaismi, nec scientia eius de rebus assyriacis demonstrant[3].

Ad illam igitur partem incolarum regni septemtrionalis pertinuit Nahum, qui aut transportationi in Assyriam fuga sese subtrahere aut mox in patriam reverti potuerant[4]. Aetatem vero eius, quae olim controvertebatur, hodie assyriacis inscriptionibus satis accurate definire licet. Quin ante regni assyriaci et Ninives destructionem, quippe quam praedicat, vaticinium sit editum, nemini est aut fuit dubium; ante a. 625. vel 608. igitur vixit Nahum[5]. Quoniam vero Thebas (No Ammon; *Vulg.* Alexandriam gentium) expugnatas commemorat (3,8), recte concluditur, eum post a. 664. esse vaticinatum; nam Asurbanipal rex Assyriorum in suis annalibus tradit, brevi post mortem Tharacae (i. e. post a 664.) a suis copiis Thebas esse expugnatas et vastatas; de altera autem Thebarum expugnatione nihil omnino nobis est traditum[6]. Medio igitur saec. 7. vaticinium nostrum editum est[7]. Quibuscum consentit traditio quaedam iudaica : « Nahum et Habacuc vaticinabantur tempore Manasse (696.-641.); at quoniam improbus erat Manasse, tacuerunt eius nomen »[8].

1. *S. Hieron.* In Nah. Prol. (M. 25,1290).

2. *Ps. Epiph.* De vitis proph. 17 (M. 43,409); *S. Cyrill. Alex.* In Nah. 1,1 (M. 71, 730); *S. Hieron.* l. c. — De Alkusch assyriaco cfr *Assem.* Bibl. orient. I. p. 525; III. 1. p. 352.

3. Ex tribus vocabulis assyriacis, quae Ewald detexit חֻצַּב 2,8; מִנְּזָר et טִפְסָר 3,17, *Kleinert* (Obadjah, Ionah, Micha, Nahum etc. p. 98) solum urget ultimum, quod

revera assyriacae originis est, sed quum nomen dignitatis sit, aeque bene a Nahum, quam a Ieremia (51,27) in Palaestina scribente, adhiberi potuit. Pauci, si qui adsunt, aramaismi in lingua Galilaei neminem offendere possunt. Quomodo vero ex modo, quo Niniven describit, aut Iudaeam alloquitur (2,1 sqq. [1,15; 2,1] cfr *Is.* 52,7), sequatur, prophetam longe a Palaestina in Assyria vixisse, non intelligo; atque multo minus video, cur propheta interitum Ninives praedicens peccata populi sui carpere debuerit. (*Kleinert* l. c. « Aus der anschaulichen Art, wie der Prophet von der Stadt redet, ist ersichtlich, dass seine Weissagung in Assur geschrieben ist. Die Rede ist wie eines, der aus der Ferne Israel zuruft... Nirgends findet sich eine Rüge der Sünden Israels, die ein anwesender Prophet schwerlich unterlassen hätte »). Cfr de hac quaestione *Knabenbauer* Proph. Min. II. p. 2.

4. Prophetam non fuisse ex regno septemtrionali, concludit *Kleinert* (l. c.) ex eo, quod de Samaria plane taceat et de Iuda tantum sollicitus sit (« er wurzelt mit seinem Herzen in Iuda »). Sed Samaria eo tempore destructa iacebat; incolae autem regni septemtrionalis, qui in terra Israel superstites erant, iam Ezechiae tempore iterum Ierusalem pro centro suo religioso habebant (cfr supra 137. tom. I. p. 403), atque prophetae ad unum omnes de Iuda, i. e. de domo davidica, ex qua oriundus erat Messias, erant solliciti.

5. De tempore, quo Ninive deleta est, cfr praeter opera *supra* 137. n. 9 (I. p. 406) allegata etiam *A. Delattre* S. I. Le peuple et l'empire des Mèdes. Bruxelles 1883. p. 178 sqq.

6. De Thebis per Asurbanipal expugnatis cfr *Ménant* Annales des rois d'Assyrie p. 257; *Schrader* Keilinschr. u. A. T. Ed. 2. p. 452 sq.; *Vigouroux* La bible et les découvertes modernes. IV. p. 239 sqq.; *Brunengo* L'impero di Babilonia e di Ninive II. p. 127 sq. etc.

7. Secundum *Trochon* (Les petits proph. p. 298) vaticinium scriptum est post a 672., secundum *Vigouroux* (l. c. p. 243) c. a. 664. vel 663., secundum *Knabenbauer* (l. c. p. 3) c. a. 660.; eundem annum post *Schrader* (l. c.) indicat *Volk* (Herzog P. R. E. X. p. 410); *Driver Rothst.* (Einl. p. 360) a. 345. praefert. Si quis nobiscum (*supra* n. 139. *n.* 3. tom. I. p. 411) prophetam 1,11-3,4 cladem Holofernis velut vaticinii fundamentum sumsisse tenet, illud c. a. 650. vel paullo tardius editum dicet. — « Criticorum » (*Ewald, Hitzig, Davids., Reuss, Cornill*) opiniones, qui brevi ante Ninives expugnationem, quando eius destructio ab omnibus coniectura iam percipi potuit, Nahum eam vaticinatum esse asserunt, refutatione non indigent, quum rationalistico praeiudicio de verorum vaticiniorum impossibilitate nitantur. — De reliquorum antiquiorum sententiis hodie obsoletis cfr *Huet.* Demonstr. evangel. Proph. 4. p. 320 sq., *Keil* Einl. p. 328 sq. Plerique interpretes antiquiores, quoniam cp. 1. Sennacheribi cladem praedictam viderent, Ezechiae tempori vaticinium attribuerunt; mirum quod *Clem. Alex.* Strom. I. 21 (M. 8,852.) Nahum dixerit *Ezechiele* esse recentiorem, scripsisse igitur satis diu post Ninives interitum.

8. *Seder Olam* rabba ed. Meyer p. 55. 105.

312. — II. DE LIBRI ARGUMENTO, INDOLE, AUCTORITATE — Vaticinii sui summum argumentum Nahum inscriptione praefixa satis clare indicat; *Onus Ninive* enim, i. e. oraculum minax contra Niniven, illud appellavit, idque meritissimo, quum in Ninives imperiique assyriaci interitu praedicendo versetur[1]. Quomodo vero in sua *visione* hoc argumentum explicaverit, docet haec ANALYSIS, in qua consuetam interpretum explicationem sequimur[2]. Cum quibus etiam tres partes apte

distinguimus[3], quarum prima velut exordium quoddam argumenti extrema lineamenta indicat, duae reliquae imaginem destructionis accuratius depingunt; singulae autem tribus strophis constant.

PARS PRIMA (1,2-15 [2,1]) *Deum propter suam iustitiam et bonitatem Niniven deleturum, populum autem suum servaturum esse annuntiat.*

1. *Prima stropha* (1,2-6) Dei iusti vindicis terrorem et potentiam, cui nemo resistere possit, magnificentissime describit.
2. *Secunda* (1,7-10) Dei bonitatem, qui amicos suos non derelinquit, celebrat innuitque populum electum ab Assyriis non iterum afflictum iri.
3. *Tertia* (1,11-15 [2,1]) Niniven, a qua hostis Dei exivit [a], et terram Iuda, quae calamitatem passa est, vicissim alloquens completum annuntiat Ninives interitum et terram Iuda, quum eius hostis sit destructus, festa sua celebrare iubet.

PARS ALTERA (2,1-13 [2-14]) *futuram Ninives destructionem et depopulationem describit.*

1. *Prima stropha* (2,1-4) Niniven ironice ad fortitudinem exhortatur contra hostes advenientes, quorum fortitudinem et multitudinem descriptione sua indicat.
2. *Secunda* (2,5-9) Ninivitarum obsessorum irritis conatibus indicatis occupationem urbis, incolarum captivitatem, opum direptionem vividis coloribus depingit.
3. *Tertia* (2,10-13) vastitatem urbis cum priore eius opulentia comparat perpetuamque fore hanc destructionem secundum iudicium Dei denuntiat.

PARS TERTIA (3,1-19) *interitum, quem Ninive ob peccata sua meretur, nulla ratione averti posse docet.*

1. *Prima stropha* (3,1-7) Ninives crudelitatem fraudem rapinamque castigat, propter quae scelera ab hostibus devastabitur (3,1-3), atque fornicationes et idololatriam, propter quas Deus eam confusione operiet (3,4-7).
2. *Secunda* (3,8-13) destructione Thebarum (Alexandriae gentium) in memoriam vocata monet Niniven meliorem non esse, neque meliorem sed peiorem sortem esse habituram.
3. *Tertia* (3,14-19) irritos fore omnes defensionis conatus edicit, irreparabilem fore urbis ruinam eiusque nuntium omnes populos gaudio esse impleturum.

INDOLEM vaticinii huius his verbis descripsit *Lowth :* « Ex omnibus minoribus prophetis nemo videtur aequare sublimitatem, ardorem, audaces spiritus Nahumi. Adde quod eius vaticinium integrum ac iustum est poema; exordium magnificum est et plane augustum; apparatus ad excidium Ninivae eiusque excidii descriptio et amplificatio arden-

(a) Pro « *ex te exibit* » (1,11), quod exhibet Vulg. Clement., cum Amiationo aliisque codd. latinis et cum text. hebr. omnino legendum est : « ex te exivit ».

tissimis coloribus exprimitur, et admirabilem habet evidentiam et pondus »[4]. Quae verissime sunt dicta; illud unum autem addendum videtur, uti neminem inter minores sublimitate et audacia, ita neminem inter omnes poetas sacros dramatico describendi modo nostrum prophetam aequare; quasi praesens adsit, mox Ninivem alloquitur, mox Iudaeam, nunc Assyrios fugientes, nunc hostes urbem diripientes, nunc Dominum introducit loquentem, nunc ducum vel hostium vel Assyriorum verba affert. Ad quae attendens S. Hieronymus : « hinc vel maxime, inquit, obscuri sunt prophetae, quod repente dum aliud agitur, ad alios persona mutatur »[5]. Vaticinium ipsum autem, licet minax sit contra Assyrios, simul tamen, uti recte etiam monuit S. Hieronymus, consolationis plenum est populo electo. Illo enim tempore, quo Assyrii rege Asurbanipal summum potentiae fastigium attigerant atque unam populi partem plane devicerant captivamque abduxerant, alteram tributariam iam reddiderant, propheta in alta specula constitutus videt Dominum vindicem potentissimum advenientem, ut iudicium exerceat contra impietatis propugnatorem, et exitum iudicii praevidens iubet populum suum iterum laeta festa peragere, quum destructus sit eius hostis : Dei igitur iustitiam, qua hostes suos populique sui adversarios destruit, bonitatemque, qua amicos suos in die tribulationis complectitur, contribulibus suis ob oculos posuit.

Authentia libelli a nullo unquam est negata; primam tantum inscriptionis partem (*Onus Ninive*) aliqui in dubitationem vocaverunt[6] non animadvertentes, integram priorem partem vaticinii non intelligi, nisi Ninive in titulo nominetur; in vaticinio ipso enim, quamvis propheta de ea loquatur (1,8) eamque alloquatur (1,11. 14; 2,1 etc.), nomen urbis, cuius interitus praedicitur, non legitur nisi 2,9. Alii commemorationem destructionis Thebarum (3,8-10) ex textu sacro eiicere voluerunt[7], quoniam nullo testimonio antiquo destructio illa confirmetur; qui imprudentes « critici » detectis annalibus Asurbanipal egregie ad silentium sunt redacti.

Auctoritas divina demum vaticinii disertis aliorum librorum sacrorum testimoniis demonstrari nequit, atque allusiones quoque, quae sive in Ieremiae libris sive in N. T. deprehenduntur, leviores sunt, quam quae certum argumentum praebeant[8]; illud autem certum est, antiquam synagogam et Ecclesiam prophetiam nostram semper in canone suo habuisse, ac proin validissimo traditionis testimonio auctoritas eius nititur.

1. De sensu vocabuli מַשָּׂא cfr *supra* 248. n. 3. p. 292.

2. Si quis alteram explicationem, quam probabilem demonstrare conati sumus (139. n. 3. tom I. p. 411 sq.), sequi maluerit, ita fere libellum dispertiri poterit. In exordio (1,2-10) propheta duabus strophis Dei iustitiam, qua hostes suos punit

(1,2-6), et bonitatem celebrat, qua amicos suos ex periculo eripit (1,7-10). In PRIORE PARTE (1,11-3,4), ut hanc sententiam confirmet, recentem cladem Holofernis quinque strophis describit (1,11-15; 2,1-4; 2,5-8 a; 2,8 b.-13; 3,1-4). Cui fundamento demum in ALTERA PARTE (3,5-19) superstruit vaticinium de futura Ninives destructione, quam tribus strophis (3,5-10; 11-15; 16-19) absolvit.

3. *Card. Hugo* et *Lyranus* duas partes distinguentes in priore (cp. 1.) cladem Sennacherib, in altera (2. 3.) interitum Ninives praedici censuerunt. A quibus haud longe abludit *Kilber* (Analysis bibl. I. p. 503 sqq.), qui cp. 1. indicia instantis castigationis Assyriorum enumerata videt, inter quae clades Sennacherib *iam praeterita* Iudaeam ad spem excitat (1,9-15); cp. 2. deinde ruina Ninives et regni Assyriorum generatim praedicitur; cp. 3. autem accuratius futura destructio describitur. Divisio, quam sequimur, eadem fere est, quam indicant *Vigouroux* Manuel bibl. II. p. 647, *Trochon* Les petits prophètes p. 303 sqq., *Knabenbauer* Proph. Min. II. p. 4 sq., *Kaulen* Einl. Ed. 3. p. 421, *Schenz* Einl. p. 274 etc. Eandem inter protestanticos interpretes exhibent *Keil* Comment. p. 371, *Kleinert* Obadjah, Ionah, Micha, Nahum etc. p. 104 sqq. etc.

4. *Lowth* De sacra poesi p. 246. — Oratorem potius, quam poetam in Nahum admiratur *Ribera* (Proph. Minor. Romae 1590. II. p. 142) : « Tantam in prophetia Nahum vim eloquentiae, tot lumina orationis, tam miram sententiarum gravitatem invenimus, ut nihil possit dici ornatius aut eloquentius. Qui igitur rhetorum praeceptis instructus ad eam accedet, inveniet quae miretur, et rerum verborumque maiestate magnopere delectabitur ». In praedicanda prophetae dictione moderni quoque interpretes omnes consentiunt.

5. *S. Hieron.* In Nah. 2,1. 2 (M. 25,1303).

6. Ita olim *Bertholdt* Einl. p. 1659, *Eichhorn* Einl. IV. p. 398, et hodie adhuc *De Wette Schrader* Einl. p. 469, *Cornill* Einl. Ed. 3. 1896. p. 193.

7. De hac sententia, quam primus proposuit Hitzig, cfr *Kleinert* l. c. p. 121.

8. Si libri Tobiae recensio, quam exhibet Cod. Sinait., absolutam mereretur fidem, *Tob.* 14,4 vaticinium nostrum diserte allegasset (πιστεύω ἐγὼ τῷ ῥήματι τοῦ Θεοῦ ἐπὶ Νινευῆ, ἃ ἐλάλησε Ναούμ κτλ.); at *Gr. A.* legit : πέπεισμαι ὅσα ἐλάλησε Ἰωνᾶς ὁ προφήτης περὶ Νινευῆ κτλ., *Itala* omne prophetae nomen omittit : « credo ego verbo Dei, quod locutus est in Niniven; quia omnia erunt et venient adhuc super Assur et Niniven, quae locuti sunt prophetae Israel, quos misit Dominus ». Simili fere modo Vulg. — Allusiones ad nostrum vaticinium in Ieremiae libris hae praecipuae enumerantur : *Nah.* 1,13 et *Ier.* 30,8; *Nah.* 3,5. 13. 17. 19 et *Ier.* 13,22 sqq.; 50,37 et *Thren.* 2,9; *Ier.* 51,27; 10,19; 51,12. Cfr *Kueper* Ieremias libr. sacr. interpres p. 75.

## § 28. — *De Prophetia Habacuc.*

313. — I. DE PROPHETAE VITA ET AETATE. — De Habacuc vita nec plura nec certiora, quam de plerisque prophetis, nobis transmisit antiquitas. Quae enim *Ps. Epiphanius* cum suis sequacibus narrat, Habacuc ex agro Bethzochor (al. lect. Bidzechar, Bethoachar) in tribu Simeon originem duxisse, Ierosolymis per Nabuchodonosor captis in Ostracinem fugisse, postea reversum in agro suo vixisse donec per angelum in Chaldaeam translatus Danieli in fossa leonum commoranti cibum attulisset, multa de excidio urbis per populum occidentalem futuro praedixisse etc.[1], illa merito pro fabulis habentur. Restat igitur,

ut ex libro eius colligamus, quis fuerit et quando vixerit; at liber eius nihil nobis diserti tradit, nisi nomen ei fuisse Habacuc[2] eumque munere prophetico esse functum (3,1). Sunt quidem, qui ex ultimis eius verbis quibus carmen proxime praecedens לַמְנַצֵּחַ בִּנְגִינוֹתָי (« praefecto musicae sacrae ad cytharae *meae* sonum » decantandum) tradi iubet, prophetam ex leviticis cantoribus fuisse deducunt[3]; quae conclusio illegitima est, nisi quis contra historiae fidem solis levitis cantica liturgico usui destinare aut in templo cytharizare (cfr *Is.* 38,20. Text. hebr.) licuisse statuerit. Alii prophetam, cui vaticinium debetur, eundem illum fuisse censent, qui Danieli per Cyrum leonum fossae iniecto prandium attulit (*Dan.* 14,32)[4]; at haec quaestio a tempore dependet, cui vaticinium est adscribendum; atque satis magna de eo est sententiarum varietas.

Etenim ut rabbinos illos praemittamus, qui ridicula ratione nixi Habacuc dixerunt fuisse Sunamitidis filium, quem Eliseus a mortuis suscitavit[5], alii interpretes ultimis Ezechiae annis, alii Manasse vel Amonis regnis, alii primis aut ultimis Iosiae annis, alii Ioakim aut etiam Sedeciae tempore vaticinium editum esse asserunt[6]. Quae sententiae, quum integrum saeculum complectantur, satis ostendunt, in libro ipso aetatem eius cum certitudine non definiri; quid autem probabilius tenendum sit, videbimus argumentis, quae vulgo ad prophetae aetatem definiendam afferuntur, in examen vocatis. Inter quae primum locum tenent verba, quibus futuram Chaldaeorum in Palaestinam irruptionem velut rem fere incredibilem annuntiat (1,5); iam vero irruptio Chaldaeorum incredibilis non amplius dici potuit, postquam a. 4. Ioakim Nabuchodonosor apud Charcamis regem Nechao devicerat, immo incredibilis non amplius fuit, quo tempore Chaldaeorum imperium ad tantam potentiam excreverat, ut assyriacum destrueret. Quapropter a vero illos aberrare iure dicimus, qui prophetam nostrum Ioakim aut Sedeciae aetate vixisse asserunt; a. 4. Ioakim Ieremias iam annuntiavit Chaldaeos totam Asiam citeriorem sibi esse subiecturos et per septuaginta annos occupaturos (*Ier.* 25.); Habacuc igitur Ieremia est antiquior, id quod etiam ex eo elucet, quod Ieremias verba nonnulla Habacuci ad Babylonis interitum describendum mutuatus sit[7]. Altera autem ex parte illi quoque a vero aberrant, qui Ezechiae aetati libellum nostrum attribuunt. Namque ultimis annis Ezechiae piissimi regis, « cui non fuit similis de cunctis regibus Iuda » (4 *Reg.* 18,5) cuiusque gratia brevi ante eius mortem maximus Sennacherib exercitus miraculo a Deo destructus est, parum convenit illa iniustitiarum descriptio, qua vaticinium suum Habacuc (1,2-4) exorditur; integri autem vaticinii structuram non perspexerunt, qui, ut huius argumenti vim eluderent, verba illa de iniustitiis hostium intel-

ligere voluerunt. Eodem argumento illa sententia excluditur, quae ultimis Iosiae annis vaticinium attribuit. Nam Iosias, qui octo annos natus thronum ascendit, « a. 8. regni sui, quum adhuc esset puer, coepit quaerere Deum patris sui David » atque inde ab a. 12. et multo magis ab a. 18. regni magno cum ardore Legem restabilivit (2 *Paral.* 34,3 sqq.), ut aperta saltem illa iniustitia, quam increpat propheta, ultimis eius annis sese prodere non potuerit. Solis igitur regnis Manasse vel Amonis aut primordiis Iosiae vaticinium cum aliqua probabilitate attribuitur. Porro consideratione dignum est, in vaticinio nostro iniustitias quidem, sed non idololatriam castigari; unde pronum est concludere, saltem publice et aperte illa aetate idololatriam a Iudaeis non esse exercitam, atque proin vaticinium nec primo tempore regni Manasse nec tempore Amonis nec duodecim primis annis Iosiae esse editum. Ita sola altera pars regni Manasse remanet, qui postquam Babyloniam in vinculis abductus poenitentiam egit, Ierosolyma reversus « instauravit altare Domini praecepitque Iudae, ut serviret Domino Deo Israel » (2 *Par.* 33,16). Cui aetati etiam locus congruit, quem Habacuc in serie prophetarum minorum occupat; Nahumo enim, quem post a. 664. vaticinatum esse ostendimus, fuit aequalis; illo tamen forte aliquantulum recentiorem fuisse argumentum utriusque libri suadet. Nahum enim Assyriorum, a quibus eo tempore Iuda impugnabatur, interitum praedixit, Habacuc interitum Chaldaeorum, qui non nisi quinquaginta fere annis post Iuda impugnare coeperunt; convenientius autem videtur, ut praesentium hostium prius quam futurorum interitus Iudaeis sit promissus[3].

Ultimis ergo Manasse annis prophetam nostrum libellum suum scripsisse probabilior tenet sententia; quam qui admittunt, alterum esse Habacuc dicant oportet, qui prophetae Danieli prandium attulit. Centum enim et quinque anni finem regni Manasse a primordiis regni Cyri separant, neque ulla est ratio, cur prophetam nostrum ad tam extraordinariam senectutem pervenisse dicamus.

1. *Ps. Epiph.* De vitis proph. 18 (M. 43,409); *S. Isid. Hisp.* de obitu Patr. 51.

2. Cfr *S. Hier.* Comm. in Hab. Prol. (M. 25,1333 sqq) : « Scire nos convenit corrupte apud Graecos et Latinos nomen *Ambacum* ('Αμβακούμ) prophetae legi, qui apud Hebraeos dicitur *Habacuc* (חֲבַקּוּק) et interpretatur *amplexus* (sc. a rad. חבק, Pi. amplexus est), sive ut significantius vertamus in graecum περίληψις i. e. *amplexatio* ». Porro monet duplicem esse amplexum, alterum hostilem luctatorum, alterum suavem amicorum, atque utraque significatione nomen nostro prophetae convenire, quem Deus velut amicum amplexus sit, et qui in certamen et luctam quasi congressus sit cum Deo.—De nominis forma cfr *Reinke* der Proph. Habakuk. Brixen 1870. p. 1 sq.

3. *Trochon* Les petits prophètes p. 320. 346, *Vigouroux* Manuel II. p. 647.; ex protestanticis *Delitzsch* Der Prophet Habakuk. Leipzig 1843. p. III. et 204 sqq.; *Keil* Einl. p. 329 et Comm. p. 405. — Interpretes, qui hanc sententiam inscriptione

alexandrina narrationis danielicae de Bel et dracone (*Dan.* 14. Ἐκ προφητείας Ἀμβακοὺμ υἱοῦ Ἰησοῦ ἐκ τῆς φυλῆς Λευί) confirmare volunt, maiorem quam meretur auctoritatem textui alexandrino Danielis attribuunt, atque prophetam nostrum et Habacuc, de quo agit narratio, eandem esse personam, nimis facile supponunt.

4. Ita iam *S. Hier.* l. c., *Ps. Epiph.* l. c., *S. Isidor. Hisp.* l. c., quos ex antiquioribus sequuntur *Agellius* (Comm. in Habac. Prooem. p. 5), *Pererius* (In Dan. 14), *Mariana* (In Hab. Prol.), *Hector Pintus* (In Dan. 14), *Tirinus* (In Dan. 14) dissentientibus plerisque aliis; ex modernis *Vigouroux* (l. c.), licet vaticinium nostrum editum censeat intra a. 650. et 627., ita ut Habacuc circiter centesimum quinquagesimum annum aetatis attigisse sit dicendus, *Schegg* (Die kl. Propheten II. p. 81) et *Haneberg* (Gesch. der Offenb. p. 338), qui tamen vaticinium non nisi 609.-606. editum dicunt.

5. De hac rabbinorum fabula cfr *Huet.* Demonstr. evang. Proph. IV. p. 323; *Wolf* Bibl. heb. II. p. 181; *Carpzov.* Introd. III. p. 387 sq.

6. Tanta est sententiarum varietas, ut omnes accurate enumerare nequeamus, quare ex recentioribus tantum praecipuas recensebimus. De Ezechiae aetate, cui *Theodor. Mopsu.* (Comm. M. 66,425), *Ribera* (Proph. Min. I. p. 15.) paucique vaticinium attribuerunt, nullus ex modernis loquitur; illos, qui Manasse regno illud attribuunt, statim nominabimus. — Iosiae regno ex modernis catholicis illud attribuunt *Scholz* (Einl. III. p. 603), *Danko* (Hist. revel. p. 420), *Reinke* (Der Proph. Habak. p. 15), *Holzammer* (Handb. der bibl. Gesch. I. p. 756) etc., ex protestanticis *Delitzsch* (l. c. p. XIV), *Volck* (in Herzog P. R. E. V. p. 488) etc. — Tempori Ioakim, sed primis eius annis, antequam Nabuchodonosor apud Charcamis Aegyptios devicerat, illud adscribunt ex catholicis *Schegg* (l. c.) et *Haneberg* (l. c.), ex protestanticis *Kleinert* (Obadjah etc. p. 127 sq.), *Bleek Kamphausen* (Einl. Ed. 3. p. 545 sq.), *Cook* (The Speaker's Commentary VI. p. 655), *Driver Rothst.* (Einl. 1896. p. 364), etc.; e contra post illam victoriam oraculum editum esse tenent plerique rationalistae cfr *De Wette Schrad.* (Einl. p. 470), *Schrader* (Schenkel's Bibellex. II. p. 556), *Hitzig* (Die kl. Proph. p. 249 sq.), *Davidson* (Introd. III. p. 305), *Koenig* (Einl. 1893. p. 351), *Strack* (Einl. Ed. 4. 1895. p. 104) etc. — Aliqui post destructionem Ierusalem vaticinium prodiisse, ita ut post eventum sit confictum, cum *Bertholdt* (Einl. p. 1699) tenent. — Merito miraberis, quod etiam *Clem. Alex.* (Strom. I. 21. M. 8, 843) de Sedeciae aetate, *S. Hier.* (l. c.) de exsilio cogitaverit.

7. *Hab.* 2,13 et *Ier.* 51,58 b. ad verbum fere consentiunt, ut alterutrum ab altero dependere sit evidens; attende autem, quam accurate haec verba Habacuc antecedenti v. 12. opponat, et quomodo totam sententiam (2,12-14) parallelam faciat praecedenti (2,9-11), dum a Ieremia quasi ex abrupto afferantur, neque dubitare poteris, quin Ieremias illa a Habacuc sit mutuatus. Cfr *Kueper* Ieremias libr. sacr. interpres. p. 75 sq. — Minus certum est, *Soph.* 1,7 a Hab. 2,20 dependere, quamvis id satis sit probabile.

8. Ad Manasse ultimos annos vaticinium antiquitus iam retulerunt Iudaei in *Seder Olam* rabba 20.; eandem sententiam « ex nostris (i. e. catholicis) neque paucos neque indoctos » tenere asseruit *Sanctius* (Comm. in Proph. Min. p. 1113), eam « communiorem » vocat *Corn. a Lapide* (In Hab. Argum.) allegatis Guevara, a Castro, Vatablo, Clario, Aria aliisque; ex modernis catholicis eam sequuntur *Iahn* (Einl. III. p. 513), *Ackermann* (Introd. p. 270), *Kaulen* (l. c. p. 424), *Zschokke* (Hist. A. T. p. 275), *Knabenbauer* (Proph. Min. II. p. 52), *Schenz* (Einl. p. 281) etc.; ab eadem non longe absunt *Vigouroux* (Manuel II. p. 648 « entre l'an 650 et l'an 627 »), *Trochon* Les petits prophètes p. 322 « à la fin du règne de Manassé ou au commencement de celui de Iosias », sed non attendit inter duo illa regna interiacere regnum Amonis, qui idololatriam restituit, quae perduravit usque ad 12. Iosiae annum). Ex modernis pro-

testanticis eandem sententiam amplectuntur *Haevernick* (Einl. II. 2. p. 388 sqq.), *Kueper* (Das Prophetenthum p. 298). — *Keil* (Comm. p. 408) huic sententiae « einen hohen Grad von Wahrscheinlichkeit » attribuit, licet in Einl. p. 330 generaliori quodam modo asserat, vaticinium exortum esse « innerhalb der Iahre 650. und 627. v. Chr. »

314. — II. De prophetiae argumento, indole, auctoritate. — Quemadmodum Nahum, ita Habacuc vaticinium suum *Onus* (מַשָּׂא) appellavit, « unde necesse est, inquit *S. Hieronymus*, praesentem prophetiam aliquid habere austeritatis », austeritatemque in eo invenit, « quod sicuti prior propheta Nahum, quem sequitur Habacuc, vaticinium habeat contra Niniven et Assyrios, qui vastaverunt Israel, ita Habacuc prophetiam habeat adversus Babylonem et Nabuchodonosor, a quibus Iuda et Ierusalem templumque eversa sunt ».[1] Quae recte sunt dicta, dummodo addamus, prophetam prius quidem Iudaeis iniustis poenam per Chaldaeos infligendam denuntiare atque tum demum Chaldaeis interitum praedicere. Sua sponte in duas partes, quae externa quoque forma inter se differunt, libellus dispertitur; prior enim pars constituitur dialogo prophetam inter et Deum, altera carmine, quo propheta iusta Dei contra hostes iudicia magnaque eius in suos beneficia celebrat. Haec autem est libelli analysis.

Pars prior (1,2-2,20) *dialogo quodam prophetam inter et Deum Iudaeis peccantibus poenam per Chaldaeos infligendam annuntiat, Chaldaeis autem interitum praedicit.*

1. *Prior prophetae querela Deique responsum* (1,2-11).
   a.) Conqueritur propheta cum Deo, quod emendationem populi sui frustra hucusque precibus suis sollicitaverit, aucta enim esse scelera, irritam factam esse Legem, praevalere iniustitiam (1,2-4).
   b.) Ad quae respondet Deus, inauditam poenam se esse immissurum per Chaldaeos, quorum indolem saevam, potentiam vimque intolerabilem, successus continuos describit (1,5-10), at simul futurum interitum innuit (1,11).
2. *Altera prophetae querela Deique responsum* (1,12-2,20).
   a.) Priore Dei responso perterritus propheta spe expressa, Dominum populum electum non esse deleturum, interrogat, quomodo per iniustiores hostes populo minus iniusto tanta strages inferri possit, qua ipsi iusti quoque plectantur et iniusti hostes magis superbiant (1,12-17). Atque responsum a Deo ad hanc suam querelam expetit (2,1).
   b.) Ad quae Deus responsum suum clare conscribi iubens (2,2. 3)
      α.) generalem suae iustitiae normam proponit, ex qua iustus in fide sua veram vitam inventurus sit, dum impius sit periturus (2,4. 5);
      β.) impiis vero Chaldaeis carmine quodam vae dicit propter eorum rapacitatem (2,6-8), superbam dominationem (2,9-11), aedificia iniustitiis et oppressionibus exstructa (2,12-14), fraudulentiam (2,15-17), idololatriam (2,18-20).

PARS ALTERA (3,1-19) *carmen dithyrambicum exhibet, quo propheta iustitiam et misericordiam Dei celebrat*[a].

1. In *prooemio* timorem suum Dei verbis excitatum professus rogat, ut Dominus opus suum cito exsequatur et cum iustitia misericordiam coniungat (3,2).
2. Maiestatem deinde Dei ad opus suum exeuntis describit (3,3-5) terroremque, quem Dei apparitio producit (3,6. 7).
3. Sequitur descriptio operis, quod Deus exsequitur, iudicii scilicet in impios, quo populo suo salutem procuret (3,8-15), atque primum quidem symbolico modo ostendit Deum furore suo totam terram conquassantem (3,8-11) ac deinde proprio sermone eundem, ut populum suum salvet, eius hostes perimentem (3,12-15).
4. In *epilogo* propheta suum timorem (3,16, 17) suamque salutis spem (3, 18. 19) exprimens docet, qua animi dispositione populus hoc opus Dei exspectare debeat.

Summam esse integri vaticinii unitatem omnesque eius partes tam arcte cohaerere, ut pro variis sermonibus vario tempore a propheta prolatis haberi nequeant, analysis satis docet; atque vani sunt eorum conatus, qui caput 1. propter vers. 12. 13. tempori Ioakim, cap. 2. propter v. 6 sqq. tempori Iechoniae, cap. 3. demum ultimo anno Sedeciae, quo urbs sancta a Chaldaeis dura obsidione premebatur, attribuere voluerunt[2]. Dicendi genere pro argumenti varietate utitur vario, nunc suppliciter orans, nunc vehementissime comminans hostibus, nunc sublimissime divinam maiestatem ad iudicium venientem describens. Sine ullo dubio eadem ratione, qua Nahum, eminentissimis poetis sacris adnumerari meretur, atque ultimum praesertim eius carmen Lowth « inter absolutissima in eo genere recte numerari » dixit[3].

DIVINA AUCTORITAS libelli, quam eius locus in canone extra dubium iam ponit, disertis etiam N. T. testimoniis nititur. S. Paulus in primo suo itinere apostolico Iudaeos pisidienses alloquens in memoriam eis revocat *Hab.* 1,5, quibus verbis Deus peccantibus Israelitis interitum annuntiavit (*Act.* 13,40. 41); ter autem in suis epistolis necessitatem fidei verbis ex nostro vaticinio desumtis (2,3) inculcat (*Rom.* 1,17; *Gal.* 3,11; *Hebr.* 10,37. 38).

1. *S. Hieron.* Comm. in Hab. Prol.

2. Ita *Rosenmüller* Scholia in Proph. Min. III. p. 318 aliique pauci rationalistae. Unus etiam inventus est interpres protestanticus, qui, quum ordinem a propheta observatum non intelligeret, sibi ipse novum vaticinium aliis eiectis versibus aliis transpositis concinnavit (*I. v. Gumpach* Der Prophet Habakuk. München 1860.). Novum vaticinium hoc est : 1,2-14; 2,1-3; 3,16-17; 3,2; 2,4-11. 15 (eiiciendi enim sunt, 1,15-17; 2,12-14. 16-20; 3;3-15. 18. 20); quod quum nemini nisi

(a) De inscriptione carminis « *pro ignorantiis* » (עַל שִׁגְיֹנוֹת) cfr *supra*. 166 p. 25.

auctori ipsi placuerit, de eo disserere opus non est. Cfr *Reinke* Der Proph. Habakuk p. 20.

3. *Lowth* De poesi sacra p. 246. Idem iudicium ferunt omnes interpretes; cfr *Vigouroux* (Manuel bibl. II. p. 648) : « Sa prière est une composition sans rivale pour la hardiesse de la composition, la sublimité de la pensée et la majesté de la diction »; *Knabenbauer* (l. c. p. 54) : « Stilus in hoc carmine grandis est ac magnificus, audax imaginibus ex rebus gestis et rerum natura depromptis, aeque sublimitate dictionis quam conceptuum et affectuum insignis » etc. Ex protestanticis cfr *Rosenmüller* (l. c. p. 332) : « Quidquid Hebraeorum dicendi genus habuit vehemens, grande, magnificum, id vatem nostrum assecutum esse nemo negaverit »; *Driver Rothstein* (Einl. 1896. p. 363) : « Der Hymnus ist, was die Erhabenheit der poetischen Auffassung und den Glanz des Ausdrucks betrifft, zu dem Schönsten, was die hebr. Poesie hervorgebracht hat, zu rechnen »; *Keil* (Einl. p. 331); *Cook* (The Speaker's Comm. VI. p. 657) etc. Solus *Cornill* (Einl. p. 195) nihil poetici in eo invenit et cum *Kuenen* (l. c. § 76,8), *Wellhausen* (D. kl. Proph. p. 166) psalmum ex iuniore canticorum collectione transumtum dicit.

## § 28. — *De Prophetia Sophoniae.*

315. — I. De prophetae genere et aetate. — Ultimus inter prophetas minores, qui ante exsilium babylonicum a Deo populo electo missi sunt, est « *Sophonias*[1] filius Chusi, filii Godoliae, filii Amariae, filii Ezechiae » (1,1). Ex longa, quam praeter prophetarum morem affert, maiorum eius serie « οὐκ ἄσημον τὸ κατὰ σάρκα γένος », immo « gloriosa stirpe generatum » eum fuisse concludunt SS. Cyrillus Alex. et Hieronymus; atque moderni interpretes haud pauci, quum nudo Ezechiae nomine posito prophetam suam familiam ab aliis distinguere voluisse viderent, Ezechiam non tantum virum quendam insignem sed celebrem illum fuisse regem Iuda arbitrati sunt, « cui non fuit similis de cunctis regibus Iuda »; cui opinioni locus quoque, in quo vaticinatus est, tempusque favent; Ierosolymis enim tempore Iosiae, qui integro fere saeculo ab Ezechia distat, munere prophetico functus est (1,1. 4)[2].

Quum a. 13. Iosiae Ieremias quoque ad munus propheticum sit vocatus ac proin Sophoniae fuerit σύγχρονος, mirum non est, quod haud parva sit affinitas inter libellum nostrum et primas conciones libri Ieremiae, quas ad Iosiae regnum pertinere diximus (264. p. 378 n.). Uterque in idololatriam invehitur (*Soph.* 1,4. 5; *Ier.* 7,9. 17. 18), castigat eos qui per Dominum et per idola iurant (*Soph.* 1,5 b; *Ier.* 5,7; 12,16), qui Legem Dei pervertunt (*Soph.* 3,4; *Ier.* 8,8 sq.), omnibus monitis divinis resistunt (*Soph.* 3,2; *Ier.* 7,28; 2,30; 5,2 etc.); eandem ambo omnium ordinum, principum, prophetarum, sacerdotum, corruptionem supponunt (*Soph.* 1,4. 8 sq.; 3.3. 5; *Ier.* 3,3; 6,15; 8,12). Hinc eandem quoque comminantur poenam, quam ab aquilone esse venturam innuit Sophonias (1,10), clare docet Ieremias (1,14), quae velut ignis a furore Domini procedens (*Soph.* 1,18; *Ier.* 4,4; 7,20) integram terram

usque ad volatilia coeli et pisces maris sit devastatura (*Soph.* 1,2. 3; *Ier.* 4,25; 9.9), omnes civitates munitas et oppida destructura (*Soph.* 1,13. 16; *Ier.* 4,27), populos vicinos visitatura (*Soph.* 2,1 sqq.; *Ier.* 9,24. 25). immo ad omnes omnino gentes sese extensura (*Soph.* 3,8; *Ier.* 10,25) etc. Tanta profecto est duorum librorum affinitas, ut inscriptionum testimonia confirmare recte dicatur[3].

Verum Iosias uno et triginta annis regnavit, atque in eius regno tres periodi apte distinguuntur : etenim a. 12. regni iuvenis viginti annos natus idololatriam a patre suo Amon iterum invectam impugnare excelsaque destruere coepit; a. 18. regni, quum liber Legis manu Moysis exaratus in templi aerario esset repertus, maiore cum ardore restaurationem morum continuavit et foedere sollemniter renovato ad felicem finem perduxit. Quapropter inquirunt interpretes, utrum Sophonias circa Iosiae primordia i. e. *ante inchoatam* reformationem, an *post inchoatam sed ante terminatam*, an demum *post terminatam* morum restaurationem foedusque renovatum munere suo sit functus. Omnes sententiae suos invenerunt fautores : qui primam tenent, ad acerrimas illas increpationes provocant, quibus propheta effrenatam idololatriam, impios ritus, corruptos mores persequitur. Contra quae alii monent, de reliquiis dumtaxat idololatrici cultus esse sermonem (1,4), quae procul dubio non tantum post inchoatam, sed etiam post terminatam restaurationem remanserint; Legem quoque cognitam iam fuisse, licet populus eam male sit interpretatus (3,4), immo non paucas claras allusiones ad Deuteronomium legi (1,13; 2,7 etc.); de filiis quoque regis loqui prophetam, qui propter scelera sua sint puniendi (1,8), Iosiae autem filium primogenitum natum esse a. 6. regni eius ac proin eo tempore, quo terminata est reformatio, vix duodecim annos natum nec gravium criminum reum fuisse[4]. Quae sententiae omnes in eo videntur peccare, quod non tam integrum librum, quam unum alterumve eius textum respiciant atque nonnulla supponant, quae procul dubio sunt erronea. Legem enim, etsi exemplar Moysis manu conscriptum deperditum esset, oblivioni non plane esse datam omnes ad unum antiquiores prophetae docent, qui satis frequenter ad illam alludunt atque etiam Deuteronomium cognitum fuisse ostendunt. Neque minus certum est, Dominum etiam sub impiissimis regibus, quorum tempore idololatria omnino praevaluit, suos habuisse adoratores, atque idololatriam post Iosiae reformationem non plane esse exstinctam elucet ex eo, quod Iosia mortuo statim revixerit nullo praeter prophetas resistente. Quae quum ita sint, quaestionem, utrum ante an post Iosiae reformationem Sophonias vaticinatus sit, non recte proponi arbitramur, sed rectius illos sentire, qui « Sophoniam et ante morum instaurationem praedicasse tenent, et post eam, vel eum regi opitula-

tum esse et in praeparanda et in exsequenda illa reformatione, et demum summam concionum, minarum, promissionum hoc suo comprehendisse libello », qui « non unam aliquam exhibet concionem, sed ea, quae propheta saepe et variis occasionibus populo proposuit, ad breve argumentum redacta » et novo ordine apte digesta nobis refert[5].

1. צְפַנְיָה « *Dominus tuetur* » eum; duplicem etymologiam *S. Hieronymus* indicat, aut a rad. צָפַן in primaria sua significatione *occultandi*, unde vult *Zephanja* idem esse ac *arcanum Domini* (In Soph. 1,1. M. 25,1103), aut a rad. צָפָה *speculari*, unde *specula Domini* (l. c.) aut « *speculator et arcanorum Domini cognitor* » (ad Paul. ep. 53,7. M. 22,547).

2. *S. Hieron.* In Soph. 1,1; *S. Cyrill. Alex.* In Soph. Prooem. (M. 71,944). — E regia stirpe fuisse Sophoniam primus, ut videtur, coniecit Aben Esra « auctor inter Hebraeos non futilis » (*Huet.*), eandemque sententiam suam fecit *Huet.* (Demonstr. evang. Prop. IV. p. 325), atque tamquam probabilem receperunt ex modernis catholicis *Scholz* (Einl. III. p. 604 sq.), *Vigouroux* (Manuel bibl. II. p. 649), *Holzammer* (Handb. der bibl. Gesch. I. p. 760), *Zschokke* (Hist. A. T. p. 276), *Schenz* (Einl. p. 285) etc., ex protestanticis *Haevernick* (Einl. II. 2. p. 393), *Keil* (Einl. p. 332 et Comm. p. 454), *Kleinert* (Obadjah etc. p. 159), *Gandell* (Speaker's Comm. VI. p. 159), *Hitzig* (Die kl. Proph. p. 248) alii. Qui hanc sententiam reiiciunt, praesertim monent « sollemne esse in libris historicis atque etiam propheticis, ut ii qui reges fuerint etiam nomine apposito designentur, idque eo magis fieri debuisse, si quando nomen ipsum pluribus commune erat ». Regeri autem potest, in genealogiis eundem morem apponendi nominis dignitatis non videri viguisse (in regia genealogia 1 *Par.* 2,1-15; 3,1 sqq. nec ipse quidem David diserte rex nominatur), atque eo facilius appositionem in nostro loco potuisse omitti, quoniam tam singularem locum Ezechias occupavit, ut nomine Ezechiae audito omnes de rege illo piissimo cogitarent, nisi appositione quadam ab illo distinguebatur; quapropter praetermissio appositionis sententiam propositam potius confirmat, quam infirmat. — *Ps. Epiph.* De vit. proph. 19 (M. 43,412) et qui eum sequuntur, pro more suo fabulas venditant, eum ex tribu Simeonis de monte Sarabatham fuisse etc.

3. Cfr *Reinke* Der Prophet Zephanja. Münster 1868. p. 6; *Delitzsch* in Herzog P. R. E. Ed. 2 XVII. p. 496.

4. *Ante inchoatam* reformationem librum scriptum censent inter alios catholicos : *Huetius* (Demonstr. evang. Prop. IV. p. 326), *Herbst Welte* (Einl. II. 2. p. 153 sqq.), *Scholz* (Einl. III. p. 605), *Schegg* (Gesch. der letzten Proph. II. p. 12), *Vigouroux* (Manuel bibl. II. 649), *Reinke* (l. c. p. 7 sqq.), *Zschokke* (Hist. A. T. p. 276) etc.; *ante terminatam* reformationem : *Ribera* (In Soph. 1,1), *Calmetus* (In Sophon. Proleg.), *Kaulen* (l. c. p. 426) etc.; *post inchoatam sed ante terminatam* reformationem : *Danko* (Hist. revel. V. T. p. 423), *Trochon* (Les petits proph. p. 347) etc.; demum tempus *post terminatam* reformationem indicant *Eusebius* et *S. Hieronymus* in Chron. (ad. Olymp. 39. M. 19,457 et PP. LL M. 27,367), praeferre videntur *Corn. a. Lap.* (In Sophon. argum.), *Goldhagen* (Introd. III. p. 525) etc. atque diserte praeferunt ex protestanticis *Carpzov.* (Introd. III. p. 408 sq.), *Ligthfoot* (Chron. Temp. Opp. I. p. 115), *Kleinert* (l. c. p. 160), *Delitzsch* (Herzog P. R. E. Ed. 2. XVII. p. 497 sqq.), qui ceteris accuratius sententiae huius argumenta explicat. Reliqui acatholici unam ex tribus prioribus sententiis praeferunt.

5. *Knabenbauer* Proph. Min. II. p. 124.

316. — II. De libri argumento, indole, auctoritate. — Uti fere omnes prophetae, Sophonias quoque populi scelera acerbissime increpat, futuram poenam comminatur, sed simul per poenam populum ad salutem messianicam perventurum esse promittit. In eo autem a minoribus omnibus discrepat, quod libellum suum simili ratione, qua tres maiores prophetae antiquiores, disposuerit. Tres enim apte distinguuntur partes, quarum prima et tertia (1,2-2,3 et 3,1-20) de populo electo agunt, media autem (2,4-15) aliis gentibus divinam poenam annuntiat; prima vero peccantes Iudaeos poenis praedictis ad poenitentiam invitat, tertia poenitentibus salutem praedicit[1]. Haec igitur est libelli analysis.

Pars prima (1,2-2,3) *peccantes Iudaeos annuntiatis poenis ad poenitentiam invitat.*

1. *Exordium* ex abrupto iudicium universale annuntiat toti terrae (1,2. 3); at iudicium hoc praeprimis attinget Iudam et Ierusalem propter eius idololatriam (1,4-6).
2. *Iudicii descriptio* (1,7-13)
   a.) secundum eius extensionem (1,7-13). In iudicio enim illo velut victimae caeduntur magnates, qui gentilium more vivunt aliosque opprimunt (1,7-9), divites mercatores, qui usuras quaerunt (1,10. 11), illusores, qui Dei poenas non curant et voluptatibus inhiant (1,12. 13).
   b.) secundum eius intensionem (1,14-18). Prope est iam dies Domini et quam maxime horrendus (1,14-16), atque frustra homines perterriti effugium opibus suis quaerent (1,17. 18).
3. *Exhortatio ad poenitentiam.* Quapropter omnes, antequam dies ille adveniat, poenitentiam agere iubentur (2,1. 2), atque pii quoque quaerant, quomodo divinam protectionem in illa die mereantur (2,3).

Pars altera (2,4-15) *gentibus iudicium annuntiat,*

1. atque primum quidem *gentibus vicinis* (2,4-11) :
   a.) Philisthaeis (2,4-7), quorum urbes vastabuntur (2,4. 5) et quorum terra dabitur domui Iuda (2,6. 7);
   b.) Moabitis et Ammonitis (2,8-11), quibus sors Sodomae et Gomorrhae annuntiatur (2,8. 9) propter eorum superbiam et idololatriam (2,10). Fructus autem terribilis huius iudicii erit, ut omnibus deletis idolis undique verus Deus adoretur (2,11).
2. deinde *gentibus longinquis* (2,12-15) :
   a.) Aethiopibus, qui divino gladio interficientur (2,12),
   b.) Assyriis, quorum terra et civitas speciosa superbaque (Ninive) in extremam solitudinem redigentur (2,13-15).

Tertia pars (3,1-20) *praesenti statui civitatis sanctae, quae divinam iram provocat, opponit futuram salutem messianicam.*

1. *Iudicium contra Ierusalem est necessarium* (3,1-8).

a.) Contumax enim est Ierusalem, cuius ordines omnes divinis monitis non obstantibus sunt corrupti (3,1-4);
b.) Deus autem iustus, qui gentes peccantes disperdidit (3,5. 6), contumacem civitatem iudicio visitabit (3,7. 8).

2. *Sed finis huius iudicii est salus messianica* (3,9-20).
a.) Tunc enim undique omnes populi verum Deum agnoscent (3,9. 10), atque Iuda omni fastu abiecto velut populus pauper et humilis in Deo spem suam ponet atque reliquiae illae sanctae erunt et pace fruentur (3,11-13).
b.) Hinc Ierusalem laetari iubetur (3,14), nam hostibus devictis Deus erit protector populi sui (3,15-17), lugentium[a] consolator et oppressorum vindex (3,18. 19), atque prae omnibus exaltabit populum suum (3,20).

Quam arcte tres vaticinii partes cohaereant, facile apparet : *Deus iustus punit, ut salvet*, haec est idea, qua integer libellus ad perfectam unitatem redigitur. Iudicium toti mundo annuntiat Sophonias illudque per partes describit, quomodo in regnum Iuda et quomodo in gentes sese sit manifestaturum; at tota descriptio eo tendit, ut magnificos fructus, qui ex hoc iudicio exorientur, clarius patefaciat : ex gentibus (2,11; 3,9. 10) et ex reliquiis populi electi (3,11 sqq.) Deus sibi congregabit populum novum, qui non opibus et externa gloria sed vera sanctitate erit insignis (3,12 sq.)[2]. Recte autem monent interpretes, vaticinium nostrum descriptionibus salutis messianicae unum addidisse, quod omni consideratione sit dignum, quatenus scilicet populum messianicum fore pauperem et humilem doceat atque ita moneat, ne illa, quae ab aliis prophetis de splendore et divitiis regni messianici magnifica sunt annuntiata, sensu mundano et terreno intelligamus.

Sophoniae dicendi genus a nonnullis modernis haud parum deprimitur; languidum illud esse ac frigidum, omni vi poetica destitutum, haud raro obscurum; paronomasias eius esse studiose quaesitas, atque abundare expressiones ab antiquioribus prophetis mutuatas[3]. Qua in assertione multis erroneis pauca vera sunt admixta. Ad sublimitatem enim Isaiae non pertingit Sophonias atque satis longe abest a vi poetica Nahum aut Habacuc; at vividum et vere poeticum eius sermonem iure vocamus, et cur paronomasiae eius (2,4) inferiores sint similibus illis, quibus utitur Michaeas (1,10 sqq.), nemo facile dixerit. Diligenter sine dubio legit antiquiora vaticinia, atque ideo eorum expressionibus eadem fere cum frequentia utitur, qua σύγχρονος eius Ieremias, at ita illas adhibet, ut eas amplificet ac vere novas faciat[4].

(a) Deserendam esse 3,18 lectionem Vulgatae (« nugas, qui a lege recesserant, congregabo ») et legendum : Lugentes propter sollemnitatem congregabo; ex te (enim) sunt et onerati sunt opprobrio », cfr *Knabenbauer* Proph. Min. II. p. 166.

De authentia et integritate libelli nemo prudens dubitat[5]; eius autem auctoritas divina, licet disertis Novi Test. testimoniis demonstrari non possit, traditione quum antiquae synagogae tum Ecclesiae, quae eum semper in canone habuerunt, extra omnem dubitationem ponitur.

1. *Card. Hugo* quatuor partes distinguit (propheta comminatur destructionem futuram per Chaldaeos 1,2-18; monet ut poeniteant, quia gentes vicinae captivabuntur a Nabuchodonosor et ipsi similiter nisi resipuerint 2,1-15; eorum obstinationem ostendit 3,1-8 et futuram liberationem praedicit 3,9-20); *Lyranus* duas tantum (comminatoriam 1,2-2,15, promissoriam 3,1-20); *Kilber* (Anal. bibl. I. p. 509 sqq.) similiter duas (emendatoriam 1,2-3,8, paracleticam 3,9-20); *Goldhagen* (Introd. III. p. 525 sq.) cum Card. Hugone, *Vigouroux* (Man. bibl. II. p. 650) et *Zschokke* (Hist. A. T. p. 276) cum Lyrano consentiunt; *Trochon* (Les petits proph. p. 355 sqq.) et *Knabenbauer* Proph. Min. II. p. 125) tres partes agnoscunt, licet a nostra divisione aliquantum dissentiant (« propheta minatur iudicium urbi et orbi 1,2-18; ad poenitentiam exhortatur propositis divinorum iudiciorum exemplis 2,1-3,8; promittit instaurationem messianicam 3,9-20) etc. Eadem est protestanticorum interpretum in divisione discrepantia, sed plures tres partes agnoscunt, solus *Kleinert* (l. c. p. 161) sex facere mavult (1,2-6; 1,7-18; 2,1-3; 2,4-15; 3,1-7; 3,8-20).

2. Immerito igitur *Eichhorn* (Einl. IV. p. 416 sqq.), *Knobel* (Der Prophetismus der Hebr. II. p. 262) aliique tria vaticinia (1,2-2,3; 2,4-15; 3,1-20) diverso tempore promulgata, aut *De Wette Schrader* (Einl. p. 473) saltem duo diversa oracula (1. 2.; — 3.) invenire voluerunt.

3. *Reuss* Gesch. des A. T. p. 345; *De Wette Schrader* l. c. — Rectius alius rationalista (*Vatke* Einl. p. 473) prophetae nostri sermonem dixit « poeticum, iucundum, clarum ». Eodem modo iudicant plerique catholici interpretes, inter quos *Schegg* (Gesch. der letzten Proph. p. 21) : « Seine Darstellung ist klar und lebhaft, seine Sprache edel und gewählt; er schliesst sich in dieser Beziehung vollkommen ebenbürtig den ältern Propheten an. Ueberall zeigt sich ein geläuterter Geschmack für das rechte Maass, der sich bei aller Vorliebe für anschauliche Darstellung nie in ermüdende Breite verliert ». Cfr etiam *Zschokke* l. c., *Vigouroux* l. c. etc

4. Allusiones hae afferri solent (*Reinke* Der Proph. Zephanja p. 13 sq.) : 1,7 cfr *Is.* 34,16; 13,3; *Hab.* 2,20; *Ioel* 1,15; 3,14; — 1,13 cfr *Am.* 5,11; — 1,14. 15 cfr *Ioel* 2,1. 2; — 1,16 cfr *Am.* 2,2; — 1,18 cfr *Is.* 10,23 et 18,22; — 2,8. 10 cfr *Is.* 1,16 et *Am.* 1,13; — 2,14 cfr *Is.* 13,21. 22 et 34,11; — 2,15 cfr *Is.* 47,8. 10; — 3,10 cfr *Is.* 18,1. 7; — 3,11 cfr *Is.* 13,2; — 3,19 cfr *Mich.* 4,6. 7. De quibus allusionibus satis frequentibus egregie monet *Schegg* (l. c.) : « Sophonias lehnt sich in seinen Weissagungen gern an ältere Orakelsprüche an, aber er gebraucht sie nicht äusserlich gleich unserer Art zu citieren, sondern flicht sie so künstlich ein, dass sie wie schöne, glänzende Blumen auf einem dunkeln Rasen prangend mit zur Vollendung des Ganzen gehören... Seine vielfache Bezugnahme auf frühere Weissagungen thut daher, auch rein künstlerisch betrachtet, dem poetischen Werthe seines Buches keinen Eintrag ».

5. Pro more suo tamen moderni « critici » nonnulli (cfr *Stade* Gesch. Israel. I. 664 n.; *Kuenen* Einl. § 78,5 sqq.; *Wellhausen* Die kl. Proph. 1892. p. 149 sqq.; *Cornill* Einl. 1896. p. 197 et si qui sunt alii) versus quosdam velut spurios declarant futilissimis argumentis; cfr quae contra eos disputat ipse *König* (Einl. 1894. p. 353 sq.), qui in reliquis cum « criticissimis » fere consentit.

## § 29. — *De Prophetia Aggaei.*

**317.** — Tres prophetae, de quibus ut agamus reliquum est, Aggaeus, Zacharias, Malachias, ultimi fuerunt, quos ante promissi Messiae adventum Deus populo suo concessit. Sophonias iam ante primam Chaldaeorum irruptionem vitam suam finierat; ex quatuor prophetis, qui exsilii initium viderunt, unus Daniel vitam suam ad Cyri usque aetatem protraxit fratresque suos exsilio soluto in patriam revertentes vidit; Ieremias enim, Ezechiel et Baruch exsilii tempore sunt mortui atque Daniel ipse iam primis Cyri annis senex grandaevus diem ultimum obiit. Pro infinita autem sua bonitate Deus etiam reduces non dereliquit, sed novos eis suscitavit prophetas, qui difficillimis restaurationis initiis eos consolarentur, confortarent excitarentque atque in restaurationis opere adiuvarent.

Non admodum magnus erat reducum numerus (1 *Esdr.* 2,64 sq.), magnae autem et multae erant difficultates, quas Ierosolyma reversi invenerunt. Statim quidem altari holocaustorum exstructo ius reaedificandi templi decreto Cyri eis concessum asseruerunt, sed statim quoque gentes vicinae eos deterrere conatae sunt (1 *Esdr.* 3,3); quum vero nihilominus templi fundamenta iecissent (1 *Esdr.* 3,8 sqq.), hostes eorum « impediverunt et turbaverunt eos in aedificando » eosque ut ab opere incepto desisterent coegerunt « omnibus diebus Cyri regis Persarum et usque ad regnum Darii regis Persarum » (1 *Esdr.* 4,4. 5). Quibus difficultatibus primum eorum ardorem refrixisse, non valde mirum est; poenarum enim finem nondum advenisse neque tempus iam adesse reaedificandi templi facile sibi persuadere potuerunt. Porro non defuisse videntur, qui quum ex iactis fundamentis novum templum ad pristini splendorem non esse venturum vidissent, de divinis vaticiniis, quibus gloriosa populo restauratio erat promissa, dubitare inciperent. Alii autem, quos externarum potius rerum spes quam amor patriae Legis allexerat, spe sua frustrati querelis suis aliorum taedium auxerunt. Unde exorta est socordia quaedam in rebus religiosis, quae ne repetitis quidem poenis divinis excutiebatur. Quapropter Dominus, ut ad novum ardorem reduces excitaret, afflictos consolaretur, dubitantium animos erigeret, peccatores ad veram poenitentiam adduceret, ultimos illos prophetas suscitavit, qui pristinarum suarum promissionum se semper memorem esse ostenderent.

Tempore primus inter illos est *Aggaeus,* qui ipso suo *festivi et laeti* nomine, uti innuit S. Hieronymus, « seminandum esse docuit in lacrymis, ut in gaudio posset meti »[1]. Quamvis etiam ab Esdra nominetur, praeter nomen tamen eius et propheticam dignitatem perpauca certa

de eo nobis sunt tradita. Eum duobus mensibus ante Zachariam prophetico munere fungi coepisse atque exhortatione sua Zorobabelem, ducem populi, et Iosuam, summum sacerdotem, permovisse, ut intermissam templi aedificationem continuarent, ex eius libello haurimus, eumque una cum Zacharia duces populi in aedificationis opere adiuvisse, testatur Esdras[2]. Utrum iuvenis ex exsilio sit reversus, id quod asserit Ps. Epiphanius, an unus ex senibus fuerit, quos pristini templi splendorem vidisse indicat (2,3), id quod moderni nonnulli ex eius libello colligunt, in medio relinquimus, quum in neutram partem probabiles rationes afferantur[3]. Multo minus certa sunt, quae ex Psalmorum quorundam inscriptionibus colligunt aliqui, ei auctori carmina illa esse adscribenda, aut quae rabbini nonnulli asseruerunt, eum unum ex viris magnae synagogae fuisse; velut ineptam autem impugnant iam SS. Hieronymus et Cyrillus illorum opinionem, qui eum non hominem sed angelum fuisse ex 1,13 coniecerunt[4].

Quibus omnibus praetermissis de libro eius dicemus. Constat autem quatuor vaticiniis, quae omnia a. 2. Darii trium mensium spatio, scilicet 1. die mensis 6., die 21. mensis 7. et die 24. mensis 9. sunt promulgata. Tria priora de aedificatione templi agunt populumque exhortantur, ut opus inchoatum alacriter perficiat, quartum vero antiquas promissiones messianicas davidicae domui factas confirmat. Singulorum argumenta desumes ex hac ANALYSI :

PRIMUS SERMO INCREPATORIUS *die 1. mens. 6. a. 2. Darii ad duces populi habitus eiusque felix effectus* (1,1-2,1 a.).

1. *Exprobrat propheta populo intermissam templi aedificationem* (1,1-11).
   - a.) Incipit ab irreverentia populi increpanda, qua domus Dei aedificandae tempus nondum advenisse obtendat, dum ipse in domibus pretiosis iam habitet (1,2-4),
   - b.) atque socordiae istius poenam fuisse terrae sterilitatem innuit, quam experti erant (1,5. 6);
   - c.) diserte deinde intermissum opus continuari iubens, quippe quod Deo placeat (1,7. 8), fusius et clarius praeteritam calamitatem eiusque causam eis proponit (1,9-11).
2. *Sermonis effectus* (1,12-2,1 a.). Verbis prophetae perterritus (1,12), sed simul promisso divino auxilio confortatus (1,13) populus opus aedificationis iterum suscipit die 24. eiusdem mensis 6.[a] (1,14-2,1 a.).

SECUNDUS SERMO PROMISSORIUS *die 21. m. 7. a. 2. Darii habitus* (2,1 b-10).

1. Propheta duces populumque alloquens (2,16-3) tristitiam ex viliore

(a) Temporis indicationem (2,1 a.) cum praecedente narratione ipse *S. Hieronymus* (Comm. in Agg. 1,14. M. 25, 1467) coniunxit atque sola librariorum socordia ad initium vaticinii sequentis traxit, ut duobus diversis diebus adscribi videatur. Quapropter omnes fere interpretes editionis Clementinae lectionem merito reiiciunt. Sola *anni* indicatio, si 1,1 et 2,10 conferuntur, cum versu sequente apte coniungitur.

novi aedificii conditione exortam reprimit promisso divino auxilio confirmatisque pristinis vaticiniis (1,4-6);

2. atque speciatim praedicit mox adventura tempora messianica, quibus novum templum undique ad illud concurrentibus gentibus cum donis suis insigne sit futurum[b] atque gloriam adepturum, qua salomonicam superet (2,7-10).

TERTIUS SERMO EXHORTATORIUS *d.* 24. *m.* 9. *a.* 2. *Darii habitus* (2,11-20).

1. Exemplis ex Lege desumtis ostendit propheta, uno opere bono reliqua opera non reddi bona, sed una re mala infici res bonas (2,11-14).
2. Quam doctrinam applicans docet, quomodo non obstantibus populi sacrificiis Deus propter neglectam templi aedificationem eos punire debuerit (2,15-18);
3. at ab illa die, a qua aedificationis opus resumserint, Deum eis benedicturum promittit (2,19. 20.).

QUARTUS SERMO CONSOLATORIUS *eodem die*, *quo praecedens*, *habitus* (2,21-24).

Temporali benedictioni promissae accedit benedictio altioris generis. Etenim propheta Zorobabeli (qui ex domo davidica oriundus erat) praedicit, omnia regna mundi a Deo destructum iri, at Zorobabelem ad magnam gloriam iri exaltatum (2,23. 24).

Duo igitur libelli nostri videntur esse argumenta, ut eius unitas plane destruatur; tres priores enim sermones templi aedificationem urgent, quartus Zorobabeli protectionem divinam singularemque gloriam promittit. Attamen ad plenam perfectamque unitatem illa redigi facile videbimus, si theocratiae integrae, seu si mavis antiqui foederis promissionumque eius, restaurationem duabus illis partibus contineri animadverterimus. Foederis enim sui, quod Deus cum eo pepigerat, populus electus possidebat duo symbola et pignora : *templum,* in quo Deus speciali quadam ratione medio in populo suo residebat et ab integro populo ter quotannis conveniente velut supremus Dominus venerabatur et adorabatur, atque *domum davidicam,* cuius thronum regnumque in aeternum duraturum firmumque permansurum Deus olim promiserat. At duo illa pignora in chaldaico urbis et templi excidio videbantur interisse. Brevi ante ultimam cladem Ezechiel in sublimi quadam visione maiestatem Domini spectaverat sollemni modo e templo egredientem sedemque suam extra urbem sanctam transferentem (*Ezech.* 11); populus ex exsilio reversus ruinas dumtaxat antiqui sui templi repererat neque amplius Dominus possidebat domum, in qua in medio suo populo resideret. Item brevi ante exsilium Ieremias audierat Iechoniam, ultimum salomonicae stirpis surculum[5], a Deo plane reiici : « Si fuerit Iechonias signaculum (annulus) in manu dextera mea, inde evellam eum ;... scribe istum virum sterilem; neque

(b) De lectione, quam in hoc vaticinio praeferendam ducimus, cfr *Knabenbauer* Proph. Min. II. p. 192 sqq.

enim de semine eius erit vir, qui sedeat super solium David et potestatem habeat ultra in Iuda » (*Ierem.* 21,24 sqq.); revera populus in terram suam quidem erat reversus, sed rex ei non redditus; davidicus thronus manebat destructus. Quid igitur erat de magnificis illis promissionibus, quae post poenae finem splendidam antiqui foederis restaurationem praenuntiabant? Iam vero per Aggaeum, qui primus soluto exsilio surrexit propheta, Deus populo suo utrumque pignus quodammodo restituere atque ita fidelitatem suam manifestare voluit: in novum enim templum, cuius aedificatio ei exhibita erat, Ezechiel Dominum revertentem viderat (*Ezech.* 43), atque Ieremias quoque ex davidico semine germen iustum exsurgens conspexerat divinamque promissionem audierat, non interiturum de Davide virum, qui sederet super thronum domus Israel (*Ier.* 23,5; 33,15 sqq.). Itaque Aggaei munus fuit, ut populum ad illud templum aedificandum excitaret, quod non tantum regni messianici esset symbolum sed quod tempore messianico Verbum caro factum gloria sua esset impleturum, atque ut illum ex Davidis posteris designaret, qui pro Iechonia reiecto continuaret promissiones domui davidicae factas. Evidens enim est, eum ad *Ierem.* 21,24 alludere, quum Zorobabelem dicat a Deo electum, ut sit annulus in manu dextera Dei (*Agg.* 2,24). Duo igitur libelli argumenta, quamvis diversa videantur, intime inter se cohaerent, atque tantum abest, ut eius unitatem perturbent, ut unum solum argumentum constituant, quo *omnes* promissiones messianicae populo reduci firmae rataeque manere docentur. Atque haec quidem de interna libri INDOLE; ad externam vero eius formam quod attinet, nihil praeclari aut eximii habet. Prosaicus potius est eius sermo, simplex et planus; multis tamen suis interrogationibus vividus est atque nonnullis in locis, in quibus promissionum gravitas id postulat, altius quoque assurgit neque omni poetico ornatu caret.

De libelli nostri AUTHENTIA vel INTEGRITATE a nullo dubitatum est[6], neque facile dubitari potuit, siquidem satis clarum testimonium in 1 *Esdr.* 5,1 et 6,14 possidet. DIVINAE AUCTORITATIS autem praeter Esdram, qui « Aggaeum prophetam et Zachariam filium Addo ad Iudaeos in Iuda et Ierusalem *in nomine Dei Israel prophetasse* » dixit ad nostrum librum procul dubio alludens, duo alii nobis praesto sunt testes. Etenim *Siracides* nostri prophetae verbis usus celebrat Zorobabelem tamquam « annulum in manu dextera » (*Eccli.* 49,13; *Agg.* 2,24), atque *S. Paulus* verbis nostri libri, quae explicat, adhortationem suam ad Hebraeos confirmare voluit (*Hebr.* 12,26 sq.; *Agg.* 2,7).

1. *S. Hieron.* Ad Paulin. ep. 53,7; cfr In Ioel Prol.; in Agg. 1,1 (M. 22,547; 25, 993. 1456). Nomen חַגַּי (Ἀγγαῖος) chaldaizantem formam esse a voce חָג (*festivitas*)

derivatam, consentiunt tantum non omnes interpretes, licet de occasione, qua nomen prophetae sit impositum, inter se disceptent (cfr *Reinke* Der Prophet Haggai. Münster 1868. p. 1 sqq.). Omni probabilitate carere alteram sententiam arbitramur, quae eadem ratione nomen *Haggai* a nomine *Hagaria* derivari censet, qua *Zachaeus* a *Zacharia* sit derivatum (*Bleek Wellhausen* Einl. p. 434). Nam nomen Hagaria (חגריה, *Deus cinxit* vel *tuitus est?*) in Literis sacris saltem non occurrit, et num nomen *Zachaeus* cum *Zacharia* ullo modo cohaereat, meritissimo dubitatur; nomen זכי (*innocens*) 1 Esdr. 2,9 etc. legitur.

2. *Agg.* 1,1 (cfr *Zach.* 1,1); 1 *Esdr.* 5, 1 sq., 6,24. — Quod Darius, cuius anno 2. Aggaeus et Zacharias populum ad templi aedificationem exhortati sunt, sit Hystaspis, olim a non paucis quidem in dubitationem est vocatum; sed quaestio haec ex solo 2,4 iam satis definitur, nec ullus est, qui de Dario II. Notho hodie cogitet. Cfr quae *Huetius* (Demonstr. evang. Prop. IV. p. 327 sqq.) contra Scaligerum aliosque erroneae sententiae patronos fuse disputat.

3. *Ps. Epiph.* De vit. proph. 20 (M. 43,412), qui addit, Aggaeum templum terminatum vidisse, id quod satis est veri simile, quoniam a. 6. Darii templum iam est consecratum. — Alteram sententiam primus proposuit *Ewald* (Proph. d. A. B. III. p. 178) et aliquos invenit sequaces : *De Wette Schrader* (Einl. p. 474), *Davidson* (Introd. III. p. 313), *Bleek Wellhausen* (l. c. p. 435) etc.

4. Nomen *Aggaei* praefigitur in Vulg. *Ps.* 111. et 145. in Alex. *Ps.* 111. et 145.-148., una cum Zachariae nomine et titulo *Alleluia*. Sunt, qui Aggaei et Zachariae nomina praefixa arbitrentur, quia carmina illa usui liturgico adaptaverint; simile quid insinuare videtur *Ps. Epiph.* (l. c.) : « Primus Aggaeus illic (sc. in templo terminato) Alleluia cantavit..; unde nos usurpare hodie solemus Alleluia, qui est Aggaei et Zachariae hymnus ». — De Aggaeo magnae synagogae membro cfr *Thalm. ierosol.* Berachoth 2,4; Chagiga 3,8; Meg. 1,7 (*Buxtorf* Tiberias. 1620. p. 95; *Marx* Traditio rabbin. veterrima p. 52); ceterum magna synagoga ab Esdra instituta dicitur, qui Aggaeo et Zacharia multo est recentior. — Cfr *S. Hier.* In Agg. 1,13 (M. 25,1467), *S. Cyrill. Alex.* In Agg. 1,13 (M. 71,1040).

5. Iechoniam a Nabuchodonosor in Babyloniam abductum in throno quidem secutus est Sedecias, ultimus rex davidicus ante exsilium; sed Sedecias erat frater patris Iechoniae, ita ut Iechonias sit ultimum membrum lineae directae salomonicae, quod thronum occupavit.

9. Mirum profecto, quod ne ipse quidem *Cornill* (Einl. 1896. p. 197 sq.) quidquam plane invenerit, quod iuniori attribueret. Solus *Reuss* (Gesch. des A. T. p. 443) vaticinia ab ipso Aggaeo saltem non esse scripta suspicatur futili ratione nixus : « Der Rahmen des Ganzen, inquit, besonders in dem histor. Bericht (2,13), gibt dem Gedanken Raum, dass die Redaction von anderer Hand stammt ». Scilicet 2,13 [14] propheta de se ipso loquens nomen suum posuit (*et dixit Aggaeus*), id quod sexcenties in aliis libris propheticis legitur. Num forte *Reuss* indicare voluit 1,14 (et dixit Aggaeus, *nuncius Domini in legatione Domini*)? Sed haec quoque verba profecto non obstant, quominus Aggaeum ipsum vaticinia sua scripsisse atque *redegisse* dicamus.

## § 30. — *De Prophetia Zachariae.*

318. — I. De prophetae aetate ac vita. — Quaestionem de aetate prophetae paucissimis absolvere nobis licet. Etenim quoniam « mense 8. anni 2. Darii regis », i. e. duobus dumtaxat mensibus post Aggaeum

munere prophetico fungi coepit (1,1) atque ultimus annus, quo eum prophetasse certo constat, est annus 4. Darii (7,1), eadem omnino aetate vixit, quam de Aggaeo loquentes adumbravimus neque illis quidquam addere opus est (317). De *Zachariae*[1] autem vita non plura, quam de aliorum prophetarum fatis, certa nobis sunt tradita. Genus suum ipse prodit filium se dicens « Barachiae filii Addo » (1,1; 7,1); neque dissentit Esdras eum « filium Addo » vocans (1 *Esdr*. 5,1; 6,14), quum ex Hebraeorum more in genealogiis parentibus proximis omissis haud raro soli maiores celebres nominentur atque *filii* nomen omnibus illis competat, qui in gradibus descendentibus sunt[2]. Iure igitur supponimus Addo virum fuisse ea aetate celebrem, ad quem posteri genus suum reducebant. A vero autem longe aberrat S. Hieronymus, si « *iuxta Paralipomenon librum* non ambigi ait, quin ipse sit Addo, qui missus est ad Ieroboam filium Nabath, sub quo altare dirutum est et manus regis aruit rursumque ad preces illius restituta est »[3]; ab uno enim ex rabbinicis suis magistris in errorem inductus videtur, quorum ex sententia « quicunque propheta, cuius pater nominatur, *filius prophetae* esse intelligitur ». Rectius monent alii inter sacerdotum principes, qui a. 1. Cyri cum Zorobabele ex Chaldaea sunt reversi, nominari *Addo*, cuius filius vel nepos *Zacharias* aliquot annis postea tempore supremi sacerdotis Ioakim inter principes sacerdotum recensetur (2 *Esdr*. 12,1. 4. 12. 16). Quoniam nomina igitur non minus quam aetas congruunt, summa veri similitudine, ne dicamus certitudine, gaudet eorum sententia, qui Zachariam prophetam, licet ipse sacerdotalem suam dignitatem taceat, aeque atque Ieremiam et Ezechielem e sacerdotali genere ortum esse existimant. Quibuscum S. Cyrillus Alex. consentiens prophetam nostrum « e sacro sanguine, i. e. ex tribu Levi, secundum carnem natum esse » dixit[4].

Provecta iam aetate Zachariam ex Chaldaea in patriam reversum esse scribit Ps. Epiphanius; sed quae ad prophetae senectutem probandam addit, tam fabulosa sunt, ut eius asserto fides recte negetur. Si ei credimus, Zorobabelis et Iosuae, qui populum a. 1. Cyri in Palaestinam reduxerunt, patribus filiorum istorum nativitatem gloriosamque missionem Zacharias iam praedixerat, immo ipsi Cyro victorias de Croeso Lydorum rege et de Astyage Medo reportandas iam praenuntiaverat[5]. Quibus reiectis fabulis sententiae modernorum interpretum adstipulamur, qui Zachariam iuvenem potius fuisse censent, quando a. 2. Darii ad munus propheticum est vocatus. Immerito quidem ad hanc opinionem stabiliendam ad eius visiones provocant, quae « iuvenilis ac luxuriantis ingenii » sint indicia, neque maiore cum iure monent prophetam vocari נַעַר (2,4; *puer*, sed etiam *minister, cliens*); recte autem ex eo stabiliri videtur, quod avus eius Addo unus fuit ex reduci-

bus, ita ut nepos a. 2. Darii magnam aetatem nondum attingere potuerit[6].

De reliqua vita[7] aut de morte eius ne probabilia quidem statui possunt. Ps. Epiphanius eum senem grandaevum in Iudaea mortuum ac prope Aggaeum prophetam sepultum esse refert; sed in Augustano eiusdem operis codice a rege Ioa inter templum et altare occisus esse dicitur[8]. Scilicet librarius ille procul dubio chronologiae ignarus prophetam nostrum voluit indicare esse eundem, quem apud Matthaeum (23,35) et Lucam (11,51) Christus interfectum dixit inter templum et altare. Neque desunt inter antiquos et modernos interpretes, qui revera etiam nostrum Zachariam, sicut antiquiorem illum, in templo occisum esse eiusque occisionem a Domino Iudaeis obiici arbitrentur[9]. Sed parum recte, nisi omnia nos fallunt. Neque enim Iudaei vix ex exsilio reversi, quos prophetis obedivisse ex libris Esdrae, Aggaei (1,12 sqq.) ipsiusque Zachariae (6,7) constat, tanti sceleris sunt accusandi, praesertim quum in nullo recentiore libro ullo modo Iudaeis obiiciatur. Quapropter Dominum N. de antiquioris illius prophetae occisione locutum esse rectius statuemus, de nostri autem morte nihil nobis esse traditum[10].

1. Nomen זְכַרְיָה (Ζαχαρίας) *S. Hieronymus* (Ad Paul. ep. 53,7; In Zach. 1,1. M. 22, 547; 25,1483) ad radicem זכר recte retulit, sed in secundo loco minus recte interpretatus est « *memoria Domini* », rectius in altero « *memor Domini sui* ». Inter modernos alii explicant, *is cuius est memor Dominus*, alii *is qui memor est Domini*, alii *gloriosus est Dominus* vel *gloria Domini*, inter quas explicationes prima videtur praeferenda. Cfr *Reinke* Messian. Weissag. IV. 2. p. 1.

2. Inutile igitur est, alia effugia, quibus textus concilientur, conquirere. *S. Cyrill. Alex.* (In Zach. Prooem. M. 72,12) eum « secundum carnem patre Barachia, secundum institutionem et vitae imitationem patre Addo propheta » natum dixit; alii patrem binominem fuisse statuunt. Cfr *Huet.* Demonstr. evang. Proph. IV. p. 330 sq.; *Carpzov.* Introd. III. p. 425. — Longius a vero aberrarunt nonnulli moderni (*Bleek Wellhausen* Einl. p. 449, *Knobel*, v. *Ortenberg* etc.), qui verba « *filii Berachiae* » pro glossa habent, quam libri redactor versui inseruerit, quum variorum prophetarum vaticinia in nostro libro coniungeret (cfr *infra* 320 p. 602 sqq.).

3. *S. Hieron.* In Zach. 1,1. — Cfr 2 *Paral.* 9,29; 12,15; 13,22; 3 *Reg.* 13,1 sqq. — Hieronymi sententia in Glossam ordin. transiit ideoque a multis antiquioribus interpretibus (*B. Albert. M.*, *Card. Hug.*, *Dionys. Carth.* etc.) recepta est, licet *Lyranus* eam in dubium iam vocasset. Mirum quod ne ipsi quidem *Cornelio a Lap.*, quamquam errorem chronologicum correxit, plane displicuerit. Neque enim attendit, prophetam illum anonymum, qui ad Ieroboam sub initiis regni eius missus, sed quia ipse praeceptum Domini violaverat subita morte a Deo punitus erat (3 *Reg.* 13,20 sqq.), plane diversum esse ab Addo Vidente, qui contra Ieroboam quidem vaticinatus est, sed etiam Roboami atque Abiae annales conscripsit ac proin saltem usque ad ultimum Ieroboami annum vitam protraxit.

4. *S. Cyrill. Alex.* l. c. — Ex modernis catholicis cfr *Scholz* Einl. III. p. 614, *Reinke* l. c.; *Danko* Hist. rev. p. 522; *Vigouroux* Manuel II. p. 654. *Trochon* Petits

Proph. p. 393; *Zschokke* Hist. A. T. p. 326; *Kaulen* Einl. Ed. 3. p. 429; *Knabenb.* Proph. Min. II. p. 210; *Schenz* Einl. p. 393 etc.; vere igitur communis dici potest haec sententia, etiamsi unus alterve eam certam dicere non audeat. Neque minus communis est apud modernos Protestantes. Quod autem Patres antiquioresque interpretes eam non commemorent, licet nomina et aetas tam apte congruant, facile explicatur, si attenderimus nonnulla nomina in 2 Esdr. 12,12 sqq. esse corrupta atque etiam pro *Addo* (עדוא) ibi legi עדיא *Adaia*, licet *Keri* rectam lectionem indicet.

5. *Ps. Epiph.* De vitis proph. 21 (M. 43,412).

6. Contra *Ewald* Die Proph. des A. B. III. p. 127 et *Haevernick* Einl. II. 2 p. 406, qui priora ista argumenta afferunt, cfr *Knabenbauer* l. c. p. 211 sq.

7. De rabbinorum traditione, eum membrum fuisse « magnae synagogae » cfr *Buxtorf* Tiberias p. 95 etc; de aliis eorum traditionibus cfr Wolf Bibl. hebr. II. p. 187 sq.

8. *Ps. Epiph.* l. c. et cfr 2 *Paral.* 24,20 sqq.

9. Sententiam hanc fuse probare conatur *Sanctius* Comm. in Proph. Min. p. 1394 sqq., qui nonnullorum quoque Patrum aliorumque interpretum testimonia allegat.

10. Argumentum tamen, quod vulgo affertur, « Christum eo loco commemorasse *primam* caedem et *ultimam*, cuius *in s. libris ex ordine apud Iudaeos adoptato dispositis* narratio occurrat sc. *Abel* in *Genesi* descriptam et caedem *Zachariae* in 2 *Paralip.* relatam », invalidum esse arbitramur. Erronee enim supponit, Paralipomena iam aetate Christi ultimum locum in canone iudaico habuisse; Melitonis autem, Origenis, S. Epiphanii, S. Hieronymi, qui omnes canonem iudaicum recensent, testimoniis satis constat, hodiernum Iudaeorum canonem, in quo Paralipomena ultimum locum occupant, ante Thalmudistas fuisse incognitum.

319. — II. De libri argumento et indole. — Eodem tempore, quo Aggaeus, et ad eosdem auditores Zacharias missus est propheta, atque Esdra teste ambo vaticiniis suis populum ad templum aedificandum excitarunt et adhortati sunt. Unde concludere licet non absimile esse argumentum nostri libri ab illo, quod Aggaeus proposuit. Atque profecto Zachariae Prophetia de theocratiae restitutione ac de futuro regno messianico integra agit, sed multo altius ac sublimius, quam Aggaei libellus, haec explicat. Neque enim proxime et directe, sicut ille, de ierosolymitani templi restitutione, sed potius de theocratia et regno messianico ipso egit, cuius templum illud non erat nisi symbolum vel typus, atque viam ostendit, qua sublimiorum istarum promissionum populus se capacem redderet. Quapropter integer Zachariae liber messianicus iure potest dici.

De *libri divisione* inter modernos interpretes fere convenit, licet alii de duabus, alii de tribus, alii de quatuor partibus loquantur. Si quis ad solas inscriptiones attentionem suam convertit, praeter prooemium (1,1-6), quod mensi 8. a. 2. Darii adscribitur, quatuor sectiones distinguat oportet; nam sex priora capita, quae septem visionibus eadem nocte prophetae exhibitis et actione symbolica constant, inscriptione sua ad diem 24. m. 11. a. 2. Darii referuntur (1,7-6,15); duo capita insequentia orationem propheticam continent die 4. m. 9. a. 4 Darii

habitam (7,1-8,23); sequuntur duae aliae orationes, quarum prior « onus verbi Domini in terra Hadrach » etc. (9,1-11,17), altera « onus verbi Domini super Israel » (12,1-14,21) inscribuntur. Alii autem ad inscriptionum similitudinem attendentes duas priores sectiones, quae temporis indicationem prae se ferunt, et duas ultimas orationes, quae ambae « onus verbi Domini » nominantur, arctius coniungentes duas partes facere malunt. Rectius demum alii ad argumenti magis, quam ad inscriptionum, affinitatem respicientes duas ultimas quidem orationes in unam partem contrahunt, sed duas priores, quum argumento et forma differant, pro partibus separatis habent. Quibuscum nos quoque tres partes distinguimus, quarum argumenta in ANALYSI accuratius proponemus, ut integri libri unitas clarius perspiciatur.

PROOEMIUM (1,1-6) *prophetae munus librique finem quodam modo innuit.*

a.) Mense 8. a. 2. Darii propheta populum ad conversionem adhortari iubetur, ut Deus se ad ipsum convertere possit (1,1-3),

b.) eique ob oculos ponere exemplum patrum, qui quoniam prophetas audire noluerunt infelicem sortem sibi attraxerunt (1,4-6).

PARS PRIMA (1,7-6,15) *septem visionibus et una actione symbolica fundationem regni messianici eiusque gloriam praedicit.* Omnes hae visiones exhibitae sunt prophetae die 24. m. 11. a. 2. Darii (1,7)[a].

I. TRES PRIMAE VISIONES *de theocratiae restitutione vel regni messianici fundatione* (1,8-2,13).

1. *Visio de equitibus inter myrteta* annuntiat gentium punitionem et templi sanctaeque civitatis restitutionem (1,8-17).

a.) Angelo Dei inter myrteta stanti referunt alii angeli, qui terram perambulaverant, terram adhuc et nationes ethnicas in magna quiete degere (1,8-11);

b.) quapropter angelus Domini ad Dominum se convertit eumque rogat, ut tandem populi sui misereatur, quum tempus poenae praeterierit, atque responsum accipit consolatorium (1,12. 13).

c.) Quod responsum propheta populo annuntiare iubetur: Dominus populi hostes puniet, civitas sancta et templum reaedificabuntur, omnes promissiones civitati factae firmae manent (1,14-17).

2. *Visio de quatuor cornibus et quatuor fabris* (1,18-21) primam praecedentis visionis promissionem confirmat.

a.) Nam quatuor cornua, quae vidit propheta, designant populi hostes (1,18. 19),

b.) quatuor autem fabri designant illos, qui hostes illos sint deleturi (1, 20. 21).

(a) Ad hanc temporis indicationem attendendum est, ut visionum harum nexus cum Aggaei vaticinio perspiciatur. Die 21. m. 7. et die 24. m. 9. a. 2. Darii Aggaeus praedixerat, Deum puniturum esse omnes gentes, atque cum hac gentium commotione coniunxerat futuram templi Ierosolymitani et domus davidicae gloriam (*Agg.* 2,7 sqq. et 2,23. 24). Ad hanc praedictionem respiciunt primae visiones Zachariae mense 11. eiusdem anni exhibitae.

3. *Visio de viro cum funiculo mensorio* (2,1-13) alteram primae visionis promissionem confirmat.

a.) Propheta, quum virum videret, qui civitatis latitudinem et longitudinem metiri volebat (2,1. 2), ab angelo edocetur, tantam fore novae civitatis magnitudinem, ut muro circumdari nequeat, sed Dominus ipse futurus sit eius murus (2,3-5).

b.) Quam ob causam invitantur omnes illi, qui nondum ex Babylonia sunt reversi, ut in patriam revertantur, quia nullus hostis eos retinere possit (2,6-9),

c.) Sion autem laetari iubetur, quia Dominus in medio eius sit habitaturus atque undique gentes ad eam sint adventurae (2,10-13).

II. Duae insequentes visiones *naturam sacerdotalis et regiae potestatis in regno messianico explicant* (3,1-4,14).

1. *Visio de Iosua summo sacerdote mundis vestibus induto* sanctitatem novi sacerdotii praefigurat (3,1-10).

a.) Propheta coram angelo Domini videt adstantes Iosuen summum sacerdotem et satanam, qui Iosuae adversabatur; ut autem nocendi potestas satanae auferatur, Iosue pro sordidis vestibus, quibus indutus erat, mundas et splendidas accipit (3,1-5).

b.) Quam actionem symbolicam sequitur exhortatio angeli, qua Iosue monetur sanctitatem colere, sacerdotium enim typum esse advenientis Messiae, qui ablaturus sit omnem iniquitatem et pacem stabiliturus (3,6-10).

2. *Visio de candelabro aureo* alterius potestatis theocraticae, i. e. regiae, qualis esse debeat indoles, praefigurat (4,1-14).

a.) Candelabro aureo, quod prophetae exhibitum est (4,1-3), edocetur Zorobabel, dux populi, regnum novum non humanis viribus aut auxiliis niti, sed solo spiritu divino, eumque hoc spiritu fretum terminaturum esse templum (4,4-7).

b.) Repetit deinde angelus promissionem fore, ut Zorobabel templum (theocratiam) sit terminaturus (4,8-10),

c.) atque demum explicatur prophetae interroganti, quae sint duae olivae, quibus lampas candelabri aurei continuo nutritur (4,11-14).

III. Duae ultimae visiones *de malo ex theocratia auferendo et de iudicio exercendo agunt* (5,1-6,8).

1. *Visio de volumine volante et de impietate ablata* (5,1-11) praeambulum quoddam est iudicii.

a.) Vidit propheta volumen magnum volans, quod secundum angeli explicationem maledictiones continuit, quibus Deus peccatores delebit (5,1-4);

b.) dein vidit « impietatem » sub forma mulieris in amphoram includi et ex terra sancta in terram Sennaar asportari, ut ibi sedem suam habeat (5,5-11).

2. *Visio de quatuor quadrigis* (6,1-8).

Quatuor quadrigis cum equis varii coloris, quae prophetae exhibentur

(6,1-3), explicat angelus perferri divina iudicia in omnes partes mundi (6, 4-8).

IV. Actio symbolica (6,9-15) est quasi epilogus primae partis.

a.) Propheta iubetur Iosuen summum sacerdotem coronis ex auro per exsules allato confectis coronare (6,9-11);

b.) qua actione significatur fore, ut Messias sacerdotalem et regiam potestatem in sua persona coniungat et ut ad templum, quod exstructurus sit, aedificandum etiam concurrant ii, qui procul sunt (6, 12-15).

Pars altera (7,1-8,23) *orationem propheticam continet* die 4. m. 9. a. 4. Darii habitam, *qua Deus ad quaestionem de continuando ieiunio ita respondet, ut quomodo populus ad recipienda promissa sese praeparare debeat simul doceat.*

1. *Orationis occasionem* praebuit interrogatio, utrum ieiunium die anniversario templi destructi hucusque observatum continuandum sit necne (7, 1-3).

2. *In priore orationis sectione* (7,4-14) *docet Dominus, quid a populo postulet.*

a.) Respondet enim se ieiunium illud non praescripsisse, sed alia semper postulasse (7,4-7);

b.) atque mandata sua observanda inculcat, monens se eorum patres, quia illa non observassent, punire debuisse et inter gentes dispersisse (7,8-14).

3. *In altera sectione* (8,1-23), *ut eos ad hanc observantiam adducat, promissiones suas renovat.*

a.) Promittit plenam restitutionem foederis, dummodo Legem observent (8,1-17).

α.) Pristina sua ira commemorata spondet se reversurum esse ad Sion (8,1-3), sese restituturum esse civitatem plenam incolis et in eam reducturum exsules (8,4-8);

β.) ut alacres et fortes sint, eos exhortatur, quum eos cumulaturus sit suis benedictionibus (8,9-13);

γ.) eam autem ponit conditionem, ut veritatem et iustitiam colant (8.14-17).

b.) Ulteriores deinde addit promissiones (8,18-23); convertet enim dies tristitiae eorum in dies gaudii (8,18. 19), atque undique gentes ad verum Deum confluent, ut per Iudaeos quaerant salutem (8,20-23).

Pars tertia (9,1-14,21) *duabus orationibus iudicia et bona temporis messianici explicat.*

I. Onus verbi Domini in Hadrach[a] (9,1-11,17), *dum vicinis regnis divinum iudicium, Israel autem gloriam messianicam praedicit, simul contumacibus Israelitis gravissimam poenam minatur.*

(a) Terrae huius memoria plane evanuerat ita ut antiqui rabbini, quos sequitur S. Hieronymus (In Zach. 9,1. M. 25,1551), nomen Hadrach pro symbolico habuerint a propheta confictum; cuneiformibus autem inscriptionibus hodie edocti sumus, Hadrach fuisse Syriae civitatem vel provinciam quandam, contra quam saepius reges Assyriorum exercitus suos duxerunt. Cfr *Vigouroux* La Bible et les découvertes modernes IV. p. 78; *Schrader* Keilinschriften u. A. T. p. 453.

1. *Iudicium contra vicinas gentes eiusque scopus* (9,1-7).
   a.) Deus Syriam, Phoeniciam, Philisthaeam gravibus poenis visitabit (9,1-6),
   b.) ut omni malo ablato dignae reddantur bonis messianicis (9,7).
2. *Gloria populi electi tempore messianico* (9,8-10,12).
   a.) Illo autem tempore Deus proteget populum suum eique dabit regem salvatorem et pacificum, qui regnum suum extendet in totam terram (9,8-10);
   b.) quare illi, qui etiamdum in captivitate degunt, ad reditum invitantur magnis victoriis de Graecia promissis omniumque bonorum copia proposita (9,11-17).
   c.) Felicem hanc sortem precibus a Deo efflagitare iubentur (10,1. 2); paratus enim Deus est ad gregem suum protegendum salutemque gloriosam praestandam (10,3-7); quae ut confirmet, accuratius describit, quomodo Deus Ephraim salvaturus sit antiquis miraculis renovatis (10,9-12).
3. *Poena in Israelitas contumaces per actionem symbolicam figuratur* (11,1-17).
   a.) Iudicium generatim annuntiatur (11,1-3).
   b.) Bonus pastor (11,4-14).
      α.) Propheta gregem Domini pascere iubetur atque munere suo bene fungitur (11,4-7); (at grex contumax pastorem aversatur;)
      β.) quare iratus gregem tradit hostibus vexandum, qua poena pauci tantum ad resipiscentiam adducuntur (11,8-11).
      γ.) Ut gregem suum iterum probet, postulat pastor mercedem laboris sui; at vili pretio eius labor aestimatur; quare curam gregis prorsus abiicit (11,12-14).
   c.) Itaque propheta malum agere iubetur pastorem, qui gregem vexat et destruit (11,15-17).

II. Onus verbi Domini super Israel (12,1-14,21) *duabus sectionibus ostendit hostes impugnaturos quidem esse regnum messianicum, sed devictum iri.*

1. *Hostium impetus illis quidem erit interitui, populo electo autem saluti* (12,1-13,6).
   a.) Fatali quadam necessitate omnes gentes Ierusalem et Iuda aggredientur, sed cum magno sui ipsorum damno (12,1-4); etenim Deus confortabit et adiuvabit principes Iuda, ne ipsi sibi victoriam attribuere queant, et glorificabit populum suum, hostes autem conteret (12,5-9).
   b.) (Hanc autem victoriam populus adipiscetur, quia) Deus super eum effundet spiritum gratiae suae, ut cognoscant et lugeant crimen, quod commiserunt configentes salvatorem suum (12,10-14).
   c.) Victoriae vero fructus erit apertio fontis, quo abluentur omnes immunditiae idololatricae (13,1-6).
2. *Ita autem populo impetus hostium erit saluti, ut reliquiae eius salventur* (13,7-14,21).
   a.) Summatim docetur, impugnatione illa partem populi esse interitu-

ram, reliquias autem mundatum et intimius cum Domino unitum iri (13,7-9).

b.) Quae explicans praedicit propheta, hostes expugnaturos et vastaturos esse sanctam civitatem populique partem abducturos (14,1. 2), Deum autem adventurum, ut reliquiis mirabilem viam salutis pandat (14,3-5), atque diei tribulationis successurum esse diem prosperitatis (14,6. 7).

c.) Quae prosperitas accuratius descripta epilogum libri constituit (14, 8-21).

α.) Etenim egredientur de Ierusalem aquae vivae, quae toti terrae miram afferent fertilitatem (14,8-11);

β.) hostes tremenda quidem clade percutientur (14,12-15), sed eorum quoque reliquiae ad Dominum sese convertent et prosperitatis participes fient (14,16-19);

γ.) ac tum demum omnis Ierusalem et omnis Iuda eximia dignitate et sanctitate splendebunt (14,20. 21).

De *unitate libri* accuratius disserere opus non est, siquidem ex proposita analysi satis eam elucere arbitror. Quae enim in primae partis visionibus obscurius indicantur de fatis regni messianici, ea in duabus ultimis orationibus fusius explicantur, atque intermedia pars ostendit, qua ratione populus ad sustinendos hostium impetus adipiscendamque messianicam salutem sese praeparare debeat. « Argumenti autem sublimitate Zacharias excellit inter minores prophetas et quamvis dicendi genere et splendore ad Isaiae maiestatem non perveniat, tamen rerum profunditate, varietate, amplitudine, in quantum libri moles longe minor fert, non adeo longe ab eo abesse videtur »[1].

Pro argumenti varietate vario etiam utitur propheta *dicendi genere;* prosaico et simplici sermone proponit in prima parte visiones; magis oratorio modo incedit in secunda parte, in tertia demum « sunt aliqua et poetica et valde ornata »[2], immo integra fere stylo poetico est exarata atque ad prosaicum ibi dumtaxat redit, ubi actionem symbolicam proponit (11,4 sqq.). Lingua eius a chaldaismis non plane quidem est immunis, generatim tamen est pura atque eum antiquiores libros optime cognovisse ostendit. Nihilominus de Prophetiae obscuritate omnes paene conqueruntur interpretes; « obscurissimam » eam vocat S. Hieronymus, atque a visionibus ad actionem symbolicam (6,9 sqq.) explicandam transiturus conqueritur : « ab obscuris ad obscuriora transimus et cum Moyse ingredimur in nubem et caliginem. Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum Dei, et gyrans gyrando vadit spiritus et in circulos suos revertitur; labyrinthios patimur errores et Christi caeca regimus filo vestigia »[3]. Vehementius autem de hac obscuritate conqueruntur iudaici interpretes, utpote qui hoc « filo Christi » non regantur. Neque enim tam ex dicendi genere exoritur

prophetiae obscuritas, quam ex ipso argumento, quod quum integrum sit de regni messianici praeparatione, fundatione, progressione, ab illis procul dubio intelligi nequit, qui Messiam humilem et pacificum (9,9) a populo suo reiectum (11,4 sqq.) quin etiam crucifixum (12, 10 sqq.) agnoscere nolunt, neque se vel potius suorum magnam partem a Domino reiectum iri (13,7 sqq.) putant; quapropter « doctorem iustitiae » exspectant, qui ipsis vaticiniorum veram interpretationem tradat[4]. De cetero Zachariae visiones, actiones symbolicae imaginesque similibus aliorum prophetarum vaticiniis obscuriores non sunt; quoniam autem illis frequentius utitur, eum abstrusioribus prophetis adnumerare possumus[5].

1. *Knabenbauer* Proph. min. II. p. 215.

2. *Lowth* De poesi sacra p. 247, qui praesertim Zach. 9. 10. et initium 11. cap. poetica habet, at nisi omnia nos fallunt, tria ultima quoque capita (12.-14.) allegare potuit. ac debuit.

3. *S. Hieron.* In Zach. Prol. in 1. et in 2. libr. (M. 25,1486. 1525).

4. Cfr *R. Iarchi* In Zach. Praef. : « Prophetia Zachariae valde obscura est; sunt enim in illa visiones somniis similes, in quibus opus est interpretatione. Et nos non poterimus veram eius interpretationem assequi, *donec venerit* DOCTOR IUSTITIAE » (cfr *Ioel* 2,23). Obscuritatis miram rationem affert *R. Dav. Kimchi* (ad Zach. 8,1) : « Visiones Zachariae sunt valde abstrusae, similes visionibus Danielis; neque adeo obscurae sunt ceterorum prophetarum visiones, *quia virtus prophetica decrescebat in dies post captivitatem*, adeo ut nec perspicue proponerent verba sua, nec ipsi visiones intelligerent, sicut priorum temporum prophetae ». *Abarbanel* (In Dan. 11.) conqueritur : « vaticinia Zachariae usque adeo sunt abscondita, ut omnes interpretes [sc. iudaici], quantumvis periti, manus suas in explicationibus suis non invenerint ». Neque immerito monet *Hengstenberg* (Christologie III. p. 251) ob eandem rationem, quia Christum non amplius agnoscant, rationalistis prophetias nostras esse obscuras : « Die rationalistischen Ausleger theilen diesen subjectiven Grund der Dunkelheit insofern mit den Iuden, als auch sie ängstlich streben müssen keine zu genaue Uebereinstimnung der Weissagung mit der Erfüllung, nichts in ihr aufzufinden, was sich, wie der niedrige, von dem Bundesvolke verworfene, sterbende Messias nicht aus menschlicher Vorahnung erklären lässt ».

5. Cfr *Corn. a Lap.* In Zach. Arg. « Zacharias abundat visionibus et symbolis; iam enim videt quadrigas, iam cornua, iam septem oculos...; quocirca prae ceteris pariter obscurus est, profundus et aenigmaticus; symbolicus ergo est aeque ac Daniel et Ezechiel, quos secutus est S. Ioannes in Apocalypsi ac praesertim Zachariam ». Revera cum Apocalypsi, quantum equidem arbitror, id quoque habet commune, quod vaticiniorum eius pars nondum sit impleta ideoque a nobis etiam non nisi coniiciendo exponi queat; sed idem in Ezechielis, Danielis aliorumque nonnullorum vaticiniis obtinet.

320. — III. DE LIBRI AUTHENTIA ET AUCTORITATE. — Quam plurimos libros librorumque partes auctoribus, quibus constanti et unanimi plus quam viginti saeculorum traditione attribuuntur, a modernis « criticis » abiudicari et *recentiori* aetati attribui vidimus; varietatis tamen causa, ne semper eodem modo incedere viderentur, nostro pro-

phetae ultima eius capita (9.-14.) surripere conati sunt, ut ea *antiquiori* aetati adscriberent. Quae res per se, dummodo vaticinia illa de regno messianico intelligantur, non admodum magni est momenti; at clarum est, duas orationes illas ideo dumtaxat Zachariae denegari et in alteram aetatem transferri, ut prophetico suo charactere priventur et de nescio quibus rebus ante exsilium peractis tractare statuantur. Quam ob causam INTEGRI LIBRI AUTHENTIA nobis erit demonstrauda.

Toti controversiae medio saeculo 17. ansam dedit theologi cuiusdam anglicani scrupulus, qui quum a S. Matthaeo (27,9) vaticinium, quod in Zachariae libro legi putabat, sub Ieremiae nomine allegari videret, canonis collectores quam evangelistam erroris accusare maluit ideoque capp. 9.-11. Ieremiae opus esse coniecit. Quem mox secuti alii, quoniam e medio libro tria capita non apte evelli posse putabant, integram ultimam Zachariae partem Ieremiae deberi docuerunt sententiamque suam nonnullis conquisitis ratiunculis confirmare studuerunt[1]. Intera exortus est rationalismus, qui scrupulo illo de supposito evangelistae errore, uti patet, non turbabatur, facilius autem propheticum libri characterem destrui vidit, quamprimum auctor non de regno messianico sed de suae aetatis rebus agere demonstraretur. Itaque praedecessorum suorum argumentis usi ultimam partem « Zachariae filio Barachiae filii Addo » abiudicarunt, sed ut eam explicarent, per totam fere historiam israeliticam circumvagati sunt, ut periodum quandam invenirent, cui illam attribuerent. Atque alii quidem eam invenisse sibi videbantur tempore regis Oziae, i. e. ineunte saec. 8., alii non nisi tempore regis Antiochi Epiphanis, i. e. medio saec. 2., alii intermediam quandam aetatem aut ante exsilium aut post exsilium praetulerunt, alii demum quum omnia sex capita eidem aetati adaptare se posse desperarent, ea ex duobus vel tribus vel pluribus vaticiniis vario tempore exortis conflata atque nostro libro assuta statuerunt : tot igitur fere habes sententias, quot interpretes « criticos »[2]. Illas omnes examini subiicere nec vacat nec iuvat; argumenta potius, quibus integri libri authentia nititur, proponemus, atque adversariorum rationes internae, quibus alterius partis authentiam impugnant, quid valeant, paucis ostendemus[3].

1. Primum et praecipuum argumentum ex traditione constanti et unanimi synagogae et Ecclesiae desumimus, quae integrum librum Zachariae filio Barachiae filii Addo adscribere nunquam dubitavit. Quae autem huius argumenti sit vis, facile apparet consideranti a.) haud diu post Zachariae aetatem canonicos libros esse collectos; fieri autem non potuisse, ut eo tempore vaticinia multo antiquiora recenti et fere aequali prophetae adscriberentur; b.) integram vaticiniorum auctoritatem ab auctorum dignitate prophetica cognita et agnita de-

pendere atque olim dependisse; summam igitur curam adhibere debuisse antiquam synagogam, ne pseudoprophetarum, qui apud Iudaeos semper multi erant, scripta simul cum verorum prophetarum libris reciperentur; ideoque eam nunquam anonyma vaticinia recepisse aut conservasse, id quod ex nostro dodecapropheto satis constat, in quo etiam parva vaticinia (Abdiae, Haggaei) nomen auctoris praefixum habent[4]; ergo temere omnino et sine causa ab adversariis supponi, cum genuino Zachariae libro vaticinia quaedam anonyma aut alterius cuiusdam Zachariae opuscula coniungi potuisse[5].

2. Quoniam hodie plerique ultimam partem ante exsilium scriptam esse asserunt, ea urgere licet, quae auctorem secundae partis post exsilium vixisse docent. a.) Inter quae primum locum tenent frequentes ad antiquiorum prophetarum libros allusiones[6]. In priore sua parte Zachariam antiquiora vaticinia saepe supponere omnes concedunt; in prooemio (1,4 sqq.) et in exordio orationis a. 4. Darii habitae (7,5. 7) diserte ad eos provocat (*Is*. 31,6; 45,22; *Ier*. 25,4 sq.; *Ezech*. 33,11; — *Is*. 58,5); nomen Messiae צמח (3,8; 6,12) ab *Is*. 4,2 et *Ierem*. 23,5; 33,17 dependet; visio de volumine volante, quod ex utraque parte (מִזֶּה וּמִזֶּה) conscriptum erat maledictionibus (5,2 sqq.), alludit ad Ezechielis volumen (2,9. 10), quod intus et foris scriptum erat lamentationibus et vae etc. Iam vero eadem est in ultimis capitibus allusionum frequentia, atque inter prophetas, ad quos alluditur, nonnulli ad ultimam periodum regni Iuda pertinent. Sapientiam, fortitudinem, opulentiam Tyri Zacharias (9,2. 3) eodem ordine enumerat, quo Ezechiel (28,3. 4); in descriptione destructionis oppidorum philisthaeorum (9,5. 6) imitatur Sophoniam (2,4); tempore regis pacifici ablatum iri omnem fastum bellicum (9,10) praedicit verbis similibus, quibus Michaeas (5,9) sq.; duplicia se redditurum promittit Deus per Zachariam (9,12), uti per Isaiam (40,2)[a]. Vix minus frequentia exempla sunt in reliquis capitibus[7]. — b.) Porro ea in altera parte supponitur conditio populi, quae fuit post exsilium et quae in primis quoque capitibus et ab Aggaeo describitur. Egregie haec indicia collegit Knabenbauer : « Invitantur enim 9,11. 12 exsules ad reditum et urgentur ut ad Sionem revertantur; id quod ad Zachariae tempus apprime, ne dicam unice est factum (cfr 2,6. 7); item 10,2 populi dispersio et captivitas uti res iam facta exhibetur; 10,6 vero et Iudaeorum et Israelitarum restitutio promittitur ita, ut utriusque abductio et punitio simul enuntietur iam facta : *erunt sicut fuerunt, quando non proieceram eos;* 10,8 praesertim Ephraimitae dicuntur adhuc esse reducendi et

(a) Adversarii nostri omnes, quos hoc loco impugnamus, quoniam alteram Isaiae partem cpp. 40.-66) scriptori versus finem exsilii degenti attribuunt, efficacius hisce exemplis, quam allusionibus ad Sophoniam et Ieremiam vel Ezechielem, refelluntur.

congregandi, id quod supponit iam Iudaeorum partem magnam esse reductam; 10,10 ex Aegypto et Assur multos fore reduces et in Galaad et Libanon esse collocandos promittitur; ergo ex Chaldaea iam plerique redierunt et terra meridionalis circa Ierusalem iam est incolis praedita »[8]. Adde coloniam Iudaeorum nondum potentem esse sed humilem, quae venturo tempore futura sit potentior; regem illo tempore Iudaeis non fuisse, sed solos duces Iuda nominari (9,7; 12,5. 6); si autem de domo davidica sermo fit, futuram dumtaxat ei gloriam promitti (12,7. 8; 13,1); non amplius Assyriam vel Chaldaeam tamquam regni theocratici hostes designari, sed Graeciam (9,13), id quod nullo modo explicari potest, si ante exsilium vaticinium scriptum dicitur[9].

3. Uni demum eidemque auctori priora et ultima libri nostri capita deberi confirmatur utriusque partis affinitate, sive ad earum argumenta, sive ad earum dicendi genus attentionem nostram convertimus. In priore parte hostibus Iudaeorum poena praedicitur (1,14.15; 6,8), in altera autem nonnulli ex hostibus nominantur eorumque poena futura describitur (9,1 sqq.); in visionibus Messias rex et sacerdos promittitur (3,8; 6,12 sq.), ut in altera parte (9,9-17): porro in utraque parte annuntiantur conversio gentium (2,11; 6,15; 8,22 sqq. — 14,16. 17), reditus Israelitarum ex captivitate (8,7.8; — 9,11 sq. 16; 10,8 sqq.), novi regni sanctitas (3,1-11; 5,1-11; — 13,1-6) et omnimoda prosperitas (1,17; 3,10; 8,3 sq. 11-16; — 14,7-11), singularis Dei protectio (2,9; — 9,8. 12) etc. — Ad quam argumentorum affinitatem accedit affinitas quaedam in dicendi genere. Satis magnam quidem, si sola externa forma consideratur, differentiam inter utramque partem intercedere ipsi diximus, quatenus pro vario argumento stylum variaverit propheta, prosaico usus in narrandis visionibus et actionibus symbolicis (1-6; 11,4 sqq.), poetico in vaticiniis proprie dictis (9,1-11, 3; 12.-14.); quae varietas, quum in aliis quoque libris propheticis, quorum unitas non negatur, non admodum sit rara (cfr praesertim *Os.* 1. et 3. cum reliquis eiusdem libri partibus), unitatem non tollit neque diversos esse utriusque partis auctores demonstrat. Illa autem non obstante etiam in dicendi genere affinitatem quandam inveniri certum est. Atque praeprimis eadem omnino est in visionibus et in orationibus lingua; « ne teretissimas enim aures » ullam in lingua utriusque partis reperire differentiam, concedit unus ex nostris adversariis et reliqui eam saltem urgere non audent[10]; iam vero si secundum multos nostros adversarios quatuor fere integra saecula inter priorem et alteram partem interiacerent, levem saltem quandam differentiam linguae exspectaremus, praesertim quum intermedio illo tempore Iudaei chaldaicam linguam adoptare coepissent. Adde expressiones nonnullas, quae

in aliis libris vix inveniuntur, utrique parti esse communes[11], atque eosdem quoque inveniri dicendi modos : providentia divina « oculo Dei » designatur (3,9; 4,10; — 9,1), populus vocatur « domus Iuda et domus Israel », aut « Iuda, Israel et Ierusalem », aut « Iuda et Ephraim », « Iuda et Ioseph » (1,12. 19; 8,15 etc.; — 9,13; 10,6; 11, 14 etc.), aliqui versus (2,10 et 9,9) aut versuum partes (2,6 et 9,12. 13; 7,14 et 9,8; 8,14 et 14,5) fere repetuntur etc. Sed pauca haec, quae duobus primis argumentis confirmandis inserviunt, innuisse sufficit.

1. *Ios. Mede* Fragmenta sacra. Londini 1653. p. 9 (Cfr eiusdem Works. London 1644. p. 786.834); quem secuti sunt *Rich. Kidder* The demonstration of the Messias. London 1700. p. 199, *W. Whiston* An essay towards restoring the true text of the O. T. London 1722. p. 92 aliique.

2. Ex rationalistarum schola unitatem libri primus impugnavit anglicanus « episcopus » *W. Newcome* (An attempt towards an improved version of the minor prophets. London 1785.) atque immediate postea in Germania *B. G. Flügge* (Die Weissagungen, welche den Schriften des Zacharias beigebogen sint. Hamburg 1788.), qui in sex istis capitibus satis brevibus novem diversa vaticinia deprehendit a quinque vel sex diversis scriptoribus diversis temporibus composita; *Bleek* quoque aliique sex septemve diversa vaticinia sed duos tresve tantum diversos scriptores agnoscunt, plerique vero moderni « critici » pauciora vaticinia paucioresque auctores distinguunt duobus fere contenti; neque desunt, qui unum solum auctorem agnoscendum esse statuunt. Omnes autem sententias de originis tempore enumerare ideo est difficillimum, quia « critici » nostri diversissimo modo tempora designant, in ipsa chronologia quam maxime differunt, variisque modo vaticinia discerpunt. Quapropter uno conspectu eas proponere non possumus; ut autem clarius appareat, quid valeant « internae rationes », quibus derelicta et reiecta traditione solis in definienda vaticiniorum aetate regi volunt moderni « critici », nonnulla saltem exempla afferre non pigebit. I. Qui POST ZACHARIAE AETATEM ultimam partem exortam dicunt, plerique unum solum auctorem agnoscunt; iam vero hic scripsit aetate XERXIS secundum *Gramberg* (Gesch. der Religionsideen II. p. 520 sqq. 655 sqq.), ARTAXERXIS LONGIMANI secundum *Vatke* (Theologie des A. B. I. p. 553 sqq.), ALEXANDRI M. secundum *Eichhorn* (Einl. Ed. 4. IV. p. 444 sqq., saltem cpp. 9. 10., nam reliqua putat recentiora), ANTIOCHI EPIPHANIS vel sub initiis aetatis machabaicae secundum *A. Geiger* (Urschrift u. Uebersetzung der Bibel p. 55 sqq.), *Boettcher* (Neue exeg. krit. Aehrenl. II. p. 216), *Stade* (Ztschr. für alttest. Wissensch. 1881. 1882), *Vatke* (Einl. 1886. p. 706 sq., qui priorem suam sententiam mutavit), *Cornill* (Einl. Ed. 3. 1896. p. 201 sq.), HYRCANI I., i. e. exeunte saec. 2., aut forte ARISTOBULI, i. e. ineunte saec. 1., *Paulus* (Exeg. Handbuch über die Evang. III. p. 130-142). II. Non minor est varietas eorum, qui ANTE EXSILIUM partem exortam dicunt, sed difficilius eorum sententiae proponuntur, quia plerique illam in varia vaticinia discerpunt. Poteris igitur integram partem aetati OZIAE attribuere cum *Rosenmüller* (Schol. in Proph. Min. Ed. 2. IV. p. 258), et accuratius anno 772., quo Manahem thronum Israel sibi arripuisse statuitur, cum *Hitzig* (Stud. u. Krit. 1830. p. 25 sqq.) vel etiam c. a. 732. exortam dicere cum *Koenig* (Einl. 1894. p. 366 sqq.), aut etiam poteris cum *Bleek Wellh.* (Einl. p. 440 sqq.) c. 9. sub Ozia, c. 10. sub Achaz, 11. ultimis annis Oziae, 12,1-13,7 primis Sedeciae annis, 13,8-14,2 primis annis Ioakim attribuere; aut etiam cc. 9-11. aetati vel Oziae cum *Reuss* (Gesch. d. A. T. p. 266 sq.), *De Wette Schrad.* (Einl. p. 480 sq.), vel Achaz cum *Bertholdt* (Einl. p. 1714 sqq.), *Strack* (Einl. Ed. 4. 1895.

p. 109), *Driver Rothst.* (Einl. 1899. p. 372 sqq.), vel Ezechiae cum *Baur*, vel Iosiae cum *de Wette* (Einl. Ed. 2. p. 338, qui tamen inde a 4. Edit. authentiam totius libri admisit) etc.; alia dein cc. 12.-14. poteris scripta dicere aut sub Manasse cum *Hitzig* (Comm. Ed. 3. p. 357), *Reuss* (l. c. p. 332), aut sub Ioakim cum *Davidson* (Intr. III. p. 331 sq.), *Schrader* (l. c.), aut sub Iechonia cum *Strack* (l. c.), aut sub Sedecia cum *Stanley*, aut etiam tempore postexsilico cum *Driver Rothst.* (l. c.) etc. Quoniam tanta est opinionum coniecturarumque varietas, non intelligo, quomodo *Diestel* (Schenkel Bibellex. V. 132) scribere potuerit, inter *certissima*, quae moderna scientia critica produxerit, numerandum esse, quod ultima sex capita Zachariae non debeantur priorum capitum auctori, sed partim diu ante exsilium sint exorta. Num forte ex multiplici variaque opinionum multitudine exsurgit haec certitudo.

3. Catholicos interpretes omnes authentiam defendere vix opus est dicere; fusius argumenta inter alios exponunt *Reinke* (Beiträge VI. p. 1-37), *Herbst Welte* (Einl. II. 2. p. 161-168), *Aug. Scholz* (Einl. III. p. 624-630), *Trochon* (Les petits prophètes. p. 397-409), *Knabenbauer* (Proph. Min. II. p. 216-221) etc. Ex protestanticis egregie idem praestiterunt *Hengstenberg* (Beiträge I. p. 361-388), *H. I. Sandrock* (Prioris et posterioris Zach. partis vaticinia ab uno eodemque auctore profecta. Vratisl. 1858), *Koehler* (Herzog P. R. E. Ed. 2. XIII. p. 179-187) etc.

4. Utique respondet *Davidson* (Introd. III. p. 326) : « It was not unusual to put together under one name the prophecies of different writers, as we see from the case of Isaiah and the Deutero-Isaiah ». Mirum sane argumentum, quo incertum per incertius demonstratur; quid valeat exemplum cfr *supra* 255-257 p. 338 sqq.

5. Varios viros, quibus nomen Zachariae, conquisiverunt, ut eis vaticinia haec adscriberent; *Hitzig* (Die kl. Proph. Ed. 3. p. 357) Zachariae, qui 2 *Paral.* 26,5 nominatur, attribuit cpp. 9.-11., et Zachariae, qui ab *Is.* 8,2 nominatur, cpp. 12.-14.; contra *Bleek* (l. c.) et *Bunsen* (l. c.) alteri huic adscribunt cpp. 9.-11.; omnia haec temere et arbitrario fieri patet.

6. Hoc praesertim argumento permotus De Wette authentiam, quam in primis tribus editionibus Introductionis plane reiecerat, admisit et defendit.

7. Cfr *Zach.* 10,3 et *Ezech.* 34,17; — 11,3 et *Ierem.* 25,36; — 11,4 et *Ezech.* 34,4; — 11,5 et *Ierem.* 50,7; — 11,7. 11 et *Ierem.* 49,20 et 50,45; — 11,8 et *Ierem.* 2,8. 26; — 11,9 et *Ierem.* 34,17; — 11,16 et *Ezech.* 34,3. 4. Alia plura exempla afferunt *Reinke* (l. c. p. 6) et *Scholz* (l. c. p. 625); ex protestanticis cfr *De Wette* (Einl. Ed. 7. p. 337), *Hengstenberg* (l. c. p. 367) etc.

8. *Knabenbauer* l. c. p. 217.

9. Immerito adversarii provocant ad *Ioel.* 3,6, quia Graecia ipsa illo in loco non velut hostis Israelitarum describitur, sed sermo dumtaxat est de Israelitis per hostes in Graeciam venditis.

10. Ita *Pressel* (Cfr Lange Die Proph. Haggai, Sacharja, Maleachi. Bielefeld 1876. p. XI sq.) : « Wer die hebräische Diction in den beiden sacharjanischen Hälften so verschieden finden will, dass er sagen kann : ich höre, dass jenes nachexilische Diction ist, und dieses vorexilische, der muss in der That ein so feines Ohr haben, dass er hören kann, wie das Gras wächst ».

11. Phrasis rara מֵעֹבֵר וּמִשָּׁב (7,14 et 9,8), הֶעֱבִיר (sensu *removendi* 3,4 et 13,2); alios dicendi modos, qui auctorem post exsilium vixisse suadent, afferunt *Reinke* (l. c. p. 8) et *A. Scholz* (l. c. p. 624 sq.). Ex protestanticis cfr *Hengstenberg* (l. c. p. 370), *Keil* (Einl. p. 341 sq.).

Authentiae argumentis expositis obiectiones adversariorum paucissimis expedire nobis licet. Testimoniis enim historicis, quibus sententiam suam

defendere queant, prorsus carent, atque nonnullas ex eorum « rationibus internis » iam praeoccupavimus. Cum primis authentiae impugnatoribus ad *Matth.* 27,9 non amplius provocant [12], neque antiquorum quorundam Patrum testimonia amplius proferre audent, qui memoria lapsi Zachariae sententiam quandam sub Oseae aut Sophoniae aut Ieremiae nominibus allegarunt [13]; idque rectissime, siquidem similibus argumentis etiam aliis prophetis nonnulla abiudicare atque Zachariae attribuere possumus. Quid de styli differentia, qui prosaicus sit in priore, poeticus in altera parte, sentiendum sit, iam diximus [14]. Restant igitur indicia illa, quibus aetatem prophetae accurate definiri asserunt adversarii nostri; quantam vero certitudinem praebeant indicia illa, satis elucet ex adversariorum variis sententiis; iisdem prorsus versibus, quibus aliqui tempus ante exsilium definiri contendunt, alii aetatem exsilio recentiorem esse probare volunt, atque iisdem verbis alii saeculum 8., alii saec. 7., alii 4. vel 3. vel 2. designari putant.

Qui ante exsilium capita 9.-11. scripta dicunt, maxime urgent, quod regnum septemtrionale etiamtunc exsistere et in suo vigore esse supponatur (9, 10. 13; 10,6. 7; 11,14), non animadvertentes, plerisque in locis illis de *futura* rerum conditione sermonem fieri, nomen autem *Israel* vel *Ephraim* vel *Ioseph* eadem prorsus ratione usurpari a Ieremia (30,3. 4; 31,27. 31; 33, 14 etc.), Ezechiel (37,17 sqq.), atque in priore Zachariae parte (8,13) [15]. — Alterum argumentum eis praebet idololatriae et pseudoprophetarum commemoratio (10,2; 13,2 sqq.); soluto enim exsilio et maxime tempore Zachariae inter reduces nec idololatriam fuisse nec pseudoprophetas. At 10,2 docet propheta, mala quae maiores Israelitarum passi sunt poenas fuisse idololatriae, atque 13,2 sqq. quoque non *suae* aetatis idololatras vel pseudoprophetas increpat, sed nullos futuros esse praedicit tempore messianico; neque de Palaestina speciatim loquitur ibi propheta, sed de *terra* in universum, ex qua vel ipsa idolorum *nomina*, i. e. eorum memoriam delendam annuntiat. — Doctrinis quoque differre alteram a priore parte asserunt; alterius auctori satanam fuisse incognitum, atque semel tantum ab eo nominari « angelum Domini » (12,8), cuius frequens sit mentio in priore (1,9. 11. 13. etc.); secundum prioris auctorem regnum messianicum immediate successurum exsilii solutioni (1,12. 13), alterum autem docere, ante regni messianici initium populum iudicio quodam purificari debere (13,9; 14,2) [16]. Mirum sane, quod satanas omnibus illis incognitus fuisse dicatur, qui eum non diserte commemorant; in priore parte semel nominatur (3,1, 2); demonstrandum igitur erat, auctorem alterius partis eum alicubi nominare *debuisse;* id enim si non demonstratur, eodem cum iure etiam cpp. 7. 8. alteri auctori tribuemus, cui satanas incognitus fuit. Quod autem in priore parte angelus Domini continuo nominetur, in altera semel tantum, id ei soli difficultatem creat, qui non attendit, visiones per angelum exhiberi, quapropter eius nomen ne semel quidem nominatur finitis visionibus prioris partis (6,9-8,23). Qui vero obiecit, in priore parte regnum messianicum exspectari statim post solutum exsilium, is nec duas ultimas visiones (5,1-6,8) intellexit, neque recordatus est, Zachariam a. 2. Darii, i. e. exsilio iam satis diu soluto, visiones suas habuisse. — Sed arbitrarias eiusmodi et erroneas interpre-

tationes, quibus alii vaticinia illa ultimis temporibus persicis aut aetati Machabaeorum attribuunt, interpretibus relinquimus.

Zachariae Prophetia in N. T. toties velut divina Scriptura allegatur, ut de DIVINA AUCTORITATE istis solis testimoniis abunde constet. Pacificum Domini N. ingressum in sanctam civitatem *SS. Matthaeus* (21,5) et *Ioannes* (12,15) a Zacharia (9,9) praedictum viderunt; secundum *Matth.* 27,9 vile pretium, quo appretiatus est Dominus a filiis Israel, praenuntiavit Zacharias (11,12), atque Domini crucifixionem quoque *Ioan.* 19,37 (cfr *Apoc.* 1,7) indicatam dixit a *Zach.* 12,10; dispersionem autem discipulorum suorum ipse Dominus (*Matth.* 26,31) annuntiavit verbis prophetae nostri (*Zach.* 13,7).

12. Rationalistas textus ille non iuvat, quia Matthaeum inspiratum fuisse negant ac proinde eum errasse supponunt; at Matthaeum non errasse, quum *Ieremiae* nomen poneret, concedet quicunque consideraverit, illo in loco evangelistam varia vaticinia coniunxisse (*Ier.* 18. 19. 32.; *Zach.* 11.), atque nomen istius prophetae solius posuisse, cuius testimonio illud praecipue confirmabatur, quod probare voluit, sc. agrum figuli emtum esse pretio illo, quo appretiatus est Dominus a populo suo; de ista autem emtione non loquitur Zacharias. Simili plane modo in principio evangelii sui *Marcus* (1,2) vaticinia *Mal.* 3,1 et *Is.* 40,3 coniungens solum Isaiam nominat, quia eius verbis indiguit ad S. Ioannis B. praedicationem describendam iisque Malachiae vaticinium eum dumtaxat in finem praemisit, ut Isaias haec de Ioanne praedixisse intelligeretur. Neque desunt alia similia exempla, quae afferunt interpretes. Egregie prae ceteris hanc, quam innuimus, difficultatis solutionem explicant *Sanctius* (In Zach. 11,13) et *I. Grimm* (Einheit der Evangelien p. 715-724).

13. *S. Iustin.* (Apol. I. 35. M. 8,384) Zach. 9,9 attribuit Sophoniae, sed non nisi per lapsum memoriae, uti patet ex Dial. c. Tryph. 53 (M. 7,593), ubi verba recte Zachariae dat; simili modo c. Tryph. 14 (M. 7,505) verba *Zach.* 12,10 erronee adscribit Oseae. — Etiam in *Const. Apost.* II, 53 (M. 1,717) verba *Zach.* 8,17 Ieremiae esse dicuntur, neque tamen quisquam ideo etiam cp. 8. nostro prophetae abiudicare audet.

14. Ad externam quoque formam spectat, si in priore parte tempus vaticiniorum indicari (1,1. 7; 7,1) atque duae ultimae conciones *Onus* inscribi (9,1; 12,1) dicuntur; aut si formulae « factum est verbum Domini » (1,7; 4,8; 6,9; 7,1. 4. 8; 8,1. 18), « haec dicit Dominus exercituum » (1,4. 16. 17; 2,12; 8,2. 4. 6. 7. 9. 14. 18. 20 23), « in die illo » (decies novies in priore parte, ter in altera) urgentur, quae in priore fere sola parte legantur; aut si nusquam in priore parte duces dicantur esse pastores et populi greges, uti in altera (10,2. 3; 11,8. 16; 13,7; — 9,16; 10,2; 11,4. 7. 11. 17; 13,7) etc. Quae omnia quam levia sint, nemo non videt. Etiam Isaias nonnullis vaticiniis (6,1; 7,1; 14,28) tempus praefixit, in aliis temporis indicationem omisit, alia vaticinia *Onera* vocavit (13,1; 15,1; 17,1 etc.), alia, quamvis etiam sint minacia, simili inscriptione non munivit (14,29; 34,1 etc.); quis vero unquam hisce differentiis pro argumento usus est, ut alia genuina alia spuria esse demonstraret? Si ex formulis istis quidquam concludere licet, sola tria capita 1. 2. 8., in quibus solis verba « haec dicit Dominus exercituum » leguntur, Zachariae sunt relinquenda. Annon pro argumentorum varietate variis dicendi modis uti licet scriptori? Quapropter unus ex exploratissimis et audacissimis « criticis » rectissime monet, istis argumentis aut nihil aut nimium demonstrari, quum similibus omnium fere prophetarum libri discerpi

queant : « Die Verschiedenheit des Stils und des Sprachgutes, sowie die ganze Manier des Vortrags beweist nichts oder zu viel, da auch cp. 7. 8. ganz anders angelegt sind als cp. 1.-6., und cp. 11. wiederum ganz anderer Natur ist, als cp. 9. 10. Mit gleichem Rechte könnte man in Hosea und anderwärts ähnliche Scheidegründe finden » (*Reuss* Gesch. des A. T. p. 266).

15. Cfr *Patrizi* De interpretatione oracul. ad Christ. pertinentium p. 34.

16. Ita praesertim *De Wette Schrader* Einl. p. 479, *Davidson* Introd. III. p. 324 etc.

## § 35. — *De Prophetia Malachiae.*

321. — I. De propheta ipso eiusque aetate. — Ad eum iam pervenimus prophetam, qui utpote omnium, quos Deus ad populum suum Israel misit, ultimus a Iudaeis dicitur חותם הנביאים (*sigillum prophetarum*), neque id immerito. Quoniam enim libelli epilogus (*Mal.* 4, 4-6) Legis observantiam gravibus verbis inculcat atque extenso quasi digito praecursorem Messiae ad iudicium advenientis monstrat, omnia praecedentia vaticinia sigillo suo apposito certa quadam ratione confirmat eorum praecipuum finem summumque argumentum breviter complexus.

De *auctore* autem ultimi huius libri prophetici tam pauca nobis sunt tradita, ut ne id quidem omnimoda cum certitudine constet, num propheta, cui *nomen proprium* fuit Malachias, unquam exstiterit; pro *appellativo* enim, quo munus officiumque auctoris designetur, illud nomen esse habendum, communis erat antiquorum sententia, quae hodie quoque suis non caret propugnatoribus. In antiqua Ecclesia non defuerunt, qui angelum corpore humano indutum vaticinia nostri libelli edidisse crederent; atque satis propagata olim haec opinio videtur fuisse, quia SS. Hieronymus et Cyrillus Alex. eam longiore refutatione dignam habebant[1]. Alii autem iique plures antiqui interpretes christiani cum Iudaeis nomine Malachiae aut Esdram aut alium eiusdem fere aetatis virum insignem (Mardochaeum, Zorobabelem etc.) designari putaverunt, neque hodie desunt, qui eidem sententiae faveant. Attamen longe maior modernorum interpretum numerus tenet, Malachiam esse nomen proprium prophetae alicuius, qui Esdrae fere Nehemiaeque aetate vixit, sed cuius nomen solum nobis per eius libellum sit conservatum[2]. Non magni quidem momenti tota haec quaestio est, quum nec authentiam nec auctoritatem libri attingat; ne tamen muneri nostro deesse videamur, utriusque sententiae argumenta praecipua proponemus.

*Qui igitur nomen Malachiae censent esse appellativum,* quo auctoris munus tamquam « *legati Domini* » designetur, primum suum argumentum ex nominis etymologia desumunt. Namque מַלְאָכִי, inquiunt, vi etymologiae suae aut est « *angelus meus* », aut (pro מַלְאָכְיָה) « *angelus*

*Domini* »[3]. Atqui neutro in casu pro *nomine proprio* hominis haberi potest. Nam si prior praefertur etymologia, nomen a Deo ipso supponitur inditum neque a parentibus puero imponi potuit; eius enim significatio genuina apparet ex 3,1, ubi futurus Messiae praecursor, S. Ioannes B., eodem titulo ( « *angelus meus* » vel « *legatus meus* », *Malachi*) a Deo insignitur. Sin altera praefertur, non minus clarum est argumentum consideranti, quemnam locum in vetere oeconomia « Angelus Domini » tenuerit. Procul dubio parentes filium suum *Abdiam* (*servum* Domini), *Naariam* (puerum, i. e. *ministrum* Domini), *Achiam* (fratrem, i. e. *amicum* Domini) etc. appellare potuerunt, sed eos filio suo illud nomen indidisse, quod summis Dei ad populum legatis quasi erat proprium, quis sibi persuadebit?

Alterum argumentum ex traditione desumunt; antiquae enim synagogae et antiquae Ecclesiae prophetam, cui *nomen proprium* fuerit Malachias, prorsus incognitum fuisse asserunt. Quod assertum ut demonstrent, monent a.) nec in libris Esdrae nec a Fl. Iosepho, qui Aggaeum et Zachariam nominant, prophetae Malachiae ullam fieri mentionem; idque profecto mirum esse, quoniam tamquam « prophetarum sigillum » mentionem quandam mereri videbatur; b.) alexandrinum interpretem, qui vix duobus saeculis post libelli nostri auctorem vixit, libro titulum quidem Μαλαχίας praefixisse, sed in textu sacro (1,1) vertendo nomen *Malachi* pro appellativo habuisse, quum verba בְּיַד מַלְאָכִי transtulerit ἐν χειρὶ ἀγγέλου αὐτοῦ[4]; id iterum esse mirum, quoniam reliquorum omnium prophetarum nomina intacta et non mutata retinuerit; c.) simili modo paraphrasten chaldaicum eadem verba reddidisse « in manu *angeli mei* (מַלְאָכִי ), *cuius nomen vocatur Esdras scriba* »; d.) iuniores interpretes hebraeos (*Kimchi, Abenesra* etc.) eandem traditionem esse secutos[5]; e.) antiquorum Patrum, quum versionem alexandrinam secuti sint, testimonium urgeri quidem non posse; attamen Patres illos, si ex traditione de propheta, cui nomen *proprium* fuerit Malachias, aliquid audivissent, haud dubie illud allaturos fuisse; f.) duos illos Patres, qui soli textum hebraicum adhibere potuerunt et adhibuerunt, Origenem et S. Hieronymum, sine ulla haesitatione traditionem synagogae esse secutos et nomini significationem appellativam attribuisse.

Tertium demum argumentum afferunt illi, qui nomine Malachiae i. e. *legati Domini* Esdram designari censent; hanc enim Iudaeorum traditionem a paraphrasta chaldaico diserte expressam, a S. Hieronymo pro certa acceptam et ab aliis Patribus non improbatam[6] confirmari putant a Siracida. Qui viros insignes gentis suae laudibus exornans in eorum numero *Esdrae* non meminit, quamvis nemo ignoret,

Esdram a Iudaeis semper velut alterum Moysen esse habitum; quare concludit *Ribera* : « certe eum non omisisset, nisi iam in eodem cap. 49. cum aliis prophetis eum laudasset dicens : *duodecim prophetarum ossa pullulent de loco suo, nam corroboraverunt Iacob* etc.; ex quo colligitur eum fuisse unum ex duodecim prophetis » et latere sub nomine Malachiae [7].

Uno solo argumento rem definire sibi videntur, *qui Malachiae nomen proprium esse asserunt.* « Mirum esset, inquiunt, atque sine ullo exemplo simili, libello prophetico non verum praefigi nomen vatis, sed symbolicum et aenigmaticum. Residet enim quam maxime prophetiae auctoritas in legitimo propheta, qui tamquam talis notus, a Deo approbatus et omnibus est conspicuus. Cui prophetarum unquam in mentem venit, vaticinia sua obscuro nomine et symbolico edere? E contra nomen suum et saepe patris nomen et tempus et vocationem ad munus propheticum oraculis suis inscribunt atque praefigunt, ut dubium nullum, nulla ambiguitas admittatur. Nonne vaticinium potius redderetur suspicioni fraudisque et mendacii accusationi obnoxium, si ederetur nomine tecto, fictitio? [8] Neque valet exceptio, nomina quoque symbolica adesse in libro Proverbiorum 30,1 et 31,1. Nam non omnino constat ea nomina esse solum symbolica et fictitia; dein id quod potissimum est, aliud est acute et sapienter dicta, quae suam in se ipsis habent et per se produnt veritatem et sapientiam [num etiam *divinam?*], alieno nomine edere, et eo modo publice proponere oracula et vaticinia, quorum veritas et auctoritas per ipsum vatem eiusque legationem divinam omnibus notam est demonstranda et fulcienda, ut fidem inveniant apud eos, in quorum utilitatem, consolationem, doctrinam promulgantur » [9].

1. Multi quidem Patres, qui alexandrinam versionem adhibebant, prophetam angelum *appellant* (*Clem. Alex.* Strom. I. 21. M. 8,860 « ὁ ἐκ τῶν δώδεκα ἄγγελος »; *Tertull.* c. Iud. 5. M. 2,608 « per Malachiam angelum, unum ex duodecim prophetis »; *S. Chrys.* in ep. ad Hebr. 14. M. 63,114; *Theodoret.* In Mal. 1,1. M. 81,1961; *S. Aug.* Civ. Dei XX. 25. M. 41,699 : « Malachi, qui et angelus dictus est » etc.); at verum angelum eum *fuisse* Origenes videtur dixisse (cfr *Huet.* Demonstr. evang. Prop. IV. p. 332), cuius errorem inter discipulos eius propagatum refutant *S. Hier.* In Malach. Prol. (M. 25,1617) et *S. Cyr. A.* In Malach. Prooem. (M. 72,277).

2. Inter recentiores *catholicos* interpretes vix non unus *Ribera* (Comm. in Proph. Min. Romae 1590. II. p. 587 sq.) nomen pro appellativo habet illoque Esdram designari censet; plures sunt inter *protestanticos* et quidem inter recentissimos : *Hengstenberg* Christologie III. p. 583 sqq., *Lange* Die Proph. Haggai, Sacharja, Maleachi p. XXVI sq.; moderni quoque rationalistae *Reuss* (Gesch. des A. T. p. 456), *Noeldeke* (Alttestam. Liter. p. 214), *Ewald* (Propheten des A. T. III. p. 216), *Kuenen* (Hist. crit. des livres de l'A. T. II. p. 496) nomen Malachiae *proprium* prophetae fuisse, negare incipiunt.

3. Addunt tamen alii tertiam significationem; censent enim *Malachi* posse derivari

a *Malach* per *Iod affixum*, quo satis multa adiectiva formentur, ita ut significet *angelicus*. At paucis placet haec etymologia, quia vox *Malach* non ita designat *angelum*, ut ab eo adiectivum *angelicus* possit derivari; latius enim patet vis vocabuli *Malach*.

4. Addendum tamen est, reliquos graecos interpretes, *Aq.*, *Symm.*, *Theod.*, teste S. Hieronymo (l. c.) « nomen Malachi ita ut in hebraeo legitur transtulisse » vel potius retinuisse.

5. De variis Iudaeorum sententiis cfr *Wolf* Bibl. hebr. II. p. 189 sqq.; *Fürst* Kanon des A. T. p. 47.

6. *S. Hier.* l. c. in Prooem. et saepius in Comm.; quem secuti sunt *Remigius*, *Rupertus Tuit.* aliique. — *S. Aug.* (Civ. Dei l. c.) sententiam refert nec approbans nec improbans : « Malachi, qui et angelus dictus est, qui etiam Esdras sacerdos, cuius alia in canonem scripta recepta sunt, ab aliquibus creditur; nam de illo hanc esse Hebraeorum opinionem dicit Hieronymus ». Neque eam improbat *S. Chrysostomus* (c. Iud. or. II.); improbat autem *S. Cyrill. Alex.* (l. c.) : Τινὲς Ἔσδρα ὑπολαμβάνουσιν εἶναι τὸν Μαλαχίαν, ἔχει δὲ οὐ οὕτως τὸ ἀληθές.

7. *Ribera* l. c. Cfr supra 123. tom. I. p. 369.

8. Addit auctor in Nota : « Huic incommodo potuit utique remedium afferri auctoritate alterius v. g. Esdrae viri a Deo approbati, qui talem prophetam et librum propheticum suis popularibus commendaret; verum hoc insolitum est. Ergo nomen id notum nomen Esdrae?! » Procul dubio si Esdram libros canonicos collegisse et populo tradidisse sumitur (cfr *Intr. gen.* Ed. 2. n. 21 sqq. p. 42 sqq.), difficultas haec prorsus disparet; atque S. Hieronymus (l. c.) iam monuit prophetiam « titulum non habere, quia liber Esdrae pro titulo sit, in quo discimus, quod in regno Artaxerxis regis Persarum Esdras filius Saraiae... ascenderit de Babylone » etc.

9. *Knabenbauer* Proph. Min. II. p. 411. — Fuse de hac quaestione disputat *Reinke* Der Proph. Malachi p. 175-190, sed Hengstenbergii argumenta potius (haud felici cum successu) conatur refutare, quam suam sententiam demonstrare.

De prophetae igitur vita nihil certi nobis est traditum [10], de *aetate* autem, cui vaticinia originem suam debeant, id quidem constat, eorum auctorem Aggaeo et Zacharia recentiorem post terminatum templum vixisse, atque longe plerique interpretes etiam tenent, eum Esdrae Nehemiaeque fuisse σύγχρονον; paucissimi enim sunt, qui eum ante Esdrae adventum munere prophetico functum esse dicunt, pauciores qui eum usque ad Alexandri M. tempora relegant [11]. At accuratiora definiri vix possunt, licet magna cum diligentia et subtilitate haec quaestio a non paucis sit tractata. Scilicet a. 7. Artaxerxis I. Longimani (a. 468.) Esdras ex Babylonia in patriam est reversus restaurator cultus divini; tredecim annis postea (a. 455.) Nehemias quoque reversus est, ut muros civitatis restitueret, atque duodecim annis una cum Esdra in restabilienda Lege mosaica laboravit. Anno 32. Artaxerxis Nehemias in aulam regiam iterum arcessitus in Persia satis diu videtur remansisse neque facultatem in patriam redeundi nisi ab Artaxerxis successore Dario Notho c. a. 423. obtinuisse; Ierosolyma vero reversus multos et graves abusus invaluisse vidit, quos magna cum severitate repressit [12]. Inquirunt igitur interpretes, utrum vaticinia nostra illi tempori attribuenda videantur, quo Esdras solus ante Nehemiae adven-

tum Ierosolymis cultum divinum restauravit, an potius duodecim illis annis, quibus duo reformatores populi simul laboraverunt, an illo tempore quo Nehemias ab Artaxerxe arcessitus iterum in aula commorabatur, aut demum post secundum eius reditum in patriam sint promulgata. Quoniam externa testimonia, quibus quaestio definiatur, prorsus desunt, mirum non est, quod omnes quatuor illae sententiae suos invenerint fautores; pluribus tamen interpretibus una ex duabus ultimis placet, ut vaticinia nostra non ante 32. a. Artaxerxis sint edita; ratio autem eorum est, quod Nehemias, quum secunda vice reversus esset in Ierusalem, de iisdem fere abusibus sit conquestus, quos propheta noster reprehendit, atque proinde prophetam concionibus suis secundam Nehemiae reformationem aut praeparasse aut promovisse tenent[13]. Si una ex quatuor illis sententiis esset eligenda, non diffiteor duas has ultimas, quae satis apte coniungi possunt[14], praeplacere; vehementer tamen dubito, an tantus sit obiurgationum Nehemiae et Malachiae consensus, ut rem plane definiat. Nehemias vehementer conqueritur, quod summus sacerdos Eliasib uni ex suis cognatis, Tobiae Ammonitae, habitationem in atriis templi concesserit (2 *Esdr*. 13,4-9), de qua templi violatione non loquitur Malachias; neque minus graviter conqueritur Nehemias de sabbathi violatione (13,15-22), quam iterum Malachias non commemorat. E contra propheta increpat sacerdotes, quod animalia sacrificiis non idonea offerre audeant (*Mal.* 1,6 sqq.), et de his non loquitur Nehemias[15]; vituperat quoque propheta populum propter repudiorum frequentiam (2,13 sqq.), de repudiis autem tacet Nehemias. Consentiunt vero in vituperanda negligentia, qua decimae levitis debitae solvebantur (2 *Esdr*. 13,10-13; *Mal.* 3,10), et in increpandis matrimoniis, quae cum alienigenis inierant Israelitae (2 *Esdr*. 13,23-28; *Mal.* 2,10-12). At de matrimoniis illis mixtis dudum ante priorem Nehemiae adventum Esdras iam conquestus erat (1 *Esdr*. 9. 10); itaque sola remanet negligentia in decimis solvendis, qua consensus ille demonstrari possit. Quod fundamentum parum videtur firmum ad aetatem integri nostri libelli stabiliendam.

Quae quum ita sint, illis assentiri malumus, qui cum antiqua synagogae et Ecclesiae traditione Esdrae quidem Nehemiaeque aetati vaticinia nostra attribuenda, sed ab accuratiore temporis, que edita sint, definitione abstinendum esse censent[16]. Neque enim ulla est ratio, cur Prophetiam Malachiae eodem modo, quo permultos alios libros propheticos, exortam esse negemus. Toto illo tempore, quo duces in restaurando cultu divino et reformandis populi moribus laboraverunt, Deus illos per prophetam suum adiuvit; summa autem argumenta concionum exhortationumque suarum, quibus reformationem promo-

verat, propheta in nostro libello apte disposita populo suo relinquere voluit. Facilior autem erit quaestionis solutio, si cum antiquis Esdram ipsum dicimus vaticiniorum nostrorum auctorem; concionum quas longo vitae tempore habuit, epitomen quandam addidit libris propheticis, quos collegerat, ut populo suo essent consolationi et exhortationi.

10. *Ps. Epiph.* De vitis proph. 22 (M. 43,412 sq.) non pauca de Malachia tradit : eum ex tribu Zabulon oriundum et Sophae natum esse; a populo eum esse appellatum *angelum* propter decoram venustamque corporis speciem atque vitae sanctitatem; vaticinia quoque eius singulis diebus, quibus ea promulgavit, per angelum e coelo descendentem esse confirmata et approbata etc. Quae omnia temere conficta et fabulosa esse omnes consentiunt.

11. Malachiam brevi ante a. 7. Artaxerxis prophetasse, ut Esdrae viam praepararet, *Corn. a Lap.* censet; libellum *brevi ante Esdrae aetatem* scriptum esse probabile habent *Reuss* (Gesch. d. A. T. p. 455), *Bleek* (Einl. Ed. 3. p. 567), *Wellhausen* (Die kl. Propheten. 1892. p. 198), *Koenig* (Einl. 1894. p. 377), *Cornill* (Einl. 1896. p. 206) etc. — *Brevi post Nehemiae mortem* illum prodiisse tenent *Herbst Welte* (l. c. p. 169), *Reinke* (l. c. p. 30 sq.) etc. — *Triginta circiter annis post Nehemiam* i. e. ineunte 4. saec. illum exortum putat *Bunsen* (Bibelwerk II. 2. p. 513 sq.). — *Hitzig* (Die kl. Propheten. Ed. 3. p. 295) eum anno 358. a. Chr. habuit recentiorem, sententia tamen mutata postea (Gesch. des Volks Israel p. 306) eum intra 481. et 374. posuit. — Demum *Alexandri M. aetati* eum attribuerunt *Scaliger, Cappellius, Gürter* (cfr *Reinke* l. c. p. 31).

12. De chronologia Artaxerxis I., quam sequimur, cfr *supra* 118 n. 8 (tom. I. p. 353).

13. Eo tempore, quo Nehemias iterum in aula regis versabatur, vaticinia edita censent *Patrizi* (De interpret. oraculorum ad Christum pertinentium prolegomenon p. 73), *Knabenbauer* (Proph. Min. II. p. 414) aliique; ex protestanticis *Schrader* (Schenkel's Bibellex. IV. p. 100 sq.), *Nägelsbach-Volck* (Herzog P. R. E. IX. p. 179) aliique. — Postquam Nehemias in Palestinam redierit, ea scripta esse tenent *Danko* (Hist. rev. p. 530), *Zschokke* (Hist. A. T. p. 329), *Vigouroux* (Manuel bibl. II. p. 662) etc.; ex protestanticis *Keil* (Einl. p. 343) aliique. — *A. Scholz* (Einl. III. p. 632) ea ante priorem Nehemiae adventum ponit, *Schegg* (Gesch. der letzten Propheten II. p. 202) brevi post eundem.

14. Quodsi nonnulli, ut Malachiam *absente Nehemia* vaticinatum esse demonstrent, ad *Mal.* 1,8 (« offer illud duci tuo, si placuerit ei ») provocent, quum Nehemiam munera a populo non accepisse constet (2 *Esdr*. 5,14 sq.), recte respondent alii : « La question n'est pas de savoir ce que Néhémie a accepté ou non, mais *ce qu'on eût osé lui offrir* en sa qualité de gouverneur ». Satrapae *ius* habebant ad certa munera, et hoc iure supposito loquitur propheta non attendens, utrum de hoc iure illo tempore recesserint necne.

15. Nonnulli monent, increpationem de animalium non idoneorum oblatione (*Mal.* 1,6 sqq.) non potuisse fieri eo tempore, quo per munificentiam regiam res ad cultum necessariae suppeditabantur, id quod Darii et Artaxerxis I. tempore obtinuit; post renovatum autem foedus versus finem primae commorationis Nehemiae in Ierusalem populum onus sacrificiorum in se suscepisse (2 *Esdr.* 10,32); vaticinia igitur nostra post. a 32. Artaxerxis esse edita (*Keil* Comm. p. 679 aliique). Quae vera essent, si in prophetae increpatione de *solis publicis* sacrificiis in regio decreto (1 *Esdr.* 7,20 sqq.) enumeratis ageretur (de sacrificiis matutinis et vespertinis, de holocausto sabbathino etc.). At secundum Legem *privati* quoque sive pro peccatis sive aliis in oc-

casionibus certa sacrificia offerre tenebantur; privatis autem sacrificia illa a regiis magistratibus non esse suppeditata clarum est. Quare ex increpatione illa tempus libelli definiri nullo modo potest.

16. Ab accuratiore temporis definitione cum aliis abstinent *Kaulen* (l. c. p. 433), *Holzammer* (Handb. der bibl. Gesch. I. p. 814), *Schenz* (Einl. p. 398); — *Trochon* (l. c. p. 497 sqq.) varias recenset quidem sententias, sed quum nullam praeferat, etiam illis accensendus videtur, qui varias libri partes diverso tempore exortas esse admittunt.

322. — II. De libri argumento, indole, auctoritate. — Prophetiae titulus « *Onus* (מַשָּׂא) verbi Domini ad Israel » vaticinia nostra docet increpatoria potius esse quam consolatoria, tituloque respondet *argumentum*. Non admodum enim felicem fuisse conditionem populi ex Chaldaea in patriam reversi Esdrae libri et Aggaei Zachariaeque vaticinia luculenter ostendunt. Cum reditu suo adventum Messiae coniunctum iri atque novam suam rempublicam splendorem antiqui regni davidici superaturam esse speraverant reduces; at hac spe frustrati satis duram sub Persarum dominatione vitam inviti agere cogebantur. « Ecce nos ipsi hodie *servi* sumus, et terrae, quam dedisti patribus nostris, ut comederent panem eius, fruges multiplicantur regibus, quos posuisti super nos, et corporibus nostris dominantur et iumentis nostris secundum voluntatem suam et *in tribulatione magna sumus* » (2 *Esdr*. 9,36. 37). Hinc continuae populi querelae, quasi Deus promissionum suarum esset immemor aut tardior in illis implendis; sed hinc etiam satis magna negligentia in observandis praeceptis divinis exorta est, quam vanis excusationibus obtegere conabantur. Quapropter Aggaeus iam et Zacharias docere debuerant, novis suis peccatis populum divinos favores retinere ac retardare; at eorum exhortationes, quamquam fructu non caruerant, eum tamen non tulerant, qui iure exspectari potuit, atque Esdras et Nehemias haud pauca invenerunt, quae reformatione indigebant. Eorum autem conatus adiuvit propheta noster concionibus suis, contribulium suorum de Deo querelas redarguens, peccata, quibus novas sibi calamitates attraxerunt, increpans, Dei beneficia antea iam collata et in posterum conferenda in memoriam eis revocans.

Libri divisio, si ad externam eius structuram attendimus, perspicua est. Per modum enim sermocinationis « primo Deus inducitur sacerdotibus vel populo aliquid exprobrans, deinde hi Deum criminis causam rationemque rogantes, veluti qui obiecta infitiarentur, rursus Deus rogantibus respondens incusationemque confirmans addita, ut eos revincat, vel culpae expositione, vel erroris refutatione, vel si resipiscant melioris sortis promissione »[1]. Sex autem eiusmodi dialogos vel sectiones clare distinguuntur, atque a modernis interpretibus omnibus agnoscuntur; in eo dumtaxat differunt, quod nonnulli sex illas sectiones

ad duas vel tres partes revocare conantur[2]. Cum Knabenbauer praeter introductionem (1,2-5) et epilogum (4,4-6) duas distinguendas censemus partes, in quarum priore (1,6-2,9) *sacerdotes*, in altera (2,10-4,3) *populum* ob varios abusus increpat; singularum increpationum argumenta exhibet ANALYSIS.

EXORDIUM (1,2-5) ingratis Iudaeis singularem Dei erga eos amorem in memoriam revocat.

Quamvis Esau et Iacob fuerint fratres (1,2), Dominus tamen posteros Esau abiecit nec eorum rempublicam unquam restituet (1,3. 4), sed super terminos Iacob suam gloriam manifestat (1,5).

PRIOR PARS (1,6-2,9) *sacerdotes ob cultum divinum neglectum vituperat eosque poenis denuntiatis et antiquo foedere commemorato ad emendationem seriam exhortatur.*

1. *Peccatum sacerdotum exponitur et increpatur* (1,6-14).
   a.) Honoris, quem Deo utpote patri suo debent, immemores sacerdotes offerunt victimas immundas, quas ne principi quidem offerre auderent (1,6-8);
   b.) quare frustra gratiam divinam implorant; Deus enim respuit illa sacrificia (1,9. 10) sibique praeparabit oblationem mundam ubique terrarum tempore messianico offerendam (1,11).
   c.) Contemtui habent altare Dei, quod despecta divina maiestate victimis vilibus et raptis onerant, dum meliores res dolo sibi reservare non dubitant (1,12-14).
2. *Ad emendationem invitantur propositis poenis et antiquo foedere commemorato* (2,1-9).
   a.) Graves eis poenae denuntiantur, nisi sese emendent Deoque honorem debitum tribuant (2,1-4);
   b.) Pactum eis in memoriam revocatur, quod olim Deus cum Levi iniit, et quam fideliter illud olim sit observatum, indicatur (2.5-7).
   c.) Unde elucet, quam longe a veri sacerdotis munere defecerint e. cur ipsi quoque nunc ab omnibus despiciantur (2,8. 9).

ALTERA PARS (2,10-4,3) *varia populi peccata increpat,*

1. *atque primum quidem in re matrimoniali* (2,10-16).
   a.) Foedus violant initis matrimoniis cum alienigenis et ita populum contaminant (2,10-12);
   b.) accedit autem, quod libidine ducti ob illicita illa matrimonia priores suas uxores repudiant magna cum iniustitia (2.13-16).
2. *Altera increpatio est de eorum expostulatione cum Deo* (2,17-3,6).
   a.) Deum offendunt, quum eum iniustum esse nec ad iudicium de ethnicis iam advenire conquerantur (2,17).
   b.) Cui querelae respondet, Dominum foederis et iudicii adventurum, ut mundet populum suum eumque sibi acceptabilem reddat (3,1-4);
   c.) videant autem, num ipsi ad talem iudicem recipiendum sint praeparati (3,5. 6).

3. *Tertia est de negligentia in decimis solvendis* (3,7-12).
   a.) Longe recesserunt a Deo Deumque continuo laedunt negligentia sua in decimis solvendis (3,7-9);
   b.) si reverti et emendari velint, magnae eis promittuntur benedictiones (3,10-12).
4. *Quarta iterum est de iniusta eorum cum Deo expostulatione* (3,13-4,3).
   a.) Stulte conqueruntur, quod servitium divinum illis non afferat emolumentum (3,13-15);
   b.) interea pii gemunt ad eorumque suspiria Deus attendit (3,16. 17);
   c.) in die autem iudicii omnes videbunt, quantum emolumentum afferat servitium divinum (3,18); dies enim iudicii adveniet terribilis impiis, laetus autem piis (4,1-3).

EPILOGUS (4,4-6) exhortatur omnes, ut Legem Moysis observent (4,4), atque promittit, Deum ante iudicii diem missurum esse Eliam, qui populum suum convertat (4,5. 6).

Satis arcte sex sectiones, quamvis diversa sint earum argumenta, inter se cohaerent, ut una sola oratione prophetica totum libellum constare plerique asserant; idque recte, dummodo teneatur prophetam summam eorum, quae variis temporibus pro concione dixit, collegisse novoque ordine dispositam in hoc libello populo suo reliquisse. Interrogationibus continuis et responsionibus incedere eius sermonem iam diximus; atque hac sermocinatione ab aliis libris propheticis omnino discernitur noster. Ceterum lingua eius ab omnibus dicitur pura atque a chaldaismis immunis, licet eo tempore sit conscriptus, quo chaldaicus sermo a populo iam coepit usurpari.

Ad AUCTORITATEM vaticiniorum quod attinet, sufficit adnotasse, S. Paulum (*Rom.* 9,13) eius exordium velut divinam Scripturam allegasse, Dominum ipsum prophetae verba 3,1 de Ioanne B. esse interpretatum (*Matth.* 11,10), ab eisdem verbis Marcum evangelium suum inchoasse (*Marc.* 1,2), epilogi demum verba (*Mal.* 4,5. 6) ab angelo Gabriel (*Luc.* 1,17) et a Domino ipso (*Matth.*, 11,14; 17,10 sqq.; *Marc.* 9,10 sqq.) ad S. Ioannem B. applicari.

1. *Patrizi* De interpretatione orac. ad Christum pertinentium Proleg. p. 74. — Cfr *Mal.* 1,2. 6; 2,11-13. 17; 3,7. 13.

2. Duas partes distinguit *Schegg* quoque (Die letzten Proph. II. p. 202), sed ita ut in priore (1,2-2,16) abusus vituperentur, in altera (2,17-4,6) erronea principia; *Trochon* (Petits prophètes p. 499), *Vigouroux* (Manuel bibl. II. p. 663; cfr etiam *Keil* Comm. p. 680) aliique tres distinguunt : « La première (1,2-2,9) dépeint l'amour de Dieu pour son peuple, la seconde (2,10-16) montre en Jéhovah le Dieu unique et le père d'Israël, la troisième (2,17-4,6) représente le Seigneur comme juge »; *Zschokke* (Hist. A. T. p. 329) quatuor partes facit (1,2-2,9; 2,10-16; 2,17-3,1; 3,2-4,6). Antiquiores interpretes, *Kilber* (Anal. bibl. I. p. 525), *Goldhagen* (Introd. III. p. 542) etc. duas distinguebant : expostulatoriam (1,2-2,17), promissoriam (3,1-4,6).

## § 33. — *De praecipuis commentariis catholicis in Prophetas Minores.*

323. — Haud parvus est interpretum numerus, qui aut integrum δωδεκαπρόφητον aut saltem unum alterumve ex Prophetis Minor. commentariis vel scholiis illustrare studuerunt. Inter PATRES ORIENTALES *Origenem* multos tomos in eos exarasse testantur Eusebius et S. Hieronymus, sed iam Eusebius viginti quinque tantum invenit, pauciores vidit S. Hieronymus, atque hodie omnes sunt deperditi non magno utique nostro damno, si in omnibus eundem modum tenuit, quem in Malachia, ita ut teste Hieronymo « historiam omnino non tetigerit et more suo totus in allegoriae interpretatione versatus sit »[1]. Etiam *S. Hippolytum* in Zachariae, *Apollinarem Laod.* in Oseae et Malachiae, *Didymum Alex.* in Oseae et Zachariae vaticinia scripsisse testatur S. Hieronymus, sed eorum quoque opera perierunt. Tempore igitur inter orientales commentatores, quorum nobis supersunt explanationes, primus est *S. Ephraem Syrus*, qui scholia haud inutilia nobis reliquit[2]. Utiliores tamen interpreti sunt tres commentarii graeci, quos ineunte saec. 5. *Theodorus Mopsuest.* eiusque discipulus *Theodoretus* eorumque adversarius *S. Cyrillus Alex.* conscripserunt. Mopsuestenus pro more suo pauca diserta vaticinia messianica agnoscit, quare vel ipsis claris verbis Ioel 2,28 sqq. vim infert, ut ea proximo et literali sensu de protectione reducibus Israelitis a Deo praestanda intelligat; Theodoretus paucis verbis sed claris solum sensum literalem exponit; magis rhetorico et uberiore modo prophetas explicat S. Cyrillus ab allegoricis et moralibus accommodationibus non abhorrens[3]. Omissis *Hesychii Ieros.* κεφαλαίοις, quae inter commentarios locum non sustinent, sed summa tantum capitum argumenta indicant, ex orientalibus omnibus soli remanent *Theophylactus*, Bulgarorum episcopus, qui ab imperatrice rogatus ex veteribus Patribus graecis catenam potius collegit quam commentarium edidit, in Osee, Habacuc, Ionam, Nahum, Michaeam, ad triplicem sensum quantum potuit diligenter attendens, et *Gregor. Barhebraeus*, cuius scholia utiliora sunt critico textus syriaci investigatori, quam interpreti[4].

Inter LATINOS PATRES, qui prophetas nostros explicaverunt, *S. Hieronymo* ab omnibus primus locus attribuitur, idque iure merito, quum nemo eo diligentius praeter textum hebraicum et alexandrinam versionem etiam reliquas versiones graecas contulerit feliciusque adhibuerit; plerumque etiam sensum literalem et historicum diligenter investigat, aliquoties tamen a nimiis allegoriis, quas in Origene vituperat, non satis abstinet. *Rufini* quoque nomine inscribitur com-

mentarius in prophetas Osee, Ioel, Amos, qui ab aliis *Paulo Orosio* attribuitur, vulgo autem titulo *Ps. Rufini* allegatur; « saepe iusto acerbius in S. Hieronymi sententias invehitur, alia tacito nomine S. Hieronymi cum approbatione et doctrinae specie sua facit »[5]. Vix nominari merentur *S. Paterii* expositio, in qua nonnullas explicationes ex S. Gregorii operibus collegit, *S. Iuliani. Tolet.* commentarius in Nahum, et *Ven. Bedae* allegorica expositio super canticum Habacuc; illud autem praetermittere non licet, *S. Augustinum* in praeclaro suo de Civitate Dei opere non paucos textus messianicos librorum nostrorum breviter quidem sed haud raro feliciter esse interpretatum[6]. *Walafridi Strabonis* Glossa ordinaria integra a S. Hieronymo dependet, licet nonnulla desumta sint ex *Haymonis Halberstad.* enarratione, nam haec ipsa compendium commentariorum S. Hieronymi satis recte vocatur[7].

1. *Euseb.* Hist. Eccl. VI. 36 (M. 20,597); *S. Hier.* De vir. ill. 75 (M. 23,722); cfr eiusdem Prol. in Os. et Mal. (M. 25,860. 1618) et *Huetii* Origeniana III. 2,2 (M. PP. GG. 17,1203).

2. *S. Ephraem* Opp. syr. II. p. 234-315 exhibet explanationes in Osee, Ioel, Amos, Abdiam, Mich., Zach., Mal.; scholia in reliquos prophetas ex codice musei brit. adiecit *I. Th. Lamy* (S. Ephraem Hymni et sermones. Mechliniae 1886. II. p. 229-301). Scholia haec, uti reliqua in Prophetas, conservavit Severus Edessenus in sua catena syriaca.

3. *Theodori Mopsuest.* Comment. M. 66,123-636; — *Theodoreti* Enarrationes. M. 81,1545-1988; — *S. Cyrilli Alex.* Comment. M. 71.9-1062; 72,9-364.

4. *Theophylacti* Comment. in Osee etc. M. 126,563-1189; — *Barhebraei* Scholia in proph. min. ed. B. Moritz. Lipsiae 1882.

5. *S. Hieronymi* Comm. in proph. min. M. 25,855-1654; — *Ps. Rufini* Comm. in proph. min. tres. M. 21,959-1104.

6. *S. Paterii* expositio. M. 79,1001-1018; — *S. Juliani Tol.* Comm. in Nahum. M. 96,705-755; — *Ven. Bedae* Super Cant. Habacuc allegorica expositio. M. 91,1235-1254. — *S. Aug.* Civ. Dei XVIII sqq. (M. 41.584 sqq.).

7. *Wal. Strabonis* Glossa. M. 114,96 non est recepta, quia fere consentit cum *Haymonis Halberstad.* commentario (M. 117,111-294).

Qui MEDIA AETATE proximus sequitur, *Rupertus Tuit.* etiam a S. Hieronymo fere dependet, licet ei haud pauca allegorica et nonnulla historica addat; eodem saec. 12. *Guibertus Abb.* morales quasdam explicationes scripsit in Osee et Amos, *Hugo a S. Vict.* in Ioelem et Abdiam, eius vero discipulus *Richardus a S. Vict.* canticum Habacuc explanavit[8]. Quibus omnibus longe praestant illa, quae duobus insequentibus saeculis interpretes scholastici de prophetis minoribus ediderunt. Praeter *Card. Hugonem* et *Nic. Lyranum*, quos saepius iam laudavimus, praesertim hoc loco nominandus est *B. Albertus M.*, qui teste P. Knabenbauer « singulos textus, immo saepe singula verba diligenti aliorum locorum similium allegatione illustrat... ita ut cum

utilitate consulatur et eius explanationes aptae ac solidae inveniantur non paucae »[9]. Saeculo 15. praecipuus commentator minorum prophetarum fuit *Dionysius Carth.* qui satis fuse literalem eorum sensum explicat et separatis articulis explicationem moralem breviorem adiungit[10]. Non paucorum, qui tribus istis saeculis in libros nostros scripserunt, commentarii typis nondum sunt descripti[11].

Ad RECENTIOREM AETATEM iam transimus, quae praecedentem numero et eruditione interpretum non parum superat. Illis pro more omissis, qui integrum V. T. commentariis illustrarunt[12], priore in loco enumerabimus eos, qui omnibus duodecim libris explicandis operam suam impenderunt, illisque alios adiungemus, qui aliquos tantum vel unum solum interpretati sunt. Saeculo 16. primus nominandus est *Franc. Ribera,* cuius « commentarii in librum duodecim prophetarum » optimis, qui unquam editi sunt, iure adnumerantur; si quis solum sensum literalem investigare vult, poterit adhibere eorundem commentariorum compendium ab ipso auctore adornatum. Eodem anno, quo Riberae, etiam *Ariae Montani* prodiit commentarius haud inutilis, quem ante saeculi finem secuta sunt similia opera *Pauli de Palacio* eiusque fratris germani *Michaelis de Palacio,* uti etiam paraphrasis *Franc. Panarelli a Messana;* atque eidem aetati attribuenda est explicatio *Petri Figuero* († 1592), quamvis non nisi ineunte saeculo insequente in lucem sit edita[13]. Eadem ratione, qua saec. 16. Ribera omnes suos aemulos superavit, saec. 17. *Caspar Sanctius* reliquos in prophetis minoribus explicandis superasse merito asseritur; « is est Sanctius, inquit Knabenbauer, ut nullo modo liceat interpreti eius volumina negligere ». Praeter eum nominari tamen merentur eiusdem saeculi interpretes vel paraphrastae minorum prophetarum *I. B. Chassignet, Christoph. a Castro, Fabricius Paulutius, Thomas de Calona, Petr. Maucorps, H. L. Castanaeus, Fr. Péan de la Coullardière*[14]. Admodum sterile fuit saeculum 18., quod praeter *Aug. Calmetum* nullum prophetarum interpretem mentione dignum produxit. Paullo fertilior fuit nostra aetas. *Antoninus Barcellona* italicam prophetarum paraphrasin edidit, atque circa idem fere tempus *F. Ackermann* latinum commentarium, germanicum autem *I. A. Theiner* rationalisticis ideis imbutus. *Petrus Schegg* prophetas minores et historia sua ultimarum prophetarum et commentario satis amplo illustravit, *Trochon* breviorem edidit commentarium gallicum, *I. Knabenbauer* ampliorem et ditiorem latinum, quem saepe laudavimus; *B. Neteler* in singulorum analysin inquisivit; de novem prioribus *Emin. Meignan* satis fuse disseruit. Quibus addantur oportet *I. Bade* et *Laur. Reinke,* qui ambo omnia vaticinia messiana interpretati sunt et quorum secundus etiam quinque prophetarum libros continuos explicavit[15].

8. *Ruperti Tuit.* Commentarius. M. 168,9-836; — *Guiberti Abb.* Tropologiae in Osee et Amos. M. 156,337-450; — *Hugonis a S. Vict.* Adnotatiunculae in Ioel; expositio moral. in Abdiam. M. 175,321-406; — *Richardi a S. Vict.* In Cant. Habacuc. M. 196,401-404.

9. *B. Alberti M.* Opera omnia ed. Iammy. tom. VIII. — Cfr de eo *Knabenbauer* Proph. Min. I. p. 6 sq.

10. *Dionysii Carthusiani* Piae et eruditae enarrationes in duodecim proph. min. Coloniae 1533. et saepius.

11. Nonnulla nomina affert *Knabenbauer* l. c. p. 7; quibus alia non pauciora addi possunt, quum solos interpretes ex Ordine Praedicatorum recenseat.

12. Speciali tamen mentione dignus est *Corn. a Lapide*, cuius commentarius in proph. minor. melioribus adnumerari meretur.

13. *Franc. Riberae* S. I. In l. duodecim prophetarum commentarii sensum eorum historicum et moralem persaepe etiam allegoricum complectentes. Antwerpiae 1571. (Romae 1590. et saepius); *eiusdem* commentarii historici selecti in duodecim proph. min. ab ipso auctore conscripti. Salmanticae 1598. et saepius. — *Ariae Montani* commentarii in proph. min. Antwerpii 1571. et iterum 1582.; — *Pauli de Palacio* Comment. Villaeviridi 1587. Coloniae 1588.; — *Michaelis de Palacio* Explanationes in proph. min. secundum literalem, anagogicum, allegoricum et tropologicum sensum. Salmanticae 1593.; — *Franc. a Messana* (Panarelli) O. Min. paraphrasis in proph. min. Antwerpiae 1597. — *Petri a Figueiro* Comment. in eius Opp. Lugduni 1615. — Allegantur etiam *Fr. Forerii*, O. Praed., Commentarii in proph. min. Venetiis 1563.; num autem prodierint, dubito.

14. *Casp. Sanctii* S. I. Comm. in proph. min. et Baruch. Lugduni 1621. et saepius. — *I. B. Chassignet* Paraphrase des proph. Besançon 1601.; — *Christ. a Castro* S. I. Commentariorum in proph. min. libri duodecim cum paraphrasi. Lugduni 1615. Moguntiae 1616. etc.; — *Fabritii Paulutii* Comm. in Pent., libros hist. et propheticos omnes. Romae 1625.; — *H. L. Castanaei* Comm. Parisiis 1630.; — *Thomae de Calano* (Panormitani), O. Cap., Comm. moralis super proph. minores. Panormi 1644.; — *P. Maucorps* S. I. Paraphrase de Baruch et des petits proph. Paris 1644. 1645; — *Fr. Pean de la Coullardière* Commentaire. Paris 1680.

15. *Ant. Barcellona*, Congr. Orat., Parafrasi de Profeti. Venezia 1827. (5 voll.), quibus addita est temporum propheticorum historia; — *Fourerii Ackermann*, Can. Reg. Later., Prophetae Min. perpetua annotatione illustrati. Viennae 1830.; — *I. A. Theiner* Die kleinen Propheten. Leipzig 1818. — *Pet. Schegg* Gesch. der letzten Proph. Regensburg 1853.; *Eiusdem* Die kl. Proph. übersetzt u. erklärt. Regensburg 1854. Ed. 2. 1862. (2 voll.); — *Trochon* Les petits prophètes. Paris 1883.; — *I. Knabenbauer* S. I. Comment. in Proph. Min. Parisiis 1886. (2 voll.). — *B. Neteler* Gliederg des Buches der zwölf Proph. Münster 1871. — *Em. Meignan* Les Proph. d'Israel. Paris 1892. — *I. Bade* Christolog. des A. T. III. Münster 1852. — *L. Reinke* Messian. Weissaggen. III. IV. Giessen 1861. 1862.; D. Proph. Habakuk. Brixen 1870.; D. Proph. Zephanja Münster 1868.; D. Proph. Haggai. 1868.; Beiträge zur Erkl. des A. T. VI. Die Echtheit des Proph. Sacharja u. Comm. des nichtmessian. Theiles desselben. Giessen 1864; D. Proph. Maleachi. Giessen 1856.

Restat, ut de iis dicamus, qui recentiore tempore uni alterive ex minoribus prophetis operam studiumque impenderunt; ex ordine eos recensebimus.

Oseam interpretati sunt saec. 16. *Hieronymus Box de Guadalupe*, *Hier. Osorius* Sen., *Leo de Castro;* saec. 17. *Ioan. Phelippaeus*, *Fr. de*

*Franchis*, *Fr. Vavassor,* cuius commentarius valde laudatur, *Yvo P. Pezronius;* saeculo nostro *Wenceslaus Goldwitzer, Antonius Scholz,* cuius opus accuratioribus merito accensetur [16].

IOELEM saec. 16. annotationibus et versione interpretationum rabbinicorum illustraverunt *G. Genebrardus* et *Ioan. Quinquarboreus* (Cinq-Arbres), homiliis *Mathurinus Quarré;* saec. 17. *Pezronius* et nostro saeculo *Ant. Scholz* commentariis eum auxerunt [17].

AMOS fere omnino derelictus est; praeter Quinquarboreum, Quarré, Pezronium, quos iam nominavimus, nemo diligentius studium ei explicando videtur adhibuisse.

ABDIAS praeter Pezronium iam nominatum tres invenit interpretes saec. 16. *Martinum de Castillo, Arn. Pontacum, Ludov. Legionensem,* et nostro tempore unum *N. Peters* [18].

Magnus est numerus interpretum IONAE; atque saec. 16. quidem in eum scripserunt Arn. Pontecus (iam nominatus), *Sebastianus Tuscanus, Marcellinus Evangelista, Franc. Feuardentius;* saec. 17. *Ioan. Treminius, Angelus Paciuchellus, Fr. a Vitrio, Fr. de Salinas, G. Coëffeteau*; saec. 18. *Ant. Dereser* (sed rationalistico modo historiam narrari negans); nostro demum saeculo *Fr. Kaulen,* cuius commentario meritas laudes tribuit Knabenbauer [19].

MICHAEAM saec. 16. solum explicavit *Casp Graxar* Salmanticensis; prophetiam vero NAHUM eodem saeculo interpretati sunt *Cypr. de la Huerga* et *Hector Pintus,* saec. 17. *Aug. de Quiros* [20].

In integrum libellum HABACUC saec. 16. *Ant. Guevara, Ant. Agellius*, cuius commentarius reliquis est praeferendus, *Thom. Beauxamis* scripserunt; saec. 17. *Alph. de Padilla, Corn. Iansenius Iprens.;* saec. 18. *Lud. de Poix*, *L. Beda* [21]; solum canticum in appendice commentariorum Psalterii explicaverunt non pauci : A. Agellius, Sim. de Muis, Marcus Marinus, Val. Thalhofer etc.

Pauciores iterum sunt interpretes, qui SOPHONIAE libellum illustrandum sibi proposuerunt; praeter A. Pontacum et Corn. Iansenium iam nominatos nullus nobis innotuit. Etiam primus, qui exsilio soluto vaticinia sua conscripsit, AGGAEUS, non multos invenit intrepretes; saec. 16. vaticinia eius explicarunt *Georgius Vallius, Georgius Wicelius, Ioan. Eckius, Thomas Nelus,* sed ab eo tempore usque ad nostram aetatem nemo praeter L. Reinke iam nominatum curas suas eis impendit [22]. Neque plures invenerunt duo ultimi prophetae; ZACHARIAM commentati sunt saec. 16. *Did. de Stunica* et Hier. Osorius, saec. 17. *I. de Reyrolles;* MALACHIAM vero Aug. de Quiros, Gab. d'Acosta, Mathurinus Quarré iam nominati; nostro tempore praeter L. Reinke etiam *Fr. X. Patrizi* duorum ultimorum vaticinia messianica illustravit [23].

Satis magnus est numerus catholicorum interpretum, qui ultimis tribus saeculis prophetis minoribus elucidandis insudarunt, at maior, ni fallor, est copia interpretum heterodoxorum. Illos, qui saec. 16. et 17. et ineunte saec. 18. scripserunt, plerosque enumeratos invenies a *I. G. Carpzov* (Introductio. Ed. 4. Lipsiae 1737. III p. 289 sqq. et in fine reliquorum capitum); alios ddunt *Rosenmüller* (Scholia in Proph. Min. Ed. 2. Lipsiae 1827. I. p. 11 sqq.a et in fine prolegomenorum ad singulos prophetas), *P. Kleinert* (Obadjah, Jonah etc. Bielefeld 1868. p. XI). *Zoeckler* (Handbuch der theol. Wissensch. Nördlingen 1883. p. 195 sq.). Paucissimi inter illos sunt, qui catholico interpreti inserviunt; non sine fructu tamen consuli poterunt *E. B. Pusey* The minor prophets with a comment. explan. and pract. and introductions te the several books. Oxford 1860. et *C. F. Keil* Bibl. Comm. über die Zwölf Kl. Propheten. Ed. 2. Leipzig 1873. Minoris momenti sunt ii, quos in Lange's Bibelwerk ediderunt *O. Schmoller* (Bielefeld 1872.), *Paul Kleinert* (1868.), *I. P. Lange* (1876.), et in the Speaker's Commentary (London 1876.) *E. Huxtable, F. Meyrick, R. Gandell, S. Clark, F. C. Cook, W. Drake.* Inter rationalisticos commentarios frequentius adhibetur *F. Hitzig* Die Zwölf kl. Proph. Leipzig 1838. (Ed. 4. curavit *H. Steiner* 1881.).

16. *Hier. Boz Guadelupensis*, O. S. Hier., Commentaria in Hoseam, christianae philosophiae praeceptis accommodata etc. Caesar Augustae 1581. et saepius (Ed. aucta a Gabr. Gyrelo. Venetiis et Brixiae 1604.; — *Hier. Osorii* Commentarius in Oseam et Zachariam (Opera IV. Romae 1592.); — *Leonis de Castro* Comm. in Os. ex veterum Patrum scriptis, qui omnes prophetas ad Christum referunt. Salmanticae 1586. — *Ioan. Phelippaei* S. I. Oseas primus inter prophetas commentariis illustratus. Parisiis 1636.; — *Fr. de Franchis*, O. Cap., Salvator mysticus s. Oseas enucleatus. I. Panormi 1643. II. Salerni 1647. III. Neapoli 1651. (tria voll. in fol. in Os. 5. 6.); — *Fr. Vavassor* S. I. Iobus brevi comm. illustratus et Comm. in Oseam proph. Amstelodami 1709.; — *Yvo Paul Pezronii*, O. Cist., Essai d'un comment. littéral sur les prophètes (Osee, Joel, Amos, Abdias). Paris 1693. — *Wenc. Goldwitzer* D. Proph. Hoschea aus dem Hebr. mit Anm. Landshut 1828.; — *A. Scholz* Comm. zum B. des Proph. Hoseas. Würzburg 1882.

17. *G. Genebrardi* Ioel proph. cum chald. paraphrasi et comment. Iarchi, Aben Esrae, Kimchi latine. Parisiis 1563.; — *Ioan. Quinquarborei* Targum in Oseam, Ioel et Amos latine versum et annotationibus instructum. Parisiis 1687.; — *Math. Quarré*, O. Min., Expositio seu homiliae in Ioelem, Amos, Malachiam. Parisiis 1575.-83.; — *A. Scholz* Comm. zum B. des Proph. Ioel. Wurzburg 1885.

18. *Mart. de Castillo*, O. Min., In Abdiam comm. Antwerpiae 1556.; — *Arn. Pontaci*, Ep. Vas., Abdias, Ionas et Sophonias cum chald. paraphr. et comment. Iarchii, Abenesrae, Kimchii etc. Paris 1566; *Lud. Legion.*, O. S. Aug. Comm. in Abdiam. Salamant. 1589; *N. Peters* Die Prophetie Obadja's. Paderborn 1892.

19. *Seb. Tuscani*, O. S. Aug., Comm. in Ionam proph. Venetiis 1573.; — *Marcellini Evangelistae*, O. Min., Sermones in Ionam. Camerini 1581.; — *Fr. Feuardentii*, O. Min., Comm. in Ionam. Coloniae 1594. — *Ioan. Treminii*, Comm. una cum paraphr. poetica. Oriolae 1623.; — *Ang. Paciuchellii*, O. Praed., Lectiones morales in Ionam proph. (italice Perusiae 1631. etc.) latine Monachii 1672.; — *Fr. a Vitrio*, O. Cap., Comm. Panormi 1645.; — *Fr. de Salinas* S. I. Comm. Lugduni 1652.-55. (tria voll. in fol.); — *G. Coëffeteau* In Ionam (in eius Florileg. Parisiis 1657.). — *Ant. Dereser* Die Sendungsgesch. des Proph. Jonas aus dem Hebr. über-

setzt, kritisch (?) untersucht u. von Widersprüchen gerettet (?) Bonn 1786.; — *Fr. Kaulen* Librum Ionae proph. exposuit. Moguntiae 1862.

20. *Casp. Graxar* Comm. in Michaeam. Salmanticae 1570. — *Cypriani de la Huerga*, O. Cist., Comm. in proph. Nahum. Lugduni 1558.; — *Hectoris Pinti* Comm. in Dan., Nahum et Lament. Coloniae 1582. et saepius. — *Aug. de Quiros* S. I. Comm. in Nahum et Malach. Hispali 1622. et saepius.

21. *Antonii Guevara* Comm. et ecphrasis in Habacuc proph. Madriti 1585. et saepius; — *Ant. Agellii*, Cler. Reg., Comm. in proph. Habacuc. Antwerpiae 1597.; — *Thomae Beauxamis*, O. Carm., Homiliae in Habacuc. Parisiis 1577.; — *Alph. de Padilla*, O. Min., Commentaria annotationes et discursus ad mores complectentia in Habacuc. Madriti 1657.; — *Corn. Iansenii Iprens.* Analecta in... Habacuc et Sophoniam. Lovanii 1644.; — *Lud. de Poix*, O. Cap., Les prophéties d'Hababuc traduites de l'hébreu, précédées d'analyses etc. Paris 1775.; — *Lud. Beda*, O. S. Ben., Habakuk der Proph. nach dem hebr. Text übertragen u. erläutert. Frankfurt 1779.

22. *Georgii Wallii* Enarrationes in Aggaeum. Moguntiae 1541.; — *Georgii Wicelii* Enarratio in Aggaeum. Moguntiae 1541.; — *Ioan. Eckii* Super Haggaeo proph. comment. Salingiaci 1538.; — *Thomae Neli* Breves annotationes in commentarios Kimchii in Aggaeum, Zachariam, Malachiam. Parisiis 1757.

23. *Did. de Stunica* Comm. in Zachariam, quibus tres eius editiones sollerter explicantur et praecepta vitae cum virtute colendae literaliter deducuntur. Salmanticae 1577.; — *Ioan. de Reyrolles*, O. Minim., Quaestiones morales et literales in proph. Zachariam. Parisiis 1631. — *Fr. Xav. Patrizi* S. I. De interpretatione oraculorum ad Christum pertinentium prolegomenon deque Christo Zachariae et Malachiae vaticiniis praenuntiato. Romae 1853.

O. A. M. D. G.

# INDEX.

---

25